Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bullariumordinis02cath

BULLARIUM
Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI
CAPUCINORUM
SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Reſcriptorum & Oraculorum &c., quæ à S. Sede Apoſtolica pro Ordine Capucino emanârunt.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

JOSEPHI MARIÆ AB INTERAMNA

Totius dicti Ordinis MINISTRI GENERALIS

Variis notis, & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ ex-Lectore, ac olim pro Natione Germanica Secretario Generali.

Tomus Secundus

Continens Bullas, Brevia, Decreta, Reſcripta, & Oracula &c., quæ primas duodecim Tabulæ Gen. Provincias Italiæ, videlicet Romanam, S. P. Franciſci, Marchiæ, Bononien., Lombardiæ, Venetam, Mediolanen., Brixienſem, Januen., Pedemontanam, Tuſciæ, & Corſicæ ſpecialiter concernunt.

ROMÆ, MDCCXLIII.

Typis JOANNIS ZEMPEL AUSTRIACI prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM FACULTATE.

BX
3104
A2
1740
t.2

LIBRARY
AUG 19 1966
UNIVERSITY OF TORONTO



J. Frey inv. et del. Michael Sorello ſcul. Romæ

Super Salutem et Speciem dilexi Illam... Venerunt autem mihi omnia Bona pariter cum illa. Sap. VII.

DIVO BONAVENTURÆ
A BALNEOREGIO

Ordinis Minoritani Miniſtro Generali, S.R.E. Cardinali, ejuſdem Doctori, Epiſcopo Albanenſi &c.

POſtquam primum Bullarii Tomum, FRANCISCO, Seraphico Patri, in Dei Filium, ſuavi amoris extaſi abſorpto nuncupavi, ſecundum BONAVENTURÆ, Seraphico ejus Filio, in Dei Matrem, ſtudioſâ pietate entheo, à me dicari, concinnus videtur Ordo, ut, ubi de Opere Ordinis Mino-

ritani agitur, frons ejus, nomine Patris, & Filii, Ordinis ejuſdem inſigniatur, & utrique ab Ordine, Litterario munere novum continuæ venerationis præbeatur homagium. Præſtitit hoc erga FRANCISCUM primus Tomus, explet & idem erga BONAVENTURAM Tomus præſens, & ſecundus.

Te, Tuaque, Seraphice Doctor, *Religio Capucina non gregaria colit devotione; ſe Tibi Fraternitatis fœdere junctam gloriatur; Nomini Tuo Provincias, & Provinciarum Domos inauguratur; Imaginem Tuam ſculpit in ſigillis; eâque Aras Eccleſiarum illuſtrat; inter Sacras Reliquias, quas hæretici furoris flamma in plateis Lugduni non conſumpſit, vel ſibi mixtas præterlabens Rhodanus non abſorbuit, Eccleſia noſtræ Domus de Alma Urbe Duliæ exponit integrum tuum Brachium, quo, ſpectante per rimas Angelico Doctore* Sanctus pro Sancto laboraſti. *Quàm ſolertes Doctrinæ Tuæ, quam Confrater Tuus, S. Romanæ Sedis Antiſtes Sixtus V. in ſua Decretali*, à Prædeceſſoribus ſuis Clemente IV., Gregorio X., & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles adhibitam, graviſſimorum Virorum auctoritate teſtatam, & commendatam, ac eximio Eccleſiæ Doctore dignam *encomiat, in Religione Capucina habeas, vel ſequaces, vel Præcones, vel*

Vin-

Vindices, *teſtantur ab hujus Filiis*, *publico prælo dati libri*: *teſtantur* Palladium Theologicum *Fr. Gaudentii Brixienſis*; Summa Theologiæ *Fr. Franciſci à Coriolano*; Concordia Doctrinæ *Fr. Joannis Mariæ ab Utino*; Summa Seraphica *Fr. Marcelli Regienſis*; Curſus Artium Liberalium *Fr. Marci Antonii à Carpenedulo*; Paradiſus Philoſ., & Theologicus *Fr. Marci à Badunio*; Introductiones Spirituales in Sermones &c. *Fr. Mathiæ à Salodio*; Commentaria in 4. Libros Sent. *Fr. Petri Trigoſi*; Paraphraſes &c. *Fr. Theodori Foreſti &c. &c.*

Communi proin cultûs officio dum peculiaris meæ erga BONAVENTURAM devotionis argumentum conjungo, ac ad illius pedes opus mei laboris in cultum depono, mirum, vel alienum nemini videatur.

Hoc quantumcunque ſit exiguum, oculis tuis tamen, Pater Sancte, *inviſum non fore confido, cum partem, ſeu Membrum concernat Ordinis Minoritani, cujus Tu Generalem Præfecturam paulo poſt triginta ætatis tuæ annos ſuſceptam, per 18. annorum curſum geſſiſti, cui* poſt Beatum Franciſcum plurimum profuiſti, tum *ea*, *quæ* Sanctus Pater piè, & ſanctè ordinavit, cuſtodiendo, tum creſcente Fratrum numero multa neceſſaria adjiciendo, *& cujus Regulam æquè contra cachinnos, & acerbiores impetus defendiſti, ac ſolida expoſitione clariorem*

rem reddidiſti. Inde, ut & ſub nomine Tuo in publicum prodeat forum, patere: patere, ut quod oblatum meæ erga Te venerationis eſt pignus, acceptum fiat Tuæ erga me Dignationis effectus, patere, ut, dum à Nomine tuo mutuat ſplendorem, ab eodem contra Momos accipiat tutelam. Patere, ut, qui Tuus ex Patre ſum Frater (licèt indigniſſimus) agnoſcar à Te tuus quoque ſecundum ea, quæ nomen tuum præſagit.

Filius, & Cliens, utut minimus
Fr. Michaël Tugienſis Capuc. Ind.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infra Scripti Diffinitores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Patris Franciſci Capucinorum, collegialiter uniti vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum II. Bullarii Noſtri Ordinis â R. P. Michaele Tugienſi Ordinis Noſtri Concionatore, & Provinciæ Noſtræ Helveticæ, olim S. Theologiæ Lectore &c. magna cura, ſollicitudine, & induſtria, tum ex Apoſtolicis almæ Urbis Curiis, ac Ordinis, & Provinciarum Archivis collectum, variiſque notis, ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem Notis nihil ſanæ Doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidquam, quod in Tertii præjudicium vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure, & modo ſervandis, pro debita Provinciarum, ac rerum geſtarum notitia publicæ luci dari, & imprimi poſſit.

Dedimus Romæ die 9. Julii Anno 1743.

Fr. Maximilianus à Wanghena Diffinitor Generalis.
Fr. Benedictus à Maſſafra Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Maria à Parma Diffinitor Generalis.

Fr. Joſephus Maria ab Interamna Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l. i.*)

CUM Tomum Secundum Bullarii Ordinis noſtri â R. P. Michaele Tugienſi ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ in Provincia Helvetica ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretario Generali compilatum, variiſque notis, ac notitiis illuſtratum, três ejuſdem Ordinis Noſtri Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur.

Datum ex Noſtro Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe hac die 12. Julii 1743.

Fr. Joſephus Maria, qui ſupra.

Loco ✠ Sigilli.

AP-

APPROBATIO EXTRA ORDINEM.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri evolvi ſecundum Tomum Bullarii, S. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum ab admodum Reverendo, Doctiſſimo, Religioſiſſimoque Patre F. Michaele Tugienſi, ejuſdem Ordinis Minorum Capucinorum in Provincia Helvetica Profeſſo, SS. Theologiæ ex-Lectore, & ſui Reveren. P. Miniſtri Generalis olim Secretario, collecti, variiſque notis, & Scholiis illuſtrati: cumque in eo nihil omnino Orthodoxæ Fidei dogmatibus, Sacratiorumque morum Regulis, vel Canonum Decretis adverſum offenderim, quinimo totum denuo opus â methodo, eruditione ac induſtria plurimum commendabile, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem utiliſſimum, atque pro diſciplinæ, & obſervantiæ Regularis cuſtodia accommodatiſsimum æquè, ac primum Volumen repererim: ut ex Archivi pariter tenebris, quæ Reipublicæ profuere nunquam, in commune obſequium publicæ per typum luci, ac immortalitati donetur, digniſsimum cenſeo, qui ſubſcribor.

Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam hac die 3. Julii 1743.

Fr. Dominicus Gentis, Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Magiſter, ejuſdem in Univerſitate Colonienſi Doctor, ac Collegii Caſanatenſis de Urbe Theologus pro Natione Germanica.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Arch. Tarſi Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Nicolaus Ridolfi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Diutius Tomum Bullarii ſecundum in lucem non prodiiſſe, miretur nemo; ea enim eſt (ut jam alias memoravi) confuſa rei Diplomaticæ categoria, ut, quod perfectum ſemel autumatur, mendis obnoxium denuo reperiatur, eſt & ita conſtans rerum humamanarum inconſtantia, ut, quod prælo vicinum, & aptum creditur, ad inducias ex inopino caſu cogatur. Hinc & ipſe D. Auguſtinus *in præfat. ad lib. de Trin.* de ſe refert, quod opus ab initio ſuæ Converſionis cœptum, nonniſi ſub vitæ fine perfecerit, dicens; *tanta rei difficultas eſt, tanta hujus vitæ viciſſitudo, tot impedimenta accidere poſſunt, quæ aſſumptum opus interponere poſſunt.* Si & hominem, qui me adjuvet, à me non haberi, & ideo à me ſolo Archiva luſtrari, Monumenta quæri, deſcribi, traduci, notis illuſtrari, prelum corrigi &c. debere, benevolus Lector meminerit, moras compatiente humanitate excuſabit.

Citiorem tamen tertii Tomi Typum polliceor, præſertim, ſi opinioni, & ſpei meæ RR. PP. Provinciarum Superiorum induſtria ſuffragetur, mihique vel ea, quæ à me poſcentur, vel quæ mihi deſſe ex litteris meis agnoverint, citiùs ſubminiſtrari diſponant, diſcedentes ab ignavo nonnullorum exemplo, qui Documentorum ſuorum nimium Zelotes, vel Ordinis commodorum parùm ſolliciti, ad perfectionem Operis, Ordinem concernentis, concurrere tepeſcunt. Eò fortiùs quoque novæ huic curæ, & indagini inſto, & inſiſto, quò magis Archiva Vaticana, & Secretarias Apoſtolicas, vel ex Autographis, vel Regeſtis diſtractis mancas, & mutilas comperio.

Cum Bullarium Ordinis, & non Fratrum, compilandi meum ſit ſtudium, exemplo aliorum Regularium, qui Bullaria compilari curârunt, ductus, operi & ea, quæ Moniales, vel ſub univoca, vel analoga ratione Capucinas reſpiciunt, inſerui: quantumvis enim Ordinis juriſdictioni plerum-

que non ſubſint, cum tamen vel Habitu, vel Conſtitutionibus &c. Ordinem profiteantur, illarum Documenta cum Ordine commiſceri, nemo improbabit.

Invenies, Lector erudite, varias, vel rerum, vel Perſonarum Notas, operi immixtas, ut, dum fulmina cenſurarum, & moroſæ clauſulæ pluries perſonant, curioſitatis avidum animum vagâ illarum immixtione nonnihil divertam. Popoſcit primas nonnunquam Bullarum, Brevium. vel Decretorum ſenſus, vel ſubſecuta eorum mutatio; ſuaſit ſecundas ratio, ut gloria, quam Majores Noſtri præclaris geſtis Ordini, & ſibi comparârunt, viva in ſœculorum memoria vigeat, ac perennet, & ut propoſito horum exemplo Poſteri incitentur ad virtutis ęmulationem, & reminiſcentes *Præpoſitorum*, & Majorum ſuorum, *qui ipſis locuti ſunt Verbum Dei*, & S. Regulæ, eorumque *intuentes exitum*, *imitentur Fidem*. *Heb.* 13. Non enim *propterea*, monet ex Vita S. Bern. Abb. lib. 7. c. 29. Mabillonius in actis Sanct. Ord. S. Benedicti ſæculi V. fol. mihi 68. *Patrum præcedentium laudabilia geſta deſcribuntur, ut vanæ, & inquietæ curioſitati ſerviatur, ſed ut per ea rudes inſtruantur, infirmi confortentur --- devoti ad perfectionem informentur.*

In hujuſmodi Notis, quantumvis conſultò abbreviatis, aliquoties uſque ad Sanctitatis, & miraculorum expreſſionem proceſſi, hęc quaſi ab Apoſtolica Sede forent examinata, & approbata, à Sapiente Lectore accipi nolo, proteſtorque in facie omnium, Decretum ab Urbano Papa VIII. die 13. Martii Anno 1625. in Sacra Congreg. S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hujuſmodi expreſſiones editum, & 5. Julii anno 1633., confirmatum, ea, qua par eſt, obedientia, & ſecundum declarationem ab eodem Sanctiſſimo 5. Junii 1632. factam integrè à me ſervari, & ſemper ſervandum eſſe, declaroque, quod, quæ vel de miraculis, vel ſanctitate in hoc opere dicta ſunt, à ſola Auctorum Fide, & humana hiſtoria, pondus accipiant: nec unquam charactere Sanctitatis uſus ſim, ut vel cultum, vel Canonicæ ſanctitatis famam Perſonis affingerem, ſed, ut virtutes, quibus præcelluêre, & plebejam opinionem deſignarem.

De

De Provinciis, quarum Documenta Tomus hic complectitur, pleni beneplaciti operior acceſſum, omnium enim & ſingularum illarum RR. PP. Miniſtris Provincialibus à me illa, quæ pro typo congeſta fuerant, ſummariè perſcripta, additæque fuêre preces, ut corrigenda corrigere, addenda addere &c. dignarentur. Inde ſi vel omiſſo, vel nimis obiter facto hoc officio minus bene quid ſapiat, ad dictos RR. Patres querimoniam, aut criſin remitto. Si tamen preter hæc *Amice Lector quid corrigendum, addendum, vel obſervandum in aliis Tomis occurrerit, non ingratum erit, ſi me vel per litteras conveneris, vel in coram admonueris; haud enim ignoro, ipſos lapides in publica elogia animari; nec erubeſco cum S. Auguſtino retractare, ſi quid ſecius dictum, ſcriptumque eſt; neque me hominem eſſe unquam obliviſcor. Tu interim piis conatibus favebis, & humanis pro tua humanitate erratis ignoſces. R. P. Matheus Raderus S. J. Volum. III. Bavariæ Sanctæ.*

ISAGOGES
AD UNIVERSUM BULLARII OPUS
PROSECUTIO

Continens ſuccinctam Pontificiorum vivæ Vocis Oraculorum, & Chirographorum deſcriptionem.

CAPUT TERTIUM
De Pontificiis vivæ Vocis Oraculis.

SECTIO I.
De origine, quidditate, & diviſione vivæ Vocis Oraculorum.

SI antiquitatis ſciſcitemur monumenta, jam tempore ethnico Oraculorum uſum viguiſſe, & ex eo ita appellata fuiſſe reperimus, quod juxta Ciceronem in Topica, & Lucium Senecam, lib. 2. Controverſ. voluntatem Divinam, hominis ore denuntiatam continerent. Hinc dum Principes Romani affictâ ſibi ſuperhumana Majeſtate nomen Divorum ſibi arrogabant (prout in ſpecie Domitianus teſte Leto, ſe Domnum, & Deum nuncupari juſſit) eorum reſponſa, Sacra Oracula dicebantur. Firmant hoc plura juris loca, ut *inſtit. de adopt. §. illud proprium eſt L. 1. C. de emancip. Libert. Cæleſte Oraculum, in L. jubemus L. 1. C. de Sacroſ. Eccleſiis L. fin. C. de Def. Civit. L. Si quis ex grege C. de cohortal. L. digna vox C. de Legibus à Calvino Tom. 2. Verb. Oracula fol. mihi* 170. *citata.*

Tranſiit hic nominationis uſus ad Eccleſiaſticum Principem Romanum ſeu Papam, à quo ab initio Eccleſiæ vivæ Vocis

Ora-

Oracula emanata eſſe, ambigi non poteſt, tum, quod in Principe Eccleſiæ viguerit Clavium, & gratiarum concedendarum poteſtas, tum, quod adfuerit neceſſitas, cum enim in primordio Regni Eccleſiaſtici ob tyrannidem, quæ per plateas Chriſtianos quotidiè vocavit ad mortem, in Catechumbis, privatiſque ædibus, tam ſpiritualium, quam temporalium cura adminiſtraretur, Summi Pontifices oretenus ea, quæ Eccleſiæ regimen concernebant, diſponere debebant, utpote uſu Bullarum &c. necdum vigente, & primum incipiente, quando ſuſceptò per Conſtantinum Magnum Baptiſmate ſub Pontificatu S. Silveſtri florere cœpit pacis alcyona, liber ad Eccleſias materiales datus fuit aditus ac Pontifices, pręter Clavium poteſtatem, Principatum quoque temporalem adepti fuêre.

A communi tamen hâc oraculi notione receſſit pedetentim legalis ſtylus, & illud ad reſponſa, à Papa ad preces, ac ſupplicationes data limitavit. Eapropter Oraculum hujuſmodi definitur *Conceſſio, ſeu gratia oretenus ſine Scriptura à Papa ad ſupplicationes facta*: *Solent*, ait Portellus, *dub. Regul. Verbo vivæ Voc. Orac.* ALIQUANDO SUMMI PONTIFICES ALIQUA PRIVILEGIA CONCEDERE NON IN SCRIPTO, SED ORETENUS, ET ISTA DICUNTUR VIVÆ VOCIS ORACULA: quod idem tenet Bordonus *reſol.* 31. *quæſt.* 1. *Lezana tom.* 2. *Verb. Oracula num.* 4. *fol. mihi* 475.

Dicitur *conceſſio facta ſine ſcriptura*, ut à conceſſione facta per Bullam, Brevia *&c.* diſtinguatur, uti notat *Lezana loc. cit.*, addens Oracula etiam à conceſſione, quæ fit per Signaturam Papæ, ſeu, quando propria manu petitionem per ſcriptionem *Fiat* ſignat, differre. Differt, & à quacunque alia conceſſione ſcripta, cum hujus originale, ſeu autographum ſaltem ſubſcribatur, dum econtra oraculum ſubſcriptione caret, & aliunde probationem juxta inferius dicenda requirat.

Dividunt Oraculum in illud, quod gratiæ conceſſionem continet, & aliud, quod gratiam conceſſam explicat:

Aliud eſt immediatum, aliud mediatum: illud id eſſe teneas, quod Orator ipſe ab ipſo Papæ ore haurit, hoc id

ar-

arbitrare, quod à Papa alii datum, & ab hoc, ad tertium tranſit. Quinam autem ſint illi, qui ex Pontificio Oraculo immediatè ſibi dato gratias concedant, extenſivè memorat.

SECTIO II.

De Perſonis, quibus vivæ Vocis Oracula à Papa concedi conſuetum eſt.

A Papa habent vivæ Vocis Oracula SS. Congregationes tum S. Inquiſitionis, tum Concilii, Epiſc., & Regul. Immunitatis Eccleſiaſticæ, Rituum, Fabricæ &c.. uti agendo de ſingulis firmat *Cardinalis de Luca de Relat. Rom. Curiæ â diſcept.* 14. *ad ſeq.*, & deducit id in ſpecie *de Congreg. Epiſc. & Regul. Pignattel. tom.* 1. *conſult.*112*fol. mihi* 16. Hoc tamen de - & circa materias, quæ ad præfatas Congregationes ſpectant, limitatè intellige.

Tribuit & eadem Cardinalibus officio fungentibus in genere *dictus Pign. conſult. III. num.* 24., & in ſpecie de primo Miniſtro, ſeu Cardinale, qui Pontificis negotiis ſuperintendit, tradit *Card. de Luca de Rel. Rom. Curiæ diſ.* 6. *n.* 9. *&* 10. *fol. mihi* 242. *col.* 2. addendo, quod hic pariter tempore, quo Papa vel infirmitate, aut alia ratione impeditur, ejuſdem nomine, & vice gratias ſubſcribat *per conceſſum*, idem *de Card. Datario in dicta diſcept.* 6., *&* 9. *num.* 36.; de Secretario Memorialium, qui oracula Pontificis in tergo Libelli ſupplicis notat, ad effectum, ut Brevia, ſeu proviſiones deſuper expediantur. *Diſc.* 7. *num.* 19. De Theſaurario Generali *diſcept.* 82. *num.*4. *de juriſdictione fuſius tradit idem de Luca*.

Cumque, & Officiis Camerariatus, Gubernatoris Urbis, & Cardinalis Vicarii plura expedienda incumbant, & gratiam immediatè à Papa petendi Oratori vel non adſit occaſio, vel non detur acceſſus, conceſſam eſſe & hiſce à Papa, nimia negotiorum mole preſſo oretenus, facultatem recognoſcendi, & manu ſua ſignandi ſupplicationes gratiarum, quæ de ſtylo concedi ſolent, aut aliàs minoris ſunt momenti, aſſe-

rit

rit *Pignat. conſ. III. num.* 2. *tom.* 1., & magis diffusè in terminis Card. Vicarii tenet *idem de Luca de Regal. diſc.* 32. *num.* 2. *de Rel. Rom. Curiæ, diſc.* 4. *num.* 8., & *diſc.* 13. *n.* 2. *cum aliis relatis per Rotam in Romana juris Baptizandi* 14. *Januarii* 1733. §. *certius cor. bon. mem. de Sanminiatis*.

Ex eadem ratione Cardinali Pœnitentiario hujuſmodi Oracula tribuit *Genua de Script. priv. lib.* 3. *tit. de Litt. Apoſt. num.* 9., & 10. *cum aliis relatis per eundem Pign. dicta conſult. num.* 24.

Extenditque hoc idem ad conſpicuum, magnumque Magiſtratum Urbis, *Farinacius quæſt.* 90. *Card. de Luca de Juriſd. diſcept.* 82. *num.* 4. &c. *firmantque relat. per Cap. alleg.* 32. *n.* 4. *ubi addend. Altograd. Conſult.* 22. *num.* 46., & *ſeq. vol. primo*.

SECTIO III.

De Reformatione vivæ Vocis Oraculorum.

Adeo ex congenia Summorum Pontificum Clementia Oracula, preſertim in FF. Minorum favorem, tempore Leonis X. emanata excreverant, ut eorum copia, utilitatem longè excederet; hinc idem Pontifex ad reſtringendam libertatem, qua nonnulli Fratres privilegiis per vivæ Vocis Oracula ſibi conceſſis abutebantur, Superioribus Ordinis, & Provinciarum indulſit, ut hujuſmodi Oracula cum conſenſu Patrum limitarent, eorum uſum tollerent, ac in Capitulis Provincialibus, nulli Religioſo deinceps uſum talium Oraculorum (haud aliter, ac ſi per ipſum Papam forent revocata,) conceſſum eſſe declararent. Refert hanc reformationem à Leone X. factam *Rodriq. tom.* 3. *quæſt. Regul. art.* 3. *fol. mihi* 62. *Portel. Dub. Regul. verb. Oracula, Bordonus var. reſolut.* 31. *n.* 1. *Caſſarubius in compend. Privileg. FF. Min. Verb. Oracula num.* 3.

Notat autem ad id Corduba *in Annotat. ad* §. *abſol. quoad Fratres*: quod Generalis, caſu quo Religioſus privilegio ſibi conceſſo abuteretur, vivæ Vocis Oraculum poſſit ſuſpen-

ſuſpendere, non tollere: ſuſpendere, uſque dum deſuper conſulat Pontificem; non tollere, cum hoc auctoritatem illâ Papæ majorem ſupponat.

Reformationem à Papa Leone factam ſecuta eſt alia Gregorii XV. per Conſtitutionem, quæ ſequitur:

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ divina Providentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & Prædeceſſoribus ſuis conceſſa, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectantes, ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ Vocis Oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quavis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Jeſu, ac Congregationibus quibuslibet, ſive eorum, & earum reſpectivè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus Generalibus vel Provincialibus, quocunque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubjectis, cujuſcunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſa, in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata,

caſ-

caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cœtero uti ullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiamſi de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus. Firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis, vivæ Vocis Oraculo, S.R.E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem, propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt: Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas, quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illàs ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtintre, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane; ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prelatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan., & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum

quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpeciàlis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujuſmodi, pręſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quodque eædem pręſentes literę, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, II. Julii MDCXXII. *Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.*

Ex quibus Pontificiæ Conſtitutionis verbis patet, per eam omnes, & quaſcunque, tum ſpirituales, tum ad forum internum, & externum ſpectantes, tum ad ſupplicationem partium, tum motu, & ſcientia propriis, ac etiam Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quandocunque, & qualitercunque, & ex quavis cauſa vivę Vocis Oraculo quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium factas conceſſiones fuiſſe revocatas, exceptis tantummodo privilegiis ad ſupplicationem Regum, & S.R.E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem conceſſis, dummodo fuerint propria Cardinalium manu firmata, ut referendo dictę Conſtitutionis verba animadvertit *Bord. var. reſol.* 31. *in primo. Lezana quæſt. Reg. Tom.*1. *cap.*3. *n.*21. *Novar. de Lucerna Regular. Verb. Oracula Caſtellin. de elect. cap.*5. *n.*37. necnon iis, quæ in ſua revo-

ca-

catione non comprehenſa eſſe, ipſe Conſtitutionis Conditor Gregorius declaravit, prout Eundem circa Oracula, Religionem noſtram concernentia feciſſe *Tomo* 1. *fol.*69. *col.* 2. memini.

Abuſui tamen cum per Gregorianam Conſtitut. ſatis conſultum non eſſe experientia probaret, & Religioſi varii, ſpecioſo hujuſmodi privilegiorum prætextu ſeſe à Superiorum obedientia ſubtrahere molirentur, edidit Urbanus Papa VIII. aliam, & ſequentem Conſtitutionem.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis à Sede Apoſtolica vivæ Vocis Oraculo ſæpenumero conceſſis, obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis videlicet Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam Romanus Pontifex &c. lege reſiduum ſupra.

Cum autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ Vocis Oraculo, etiam à S.R.E.Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſæpe ab his, in quorum favorem emanârunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari: Idcirco, quantùm cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium hujuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias quaſcunque per Summos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac per Nos vivæ Vocis Oraculo, & S.R.E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Provincialibus, cæteriſque Superioribus, & perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſive ſæcularibus, ſive Re-

gularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Jeſu, aut ejus Clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prædictis quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque aut alias quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nullique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus. Preterea, ut preſentes litere omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantocitius innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis active, & paſſive pœnis ipſo facto incurrendis precipimus, & mandamus, ut infra tres menſes proximos à die publicationis preſentium computandos, omnes, & ſingulos Provinciales eorundem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, de eiſdem preſentibus literis certiores faciant, earundemque preſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Provinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium præcipere, ut eaſdem preſentes ſubditis ſuis, ut moris eſt, publicent. Decernentes præſentes litteras, etiam ex eo, quod quicunque in premiſſis intereſſe habentes, vel habere pretendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios,

& in-

& integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præinſertis literis hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam Regula Noſtra de non tollendo jure quæſito, privilegiis quoque indultis; & Literis Apoſtolicis, eiſdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, inſtitutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunq; nomine nuncupatis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam in præmiſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique Fides adhibeatur, quæ preſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, quodque ęędem pręſentes literę, ſive illarum exempla ad valvas Baſilicarum prędictarum, & in acie Campi Floræ hujuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XX. *Decembris* MDCXXXI. *Pontificatus Noſtri Anno Nono.*

M. A. Maraldus.

Ex

Ex quo revocationem Gregorianam etiam ad Oracula, manu S. R. E. Cardinalium firmata, & ad inſtantiam Imperatoris, & Regum &c. conceſſa extendi, ipſa Conſtitutionis verba innuunt, & ex iis deducunt *præter Bord. Lezanam, Novar. ſupra citatos, Donat. in praxi tract.* 16. *quæſt.*1. *Pignat. tom.* 1. *Conſult. III. n.* 11.

Adſunt & aliæ reformationes, à Summis Pontificibus circa Oracula emanatæ, quarum aliquæ tangunt tantummodo caſus particulares, aliæ autem Conſtitutiones non fuerunt promulgatæ: Pius IV. ſolummodo conceſſiones, quæ in futurum ab officio Pœnitentiariæ emanarent, revocâſſe notat *Pign. t.* 1. *conſult. III. n.* 22., & Conſtitutionem, qua Gregorius XIII. gratias Minoritis â Sancto Pio V. conceſſas revocavit, non fuiſſe promulgatam obſervat *Henriquez. relat. â Portello Dub. Regul. verb. Oracula, ac Navar. in Summa Lat. anno* 1584. *cap.* 27. *in fine*.

Pluribus inſuper privilegiis, vivæ Vocis Oraculo variis Religionibus conceſſis, â variis Pontificiis derogatum fuiſſe memorat *Caſarub. de Privil. FF. Min. per totum tract.*, quæ poſt Conſtitutiones Gregorii XV., & Urbani VIII. recenſere ſupervacaneum videtur.

Tandem & glor. mem. Clemens Papa XII. per Conſtitutionem incip. *Romanus Pontifex* emanat. 12. Februarii 1732. plures facultates â Pontificibus, ſuis Prædeceſſoribus, vivæ Vocis Oraculo, vel per Reſcripta, propria eorum, vel de illorum mandato cujuſvis S.R.E. Cardinalis &c. manu ſignatas, & in enuntiata Conſtitutione ſpecificè comprehenſas revocavit, ubi tamen pro regula addit: *Cæterum per præſentes non intendimus revocare ſupradicta Indulta, facultates, & gratias, quæ per quaſvis Literas Apoſtolicas, etiam in ſimili forma Brevis expeditas, vel Reſcripta à S.R.E. præfatæ Cardinalium, aut Romanę Curię Pręlatorum, aliiſve Almę Urbis Congregationibus edita, & ab eiſdem Prędeceſſoribus approbata, necnon per dictum Officium Pœnitentiarię Apoſtolicę, quandocunque conceſſa fuerint, ſeu emanaverint, quę ſalva, ac firma remanere volumus.*

SE-

SECTIO IV.

De dubiis circa Reformationem vivæ Vocis Oraculorum exortis.

VIX prædicta Oraculorum Reformatio audita eſt, naſcebantur illico gravia dubia, ac controverſiæ, & eo ipſo, quod revocatio ſit odioſa, impenſo ſtudio ſalvare quęſitum fuit, quod ſalvari quocunque titulo poterat. Hinc, cum ex ſupra memorata Conſtitutione Gregorii XIII. quâ conceſſiones S. Pii V. revocavit, etiam quæcunque Minoritis conceſſa privilegia revocata videantur, dubitatum fuit.

I. An privilegiis revocatis, cenſeantur pariter revocata vivæ Vocis Oracula? Ad quod communis reperitur Doctorum opinio, quod non revocata intelligantur, ex eo, quod ſpecifica, & expreſſa indigeant mentione, uti tenet *Portel. in Dub. Regul. verb. Oracula num.* 3. *Peyrin. t.* 1. *privil. Minim. in Conſtit.* 17. *Julii* 11. §. 1. *num.* 2. *Sa in ſumma verb. gratia num.* 13. *Lezana oper. Regul. verb. Oracula num.* 4. in fine ubi ait, etiamſi Conſtitutiones Derogatoriæ habeant clauſulam *non obſtantibus*.

II. An per dictas Conſtitutiones Gregorii XV., & Urbani VIII. fuerint revocata Privilegia, vivæ Vocis Oraculo Superioribus contra ſubditos conceſſa? Ad quod dubium reſpondet *Bordonus var. reſol.* 31. *num.* 2. negativè, ex ratione, quod præfati Summi Pontifices de hujuſmodi privilegiis non loqui videantur, uti deducitur ex cauſa finali, illos ad revocationem faciendam movente, & in eo conſiſtente, quod illorum uſus, ut plurimum in Eccleſiaſticæ Diſciplinę pręjudicium vergeret, uti patet ex verbis: *minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Detrimentum executioni demandari*. Cauſa autem finalis reſtringit, aut ampliat Conſtitutionem ad limites ſuos *l. cum Pater §. dulciſſimis ff. de Legat.* 2. *& docet Hoſtien.*, quem refert, & ſequitur *Panormit. Caput Eccleſię de Immonit. Eccleſ. num.* 5., *&* 6. Uſus autem privilegii Superiorum contra ſub-

ſubditos &c. non in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ detrimentum, ſed econtra, & potius tendit ad hujus conſervationem, maximè inter Religioſos, qui voluntates ſuas in manu, & conſilio ſuorum Superiorum repoſuêre, hinc & illud revocatum eſſe videri non debet.

III. Dubitatum fuit, an gratię, quę omnino favorabiles ſunt, & nulli pręjudicium pariunt, per Conſtitutiones Gregorianam, & Urbanam ſint revocatę? Variarunt in hac quęſtione Doctores: Bordonus enim *in reſol.* 31. *num.* 3. negativè opinatur, ductus ratione, quod revocatio ſonet in malam partem; & ob pręjudicium ex dictorum Privilegiorum uſu Eccleſiaſticę Diſciplinę adnaſcens inducta fuerit: jam verò, cum conceſſiones favorabiles, & ex ſuppoſito nulli pręjudicantes, neque per accidens Eccleſiaſticę Diſciplinę cultum turbent, eas in ſuo robore perſiſtere infert. E diametro Bordono ſe opponit *Lezana in ſumm. quæſt. Regul. to.* 2. *verb. Oracula n.* 5. ex eo, quod Conſtitutiones Gregorii, & Urbani univerſaliſſimè loquantur, aliaſque revocationem ab iis factam, inutilem eſſe neceſſariò ſequeretur, cum omnia vivæ Vocis Oracula Religionibus conceſſa regulariter loquendo forum conſcientiæ concernant, aliiſque non pręjudicent.

In hoc opinionum conflictu ad quęſtionem, an per prędictas Bullas indulgentię vivę Vocis Oraculo conceſſę, ſint ſublatę? idem *Bordon. dicta reſol.* 31. *num.* 4. negativam firmat opinionem, tum, quod nulli pręjudicent, tum, quod de illis nulla fiat expreſſa mentio, & ideo, cum indulgentia ſit maximum privilegium, ſub communi aliarum conceſſionum, gratiarum &c. nomine non comprehendatur, tum, quod ita videatur colligi *ex Novar. conſil.* 17. *de pœnit. n.* 8. dicente, eas non venire ſub nomine indultorum & gratiarum, quas Summi Pontifices in ſuo ad Solium aſcenſu per regulas Cancellarię revocare ſolent, & ita quoque tenet *Peyrin. t.* 3. *ad Conſtit. Urbani VIII. cap.* 12. *n.* 1. *ad fin.* Obluctatur Bordono &c. *Lezana T.* 2. *verb. Oraculo n.* 5. eaſque revocatas eſſe prętendit, cum Gregorius Papa XV. indefinitè omnes gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum internum, quam externum ſpectan-

ctantes revocet, & ſub nomine gratiæ, ſeu conceſionis ex jure etiam indulgentiæ intelligantur.

Ad conciliandam utramque ſententiam, diſtinctionem interpono inventam apud *Lezanam dicto num.* 5. ita diſcurrentem, ac ſententiam ſuam explicantem: aut agitur de Privilegiis, conceſſionibus, indulgentiis, vivę Vocis Oraculo generaliter omnibus Fidelibus, aut omnibus Eccleſiaſticis conceſſis? & in tali caſu per prędicatos duos Summos Pontifices Oracula ita generaliter conceſſa, revocata eſſe dici non debet. Aut agitur de aliis Privilegiis oretenus Religionibus, Communitatibus, Pręlatis, ſeu aliis Perſonis particularibus conceſſis? Et tali caſu per dictas Conſtitutiones ea Oracula revocata dicuntur &c.

IV. Aliud dubitandi motivum factę Conſtitutiones prębuerunt: an ſcilicet ſub hac revocatione contineantur Privilegia Sacrorum Canonum, Apoſtolicarum Conſtitutionum, ſtatutorum, & aliorum Privilegiorum Religionum declarativa? Procedunt Doctores circa hanc quęſtionem pariter diſtinguendo: aut enim hujuſmodi Oracula declarant tantummodo privilegia Sacrorum Canonum &c. ſine novę gratię collatione? Et tali in caſu dictę Conſtitutiones ea Oracula non abolere dicuntur; aut Oracula prędicta ſuperaddunt novam gratiam, ſive privilegium, ſeu indultum? & tunc revocata cenſentur; nam ideo prima non revocata dicuntur, cum non ſint gratię, licentię, ſed purę declarationes, aut explicationes, dum econtra ſecunda ob gratiam, quam continent, ſint vera privilegia, & ideo ſub revocatione comprehendi firmant *Peirin. T.* 1. *privil. Minim. in Conſtitutionem VIII. Pauli V. num.* 1. *Novar. Lucerna Regul. verb. privilegia n.* 4. *Bordonus var. reſol.* 31. *n.* 7. ubi de Oraculis Declarativis addit aliam rationem, quod ſcilicet non ſolùm non vergant in detrimentum Eccleſiaſticę Diſciplinę, ſed econtra ejus conſervationem, & Regularem Obſervantiam juvent *Lezana in ſum. quæſt. Regul. cap.* 8. *num.* 21., *& ſub Tit. de juribus, privilegiis, & oblig. Mendic. tom.* 1. *p.* 2. *dub.* 1. *num.* 80., *& tom.* 2. *verb. Oracula num.* 5.

V. Longa, & in ſenſu meo parum utili, indagine diſcu-

tiunt Doctores, an Privilegia viva voce conceſſa, & poſtea per alios ſummos Pontifices, etiam Bullis ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis expeditis confirmata, per recenſitas Conſtitutiones revocata cenſeantur? Prębuêre controverſię anſam nonnullę Bullę, quę de novo privilegia viva voce conceſſa confirmârunt, ſuntque inter eas illę Pauli IV. *incip. ex Clementi apud Confect. pag. mihi* 185. *Gregorii XIII. Ex benigna apud eundem Confect. pag.* 247., *& Sixti V. Ratio Paſtoralis, apud eundem Confect. pag.* 286. legendę. *Bordonus reſol.* 31., *n.* 5. ad affirmativam propendet ſententiam, impugnando argumentum Peyrini, aſſerentis privilegia ita confirmata non amplius dici conceſſa per Oracula, ſed per Conſtitutiones, & conſectariò perdidiſſe nomen, & vim Oraculi. Quod ut falſum Bordonus probat diſtinguendo primò aſſumptum, & dicendo, aliud eſſe privilegium confirmari, & innovari prius non ſubſiſtens, hocque fieri per confirmationem ex certa ſcientia, ſeu ex poteſtatis plenitudine: & aliud eſſe privilegium tranſire in naturam, & conditionem Bullæ, notionem oraculi exeundo, additque Oraculorum priori modo innovatum, adhuc Oraculi nomen retinere, utpote naturâ ejus per confirmationem non immutatâ, cum aliàs confirmatio, Oraculum ſupponens, non eſſet. In quo ſenſu ſi privilegia fuerint confirmata, ut Oracula, illa à Gregorio, & Urbano revocata fuiſſe concludit. Si autem econtra confirmata ſint, nulla mentione de iis, ceu Oraculis in actu ſignato facta, talia non amplius eſſe, ſed induere rationem privilegii per Bullas, ſeu Conſtitutiones conceſſi, & in tali ſenſu ea revocata non eſſe tenet.

Dicuntur autem tranſire in Bullam, vel quando Papa in ſua Conſtitutione de illis in actu ſignato non loquitur, vel quando privilegia exprimendo, ea concedit nullo ad præteritum habito reſpectu, ita, ac ſi nunquam, ut oracula ſubſtitiſſent. Et exemplum deſuper habetur in privilegio, vivâ voce Regularibus conceſſo diſpenſandi in caſu infirmitatis, Lectionis &c. cum ſubditis, quoad divini Officii recitationem: reverà enim tranſiit in Conſtitutiones Clementis VIII., & Pauli III., & proin eoipſo, quod de eo, ceu vivę Vocis Oraculo

lo non fuerit in iis facta mentio, revocatum non eſſe ſupponitur.

A Doctrina Bordoni, utut ſolida, recedunt Doctores varii, & inter eos apertè *Lezana verb. vivę Vocis Oracula num. 7.* prætendens, quod Oracula in Bullis confirmatoriis expreſsè relata, revocata non cenſeantur, cum S. Pius V., & Gregorius XIII. per ſuam confirmationem, quæ novæ conceſſionis vim habet, in genere, & in ſpecie ea reſervârint. Judicium tamen ſuum mecum Curiæ Romanæ, quoties aliter ſentiret, remittit.

VI. Majoris momenti eſt quæſtio: an vivæ Vocis Oracula, quæ ſuum effectum ante Gregorianam revocationem ſortita fuerunt, intelligantur revocata; non obſtante, quod effectus habeat tractum ſucceſſivum in futurum? Prodit, & diſtinguit denuo deſuper Bordonus *dict. reſol.* 31. *num.* 8. *dicens: Vivę Vocis Oraculum, quod habet in ſuo effectu unicum actum ſucceſſivum, non revocatur, donec perficiatur; utique verò, ſi ejus actus multiplicari poteſt ſucceſſivè, ita quod unus effectus dependet ab alio*: probatque hanc ſuam opinionem verbis ipſius Bullæ Gregorii XV. quæ ſunt: *in iis videlicet, quę non ſunt ſortita effectum, tenore pręſentium revocamus*, firmatque eandem exemplo privilegii diſpenſandi quemdam in voto Peregrinationis Jeroſolymitanæ, viva voce Religioſo Confeſſori conceſſi: hocque non revocatum aſſerit, ſi hic necdum diſpenſaverit, cum privilegium ſuum necdum ſortitum ſit effectum, & nullum habeat tractum ſucceſſivum. Si autem Confeſſarius hujuſmodi, illimitatè quemcunque ad ſe accedentem ab hoc voto liberandi nactus fuiſſet vivæ Vocis Oraculo facultatem, hanc, etiamſi eam erga nullum exercuerit, revocatam tenet. Solidiore tamen ratione in hoc procedit *Lezana tom.* 2. *verb. Oracula num.* 6. *ubi inhęrens ſententię Peyrini l.* 1. *in tract. de privileg. Minim. ad Conſtit.* 17. *Julii II.* §. 1. *n.* 4., *& Novar. in Lucern. Regul. verbo privilegia n.* 6., *& Caſtellini de elect. cap.* 5. *num.* 37. cum iis conſtanter aſſerit, conceſſiones vivæ Vocis Oraculo factas non eſſe revocatas, etiamſi ſuum ſint ſortita effectum, hicque habeat tractum ſucceſſi-

vum pro tempore futuro, & loco exempli adducit conceſſionem Religioſo ante Conſtitutionem Gregorii XV. ſolo vivæ Vocis Oraculo factam, quod ſit Magiſter, firmatque ſuam aſſertionem Decreto S. Congreg. Epiſc., & Regular. ſub die 11. Aprilis 1625. emanato: inſtante enim P. Dominico de Molina Ord. Præd., & Procuratore omnium Religioſorum Provinciæ Bœticæ à S. Congregatione declarari, an *ſtante Conſtitutione Gregorii XV. revocatoria Oraculorum vivę vocis, gratię, & privilegia vivę Vocis Oraculo facta Magiſtris Generalibus &c. conceſſa eorum Ordinibus, quę ſortita fuerunt effectum ante revocationem; licet habeat tractum ſucceſſivum, vel aliàs reſpiciant particulares Perſonas, ut ſunt Pręſentaturę, vel Magiſteria, non obſtante prędicta revocatione maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, uti in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehenſa, vel aliqua indigeant revalidatione, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus?* Eadem S. Congregatio reſpondit: *Illuſtriſſimo de Cremona referente, prędictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere proindeque validas, & valida fore & eſſe, eiſdemque ſecurè uti poſſe cenſuit &c. cit. lib. ſuppl., & Decret. Bull. PP. Ord. Pręd. tom. 6. fol. mihi* 99. Quamvis autem hæc declaratio Conſtitutionem Gregorii XV. duntaxat afficere videatur, Lezana tamen loco ſupracitato eam etiam Urbanæ applicari poſſe tenet, juncta tamen hac limitatione, videlicet, quod, ſi aliquis Religioſus acquiſiviſſet vivę Vocis Oraculo facultatem abſolvendi quemcunque à caſibus reſervatis, talemque facultatem nondum exercuerit, revocata illa cenſeatur per dictas Conſtitutiones, cum non ſit ſortita ſuum effectum, neque habeat tractum ſucceſſivum per unicum ſolum actum, prout illum habent gratię in Decreto S. Congregationis relatę.

VII. Non leviter quoque tangitur, & agitatur controverſia: an per dictas Conſtitutiones Gregorii, & Urbani fuerint revocatæ & conſuetudines, in ſuo principio aliquo vivæ Vocis Oraculo fundatæ? Contra Portellum *in reſponſ. moral. t. 2. cap.* 13. *num.* 18. negativè reſpondet Lezana

zana *t. 2. verb. Oracula num. 7.* tum ob vim conſuetudinis, legem inducere, & abrogare valentis, tum, quia diſtingui poteſt, quod, etiamſi tales conſuetudines, quatenus in vivæ Vocis Oraculo fundatæ abrogatæ ſint per Conſtitutiones prædictas, plenum tamen vigorem retineant, quatenus ſunt conſuetudines, conditionibus legalibus munitæ.

VIII. Tandem controverſia: an privilegium per Bullam uni Religioni conceſſum, & vivæ vocis Oraculo alteri communicatum, cenſeatur revocatum? materię confuſę, & obſcurę ultimum imponit colophonem, & in ea Doctores conſenſu negativam tenent, cum enim communicare uni Religioni privilegia alterius idem ſit, ac illi eadem concedere, ſicuti fuerant conceſſa alteri Religioni, & Privilegium ita conceſſum non fiat Oraculum per communicationem, factam oretenus ſine ſcriptura alteri Religioni, ſed adhuc remaneat conceſſum per Bullam, adjectus autem modus conceſſionis oretenus ſine ſcriptura, cum ſit quid accidentale, vim non habet immutandi ſtabilitatem privilegii Bullati, & ita ſentit *Peyrin. in tract. de privil. Minim. ad dict. Bullam Urbani VIII. num.* 2. *Turrianus p.* 2. *ſelect. Diſput.* 16. *dub:* 5. *Rodriquez quæſt. Regul. q.* 8. *art.* 4., *& quæſt.* 55. *art.* 21. *Bordonus reſol.* 31. *n.* 6., *Lezana tom.* 2. *verb. Oracula num.* 8.

SECTIO V.

De Fide, reportatum à Papa vivæ Vocis Oraculum allegantibus adhibenda.

QUantumvis inter Doctores de hoc magna vigeat diſcordia, conveniunt tamen in unum in hoc, quod Principi, vel Magiſtratui vivæ Vocis Oraculum alleganti, ſit deferendum, vel quoties agitur de Papa à loco abſente; & eſt ipſa Principis, vel Officialis conſpicua qualitas, quæ hanc fidem exigit pedariam, ut *ad tex. in cap. Nobiliſſimus firmat de Luca diſcept.* 82. *n.* 4. *de juriſd. cum aliis ſuperius relatis*. Vel quoties agitur de actibus præſente

te Papa, & in loco ſuæ reſidentiæ geſtis, cum Officialem &c. in facie Papæ, ad quem de facili haberi poteſt recurſus, in cauſa gravi, & cum reiteratione actuum ſine juriſdictione procedere velle, præſumi non debeat, uti monent *rel. per Grammat. Conſil. Civil.* 24. *n.* 8., *& ſeq. & ſupponitur apud Burat. d.* 117. *n.* 6. *&* 10., *& ſeq.*, *ac dec.* 194. *n.* 9. *part.* 4. *rec. tit.* 2. *cum aliis à Card. de Luca de Juriſd. diſc.* 82. *num.* 4. *relat.*

Allegans vivæ Vocis Oraculum non in aula, & ſecreto, ſed in plena Signatura gratiæ, quæ una de magis publicis Papæ functionibus eſt, à Papa reportatum, plenam meretur fidem, cum enim ultra Cardinales aſſiſtentes, ac Prælatos Votantes, & Referendarios, omnes Præſules, Officiales majores juſtitiam adminiſtrantes, uti ſunt Auditor Cameræ, ejus Locumtenens, Theſaurarius, Vices-Gerens, necnon Capita Tribunalium Collegialium, nempe Decani Rotæ, & Cameræ, & quandoque eorum loco Sub-Decani eidem interſint, pondus accipit allegatum Oraculum teſtimonio tot taliumque virorum facilè comprobandum, præſertim ſi concernat Perſonam ex relatis; nec aliàs novitas ſit, quod, quando agitur de cauſa ad unum ex iis reſpectivè ſpectante, Papa Oraculo ſua ſenſa ei patefaciat. *Card. de Luca dicta diſcept.* 82. *n.* 5., *&* 6. *Rota coram Rojas d.* 217., *& Eadem apud Bonden. in Miſcell. jurid. dec.* 62. *n.* 16.

Brevibus quoque Sacræ Pœnitentiariæ, quæ gratiam à Papa vivæ Vocis Oraculo conceſſam eſſe memorant, omnino credendum eſſe teſtantur *Veſtrius in praxi Rom. Aulę l.* 1. *cap.* 2. *de Summ. Pœnitentiario ſub num.* 5. *verſ. cæterum. Gomez de poteſt.*, *& ſtylo S. Pœnit. in tract. Brevium num.* 22. *Rodoan. de rebus Eccleſiæ non alien. pag.* 222. *n.* 32. *Rebuff. in prax. Benef. in tit. de Brev. Apoſt. Simon de Præt. conſ.* 40. *num.* 4. *Alciat. conſ.* 31. *n.* 57., *&* 58. *tom.* 3. *l.* 9. *Burſat. conſ.* 29. *n.* 21., *& ſeq. Altograd. conſ.* 22. *n.* 49.

Moroſior eſt inter Doctores diſcuſſio, an in genere, Cardinali, vivæ Vocis Oraculum in rebus, nec ejus juriſdictionem, nec munus tangentibus, ſibi datum alleganti in jure ſit credendum? Variantque deſuper iidem: alii enim

dum

dum affirmant, alii negant, & meliùs alii diſtinguunt. *Affirmant Hoſtien. in ſumm. in tit. de offic. Deleg. in rub. de recuſ. Bald. in l. jurisjurandi n.* 5. *de teſtibus. Menoch. conſ.* 100. *n.* 78. *Maſcard. de prob. concl.* 140. *n.* 1., *&* 14. *verſ. contrarium. Simon de Præt. con.* 40. *num.* 4. *Monald. conſ.* 109. *n.* 9. *in* 2. *Farinac. de teſtibus quæſt.* 63. *n.* 60. *quos refert. Altograd. Conſ.* 22. *l.* 1. *n.* 45., *& ſeq. cum aliis relat. per Gen. de ſcrip. privata l.* 3. *t. de Litt. Apoſt. n.* 9., *&* 20. ſuffulti regulâ communiter â Doctoribus comprobatâ & fundata in dignitate, in qua Cardinalis eſt conſtitutus, & ob quam *juxta Gloſſ., & Doct. in cap. Nobiliſſimus* 97. *diſt.* ei eſt credendum, præſertim, cum in executione indulti, vivæ Vocis Oraculo conceſſi non cenſeatur ſimplex Teſtis, ſed Perſona publica, & authentica.

Qui negativam tuentur ſententiam, ſunt *Donat. in praxi t.* 1. *tract.* 16. *quæſt.* 1. *Abbas in cap., quod nuper num.* 5. *verſ. ſed ſi diceret, de Fid. Inſtrum. Roman. conſ.* 387. *n.*7. *verſ. tamen, & alii, quos refert. Marta in voto ſuo Piſano* 86. *num.* 24. nec alia ratione muniuntur, quàm quod in rebus muneri Cardinalis non annexis, expreſsè conſtare debeat de mandato, & ſpeciali commiſsione cum narrativa facti, & ſpecifica dicti Oraculi mentione, ita ultra relatos cenſente *de Luca de Juriſd. diſc.* 82. *num.* 2. *Pignat. tom.* 10. *conſ.* 33. *n.* 19. 23., *&* 27.

Medium tenent, & validius cum diſtinctione procedunt alii, & quidem.

I. Quotieſcunque agitur de alienationibus bonorum Eccleſiæ, Cardinalem de literis, & commiſſione docere debere docent ad tradita *per Caſtrenſ. in l.* 1. *C. de mand. Princ. Mart. vot. dec.* 82. *n.* 20. cum alienationis diſpenſatio ſit ſtrictè Summo Pontifici reſervata, roburque accipit hæc conditio in caſu, quo aut per alienationes Eccleſiæ infertur præjudicium, cum tunc nec Cardinali Legato deferatur, ut *ad Gloſ. fin. in c. ſicut nobis de ſent. excom.*, aut ſi alienatio facta fuerit favore Conſanguinei, cum ſemper dolus præſumatur, niſi conſtet de evidenti Eccleſiæ utilitate juxta deducta *per Præpoſitum in c. non liceat* 12. *quæſt.* 2. ubi addit, neque ſtari

ver-

verbis Papæ dicentis, ſe alienaſſe ſuis Conſanguineis ex cauſa utilitatis, cum hæc non præſumatur, ſed probetur *Rodoan. in tract. de verb. Eccleſ. non alien. in tit. de cauſis propter eas &c. §. Sed ſi locatio n.* 10. *verſ. circa illud, & num.* 66.

II. Quando privilegium vivæ Vocis Oraculo à Cardinale reportatum contrariatur Privilegiis in Corpore juris clauſis, & de quibus Concilia, aliæquæ Sacræ Conſtitutiones diſponunt, hinc etiamſi hujuſmodi Oraculum ab ipſo Cardinale foret ſubſcriptum, ex ratione, quod requiratur ſpecialis derogatio, non foret attendendum, juxta relatos *à Pignat. t.* 10. *conſ.* 33. *n.* 6., *& ſeq.*

III. Si hujuſmodi Cardinalitium Oraculum conſuetudinem, & poſſeſſionem læderet, cum de ſubreptione ſuſpicandi habeatur anſa ex eo, quod de Papa, juſtitiam, & æquitatem diligente non debeat præſumi, quod jus Tertii lædere intendat.

Limitant tamen Doctores hanc ſuam aſſertionem ad Cardinalem in curia exiſtentem, quo in caſu dictum ejus attenditur, etiam præjudicio tertii interveniente, cum facilis pro veritate ad Papam ſit aditus. *Felin. in cap. quod ſuper his num.* 12. *de Fid. Inſtrum. Gabr. de prob. concl.* 3. *num.* 20. *Farinac. de Teſtib. quæſt.* 62. *num.* 67. *Maſcard. de probat. concl.* 268. *num.* 22. *verſ. adverſus ſententiam. Simon de Præt. conſ.* 40. *num.* 4. *verſ. quod maximè procedit cent.* 1. præſertim cum doctrinæ taliter limitatæ ſuffragetur conſuetudo, & ſtylus Curiæ Romanæ, vi cujus Cardinali aliquid aſſerenti etiam in præjudicium tertii creditur, ſicut poſt *Joan. Andr., & Abb. quos allegat Decius in cap. conſtitutus §.* 1. *num.* 6. *de appellat. Farinac. dicta quæſt.* 62. *n.* 69. *Maſcardus concl.* 140. *num.* 17., *& concl.* 268. *num.* 12. *Simon de Præt. conſ.* 40. *n.* 4. *cum aliis deductis per Altograd. conſ.* 22. *num.* 48., *& per Gabr. de prob. concl.* 3. *num.* 6., *&* 14. *Cardinali autem, qui Papæ ſemper aſſiſtit., in præjudicio credendum, traditur per Staffil. de lit. grat., & juſt. fol.* 159. *relat. per Gabr. d. concl.* 3. *de prob. n.* 6.

IV. Standum non eſſe Cardinali in vigore juris in his, in

in quibus requiritur facultas ſpecialiter conceſſa, & quæ non veniunt in generali commiſſione, tenet declarando affirmativam ſententiam *Felin. in cap., quod ſuper his de Fid. inſtrum. Abb. in cap. quoad translationem de Offic. Deleg., & in c. ad Eminentiam de Sent. excom., & in conſ.* 94. *in* 2. *dub. vol.*2. *Cron. conſ.*155. *in fin. vol.*1. *Pariſ. conſ.*2. *col.*1. *vol.* 2. *cum aliis relatis per Maſcardum de prob. concl.* 268. *n.*5. *Gabr. concil.*3. *de prob. num.* 10., *& per Card. de Luca de juriſd. diſc.* 82. *num.*2., *& per Pignat. tom.* 10. *conſ.*33. *num.* 23.

Dummodo tamen Cardinalis hujuſmodi ſpecialia exercere non conſueverit, *ut per Filin. in c. cum in jure peritus col.*4. *de offic. Deleg. Cald. conſ.*2. *in tit. de Offic. leg. Maſcard. de prob. concl.* 258. *num.* 14., vel aliàs Cardinali hujuſmodi privilegia concedi non ſit ſolitum, cum ſtante conſuetudine tali eidem eſſet plena fides adhibenda, etiamſi in generali commiſſione Oracula non fuerint èxpreſſa, uti notat *Abb. in cap. de Eminentiam cit.*, & ibi cum aliis, qui conſuetudinem tamen probandam eſſe ſtatuunt.

V. Non eſſe ſtandum Cardinali aſſerenti quemdam eſſe Familiarem ſuum ad effectum, ut de ipſius beneficiis poſſit diſponere, tenet *Sarnen. in Regul. de impet. per obit. Famil. Card. quæſt.* 13. *Maſcardus de probat. concl.* 268. *num.* 23.

Quæ omnia de Cardinali in loco, in quo Papa, ad quem facilè recurri poteſt, non moratur, exiſtente, & aſſerente, dicta adverte: talia enim, ſi in loco Papæ reſidentis obtingerent, ipſum à veritate declinare non eſt præſumendum, & quamvis mandatum Principis non probetur niſi per ſcripturam *ad text. in. l. unica ubi c. de mand. Princ.* hoc tamen locum non habet, quando Princeps cunctatur in eadem Civitate, & ita facilè copia mandati haberi poſſit, uti conciliando Doctorum opinionem firmat *idem Gabr. de prob. dicta concl.* 3. *num.*19., *& ſeq. cum ibi relatis.*

Tam tenaci rigore dum Doctores procedunt circa Cardinales, quorum Sacra dignitas fidem omnium in æquum obſequium captivare deberet, facilè deducitur, minus cre-

dendum eſſe Perſonis vivæ Vocis Oracula allegantibus, quibus conſuetudo, quæ in Curia Romana viget credendi Cardinalibus juxta prædicta, non ſuffragatur, uti ſe vidiſſe judicari in Curia per tres ſententias diffinitivas teſtatur *Gabr. l.* 1. *de prob. concl.* 3. *n.* 14. *Maſcard. de prob.&c* Nec officialibus, niſi probet oraculum Scripturâ, & dummodo gratia non concernat eorum officium juxta Conſtit. Pauli V. moderatoriam Oraculi vivæ vocis ita declaratam per Conſtit. 139. Urbani VIII. *Card. de Luca de juriſd. diſcept.* 82. *num.* 2. *Genua de Script. priv. lib.* 3. *tit. de Litt. Apoſt. num.* 11. *l. nota*: nec concernat materias beneficiales, cum juxta Regulas Cancellariæ requiratur ſcriptura, nec judicetur juxta formam ſupplicationis, ſed juxta formam literarum *reg.* 27.: nec materias matrimoniales, in quibus omnino prætenſo vivæ Vocis Oraculo, vel etiam ſimplici reſcripto non defertur, uti *Molin. de Primogen. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 53. *adſtipulatur Card. de Luca de juriſd. diſc.* 82. *n.* 3.

Reducendo dein materiam ad caſum particularem noſtræ Religionis quæritur pro coronide, an Fratri ſub prætextu facultatis, Pontificio vivæ Vocis Oraculo obtentæ, Moniales accedenti à Superiore credi debeat? Caſus fuit in Sacra Congregatione Concilii diſcuſſus, & definitus, ut ſequitur.

Cum Fr. N. N. Capucinus contra formam Decreti ab hac Sacra Congregatione die 11. *Maji* 1669. *emanati, & juſſu Sanctiſſimi Typis editi per duas horas allocutus fuerit Monialem, à Provinciale interrogatus, qua facultate id peregerit? reſpondit: licentiâ Papæ Alexandri VIII. vivæ Vocis Oraculo.*

Ut facilè tam in hoc, quam in aliis caſibus de facili occurrendis impoſterum idem Provincialis procedat ſuper infraſcriptis, dubiis Oraculum EE.VV. expoſcit.

I. An credere debeat, quod verè dictus Frater, talem facultatem vivæ Vocis Oraculo reportaverit?

II. Quomodo procedere debeat ſtante citato Sacræ Congregationis Decreto, quoties Diœceſanus nullam alloquentibus Moniales pœnam præſcripſit?

III.

III. An, quoties eadem pœna per Diœceſanum perſcripta ſit, ſpectet ad Provincialem decernere ſuos Religioſos incurſos, vel potius teneatur illos ad Ordinarium remittere?

IV. An in conſimilibus caſibus ſtare debeat dicto Religioſi aſſerentis, ſe conſimilem facultatem oretenus reportaſſe à vivente, vel Defuncto Pontifice?

Die 15. *Martii* 1692. *Sacra Congregatio Concilii cenſuit ſervandum eſſe Decretum aliàs, & ſub die* 11. *Maji* 1669. *ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium ab ipſa Sacra Congregatione editum, & à ſ. m. Clem. IX.* 7. *Junii ejuſdem anni approbatum, & quoad Oraculum vivæ Vocis ſervandas eſſe Bullas ſ. mem. Gregorii XV. in ordine* 27., *& Urbani VIII. Conſtitut. in ordine* 121. *incipien.* Romanus Pontifex.

E. Pallavicinus Secr.

Ita reperitur Reg., ſeu lib. 42. *Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol.* 177.

SECTIO VI.

De duratione vivæ Vocis Oraculorum, ſeu, an conceſſio vivæ Vocis Oraculo facta ſit perpetua, vel morte ſummi Pontificis exſpiret?

EX hucuſque deductis, & firmatis ſatis ſuperque colligitur, plurima vivæ Vocis Oracula eſſe perpetua, & plurima etiam morte Summi Pontificis exſpirare.

I. Perpetua dicuntur illa, quæ effectum ſuum ſortita fuêre in præſentia Papæ, ex quo enim eamdem vim acquirunt, ac ſi privilegia per Literas Apoſtolicas fuiſſent conceſſa, uti tenet præ cæteris *Rodriq. queſt. Reg. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 5., *& tom.* 3. *q.* 22. *art.* 1., *&* 2.

II. Si foret appoſitus Executor, non quidem merus, ſed mixtus, conceſſæ gratiæ, quamvis enim nondum eſſet in ejus executione proceſſum, dicta gratia tamen non exſpiraret, etiamſi Papa concedens moreretur re integra, ut concilian-

do *text. in cap. ſicuti* 36. *§. Secus de pręb., & dignit., & Doct. Sebaſt. Medic. in tract. mors omnia ſolvit p.* 2. *concl.* 48. *n.* 133. *Rot. coram Coccin. dec.* 2039. *n.* 5. *Anſald. in addit. ad dec.* 97. *n.* 32. ubi, quod gratia vivente Pontifice non præſentata exſpiret, ac etiam alterum *text. in cap.* 51. *ſuper gratia* 9. *de Offic.*, *& poteſt. Jud. Deleg. in* 6. ubi, quod ſi ſuper gratia ab Apoſtolica Sede cuiquam facta Executores fuerint Deputati, licet nondum in ejus executione fuerit proceſſum, morte concedentis non pereat, ſicuti etiam re adhuc integra firmat *Pacichel. de diſtant. in addit. ad dec.*6. *n.*24. *dicens: hoc tamen eſt intelligendum, quando gratia eſt in forma commiſſaria, & per conſequens Executor, qui apponitur, eſt mixtus, non autem merus; nam in hoc ſecundo gradu gratia cum ſit pura uſque ab initio, non exſpirat, etiamſi Pontifex concedens moriatur re integra.*

Exſpirant econtra ea Oracula, quæ vivente Pontifice effectum non habuerunt, & quoties gratia reportata ante illius obitum non fuit præſentata, *ut ad Gloſs. in cap. ſicut gratia verb. Principalis circa med. de offic. Delegat.*. *& Bald. in c. fin. num.* 3. *verſ. ſecus ſi gratia de Conſtit. Princip.*, *& dec. in c. relatum n.* 22. *de offic. Deleg. tenet Rot. apud Pacichel. de diſtant. dec.* 6. *n.* 4. ſicut & illa, quæ tangunt facultatem abſolvendi à caſibus in Bulla Cœna Domini reſervatis, uti notat *Caſarub. de privil. Frat. Minim. tit. abſolutio quoad Fratres §.* 13. *& §.* 19. Necnon commiſſio facta à Papa Vicario Urbis circa alienationem bonorum Eccleſiæ ad firmata *per Pacichel. de diſt. dicta d.* 6. *n.* 5.

Unde, etiamſi fuerit conceſſa gratia, & datus illius executor, ſi tamen non fuerit ante obitum Pontificis recognitus, evaneſcit gratia, cum tunc non dicatur facta, ſed facienda, utpote pendens à voluntate Commiſſarii, cui eam exequendi licentia fuit conceſſa: contrarium tamen foret tenendum, ſi Papa mandaſſet fieri gratiam ſine cauſæ cognitione, ut diſtinguendo docet *Rota in recent. dec.* 336. *n.* 29. *p.* 4. *l.* 2. *cum aliis relat. per eandem Rot. in dec.* 121. *n.* 6. *p.* 12. *dec.* 628. *n.* 11. *p.* 4. *t.* 1.

SE-

SECTIO VII.

De effectu vivæ Vocis Oraculorum.

ALium eſſe hujuſmodi Oraculorum effectum in foro interno, & alium in foro externo, ex prelibatis non obſcurè deducitur.

In foro interno illa valere, explorati eſt juris, cum in illo eandem vim habeant, ac aliæ Conſtitutiones Papales, prout colligitur *ex cap. inſtitut.* 25. *q.* 2., *& ex Clementina dudum* §. *Nos etiam de ſepult.*, *ubi Gloſſ. verb. de quo Angnianus tract. de Leg. l.* 1. *cent.* 9. *à n.* 9. *Peyrin. l.* 1. *privil. Minim. in Conſtit.* 17. *Julii* 11. §. 1. *t.* 1. *Lezana t.* 2. *Verb. Oracula vivæ Vocis n.* 4. *Rodriq. quæſt. Reg. t.* 1. *quæſt.* 7. *artic.* 5. *circa medium. Murga de Benef. diſq.* 1. *dub.* 14. *num.* 91. *p.* 137.

In foro externo econtra, ſi non ſint qualificata, nec probata juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, effectu deſtituuntur. Poteſt tamen evenire, quod privilegia per ea conceſſa, regiſtrentur in libro authentico, ac tunc eam vim habere, ac ſi ſcriptâ Bullâ forent conceſſa, notat *Portel. Dub. Regul. verb. vivæ Vocis Oracula*. Unde, ſi Papa aliquem pronuntiâſſet Epiſcopum Verbo, etiam addendo, quod ſtatim foret Epiſcopus, talis tamen gratiâ per Literas Apoſtolicas non probata, recognoſci nequeat &c. Quamvis enim gratia taliter conceſſa quoad ſe perfecta ſit, & ex ea ſtatim vis impetranti acquiratur, prout *ad cap. ſi pro te. de Reſcript. l.* 6. *cap. fin. de conc. preb. l.* 6. *cap. Conſtitutionis* 25. *q.* 2. *firmant Archi-Diaconus*, *& Joan. Andreas*, *& ad text. in lib. Si quas n.* 5. *Cod. de Epiſc.*, *& Cler.*, *& in l. humanum in fin. Cod. de Leg.* docet Baldus, relatus à Rodriquez *q.* 12. *t.* 3. *art.* 1., nihilominus nullam vim Oracula habere ex prælibatis, præſertim Sectione V. ſatis conſtat; aut ſi authentico adminiculo non ſint ſuffulta, aut literæ vigore vivæ Vocis Oraculi in præſentia, & cum ſcientia Papæ non forent expeditæ: in quo ultimo caſu habere etiam in judicio eandem vim, ac Literas Apoſtolicas,

cas, tenet Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 5., & *t.* 3. *q.* 22. *art.* 1., & 2. *Bordon. reſol. Regul.* 3. *n.* 1. *Donat. in praxi t.* 1. *p.* 1. *tract.* 15. *de Oraculis vivæ Vocis n.* 2. *Lezana in ſumma quæſt. Regul. tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 21. *Novar. in Lucerna Regular. verbo privilegia num.* 1. *tom.* 1. *ad Conſtit. Julii* 1. *n.* 1., & *alii.*

Talis autem efficaciæ ſunt Oracula authentica, quod Papâ ſubſequente privilegia quibuſvis Perſonis conceſſa revocante, & vivæ Vocis Oracula in revocatione non exprimente, non revocata cenſeantur, uti tradit *Henriquez tract. de Indulgentiis t.* 1. *l.* 1. *cap.* 24. *n.* 8. *Portel. Dub. Regul. verb. vivæ Vocis Oracula, Lezana in ſumma quæſt. regul. t.* 1. *c.* 3. *num.* 21.

Exeo de materia, in qua diſcrepantia Doctorum ſenſa non ſine æqua erroris formidine ducunt in ambages, & dum, quæ ſuperſunt, praxi, & ſapientiori judicio relinquo, tranſeo ad ſequens:

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Chirographis Pontificiis.

SECTIO I.

De Quidditate Chirographi Pontificii.

CHirographum in ſenſu morali ſumptum refricat in Nobis memoriam funeſti illius debiti, quod à Patre Adamo contraximus, & à Chriſto Sanguinis ſui lytro deletum eſt, D. Paulo teſte, *delens, quod adverſum nos erat Chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* 2. *ad Coloſſ.* 14.

In ſenſu litterali ſignificat ſcripturam derivans à verbo græco ἀπὸ τῆς χειρὸς, id eſt manu, & grapho, ſeu ſcribo, inde manûs ſcripturam ſignificare infert *Rebuff. de verb. ſignific. l.* 56. *§. quod verò fol. mihi* 285., *& in Conſtit., ſeu Ord. Regias tract. de Chirograph., & Sched. recogn. num.* 13.

In ſenſu ſtrictiore, & legali dicit ſcripturam manu expeditam, & ſubſignatam, *uti in lib. ſi Chirographum ff. de probat., & l. penult. ff. de teſtam.* confunditurque nonnunquam cum ſyngrapha, Apoca, Apodixa, Cedula &c. *Prateus in Lexic. juris Civil., & Canon. verb. Chirog. Calvinus, ſeu Kahl. in lex. Jurid. eodem verbo t.* 1. *fol.* 291. *Rebuff. citat. num.* 15., *&* 18.

In ſenſu proprio, & reduplicativo, quatenus Pontificium eſt, diffinitur *Scriptura ad ſubſignandum Summo Pontifici per Magiſtros, & Officiales præpoſitos præſentata, & ab eo, nomine, quod ceu Papa gerit, ſubſcripta.* Per quod differt tum ab aliis ſupplicationibus, quas Papa nomine Baptiſmali, ſeu eo, quod ceu Cardinalis habuit, ſignat, tum à Brevibus, & Bullis; quantumvis enim Brevia, & Bullæ,

quæ

quę ad generalem Catholicę Eccleſię ſtatum referuntur, nomine Pontificatus ſubſcribantur v. g. *Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus*, nihilominus communius, & extra Eccleſiæ materias &c. vel à Cancellarię Apoſtolicę Officialibus, aliquando etiam à Datario, vel Pro-Datario, & reſpectivè, à Secretario Brevium ſubſcribuntur: tum ab omni alia ſcriptura papyracea, cum in praxi nulla Pontificio nomine à Papa manu propria firmetur, quam illa, quibus præſens Chirographi notio convenit.

SECTIO II.

De formalitatibus Chirographi Pontificii.

CHarta, prout eſt à Membrana, ſeu pergameno diſtincta, ac ex papyro facta, ſervitque ordinariè vel ſcriptioni, vel typo, eſt materia, ſuper quam, & quidem in longum protenſam, Chirographum extenditur.

Si illius expeditio Italiæ Provincias afficiat, vernaculo, ſeu Italico conficitur idiomate; ultra Montes econtra ſi abeat, linguæ latinæ adhibetur uſus.

In illius calce Reſtrictus, ſeu Summarium ſubſtantiæ rei, quam continet, apponitur, haud aliter, ac id in ſupplicationibus, per Datariam exponendis, fieri ſolere alibi dictum eſt, in finem, ne Papa cum temporis diſpendio in totius tenoris lectionem excurrere debeat.

Olim juxta diſpenſationem Venerabilis Dei Servi Innocentii Papæ XI., antequam Papæ pro ſubſcriptione pręſentaretur, ab illius Auditore revideri, ſeu examinari debuit, prout notat *Card. de Luca l.* 2. *de Regal. diſcept.* 200. *n.* 2. *fol. mihi* 350. *col.* 2. ubi cautelam hanc ideo inductam ſuiſſe memorat, ne notitia à Papa ex brevi materiæ reſtrictu hauſta minus conſultæ ſubſcriptionis anſam præberet. Hodie verò ab aliis quoque Miniſtris, ad quos vi Officii

ſpe-

ſpectat, revideri, & ad Papam pro ſubſcriptione deferri conſuevit.

Diem, ſeu numerum diei ipſe Papa per abacum, ſeu figuram Arabicam numeralem adjungit, *v. g.* in hac data 9. *Septembris* 1743. numerus 9. propria Papę manu apponitur, quatenus dies gratię conceſſę certius innoteſcat, & minus liti ſubdatur.

Subſcriptum à Papa, juxta Conſtitutionem Pauli III. in Camera regiſtratur, prout advertit *Campellus ad Conſtit. Ducal. Urbin. dec.* 33. *num.* 185. *fol.* 306. Quod intelligendum eſt, ſi materias Juſtitiæ, contractuum, & iis annexa, vel connexa reſpiciat; gratias econtra ex motu proprio conceſſas ſi contineat, omittitur prædicta regiſtratio.

In tergo plicati Chirographi aliquando repetitur intuſſcriptę materię Synopſis *v. g. Sanctitas Veſtra concedit gratiam N. ad petitionem N. ejuſque executionem committit N. cum ſolitis clauſulis in præſenti Chirographo extenſis hac die N.*, quam quoque Papa Pontificio nomine, uti intus, ſubſcribit.

SECTIO III.

De Executione Chirographi Pontificii.

EXecutionem Chirographi aliis committi, nunc eſt dictum, & diverſimodè hoc juxta locorum, & materię qualitatem fieri notandum eſt. Si enim id negotia Camerę, aut alias Italię Provincias concernat, plerumque Eminentiſſimo Domino Cardinali Camerario, Theſaurario Generali, aut Provinciarum Gubernatoribus, aut in Statûs Eccleſiaſtici Legationibus, uti Bononię, Ferrarię, & Ravennę Eminen. Legatis hujuſmodi executio demandatur. Si autem materia reſpiciat Perſonam Eccleſiaſticam, aut Regularem, vel Epiſcopus, vel Ordinis Generalis &c. tam intra, quam extra Italiam, executor conſtituitur.

In caſu, quo Chirographum pro Provincia Ultramontana expeditur, animadvertendum eſt, quod, ne ſuo fruſtretur effectu, vel juxta concordata, vel aliàs inductum uſum in Cancellaria Regia v. g. Hiſpanica &c. Almę Urbis regiſtretur, vel executio Regio Miniſtro, Romæ moranti, & Epiſcopo, ſeu Generali cumulativè remittatur.

ELEN-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Litteris Apoſtolicis, Decretis &c. in hoc II. Tomo contentis præponuntur.

MONUMENTA APOSTOLICA.

Vel omnes Italiæ, ac Inſularum adjacentium, vel ſolius Statûs Eccleſiaſtici Provincias concernentia.

APoſtolico Documento, ſeu mediato vivæ vocis Oraculo, ex quibuſcunque locis eleemoſynas extrahi, & ad Conventus liberè, & ſine conſcientiæ ſcrupulo convehi conceditur. *cum nota.* *Fol.* 1.

Mediato itidem Oraculo, omnibus Eccleſiaſtici Status Domibus annuatim portionem Salis ad rationem 15. librarum pro Perſona conſignari mandatur. *cum nota.* 9.

Decreto Sacræ Congregationis ſuper Statu Regularium. Nonnulli articuli circa Novitios in Provinciis Italiæ, & Inſularum adjacentium recipiendos præſcribuntur. 11.

Fratres â Locorum Ordinariis ad excipiendas ordinarias Monialium confeſſiones, præterquam, ubi per Litteras Apoſtolicas Confeſſarii Ordinarii Monialium Capucinarum deſtinati ſunt, deputati in Italia &c. prohibet. *Clemens* XII. 12.

Ordine Sacræ Congregationis Diſcip. Regul. Qualibet die Dominica, in omnibus Conventibus Laicis Doctrinam Chriſtianam cum aliquo Regulæ articulo explicari ſancitur. *cum nota.* *ibi.*

PROVINCIA ROMANA.

Fratribus ex Domo S. Mariæ Annuntiatæ prope Civitatem Urbeveteranenſem varia incommoda patientibus, ad Eccleſiam S. Bernardi ibidem ſe transferendi, hancque pro nova eorum habitatione adaptandi, ac mutandi, Apoſtolicam facultatem largitur. *Sanctus Pius* V. 15.

Ad Moniales Capucinas in Monte Quirinali de Urbe inſtituendas quatuor Moniales è Monaſterio S. Mariæ de Jeruſalem dimitti, ac ad Almam Urbem conduci, P. Procuratori Ordinis, illuc ablegato committit. *Gregorius* XIII. 16.

Fratrum curæ & adminiſtrationi Monaſterium prædictum, & ſub prima, ac arctiore Sanctæ Claræ Regula inſtitutum ſubjicit. *Idem.* 17.

A Monialibus iiſdem, annuatim nonnulla dolia vini pro earum uſu ſine gabella, aut alio onere per mare advehi poſſe permittit. *Idem cum nota.* 19.

Mandato Illuſtriſſimi Cardinalis Camerarii, ſuper diſtributione aquæ Felicis ſpecialiter Deputati, uncia una aquæ dictæ pro uſu Monaſterii earumdem Monialium ex publico aquæductu in perpetuum conceditur. *cum nota.* 21.

RR. PP. Obſervantibus in Vingentina, ſeu Biſentina Lacus Bolſenæ Inſula, Fratres noſtros ſubſtitui, hiſque Eccleſiam, & Domum illorum conſignari, Odoardo Cardinali Farneſio committit. *Clemens* VIII. *cum nota.* 22.

Antiquam Domum Tiburtin. vendi, & ex pretio inde redacto novæ Domûs fabricam perfici indulget. *Paulus* V. 24.

Novam Domum in Terra Setiæ conſtrui, & petium terræ ad Eccleſiam Sæcularem S. Antonii inibi ſpectantis, ad id concedi, Epiſcopo Terracinenſi committit. *Idem.* *ibi.*

Monialibus Montis Quirinalis de Urbe Capellas imaginum novem Eccleſiarum, necnon S. Petri in carcere, intra clauſtra exiſtentes viſitantibus &c. eaſdem Indulgentias, quas viſitando Eccleſias prædictas conſequerentur, in perpetuum largitur. *Idem cum nota*. 25.

Emptionem petii terræ, ad Canonicos Monaſterii S. Salvatoris in Lauro de Urbe ſpectantis, ab Univerſitate Montis Rotundi factam approbat, inibique novam Fratrum Domum conſtrui permittit. *Idem*. 26.

Decreto Sacræ Congregationis Rituum, In Civitate Tuſculana, necnon in Suburbiis, & Territorio Romano circa præcedentiam inter Fratres, & alios Regulares, in publicis proceſſionibus id, quod in Alma Urbe practicatur, ſervari debere declaratur. 27.

Altare SS. Crucifixi in Eccleſia Conventûs Tuſculani, tam pro Sacerdotibus Sæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, Miſſam Defunctorum ad dictum Altare celebrantibus, in perpetuum privilegiat. *Idem*, *cum nota*. *ibi*.

Summam Conciliorum, & Theologiæ Sancti Bonaventuræ, Tractatum de caſibus reſervatis, ac Breviarium Chronologicum &c., Auctore F. Franciſco à Coriolano typis impreſſa, in Alma Urbe, & Statu Eccleſiaſtico reimprimi prohibet. *Gregorius* XV., *cum nota*. 28.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſc. & Regularium, Erectio novi Conventûs in loco Tulphæ Epiſcopo Nepeſino committitur. 29.

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, Studium Controverſiarum in Conventu, tunc S. Bonaventuræ de Urbe, erigi imponitur. *ibi*.

Fratres in corporalem, & realem Domûs S. Antonii in Capite domorum exiſtentis poſſeſſionem induci, Vulpiano Viceſ-gerenti &c. committit. *Urbanus* VIII. 30.

Chirographo Pontificio, Septem uncias aquæ cum dimidia ex Conductu principali ad Thermas Diocletianas, eidem Domui de Urbe concedi mandatur. *cum nota*. 31.

Altare S. Bonaventuræ in Eccleſia Conventûs Albani in perpetuum privilegiat. *Urbanus* VIII. *cum nota*. 32.

Summam pecuniarum ex vendito Conventu Montis Calvarii Januæ Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum exactam, in extinctionem Canonum, & Fabricam Conventus de Urbe converti ordinat. *Idem*. 33.

Legatum pium Capellæ in Eccleſia Beatæ Mariæ de Miraculis, Regionis Trevii de Urbe, ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Conventualium dictorum relictum, in utilitatem novæ fabricæ Conventus de Urbe erogari committit, cum onere, ut viginti mille Miſſæ pro anima Teſtatoris &c. ſemel duntaxat applicentur. *Idem*. 34.

Venditionem variarum petiarum terræ, murorum &c. quæ poſt abſoluta Conventuum ædificia inutiles remanſerunt, ratihabet. *Idem*. 35.

Situm Conventus de Urbe ab omni Canone, cui ſubjacebat, eximit. *Idem*. 36.

Pro novæ Domûs conſtructione in Terra Roncilionis ſitum, ad Hoſpitale Pauperum ibidem ſpectantem emi, & in ſolutionem pretium, ex antiqua Domo vendita redactum applicari, Epiſcopo Sutrinenſi committit. *Idem*. 38.

Partem unam pii Legati Fratribus Domûs Veliternenſis relicti, in Canonis extinctionem, & aliam in Fabricæ Conventûs ſubventionem converti, Epiſcopo ibidem committit. *Idem*. 39.

Situm è conſpectu Eccleſiæ Domûs de Urbe, à Monialibus Purificationis Beatæ Virginis Mariæ Fratribus concedi indulget. *Idem*. 39.

Cellas in novo Conventu Urbis, à Cardinale Antonio pro ſuo, & ſuæ Familiæ uſu conſtrui permittit. *Idem*. 40.

Cellas eaſdem poſt mortem Cardinalis Antonii ab Hæredibus Familiæ vocatis, inhabitari poſſe declarat. *Idem*, *cum nota*. 41.

Emptionem ſitûs pro beneficio novi Conventûs de Urbe, & inſtrumentum de-

deſuper erectum, Apoſtolica auctoritate firmat. *Idem*. 42.

Altare Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Eccleſia ejuſdem Domûs de Urbe, ad inſtar Altaris S. Gregorii, pariter de Urbe, in perpetuum privilegiat. *Idem*. 51.

Sub Titulo Sanctiſſimæ Conceptionis B. V. Mariæ eamdem Domum erectam ab omni ſervitute immunem declarat: Eum proprium, & primum Provinciæ Romanæ Conventum, adinſtar Conventûs S. Bonaventuræ teneri: & tam ad uſum Provinciæ, quàm commodum totius Ordinis, & præſertim Capitulorum Generalium ſervire debere decernit; ac Juſpatronatus honorificum Duci Carolo Barberino, ejuſque Hæredibus reſervat. *Idem, cum nota*. 52.

Fr. Michaelem à Bergomo in Officio ſuperintendentiæ ædificiorum Cameræ Apoſtolicæ, & novæ Fabricæ Domûs noſtræ de Urbe, cum variis facultatibus confirmat. *Idem*. 55.

Conventum de Urbe, & Eccleſiam Sancti Bonaventuræ ad uſum ſæcularem reduci, eam Nationi Lucanæ concedi, ibique Hoſpitale pro dicta Natione erigi permittit. *Idem*. 56.

Viſitantibus ſeptem Altaria in Eccleſia Conceptionis B. M. V. de Urbe, omnes Indulgentias adinſtar Baſilicæ Principis Apoſtolorum concedit in perpetuum. *Idem*. 59.

Varia circa Regimen Provinciæ Decreta, ſeu articulos confirmat, hoſque ante electiones Capitulares prælegi præſcribit. *Idem*. 60.

Emptionem proprietatis, ſeu directi Dominii ad Moniales Monaſterii Purificationis B. V. Mariæ de Urbe ſpectantis, à Cardinale Antonio Barberino, ad effectum plateam ante Eccleſiam Domûs de Urbe conſtruendi factam, Apoſtolica confirmatione communit. *Idem*. 62.

Legatum pium à Pompejo Pierleoni pro Ædificio Eccleſiæ S. Antonii Domûs Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum relictum, & ad Fabricam Baſilicæ Sancti Petri devolutum, Fabricæ Domûs, & Eccleſiæ Fratrum applicari, ac onera Capellæ, Sepulturæ, Iconum &c. Teſtamento annexa, in Eccleſia S. Crucis, & S. Bonaventuræ, Nationis Lucanæ, adimpleri, contra alias ſuas Literas mandat. *Idem*. *ibi*.

Cenſus annuos, à Principiſſa Flaminia Columna, Confraternitati SS. Sacramenti in Eccleſia Sancti Petri Civitatis Albani inſtitutæ, cum onere Anniverſarii perpetui, & eleemoſynæ 50. ſcutorum pro Eccleſia, & uſu Fratrum, ibidem annuatim conſignandæ, donatos vendi, illorum ptetium in emptionem duorum Locorum Montium Cameræ Apoſtolicæ; pro dicto Anniverſario celebrando &c. ac reſiduum in conſtructionem Murorum Clauſuræ noſtræ Domûs ibidem converti concedit. *Idem*. 65.

Fr. Bernardinum Maceratenſem, Provincialem à ſe ablegatum, pro benigno auditu Duci Mantuæ commendat. *Idem*. 68.

Item Duciſſæ Viduæ. *Idem*. *ibi*.

Necnon Principiſſæ Mantuæ Viduæ. *Idem*. 69.

Ne Superiores, vel Provinciales, vel Generales, ullo unquam tempore quidquam circa ſitum, jura, &c. Domûs de Urbe, ſine Familiæ Barberinæ conſenſu diſponant, interdicit. *Idem, cum nota. ibi.*

Conventus Civitatis Caſtellanæ, & Terræ Nemi ad opportuniorem ſitum transferri, ſitus dimiſſos, & materialia Conventuum demolitorum plus offerentibus vendi, & pretium exinde redactum, in novarum Domuum fabricam converti indulget, ac committit. *Idem*. 70.

Situm, Sylvas, cæmenta &c. veteris Domûs Terræ Galleſii, Duci ab Altemps pro expenſa fabricæ novæ ab eo inibi conſtructæ dari, ac ab eodem Duce, ac Succeſſoribus ejus, alios quoſcumque Religioſos in eadem nova Domo, caſu quo à noſtris Fratribus deſereretur, ſubſtitui poſſe indulget. *Idem*. 71.

Pro complemento Fabricæ Domûs Cinthian. duo petia Terræ à Juliano Cæſarino Duce emi, ac pretium in emptionem bonorum ſtabilium pro annuo Canone

ne, Archipresbytero, Capitulo &c. ibidem ſolvendo converti, ſuo in Alma Urbe Vicario committit. *Idem.* *ibi.*

Ut Provincia Miniſtrum Generalem, & in in ejus abſentia Procuratorem Generalem, ſeu Superiores agnoſcat, eiſque more cæterarum Provinciarum, cæterorumque Ordinum pareat, præcipit. *Idem.* 72.

Quædam alia Terræ petia pro fabrica Domûs Cynthiani empta, ab annua reſponſione eximi, ac pretium in emptionem duorum locorum Montium converti, Archipresbytero, & Vicario Generali Albanen. committit. *Idem.* 73.

Pium Legatum, cujus fructus quotannis in uſum, & ſervitium Domûs Montis Sancti Joannis converti debebant, ſemel duntaxat in fabricam dicti Conventus erogari indulget. *Idem, cum nota.* 74.

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Miſſio Regni Congi Fratribus Provinciæ Romanæ aſſignatur. *cum nota.* 76.

Sacras Reliquias, à Fr. Laurentio à Trivignano conquiſitas, & Eccleſiæ Parochiali Trivignan. donatas, ex eadem extrahi vetat. *Innocentius* X. 76.

Situm ex horto Domûs de Urbe, contiguo Patrum Obſervantium ad S. Iſidorum Conventui concedi, ſuo in Alma Urbe Vicario Generali committit. *Idem.* 77.

Domui prope Terram Cynthiani ſex uncias aquæ, vel ex veteribus aquæductibus Terræ Nemi congregandas, vel ex aliis magis commodis Terræ ejuſdem locis colligendas in perpetuum donat. *Alexander* VII. 77.

Donationem ſuperius dictam, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmat, & illius executionem Juliano Cæſarino, Duci & Terræ illius Domino committit. *Idem.* 79.

Nomina Nativorum, & non Nativorum ſupprimi; hos & illos à Loco Profeſſionis nominari; eumdem Novitiorum numerum in uno, & altero Provinciæ Novitiatu collocari; in horum admiſſione votum Definitorii proponente Miniſtro exquiri; in electione Cuſtodum Generalium unum ex una, & alium ex altera parte eligi jubet, ac in reliquis Conſtitutionem Urbani VIII. incip. CHRISTI SALVATORIS, indictis controverſiæ perpetuo ſilentio, & pœnis confirmat. *Idem, cum nota.* 80.

A Monialibus S. Urbani de Urbe, loco bonorum immobilium, in quibus pretium Domûs pro ampliando Monaſterio emptæ, aliàs inveſtiri deberet, tot loca Montium non vacabilium, Fideicommiſſo Vincentii Bocca ſupponi indulget. *Idem, cum nota.* 82.

In Cella S. Felicis intra Clauſtrum, & Domum de Urbe, Miſſas celebrandi facultatem largitur. *Clemens* X. 83.

Fratres perpetuos Triremium Pontificiarum Capellanos conſtituit: numerum eorum aſſignat: iis facultates ſpirituales largitur: Hoſpitium P. Miniſtro Provinciali immediatè ſubjectum, in Portu maritimo Centum Cellarum pro illis conſtrui, iiſdem de Supellectile, ac aliis ad victum neceſſariis (præter indumenta) provideri curat, ac Sæculares, ſeu Regulares (etiam Capucinos) ad dictum Hoſpitium recipi vetat. *Ven. D. S. Innocentius* XI. 84.

Iiſdem Capellanis, Claſſe Triremium contra Turcas exeunte, ſpeciales facultates impertitur. *Idem, cum nota.* 85.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, ac Regularium, quo Monialibus Mont. Quir. de Urbe eſus lacticiniorum (extra Quadrageſimam, ferias ſextas, & vigilias) licitus declaratur, confirmat. *Clemens* XI. 88.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, à Fratre N. N. in actu collati Sacerdotii, à ſe Hoſtiam non tactam fuiſſe aſſerente, vel ſcrupulum deponi, vel ab eo à Miſſa abſtineri reſolvitur. 89.

Decreto ejuſdem S. Congreg. Concilii inſtantia reſtitutionis in integrum contra Profeſſionem à Fr. Cajo emiſſam, ex motivo morbi Epileptici ante ingreſſum Religionis habiti, componitur. *cum nota.* 90.

Decreto ejuſdem S. Congreg. Concilii ſimilis inſtantia reſtitutionis in integrum

grum ex eodem motivo à F. *Lucido* facta ad Eminentiſſimum Card. Protectorem, *juxta mentem* Sacræ Congregationis remittitur. 91.

Decreto ejuſdem S. Congreg. Concilii inſtantia ſimilis rejicicitur, & rejecta confirmatur. 91.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, pro fundatione novæ Domûs Loci Caſtri veteris Fratribus Eccleſiam Ruralem S. Anatoliæ, cum contiguo Terræ petio relinqui conceditur. *cum nota*. 93.

Conſtitutionem Urbani Papæ VIII. de ſubjectione Provinciæ Patri Miniſtro Generali, & in ejus abſentia Procuratori, & Commiſſario Generali confirmat. *Clemens* XII. *cum nota*. 94.

Miſſas pro Animabus Julii Pazzagliæ, & Fidelium de ejus Familia, in Eccleſia Fratrum Civitatis Centum Cellarum celebrandas, tantùm iis ſuffragari debere concedit, ac ſi forent dictæ in Altari, privilegio liberandi Animam è Purgatorio decorato. *Idem*. 96.

Monialibus Montis Quirinalis Indulgentias Scalæ Sanctæ ſexies per annum in perpetuum concedit. *Idem. cum nota. ibi.*

Reſcripto Pontificio Altare Transfigurationis in Eccleſia Domûs de Urbe in ſubſidium privilegiatur. *cum nota*. 97.

Unciam aquæ ex publico aquæductu Civitatis Vetulæ, Conventui ibidem concedi, committitur. *cum nota*. 98.

Reſcripto Privilegium Altaris de inferiore Capella Domûs Civitatis Reatis ad Altare majus Eccleſiæ transferri conceditur. 99.

PROVINCIA S. P. FRANCISCI.

Eccleſiam ruralem S. Mariæ Montis Caſalis, apud quam S. P. Franciſcus, illiuſque Fratres habitabant, Fratribus noſtris conſignari committit. *Paulus* III. *cum nota.* 101.

Mediato vivæ vocis oraculo, facta ex ſuaſu Fr. Bernardini à Collepetraceo erectio Montis *de Abundantia* nuncupati, in loco ejuſdem Colliſpetracei, & Turris Tuderti; ejus Capitula, & P. Guardiani Montis Scoppii ad nominationem Camerarii, Priorum &c. concurſus confirmantur. *cum nota*. 102.

Sorori ſuæ ſecundùm carnem Germanæ Monaſterium Monialium in Civitate Peruſina ædificandi facultatem tribuit, hocque à juriſdictione Ordinarii exemptum, Fratrum noſtrorum curæ, quoad ſpiritualia ſubjicit, gubernio temporali Confraternitati, de Juſtitia nuncupatæ, relicto. *Julius* III. *cum nota*. 106.

Capellam B. Angeli, cum Domibus, & terris contiguis Fratribus Terræ Gualdi pro annuo Canone Candelæ, valoris unius bononeni, alienari concedit. *Sanctus Pius* V. *cum nota*. 104.

Moniales Monaſterii de Bono Jeſu Eugubii, Profeſſionem ſuam in manibus Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris Ordinis, pro tempore exiſtentis, aut alterius ab eo ſpecialiter Deputati, emittere indulget, eaſque ac illarum bona hujus regimini, & ſuperioritati ſubjicit. *Sanctus Pius* V. *cum nota*. 109.

Altare majus in Fratrum Eccleſia Domûs Beatæ Mariæ de Pace Peruſii, in perpetuum privilegiat. *Gregorius* XIII. 112.

Eccleſiam S. Martini Interamnæ cum Terris, & Horto adjacentibus, & ad Menſam Epiſcopalem ſpectantibus, pro conſtructione novæ Domûs ibidem Fratribus concedi ſignatur. *cum nota. ibi.*

Situm cum Eccleſia, Oratorio, ac aliis Officinis ad Confraternitatem Sancti Antonii Aſſiſii ſpectantem, Fratribus pro nova Domo ibi conſtruenda dari, & in hujus compenſationem dictæ Confraternitati Monaſterium, & Eccleſiam S. Catharinæ concedi, Ordinario Loci committit. *Clemens* VIII. 113.

Litteras ſuas, quibus locô Salmæ frumenti, Fratribus Civitatis Peruſinæ, à Theſeo Americo cum onere Miſſarum per teſtamentum prius relictæ, & poſtea Eccleſiæ S. Mariæ Villæ Piccioni applicatæ, in ſubſidium fabricæ Domus Aſſiſienſis eleemoſynam unâ tantum vice erogari conceſſerat, non obſtantibus qui-

quibuſcunque confirmat. *Idem*. 114.

Venditionem nonnullarum Ædium pro melioranda Monaſterii Monialium Tuderti conditione approbari, ac confirmari, Epiſcopo, ac Archidiacono Tudertinis committit. *Idem, cum nota*. 116.

Legatum centum ſcutorum Fratribus Interamnæ à Belidiſſima Picciocchi ſub onere Officii Defunctorum menſtruatim dicendi relictum, in neceſſitates Conventûs ibidem, & onus prædictum in 500. Miſſas ſemel celebrandas converti, Ordinario Loci committit. *Paulus* V. 117.

Dotem Puellarum ad Monaſterium Monialium Leoniſſæ recipiendarum ad 100. ſcuta duntaxat reducit. *Idem*. *ibi*.

Monaſterium Monialium in Civitate Biturgienſi, ſeu Burgi S. Sepulchri inſtitui, in eo 12. Moniales collocari, ex redditibus Confraternitatis S. Crucis iis ſubveniri, ac clauſuram ab illis, ſub juriſdictione Ordinarii loci ſervari, Vicario Generali committit. *Idem*. 118.

Confraternitatem dictam ab onere Monialibus ſubveniendi liberari; â Profeſſuris deinceps pro eleemoſyna dotali 200. ſcuta perſolvi; numerum Monialium ultra 25. nunquam augeri; duas Moniales Peruſio ad inſtituendum Monaſterium vocari; ac Beatricem Confundatricem in Habitu ſæculari modeſtò in eo morari poſſe, per commiſſionem Ordinarii ſancit. *Gregorius* XV. 121.

Capellam S. Severini in loco Hiſpelli, ſuppreſsâ Sæcularis Eccleſiæ eſſentiâ, & titulo, Fratribus cum Sacra ſupellectile, & adjacentibus Domunculis pro nova eorum habitatione conſignari; ac beneficium ſimplex, Cappellæ annexum, ad Altare SS. Hieronymi, & Joſephi in Eccleſia Collegiata, S. Mariæ Majoris nuncupata, cum oneribus, & fructibus transferri, Vicario Generali Spoletano committit. *Idem*, *cum nota*. 122.

Syndicum pro vendendis antiquæ Domus ejuſdem loci Hiſpelli bonis electum confirmat. *Vrbanus* VIII. 127.

Bona Fr. Seraphino Narnienſi per teſtamentum relicta, per ejus Religionis ingreſſum, ac Profeſſionis emiſſionem ad Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ ibidem, ac Domum Sanctæ Mariæ Tertii Ordinis S. Patris Franciſci non devoluta eſſe, ſed eorum fructus, olim pauperibus Fr. Seraphini Parentibus â Paulo Papa V. conceſſos, etiam à Natis Fratris Germani uſque ad obitum Fr. Seraphini gauderi poſſe, per Epiſcopum Narnienſem, ſeu ejus Vicarium declarat. *Idem*. *ibi*.

Decreto Sac. Congregationis Rituum. Circa præcedentiam in Proceſſionibus inter RR.PP. Carmelitas Collobucciæ, & Fratres noſtros Terræ Leoniſſæ Decretum Vicarii Foranei, & Conſtitutionem Gregorii Papæ XIII. ſervari ſtatuitur. *cum nota*. 128.

Donationem Librorum Domui Nucerinæ ab Epiſcopo Virgilio Florentio, Peruſino, factam commendat, & confirmat. *Idem*. 129.

Ad Conventum Spoletanum muris aptè cingendum duo terræ petia permutari, Epiſcopo loci mandat. *Idem*. *ibi*.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. Ab Eremitis Montis Aſſiſii Habitum, ab Habitu Fratrum omnino diſtinctum geſtari, Epiſcopo ibidem committitur. 130.

A Miniſtro Provinciali pro tempore &c. erectum in Civitate Aſſiſien. Montem Pietatis cum duobus Civibus gubernari, & adminiſtrari confirmat. *Idem*. *ibi*.

Antiquum Monaſterium Monialium S. Mariæ Orphanarum Peruſii, tam ob illius anguſtiam, quàm ob ſubjectionem ad contiguas ſecularium ædes, cum omnibus pertinentiis vendi, pretium inde redactum, ad emptionem novi ſitûs, & fabricam novi Monaſterii converti, ac Scripturas deſuper conficiendas, Apoſtolicâ auctoritate approbari, Vicario Generali Peruſino committit. *Idem*. 132.

Domum, & Eccleſiam Loci Amatricis aliò transferri, & pretium ex cæmentis, &c. redactum, per Syndicum in novæ fabricæ opus converti concedit. *Idem*. 135.

Demolitionem antiquæ Domûs Eugubii, ſitus alienationem, & rerum è Do-

mo

mo antiqua ad novam translationem confirmat. *Idem, cum nota.* 136.

Teſtamentum Joannis Antonii Fuccioli, in utraque Signatura Referendarii, de Monaſterio Capucinarum in Civitate Caſtelli conſtruendo commendat: Puellas in id conſtructum, juxta articulum præſcriptum induci, Vicario Generali loci committit: Profeſſas cum Monaſterii bonis Juriſdictioni Ordinarii ſubjicit: Eas augmenta bonorum recipere, & omnibus privilegiis, & gratiis Ordini ſuo, ceu ſibi ſpecialiter conceſſis gaudere indulget: in earum ingreſſu, ac die Profeſſionis, necnon tam iis, quam earum Miniſtris, Defenſoribus &c. in articulo mortis, ac omnibus Chriſtifidelibus in Feſto S. Claræ, earum Eccleſiam viſitantibus, indulgentiam plenariam in perpetuum largitur. *Idem, cum nota.* 137.

Fratribus Peruſii licentiam, in Capella S. Antonii Abbatis Miſſam celebrandi concedi, Epiſcopo Peruſino committit. *Innocentius* X. 140.

Rudera Monaſterii à Monialibus Ordinis S. Benedicti olim derelicti, Monialibus Peruſii ad fabricam Cellarum concedi, Vicario Capitulari ibidem committit. *Alexander* VII. 141.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. Duas Inſtitutrices ad noviter erectum Monaſterium Monialium Montis Caſtrillorum transferri, Epiſcopo loci committitur. *cum nota.* 142.

Decreto Sacræ Congregationis &c. Super Statu Regul. Reaſſumptio duorum Conventuum, videlicet S. Annæ Spoleti, & S. Crucis Narniæ, cum gratia, ut quatuor Sacerdotes duntaxat ibi degere poſſint, conceditur. 143.

Corpus Terrarum Primogeniture Familiæ à Monte ſuppoſitum, Monialibus Civitatis Caſtelli ſine caducitatis pœna concedi, & in vices alia bona ſtabilia ſubrogari, Epiſcopo ibidem committit *Clemens* X. *ibi.*

Decreto Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. A' Fratribus Fulginei licitè in Capella Eccleſiæ Conventus Statuam S. Antonii Abbatis teneri, hujus Feſtum ab illis celebrari, ac oblationes recipi poſſe declaratur. 144.

Decreto ejuſdem Congregationis Fratres juris nominandi Puellas ad Dotem incapaces cenſentur. *cum nota.* *ibi.*

Legatum pium pro fabrica Domus Montis Malbè à quondam Cyntio Lucini relictum, & ad expenſas Beatificanis, & Canonizationis Fr. Joſephi à Leoniſſa applicari, Epiſcopo committit. *Alexander* VIII. 146.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. Fratres loci Montis Scopii, non teneri accedere Proceſſiones, quæ occaſione Solemnitatis Corporis Chriſti in Terra Portariæ fiunt, declaratur. 147.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii Viſitationem Altaris Majoris ab Officialibus Epiſcopi in Eccleſia ejuſdem Conventus Montis Scoppii factam, non ſuſtineri declaratur. *ibi.*

Decreto Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. A Fratribus Civitatis Tudertinæ Eleemoſynas in feſto S. Antonii Abbatis, non obſtantibus privilegiis Patrum S. Antonii Viennen. liberè recipi poſſe ſancitur. *cum nota.* *ibi.*

Decreto Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. Fratribus loci, *Abbatia* nuncupati, tempore æſtivo, in loco S. Malliani dicto, per modum Hoſpitii morari poſſe indulgetur. 148.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. Habitatio, ad Montem Pietatis in Terra Caſſiæ ſpectans, Fratribus ibidem pro Hoſpitio conceditur. *ibi.*

Decreto Sacræ Congregationis Concilii Clerico contra ſuam, ante 18. ætatis annum expletum factam Profeſſionem reclamanti, Reſtitutio in integrum denegatur. 149.

Decreto Sacræ Congregat. Epiſcoporum, & Regularium Cauſa quæſtuationis inter Provincias Umbriæ, & Marchiæ vertens, ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem pro deciſione remittitur, & ab hoc plenè terminatur. 150.

Decreto Sacræ Congregat. Epiſcoporum

rum , & Regularium Fratres Spoleti in poſſeſſione celebrandi feſtum S. Antonii Abbatis , & equos benedicendi manutenentur. *cum nota*. 151.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum , & Regularium Ad inſtantias Communitatis Subluci , Hoſpitium Sancti Bernardini nuncupatum , Fratribus Romitæ conceditur , dominio ejuſdem S. Sedi reſervato. 152.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Idem Hoſpitium à juriſdictione Ordinarii eximitur. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Rituum Ven. Corpus B. Joſephi à Leoniſſa recognoſci, & ad Eccleſiam SS. Suffragii Leoniſſæ transferri committitur, & inſignes Reliquias ab eodem diſtrahi &c. ſub excommunicatione , Sanctæ Sedi reſervata, prohibetur. 153.

Decreto Sacr. Congregat. Epiſcoporum & Regularium Moniales loci Caſſiæ ad emptum , & noviter accomodatum S. Luciæ Monaſterium transferri conceditur. 166.

Sententia Illuſtriſſimi , ac Reverendiſſimi Domini Auditoris Cameræ RR. Patribus S. Lucæ Spoleti nullum jus , nullamque actionem in arbores , à Domo noſtra ibidem prætenſas competere confirmatur. *ibi*.

Reliquias , & Cor Beati Joſephi à Leoniſſa , ſeu aliquam illarum , aut hujus partem ex Eccleſia , Sacriſtia , Armario , &c. Domus Leoniſſæ extrahi, commodari &c. omnibus , & ſingulis , cujuſque gradus , & conditionis, ſub excommunicatione latæ Sententiæ , aliiſque reſpectivè pœnis prohibet, ac Reliquias extractas à ſe non approbari declarat. *Benedictus* XIV. 167.

Eaſdem Reliquias B. Joſephi à Leoniſſa inſpici , ac ad novum Sacellum transferri, Ludovico de Valentibus , Promotori Fidei committit. *Idem cnm nota*. 168.

PROVINCIA MARCHIÆ.

Mediato Vivæ vocis Oraculo Domum antiquam Montis Veteris vendi , & ex pretio inde redacto , reiteratiſque , D. Proſperi de Comitibus expenſis Domum novam in ſalubriore Situ conſtrui , Vicario Generali Ravignanæ committitur. 170.

Eccleſiam S. Sebaſtiani Conventus Apiri Indulgentia plenaria perpetua decorat. *Sixtus* V. *cum nota*. 171.

Ad inſtantias Ducis Urbini Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia Conventus Caſtri Durantis (jam Civitatis Urbaniæ) quoad Miſſas Fratrum duntaxat in perpetuum privilegiat . *Clemens* VIII. 172.

Petium terræ , conſtruendæ novæ Domui Maceratæ ſufficiens , lite actuali non obſtante, Fratribus conſignari, Gubernatori Marchiæ Anconitanæ committit. *Idem*. *ibi*.

Domum veterem S. Chriſtinæ Fani , meliorem conditionem offerenti vendi , & pretium inde redactum in novam Fabricam converti indulget. *Idem*. 173.

Legatum pium pro 6. veſtimentis Fratribus Civitatis Firmanæ à Lucretia Vinca relictum in ducenta ſcuta converti, hæc pro fabrica novæ Domus ibidem applicari , & pro onere 2. Miſſarum hebdomadatim aliàs dicendarum , harum 700. à Fratribus unà tantum vice celebrari concedit. *Idem*. 174.

Petium Sylvæ Fratribus pro commoditate Domus Montis Floris ab Archipresbytero Eccleſiæ S. Pauli ibidem conceſſæ , pro annuo cenſu permutari, Archiepiſcopo Urbinatenſi , ſeu ejus Vicario Generali committit. *Idem*. 175.

Decreto Sacræ Congregationis Rituum, Fr. Athanaſio ante ingreſſum Religionis ritu Græco ordinato, poſt Profeſſionem, ritu latino celebrandi facultas conceditur. 176.

Eccleſiam Sanctæ Catharinæ Anconæ , cum Domunculis , & petiis terræ contiguis Domui Fratrum ibidem uniri, Vicario Generali committit, ac onera dictæ Eccleſiæ incumbentia à Fratribus ſuppleri jubet. *Paulus* V. *cum nota*. *ibi*.

Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia S. Mariæ in Soleſtano prope Civitatem

tatem Aſculanam pro Fratribus duntaxat privilegiat, ita tamen, ut decem Sacerdotes ad minus ibi exiſtant. *Idem*. 180.

Fr. Paulum à Ceſena Tunonium ad Domum Sanctæ Mariæ de Compaſſione, aliaſque vicinas Miſſiones viſitandas ablegat. *Idem, cum nota*. 181.

Ad alium Conventum in Terra Montis Ulmi erigendum, quoddam Terræ petium, muri veteris cæmenta, & ædificium Eccleſiæ ruinam minantis, ad Commendam S. Philippi de Auximo, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ſpectantia, pro alio terreno, à dicti Loci Communitate oblato, alienari, Magni dicti Hoſpitalis Magiſtro concedit, ita ut Eccleſia à Fratribus relicta, Eccleſiæ Commendæ ſubrogetur, & in illa hujus onera adimpleantur. *Idem*. 182.

Pro Legato pio, cuilibet ex Domibus Senogalliæ, & Montis Bodii, cum onere Miſſarum, & annualis Officii Defunctorum à Joanne Baptiſta Savello relicto, 700. duntaxat Miſſas ſemel celebrari, Epiſcopo Senogallien. ſeu ejus Vicario committit. *Idem, cum nota*. 183.

Eccleſiam collativam Sanctorum Coſmæ, & Damiani extra muros Terræ Sanctæ Anatoliæ ſupprimi; eam cum contiguis terris, & ſacra ſupellectile Fratribus concedi; in ſuppreſſæ Eccleſiæ vices, Eccleſiam Sancti Blaſii à prima dependentem, in titulum erigi; ab hujus Rectore, Abbate nuncupando, onera priori annexa perſolvi, ac pro illius ſuſtentatione emolumenta ſeparata aſſignari, Vicario Generali Camerinenſi committit. *Idem*. 184.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Fratres in Confeſſarios extraordinarios Monialium Recineti deputari, arbitrio D. Cardinalis Roma remittitur. *cum nota*. 187.

Monaſterium Monialium Capucinarum ſub invocatione Sancti Joſephi in loco Fabriani ſub perpetua clauſura erigi; Regularem Obſervantiam per duas ejuſdem Ordinis Moniales Peruſio, vel Recineto vocandas in id induci; in manutentionem duodecim illius Monialium à Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti, in Eccleſia Collegiata Sancti Venantii ibidem canonicè inſtituta quotannis 300. ſcuta ſubminiſtrari concedit, Monaſteriumque Ordinarii juriſdictioni ſubjectum, omnibus Ordinis privilegiis &c. frui poſſe, & debere declarat. *Idem, cum nota*. 188.

Emptionem duarum ædium pro amplianda Domo Sanctæ Chriſtinæ Fani, & translationem Canonis annui, uni earum annexi, confirmat. *Idem, cum nota*. 191.

Fr. Didacum à Civitate novâ Regi Chriſtianiſſimo pro executione gravis negotii in Civitate Gebennenſi peragendi commendat. *Idem*. 192.

Commendat Eumdem pro eodem fine Reginæ Chriſtianiſſimæ. *Idem, cum nota. ibi.*

Petium Terræ ad Eccleſiam S. Luciæ in Terra Montis Alboddi ſpectantem, pro Fabrica novæ Domûs ibidem vendi, ſeu alienari, Vicario Generali Senogalliæ committit. *Idem*. 193.

Poſſeſſionem *le Cerrete* nuncupatam, & ad Monaſterium Monialium Terræ de Montecchio ſpectantem, cum aliis bonis ſtabilibus commodioribus, & utilioribus permutari, Epiſcopo, ſeu Præpoſito Camerinenſi committit. *Idem, cum nota*. 194.

Permutationem trium Starorum Terræ pro Domo Apiri in meliorem formam redigenda ratihabet. *Idem*. 195.

Fontem per fundum, ad Capitulum & Eccleſiam Lateranenſem ſpectantem, aquæductibus ſubterraneis ad Domum Aſculi conduci indulget. *Idem, cum nota*. 196.

Celebrandi Miſſam in Oratorio domeſtico Terræ Mucciæ Fratribus pro tempore ibi exiſtentibus, & ad Capitulum generale ituris, ac ab eo receſſuris, facultatem impertitur. *Idem, cum nota*. 197.

Petium Terræ ad Domum Lauretanam ſpectans, & Fratribus inibi jam aliàs ad uſum conceſſum, cum alio petio novæ Domui contiguo permutari, Epiſcopo Lauretano committit. *Idem, cum nota*. *ibi*.

Quædam Terræ petia Domui Urbinatenſi non amplius proficua, pro alia terre-

ni quantitate, ad totalem dictæ Domus ambitum neceſſaria, permutari concedit. *Idem, cum nota.* 202.

Decreto S. Congregationis Rituum, Statuam D. Antonii Patavini in Capucinorum Habitu proceſſionaliter in Terra Montecchii deferri poſſe ſancitur. 203.

Non obſtante Teſtamento Maſino, à Communitate loci Montis Sancti, Fratribus pro fabrica novæ Domûs octo coppas terreni concedi,& econtra totidem de antiquæ Domûs ſitu Communitati à Fratribus aſſignari indulget. *Alexander* VII. *ibi*.

Chirographo Papali pro novo Domûs Piſaurenſis ædificio aliquæ Ædes, & terræ petia,ad Apoſtolicam Cameram pertinentia ſub conditione conceduntur, ut Fratres mediante Procuratore annuatim in dicta Camera, in vigilia, vel Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, compareant, & in recognitionem Apoſtolicæ conceſſionis Sanctiſſimum Nomen Jeſus invocent. *cum nota*. 204.

Gratiam conceſſam, non obſtante RR. Clericorum Regularium Minorum S.Caroli nuncupatorum oppoſitione, executioni dari jubetur. *cum nota*. 206.

Chirographo tertio gratia circa Domum Piſaurenſem jam aliàs facta, ampliatur. 208.

Provinciam ob ſuam vaſtitatem in duas dividi concedit. *Innocentius* XI. *cum nota*. *ibi*.

Epiſtola Sacræ Congregationis Concilii, Cadaver Perſonæ Sæcularis, quæ in noſtra Eccleſia Fori-Sempronii Sepulturam elegerat, ad hanc, non à Fratribus, ſed à loci Parocho ducendum eſſe, ſancitur. 209.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii, revocationem oneris, Fratribus Sancti Severini hebdomadatim ferculum, ſeu pietantiam quatuor juliorum præſtandi, non ſubſiſtere declaratur. 210.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii,Fratres Tolentini Quartam funeralem ſolvere non teneri declaratur. *ibi*.

Privilegium Altaris in Capella Sanctiſſimi Crucifixi Domûs Civitatis Fanenſis, prius per Breve *ad perpetuam memoriam* expeditum ad Sacerdotes Ordinis, & ad unam feriam hebdomadæ reſtrictum, ad quoſcumque Sacerdotes Ordinis, & ad duas ferias qualibet hebdomadâ extendit. *Innocentius* XII. 211.

Paramenta, Ornamenta &c. Eccleſiæ Conventûs Terræ Montis Avium donata, aut donanda, ex ea extrahi, aut commodari ſub cenſuris prohibet, & exemplar prohibitionis hujuſmodi in valvis Eccleſiæ, ſeu Sacriſtiæ, ſeu in alio conſpicuo loco affixum teneri jubet. *Idem*. *ibi*.

Idem circa vaſa argentea &c. à Maria Anna Hiſpaniarum Regina uſui Eccleſiæ Domûs Urbinatenſis donata prohibet, & præcipit. *Clemens* XI. 212.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii in Cauſa Funeris, Cadaver ad Eccleſiam Domûs Civitatis Æſinæ cum Fratrum aſſociatione tranſportari, & ratione Quartæ funeralis à Reverendiſſimo Capitulo probationes interim coadjuvari jubetur. 213.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Cauſa quæſtuationis inter Provincias S. P. Franciſci, & Marchiæ ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem remittitur. *ibi*.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Monaſterium Monialium Civitatis Auximanæ cum clauſura inſtitui, & erigi, ac Fundatricem cum aliis Puellis ad id transferri, Ordinario loci committitut. *cum nota*. *ibi*.

Fr. Michaelem Angelum à Raguſio, Miniſtrum Generalem, Regi Catholico, pro feliciori viſitationis ſucceſſu commendat. *Idem*. 215.

Item Reginæ. *Idem*. *ibi*.

Ac Franciſco Cardin. de Judice. *Idem, cum nota*. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Congregationis Epiſcoporum, & Regularium,Quartam funeralem à Fratribus loci Pergulæ Parocho non ſolvi, & econtra aliàs deſuper edita Decreta ſervari debere declaratur. 216.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Parochum

chum S. Martini Civitatis Firmanæ in aſſociatione Cadaverum non poſſe Eccleſiam Fratrum cum Cruce elevata, & ſtola ingredi ſancitur, & concordiam Parochum inter- & alios Regulares ibidem factam, Capucinos non afficere declaratur. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, Erectionem Sepulturæ in Sacello Eccleſiæ Domus Mondavii, ſeu Montis avium pro Pio Georgio, totaque ejus Familia ſuſtineri, & Quartam funeralem Parocho ibi non deberi declaratur. 217.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Petium terræ, partim ad Capellaniam Sanctæ Mariæ, partim ad Hoſpitale Petræ rubeæ ſpectans, clauſuræ Domûs Fratrum ibidem uniri, & aggregari indulgetur. 218.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, ob conſuetudinem in Civitate Piſauren. vigentem, medietatem ceræ, tam in Aſſociatione Cadaverum, quam circa Cadaver in Eccleſia Fratrum accenſæ, Parocho ſolvendam eſſe ſancitur. *cum nota*. *ibi*.

PROVINCIA BONONIENSIS.

Quotannis in Eccleſia Conventûs Veruchii pro feſto S. Georgii, juxta inſtantias Communitatis ibidem, per miſſos Oratores expoſitas, Indulgentiam plenariam Chriſtifidelibus in perpetuum largitur. *Gregorius* XIII. 222.

Altare privilegiatum in eadem Eccleſia Fratribus ibi morantibus pariter in perpetuum concedit. *Idem*. *ibi*.

Venditionem horti ad Domum Dei nuncupatam ſpectantis, & ejuſdem donationem Conventui Forolivienſi, ratihabet. *Clemens* VIII. 123.

Situm pro fabrica Domus, & Eccleſiæ prope Civitatem Ariminenſem in terris Emphiteuticis Monaſterii S. Gaudentii ibidem, Fratribus concedi, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit. *Idem*. 124.

Privilegium Altaris in Eccleſia Conventûs Veruchii Fratribus inibi degentibus limitatè conceſſum, ad Fratres quoque advenas, & ibi tranſeuntes extendit. *Idem*. *ibi*.

Domum ſæcularem, Domui noſtræ Ferrariæ dominantem, vendi, ac Canone ei annexo, aliter compenſato, deſtrui, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit. *Paulus* V. 125.

Annuum Legatum, à quondam Joanne Maria Rizzardo Domui Fratrum Ferrariæ relictum commutari, & in fabricam dictæ Domûs converti committit. *Idem*. 126.

Alias Literas ſuas circa Domum ſæcularem, Domui noſtræ Ferrarienſi dominantem executioni dari, & primodictam Domum, reclamatione unius Executoris Teſtamentarii non obſtante deſtrui, Epiſcopo &c. committit. *Idem, cum nota*. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, erectio Monaſterii Monialium Ceſenæ Ordinario committitur. *cum nota*. 128.

Pium Legatum à Joanne Maria Rizzardo Monialibus Ferrariæ pariter relictum in fabricam Earumdem Monaſterii converti, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit. *Idem, cum nota*. 129.

Fr. Sigiſmundo à Bononia librum de electione, & poteſtate Prælatorum, ab ipſo ante ſuſceptum Ordinis Habitum, & ſub nomine Jacobi Federici impreſſum, jam ſub nomine Sigiſmundi reimprimi concedit, & ab aliis in Urbe, vel Statu Eccleſiaſtico reimprimi vetat. *Urbanus* VIII. *cum nota*. 130.

Deciſione Rotali per Profeſſionem Fr. Alexandri de Deſideriis Fideicommiſſum purificari, ſeu ad alios vocatos tranſire, haud aliter, ac ſi naturaliter obiiſſet, declaratur. 131.

Legatum pium, ab Alphonſo Piſtria relictum, in emptionem librorum pro Bibliotheca Ferrarienſi, ac aliàs in fabricæ reparationem converti indulget. *Idem*. 132.

Ordine Sanctiſſimo per Epiſtolam Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Suffraganeo Bononiæ intimato, Domum in loco Caſtri Sancti Petri erigi indulgetur, dummodo decem ſaltem Fratres ibi ſubſiſtant. 133.

Pe-

Petium terræ ad Domum Regularem Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſpectans, pro amplianda eadem noſtra Domo alienari, hocque alio petio ad Eccleſiam Parochialem, *Archipresbyteratus* nuncupatam, pertinente compenſari &c. Apoſtolica facultate conceditur. *cum nota*. *ibi*.

Fratribus pro fabrica Hoſpitii in terra S. Alberti Domunculam ibi inhabitabilem, vel vendi, vel donari permittit. *Idem*. 236.

Situm à Canonicis Sancti Salvatoris in loco Sancti Archangeli emi, & Fratres illuc novâ fabricâ terminatâ transferri concedit. *Idem*. *ibi*.

Fr. Vitali à Bononia, Novitio, Alexandro Bonfioli in ſæculo nuncupato, cum ob æs alienum prius contractum, ad Sacram Profeſſionem admitti non poſſet, opportunè provideri, & debita ex Fideicommiſſo, ſine hujus præjudicio ſolvi, Archiepiſcopo Bononienſi, ſeu ejus Vicario Generali committit. *Innocentius* X. 237.

Pretium Domuncularum ab Ulyſſe de Bolognettis, à Monialibus Bononiæ emptarum, in locis Montium Cameræ Apoſtolicæ non vacabilium inveſtiri concedit. *Idem*, *cum nota*. 238.

Fr. Bernardo à Bononia Meſſinam, ad tractandum ibi Civitatis Bononienſis negotium, ſe conferendi facultatem largitur, *Alexander* VII. 239.

Monialibus Imolæ, pro fabrica earumdem Monaſterii, à Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti ibidem, Domum quamdam vendi, & pretium in bona ſtabilia ad favorem dictæ Confraternitatis converti, Epiſcopo ibi committit. *Idem*. 240.

Sacras Reliquias ex Eccleſia Domûs loci Sancti Joannis in Perſiceto extrahi, aut aliis Eccleſiis commodari, ſub cenſuris, & pœnis prohibet. *Clemens* X. 241.

Provinciam in duas, Bononienſem, & Lombardiæ dividi, P. Miniſtro Generali committit. *Ven. D.S. Innocentius* XI. *cum nota*. 241.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, erectio Monaſterii Monialium Ravennæ Archiepiſcopo ibidem committitur. 243.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, pro alienatione Domûs earumdem Monialium Monaſterio incorporatæ, aut à Capitulo Cathedrali, & Communitate conſenſum præberi, aut hunc à Sancta Sede ſuppleri ſancitur. *cum nota*. *ibi*.

Provinciam à ſuperintendentia duorum Hoſpitiorum Regni Poloniæ eximit. *Idem*. 244.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, concordia Dominos Merlinos inter - & Moniales Forolivii ratione Domûs inita firmatur, & à Merlinis ad vices hujus ſcuta 500. Monaſterio ſolvi, Epiſcopo ibidem committitur. *cum nota*. 246.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii, Moniales Terræ Mutilianæ, Fratribus noſtris ibidem, ſingulis annis libras 100. olei, 25. ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ, & hebdomadatim ferculum bononeorum 20. (non obſtante prætenſa horum incapacitate) ſubminiſtrari debere ſancitur. *cum nota*. 247.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Demolitio Hoſpitii in Civitate veteri Cerviæ, & fundatio novi in Civitate nova conceduntur. 249.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Cauſa ex motivo Crucis, prope viam horti Domûs Ravennæ appoſitæ, à Parocho S. Joannis in Fonte excitata, poſt iteratam diſcuſſionem, Eminentiſſimo Domino Cardinali Legato pro compoſitione remittitur. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, Nominationem Capellani &c. à Guardiano Domûs Comacli ſuſtineri declaratur. *cum nota*. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Fundatio novæ Domûs in Terra Criſpini, Archiepiſcopo Ravennatenſi committitur. 250.

Petium terræ ad Montium Abbatiam Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis, Ordinis Sancti Benedicti ſpectans, Fratribus Faventiæ pro ampliatione horti donandi, Eminentiſſimo Cardinali Bernardo Mariæ de Comitibus, Abbati, ſeu Commendatario perpetuo facultatem largitur. *Benedictus* XIII. 251.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Domui noſtræ Ceſenæ, duo petia vinearum, partim ad Seminarium, partim ad Confraternitatem Sancti Homoboni inibi ſpectantia, pro inſtituenda ſylva alienari indulgetur. 251.

Reſcripto, Privilegium Altaris in Eccleſia Domûs Sancti Joannis in Perſiceto ad omnes hebdomadæ ferias extenditur. 252.

PROVINCIA LOMBARDIÆ.

Hortum, aliàs per Teſtamentum Conſtantiæ Zobolæ Pauperibus Chriſti hypothecicè relictum, à Comite Horatio Malegutio Hærede, Fratribus pro fundatione Domûs, & Eccleſiæ Regii tradi, Epiſcopo Loci committit. *Gregor.* XIII. 255.

Eccleſiam ruralem Sancti Laurentii, in Territorio Caſalis Majoris exiſtentem, à Præpoſitura Sancti Abundii Cremonæ, prius ad Ordinem Humiliatorum ſpectante, & poſtea in Commendam Archangelo Cardinali Theanen. nuncupato conceſſa, cum agro contiguo diſmembrari, & Fratribus pro habitatione, & uſu conſignari indulget. *Idem.* 256.

Fr. Petrum à Placentia, ab Archiconfraternitate Confalonis de Urbe pro Captivorum redemptione Algerium, & ad alias Africæ partes ablegatum, variis facultatibus communit. *Idem cum nota.* 258.

Indulto Pontificio, curam Animarum ab Eccleſia Parochiali Sancti Joannis Baptiſtæ Corrigii ſeparari, hancque pro conſtructione Domûs Fratribus conſignari decernitur. *cum nota.* 259.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, conſtructio Monaſterii Monialium in Civitate Parmæ, Epiſcopo committitur. *ibi.*

Fr. Nicolao Mantuano Sereniſſimæ Annæ Catharinæ Auſtriæ Archiduciſſæ Confeſſario, in hujus ædibus cum Socio morari indulget. *Paulus* V. *ibi.*

Monaſterium Monialium in Civitate Placentina erigi; eas ſub perpetua clauſura, & juriſdictione Ordinarii viventes, à Confraternitate, in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Turricella erecta ſuſtentari; iis omnia Ordinis privilegia communicari, ac Confeſſarios, & Capellanos ex Ordine deſignari, Vicario Generali ibidem committit. *Idem, cum nota.* 260.

Legatum pium, aliàs per Teſtamentum Franciſci Gandini, Domui Fratrum Conventualium Reformatorum, & poſtea ſuppreſſorum relictum, pro fabrica noſtræ Domûs Caſtri Sancti Joannis applicari indulget. *Urbanus* VIII. *cum nota.* 263.

Alphonſum II. Mutinæ, Regii Lepidi &c. Ducem, ſuſcepto Ordinis Habitu, immediatè ad Votorum ſolemnium Profeſſionem admitti, P. Provinciali Tyrolenſi committit. *Idem.* 265.

Eidem Alphonſo, duos Fratres ad obſequia deſtinari concedit. *Idem.* 266.

Sereniſſimo Duci Franciſco, Alphonſi Filio, pium Patris propoſitum, è Vulneribus Crucifixi, & Sancti Franciſci Stigmatibus petitum eſſe reſpondet. *Idem. ibi.*

Ejuſdem Alphonſi, jam Fr. Joannis Baptiſtæ, Confeſſiones Sacramentales à Socio, Fr. Joanne de Seſtola, abſque Ordinariorum, & Superiorum licentia ubique excipi, aliumque Socium ſubrogari confirmat. *Idem, cum nota.* 267.

Literis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Capellam horto Domûs Loci Scandiani contiguam à Confraternitate Sanctæ Crucis deſeri, & tandem penitus demoliri, Epiſcopo Regienſi committitur. *cum nota.* 269.

Monialibus Parmæ Confeſſarium extraordinarium quater in anno concedi mandat. *Idem cum nota.* 270.

Duciſſæ Mutinenſi Lucretiæ per Viridarium Conventûs Mutinæ cum ſuo famulatu rectè ad Eccleſiam Fratrum ire permittit. *Alexander* VIII. 271.

Conventus Lombardiæ à Provincia Bononienſi ſeparari, & ex iis Provinciam diſtinctam erigi committit. *Ven. D. S. Innocentius* XI. *ibi.*

Aliud Monialium Monaſterium à Sereniſſima Duciſſa Maria in Civitate Parmæ, pro duodecim Choralibus, & quatuor Converſis fundari; ex Partenone Guaſtal-

ſtal-

ſtallæ Sororem Luciam cum aliis Monialibus ad illius inſtructionem transferri: ab altefata Duciſſa, & pro tempore exiſtentibus Ducum Parmæ Uxoribus, vel Tutricibus, aut in harum defectu ab ipſis Ducibus quatuor Puellas ſine præſtatione dotis in Moniales recipiendas nominari: ac eaſdem Duciſſam, Uxores, Tutrices, duodecim vicibus per annum, Monaſterium de conſenſu Superiorum, & Monialium ingredi poſſe concedit. *Idem, cum nota*. 271.

Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia Domûs Parmæ ad inſtantias Sereniſſimi Ducis Franciſci in perpetuum privilegiat. *Clemens* XI. 275.

Breve Apoſtolicum pro privilegio Altaris Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia prædictæ Domûs expediri, à ſe jam juſſum eſſe, eidem Franciſco Duci reponit. *Idem*. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregat. Rituum, Monialibus Tertiariis Capucinis Terræ Fagnani, feria v. maj. hebdomadæ Miſſam privatam in earum Capella Eccleſiæ Parochialis celebrari permittitur. 275.

In cauſa inter Domos Parmenſes, & Mutinenſes verſante, conſilia, quibus & malis occurreretur, & aliàs optatis obſecundaretur, ſuſcepta eſſe, Sereniſſimo Rainaldo Duci Mutinæ ſignificat. *Benedictus* XIII. 276.

Petitas de Beato Seraphino à Monte Granario Sacras Reliquias Sereniſſimæ Duciſſæ Dorotheæ Sophiæ mittendas eſſe ſignificat. *Idem*. *ibi*.

Domos Cuſtodiæ, ſeu Ducatûs Mantuani, cum Domo Caſtellionis Stiverorum, à Provincia Brixiæ ſeparata, Provinciæ uniri ratihabet, & confirmat. *Clemens* XII. 277.

Fr. Michaelem Angelum à Regio Lepidi in munere Concionatoris Palatii Apoſtolici ad dies vitæ confirmat, eique varias prærogativas impertitur. *Benedictus* XIV. *cum nota*. 278.

PROVINCIA VENETA.

Monaſterium S. Hieronymi in Civitate Vicentina, à Monaſterio Fratrum Sanctæ Mariæ Gratiarum diſmembrari, Regularem ſtatum Ordinis Sancti Hieronymi in illo ſupprimi, prophanos Habitatores ex eo expelli, ac Fratribus noſtris pro perpetuo uſu id concedi, mandat. *Sanctus Pius* V. 282.

Separationem Curæ animarum à Monaſterio Sanctæ Crucis, de Cittadella nuncupato, aliàs Cœnobio Monialium Sancti Silveſtri, Ordinis Sancti Benedicti Veronæ unito, necnon illius cum Eccleſia aſſignationem, pro habitatione Fratrum, ibidem confirmat. *Idem*. 284.

Eccleſiam SS. Redemptoris ex Voto in Civitate Veneta ædificatam, à Sereniſſimo Senatu Fratribus aſſignari, & non obſtante religioſæ paupertatis lege eam ab hiſce acceptari, Apoſtolicæ Benedictionis largitione indulget. *Gregorius* XIII. 286.

Emptionem fundi pro conſtruenda Domo in oppido Aſoli, ac remiſſionem livelli, ſeu annui cenſûs, eidem annexi confirmat. *Sixtus* V. *ibi*.

Legatum Miſſæ perpetuæ ex conceſſa Fratribus Eccleſia Sancti Rochi Belluni ad aliam Eccleſiam transferri, Epiſcopo ibi, aut ejus Vicario Generali committit. *Paulus* V. 288.

Venerabilem Servum Dei Fr. Laurentium à Brunduſio ad exercitum Catholicorum Germaniæ Principum abeuntem, variis facultatibus ſpiritualibus communit. *Idem, cum nota*. *ibi*.

Monaſterium Monialium Capucinarum ſub Regula Sanctæ Claræ in Civitate Vicentina erigi committit, iis ſub juriſdictione Ordinarii viventibus privilegia Ordinis Sanctæ Claræ communicat, & pro earum regimine Statuta condi jubet. *Idem*. 289.

Pietatem Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi, ſacros honores Fr. Laurentio à Brunduſio Auguſtiſſima cum Imperatrice decerni poſtulantis commendat. *Urbanus* VIII. 292.

Repetit idem Sereniſſimo Bavariæ Duci, & Electori Maximiliano, eaſdem preces facienti. *Idem*. *ibi*.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, ad Illuſtriſſimum

D. Nun-

D. Nuntium Venetiarum data, poſſeſſiones, naves &c. à Fratribus privatim benedici poſſe, & eos à Parochis deſuper non moleſtari debere ſancitur. *cum nota*. 293.

Decreto Ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, In novo Conventu Terræ, *Abbatia* nuncupatæ, ſex Fratres duntaxat morari poſſe indulgetur. *ibi*.

Decreto Ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Erectio novi Conventus in Terra Glemonæ Patriarchæ Aquilejæ committitur. *ibi*.

Decreto Ejuſdem Sacræ Congregationis, erectio Monaſterii Monialium in Civitate Tarviſina, & formalis clauſuræ introductio, Epiſcopo ibidem committitur. 294.

Decreto Ejuſdem Sacræ Congregationis, Laici ad portandos de una menſa ad aliam libros &c. juxta diſpoſitionem Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris tenentur. *cum nota*. *ibi*.

Fr. Marco ab Aviano ad Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi exercitum ablegato, varia ſpiritualia privilegia largitur. *Ven. D. S. Innocentius* XI. *cum nota*. 295.

Fr. Rochum à Venetiis, Viſitatorem Miſſionum in Peloponneſo conſtituit. *Innocentius* XII. 298.

Moniales Collegii Nobilium Capucinas prope Eccleſiam Sancti Antonii à Caſtello, Civitatis Venetiarum, omnibus privilegiis, Indulgentiis, aliàs Monialibus Ordinis S. P. Franciſci conceſſis, uti, & gaudere poſſe declarat. *Clemens* XI. *ibi*.

Fratribus Deputatis, Milites in Triremium claſſe exiſtentes, ab omnibus peccatis, & caſibus abſolvendi, & cum illis quoad lacticiniorum eſum diſpenſandi, facultatem impertitur, ac indulgentiam plenariam, in articulo mortis, omnibus in expeditione contra Turcas cum contritione decedentibus concedit. *Idem*, *cum nota*. 299.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Fabricam Clodiæ completam, Monaſterium Monialium Capucinarum, ſub Regula Sanctæ Claræ, & ſubjectione Ordinario loci, declarari, Epiſcopo ibidem committitur. 300.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis, fabricam loci Valdagni in formale Monaſterium Capucinarum erigi, & ad id duas Inſtitutrices ex alio Monaſterio transferri, Epiſcopo Vicentino mandatur. *ibi*.

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, Onera Miſſarum, Anniverſariorum, & precum ex alienatione Conventûs, & bonorum ſuppreſſæ Religionis Sancti Hieronymi de Feſulis Monialibus Capucinis Venetiarum incumbentia, in celebrationem menſtruæ Miſſæ, & Communionem menſtruatim pariter à Monialibus faciendam, necnon quotidianam recitationem pſalmi *Miſerere* &c. converti, Patriarchæ ibidem committitur. 301.

Ad Moniales Utini participatio omnium Indulgentiarum, ſuffragiorum, privilegiorum, aliis Monialibus Capucinis ſub Regula S. Claræ conceſſorum extenditur, ita tamen, ut (exceptis Sororibus converſis ad colligendas eleemoſynas deſtinatis) in clauſura inviolabiliter perſeverent. 302.

Monialibus Coloniæ Conſtitutionem Pauli Papæ V. de earum Monaſterii erectione, conceſſa iis Sancti Petri Eccleſia ibidem &c. ex Secretaria Apoſtolica communicat, & illi plenam fidem adhiberi ſancit. *Urbanus* VIII. 303.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

Ex Præpoſiturâ Sancti Joannis Baptiſtæ in terra Domaſii cum omnibus ædificiis contiguis, & connexis Conventum Fratrum erigi, Epiſcopo Comenſi committit. *Gregorius* XIII. 306.

In duabus Ædibus, onere annuæ penſionis, Capitulo Sancti Nazarii Mediolani præſtandæ, gravatis, & pro conſtructione Monaſterii Monialium donatis, Cœnobium hujuſmodi ſub invocatione Sanctæ Claræ erigi, reſponſiones dicto Capitulo debitas, ex parte redditumm à quondam Joanne Thoma Cribello ad ſimilem finem pro ſumma conventa liberari, in

in Eccleſia Capellaniam pro Capellano ſimul, & Confeſſore amovibili fundari, Sancto Carolo Cardinali Tituli S. Praxedis committit, ac Monialibus varia privilegia concedit. *Idem*. 307.

Moniales Peruſio Mediolanum ablegari, & ab iis Monaſterium prædictum inibi inſtitui &c. indulget. *Idem*. 310.

Reſiduam partem bonorum ſtabilium, à prædicto Joanne Thoma eidem Monaſterio Monialium relictorum, ob incapacitatem Monialium bona ſtabilia poſſidendi, alienari, ac pretium inde proveniens, in opus fabricæ, ac clauſuræ, & in emptionem paramentorum converti, eidem Cardinali, ac Archiepiſcopo committit. *Idem*. *ibi*.

Alia pia Legata, commutata Teſtatorum voluntate, fabricæ eidem applicari, Archiepiſcopo eidem committit. *Idem, cum nota*. 311.

Monaſterium Sancti Bubonis, Ordinis Sancti Benedicti, Vigueriæ, Sfortiæ Spetiano, aliàs in Commendam conceſſum Fratribus cum viridario concedi; in eo nomen, titulum, & Ordinem ſupprimi, ac illius bona, & jura Capellaniæ, ad Altare Sancti Bubonis in eadem Eccleſia perpetuò erigendæ, *Abbatia* nuncupandæ, & per Papam duntaxat conferendæ, applicari confirmat. *Idem*. 314.

Emptas à Nobili Clara de Modognanis Vidua ædes, & ædificia in Burgo Sancti Angeli Diœceſis Lauden. ad ſuppreſſum Monaſterium Sanctæ Margaritæ Ordinis Sancti Benedicti aliàs ſpectantia, ad Monaſterii formam reduci, ac Moniales Capucinas in hoc, clauſura munitum, induci concedit, & Monialibus ſub viſitatione Ordinarii, & Confeſſore vel Regulari, vel Sæculari viventibus, omnia Ordinis Sanctæ Claræ privilegia communicat. *Idem*, *ibi*.

Eccleſiam Sanctæ Crucis in Suburbio Civitatis Novarienſis, olim Præpoſituram ſuppreſſi Ordinis Fratrum Humiliatorum, Fratribus dari: tranſactionem deſuper factam confirmari: & defectus priorum literarum Apoſtolicarum &c. ſuppleri, Vicario Epiſcopi Novarienſis Generali committit. *Clemens* VIII. 318.

Petium terræ ad Menſam Epiſcopalem Alexandrin. ſpectantis, pro amplianda Domo noſtra Alexandriæ vendi, & pretium ad aliam dictæ menſæ utilitatem converti, Epiſcopo Papienſi, ſeu ejus Vicario Generali committit. *Paulus* V. *cum nota*. 320.

Quædam petia Terræ Fratribus pro nova Domo Viglevani donata ab annuo Livello, mediante juſti pretii ſolutione, liberari indulget. *Idem*. 322.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, limites quæſtuationis inter Conventum Patrum Reformatorum in Terra Donghi, & noſtrum in Terra Domaſii regulantur. *cum nota*. *ibi*.

Fractionem aquæductûs, ſeu tubulorum ad Conventum Comi tranſeuntium, vel aquæ, ſeu illius partis diſtractionem, ſub excommunicationis pœna prohiberi, Epiſcopo loci committit. *Vrb.* VIII. 324.

Eccleſiam Domûs Canobii in officinas, alioſque uſus prophanos pro ejuſdem Domûs ampliatione converti, Archiepiſcopo Mediolanenſi &c. committit. *Idem*. 325.

Condonationem petii terræ, Monaſterio Ordinis Sancti Benedicti *Abbatia* nuncupato, contiguæ, pro ampliatione Conventûs Terræ Vigueriæ factam, approbat. *Idem*. *ibi*.

Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Erectio Conventûs in Terra Morbegni, Epiſcopo Comenſi committitur. *cum nota*. 326.

Ædificia veteris Domûs Romagnani pro perfectione novæ fabricæ ibidem vendi, & ad hanc oſſa Defunctorum transferri concedit. *Idem*, 327.

Altare privilegiatum, à Paulo Papa V. tribus cujuslibet Provinciæ Altaribus conceſſum, de veteri Eccleſia ad noviter extructam, ac aliud hujuſmodi Altare, à Capella Eccleſiæ Domûs Alexandriæ, ad Altare Majus in ea transferri concedit. *Idem*. 328.

Tres Moniales è Monaſterio Capucinarum Sanctæ Barbaræ Mediolani, ad novum Monaſterium Capucinarum Sanctorum Angelorum ibidem, pro inſtru-

ſtructione transferri indulget. *Innocentius* X. 329.

Situm veteris Domûs extra Terram Valentiæ vendi, & pretium in uſum Bibliothecæ novæ Domûs ibidem converti indulget. *Idem*. 329.

Ex Eccleſia Domûs Oppidi Lugani Sacras Reliquias extrahi vetat, & prohibitionis copiam ad valvas Eccleſiæ &c. affigi mandat. *Idem, cum nota*. 330.

Remiſſionem Canonis, & Juris in beneficium Domûs noſtræ Terdonenſis à Reverendis Patribus Ordinis Prædicatorum Sanctæ Crucis loci do Boſco factam approbat. *Idem*. 331.

Moniales ſupernumerarias in Monaſterio Novarienſi ullo unquam tempore ultra tredecim admitti ſtatuit. *Idem, cum nota*. *ibi*.

Conventus decem à Provincia Januenſi diſmembrari, & ſex eorum Provinciæ Mediolanenſi, ſuppreſſis quatuor, uniri mandat. *Alexander* VII. *cum nota*. 333.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Hoſpitium in Loco Binaſchi erigendi facultas ſub diverſis clauſulis indulgetur. 335.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis, permutatio Hoſpitii in loco Varalli conceditur. *cum nota*. *ibi*.

Domum ad Abbatiam, ſeu Commendam Sanctorum Caroli, & Juſtini ſpectantem, Monaſterio Monialium Papiæ incorporari, Epiſcopo ibidem committit. *Clemens* IX. *cum nota*. 337.

Moniales S. Praxedis Mediolani omnibus privilegiis, tam temporalibus, quàm ſpiritualibus Ordini Minoritano conceſſis, ſine ulla differentia uti, & frui poſſe declarat. *Ven. D. S. Innocentius* XI. *cum nota*. 338.

Domum Monialium Regularem, Sancti Ambroſii nuncupatam Comi ſucceſſivè ſupprimi, & novam ſub titulo Sancti Caroli erigi, ac prioris bona, huic incorporari ratihabetur. 339.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Parochum Sanctæ Mariæ in loco Hortæ, in Eccleſia Fratrum ibidem jura Parochialia exercere non poſſe declaratur. 340.

Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis, Domum cum Eccleſia in loco Caſſani Abduæ erigi, & Fratres in illam induci Epiſcopo Cremonenſi committitur. *ibi*.

Decreto S. Congregat. Eccleſiam Fratrum Taurdi, Plebaniæ Porletiæ, Regularem eſſe; Præpoſito ibi nullas in eo functiones competere; ac quoad Proceſſiones, & funera, Decreta aliàs deſuper edita ſervari ſancitur. *cum nota*. 341.

Decreto S. Congreg. de Propag. Fide, facultates Miſſionariorum ad Hoſpitium Montis S. Gotthardi extenduntur. 341.

Decreto S. Congreg. Concilii, in delatione funerum ad exteriorem Eccleſiam Monialium Novariæ, jus funerum cum Cruce, & Stola ad Parochos, & non ad harum Confeſſarios pertinere: circa quartam funeris ceræ, ſuper Altare poſitæ, ſolitum ſervari: & Anniverſarium in caſu à Teſtatore relictum, cum Officio, & Miſſa in cantu à Parocho expleri poſſe ſancitur: Parocho tamen collocutoriis Monaſterii, vel Tertiariorum Hoſpitio in Sabbatho Sancto benedicere, aut aliàs in Eccleſia Monialium dictarum Matrimoniis aſſiſtere, aut mulieribus poſt partum benedicere prohibetur. 342.

Ad commendationem Fr. Auguſtini Mariæ à Lugano attentam voluntatem à ſe geri, Sereniſſimæ Hungariæ, &c. Reginæ Mariæ Thereſiæ reſcribit. *Benedictus* XIV. *cum nota*. 344.

PROVINCIA BRIXIENSIS.

Monaſterium Monialium S. Urbani Brixiæ Fratribus pro habitatione alienari, & econtra Domum cum aliis proprietatibus, à quondam Clara Armana Fratribus legatam renuntiari &c. Vicario Generali Epiſcopi Brixien. committit. *Sixtus* V. 347.

Monialibus Brixiæ ad ſonum meridiei Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſemel recitantibus, Apoſtolicam Benedictionem in perpetuum largitur. *Idem*. 349.

Ædes antiqui Monaſterii vendendi &c. Syndico Monialium Cremæ concedit. *Paulus* V. 350.

Epiſtola S. Congreg. Epiſc. & Regul. Fratres in Monaſterium ad S. Joannem Baptiſtam nuncupatum introduci, Epiſcopo Curienſi committit. *ibi*.

Calamitates Eccleſiæ, & Epiſcopatûs Curienſis à Fr. Ignatio à Bergomo ſibi relatas eſſe, Epiſcopo ibidem ſignificat, Eundemque in ſpem melioris ſortis erigit. *Gregorius* XV. 351.

Fratres noſtros, ac Reverendos PP. Jeſuitas in Rhætiam induci, Archiduci Auſtriæ, & Epiſcopo Argentin. &c. Leopoldo commendat. *Idem*. 451.

In ſubſidium rei Eccleſiaſticæ, in Rhætia &c. nutantis, in Alma Urbe, aliiſque Civitatibus, & locis ſtipem à Fr. Ignatio à Bergomo colligi, & ab eo ipſo Pauperum, & Locorum Piorum neceſſitatibus ſuccurri mandat, *Idem*. 352.

Eidem Fr. Ignatio in locis Miſſionum Vallis Tellinæ, & Rhætiæ, ubi Parochi non eſſent &c. omnia, & ſingula ad curam animarum pertinentia adminiſtrandi licentiam, hancque neceſſariis Ordinis Sociis communicandi facultatem largitur. *Idem*. 353.

Archiducem Auſtriæ Leopoldum de beneficiis Eccleſiæ in Rhætia collatis commendat, &, ut Fr. Ignatii conatus adjuvet, hortatur. *Urbanus* VIII. *cum nota*. 354.

Decreto Sacræ Congr. de Propag. Fide Articuli, & conventiones de diviſionibus Eccleſiarum, & earum redditibus pro pluribus Miſſionum locis facti reſcinduntur, & nonnulla alia pro bono Religionis agenda præſcribuntur. 354.

Legatum pium Eccleſiæ Loci de Pignò applicari, ad inſtantias Fr. Irenæi Præfecti, Epiſcopo Curienſi committit. *Idem*. 355.

Feſtum Dedicat. Eccleſiæ B. Virg. de Sagagno, in diem Populo commodiorem transferri, Eidem Epiſcopo committit. *Idem*, *cum nota*. *ibi*.

Conceſſionem ſitus ad Monaſterium, ſeu Abbatiam Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii ſpectantis pro amplianda nova fabrica Conventus Brixienſis extra Urbem, ratihabet. *Idem*, *cum nota*. 356.

Paramenta, vel quæcumque alia de ſacra ſupellectile, ex Eccleſia Domûs Brixiæ extrahi prohibet, & prohibitionis copiam in valvis Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ affigi jubet. *Innocentius* X. 357.

Decreto S. Congreg. de Propag. Fide, Fratres Provinciæ pro Miſſionibus Rhætiæ confirmantur, & pro opportuniore harum gubernio varia ordinantur. 358.

Fr. Chriſtophorum Tuſculanum à ſe benignè auditum, Conſulibus Rhetiæ ſignificat, eóſque de Pontificia cura reddit certiores. *Alexander* VII. *ibi*.

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Translatio Conventus Fratrum de Loco Curzani ad locum Trinzani, Emo Epiſcopo Brixienſi committitur. *cum nota*. *ibi*.

Decreto ejuſdem S. Congreg. Fabricam Monialium Lonati, Monaſterium declarari, & clauſuram in eo induci, Epiſcopo Veronenſi, nonnullis præſcriptis conditionibus, committitur. *cum nota*. *ibi*.

Decreto S. Congreg. Concilii, Moniales Bergomi tres Miſſas, ad quas Miſſa quotidiana reducta fuit, per viginti annos applicari facere obliviſcentes, & ſupplicantes &c. ab hujuſmodi omiſſione abſolvi, ad tertiam partem legi faciendam obligari, Epiſcopi arbitrio, & conſcientiæ remittitur, *cum nota*. 360.

Presbyteros ſæculares, qui in Eccleſias Parochiales Vallis Meſolcinæ, Miſſionariis expulſis, ſe intruſerunt, ac Laicos ad id concurrentes, excommunicari, reſipiſcentes autem abſolvi &c. ac Miſſionarios in priſtinum reſtitui, Epiſcopo Curienſi committit. *Clemens* XI. 361.

Decreto S. Congr. Epiſc. & Regul. Conſtructio Hoſpitii in loco Demi Bertii ſub nonnullis clauſulis conceditur. 363.

Decreto ejuſdem S. Congreg, pro ampliando Conventu Manerbii petium terræ ad Reverendos PP. Auguſtinianos Brixiæ ſpectans emi, ſeu permutari conceditur. 363.

Nonnulla circa gubernium Provinciæ præſcribit. *Benedictus* XIII. *cum nota*. *ibi*.

Decreto S. Congreg. de Propag. Fide varia Decreta, circa Miſſiones Rhætiæ aliàs emanata, revocantur, & alia confirmantur. 364.

PRO-

PROVINCIA JANUENSIS.

Donationem Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Terræ Finarii, Fratribus ab Epiſcopo factam, Apoſtolica auctoritate confirmat, eandem Eccleſiam, ejuſdemque Domum in Conventum cum omnibus privilegiis erigit. *Sixtus* V. *cum nota*. 367.

Ad Conventum Voraginis à Sæcularium ſubjectione eximendum, quædam terræ petia permutari concedit, ita tamen, ut ſpatium pro via ad Conventum amplianda ſufficiens reſervetur. *Gregorius* XV. 368.

Monaſterium ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Minorum Reformatorum Conventualium in loco Quarti, Fratribus cum omnibus juribus &c. conſignari committit. *Urbanus* VIII. 369.

Domum veterem Portus Mauritii, Sereniſſimæ Reipublicæ concedi, & aliam ibidem conſtrui, Epiſcopo Albinganenſi committit. *Idem*. 371.

Syndicum unum, ad vendendum dictæ Domûs deſtinatum Situm, & alium pro ampliando Viridario Domûs Genuenſis conſtitui, P. Miniſtro Provinciali concedit. *Idem*. *ibi*.

Partem ſitûs Conventûs in loco Voraginis, pro alio æquivalente permutandi, facultatem largitur. *Idem*. 372.

Nonnulla petia terræ, Canoni Capellaniæ Sancti Abenatis Januæ, annuatim ſolvendo obnoxia, pro amplianda Domo, & Horto loci Quarti alienari, & alium perpetuum redditum Canoni prædicto ſubſtitui, Archiepiſcopo &c. ac Præpoſito Januen. committit. *Idem*. *ibi*.

Reliquias ex Eccleſiis Domuum Conceptionis, & S. Barnabæ Januæ extrahi, ſub cenſura, & pœnis prohibet. *Idem*. 374.

Domum loci S. Remi ad opportuniorem ſitum transferri, pro hoc ſitum ad Canonicalem Eccleſiæ Collegiatæ Præbendam ibidem ſpectantem conſignari, & econtra à Syndico Fratrum, terrenum æqualis valoris, ſeu loca montium libera, vel aſſignari, vel recipi, Ordinario loci committit. *Idem*. *ibi*.

Affrancationem terræ petiorum, Domui Quarti incorporatorum, ab Archiepiſcopo, & Archidiacono Januen. confirmari, & aſſignatum alium Canonem ad quemdam Montem Pietatis Almæ Urbis transferri jubet. *Idem*. 375.

Fr. Franciſcum à Janua utraque voce in Capitulis Provincialibus, abſque concurſu ad electionem diſcretalem gaudere, Eumque cum uno ex ſociis ſuis Miniſtro, ac Procuratori Generali duntaxat ſubjectum eſſe, ſancit. *Idem*, *cum nota*. 376.

Pretium antiquæ Domus Fratrum Conventualium Reformatorum Loci Quarti à Sede Apoſtolica Fratribus noſtris conceſſæ, & à Nobili Magdalena Serra emptæ, cum jure Sanctæ Sedi in id competente ad Domum Portus Mauritii transferri, &, econtra dominium Domus (non tamen Eccleſiæ) loci Quarti prædictæ Magdalenæ, ejuſque Hæredibus, ſub conditionibus expreſſis, liberum remanere indulget. *Idem*. 376.

Pro tollenda Domûs Conceptionis Januæ ſervitute, ſitum ad eamdem Domum ſpectantem permutari, Archiepiſcopo, ſeu Præpoſito ibidem committit. *Idem*. 377.

Situm eidem Domui Januæ inutilem Marco Gandulpho, ſub conditione duorum Murorum in utilitatem ejuſdem Domûs à Marco conſtruendorum concedi, Archiepiſcopo, aut Præpoſito ibidem committit, ac concordiam deſuper factam confirmat. *Idem*. 378.

Conceſſionem decem aliorum palmorum de ſitu Domûs Januæ eidem Marco Gandolfo factam, ratihabet. *Idem*. 379.

Situm veterem Domûs loci Pontremuli vendendi licentiam impertitur. *Idem*. *cum nota*. *ibi*.

Ad inſtantias Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & tunc Status Mediolanenſis Ducis decem Domos à Provincia ſeparari, & Provinciæ Mediolanenſi aggregari ratihabet. *Alexander* VII. 381.

Deciſione Rotali, à Capucino ad Religionem Hieroſolymitanam auctoritate Apoſtolica translato legatum annuum, vi Profeſſionis Capucinæ mortuum, recuperari ſancitur. 381.

Monialibus Civitatis Januæ recitationem Officii B. V. Mariæ de Monte Carmelo

melo quotannis concedit; Eas omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis &c. tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis Monialibus ipſius noſtri Ordinis, ſeu de Obſervantia, ſeu Reformatorum, ſeu Conventualium, aut Monialibus juriſdictioni Ordinariorum ſubjectis, conceſſis, vel concedendis gaudere, & uti poſſe declarat; Altare majus in earum Eccleſia pro Defunctis Monialibus ejuſdem Monaſterii, vel earum Conſanguineis, Affinibus uſque ad ſecundum gradum &c. in perpetuum privilegiat; tam viſitantibus Eccleſiam prædictam in feſto Concept. B. Virg. Mariæ Immac. quam ipſis Monialibus in feſto Aſſumpt. ejuſdem B. V. in Capella de Laureto intra clauſtra exiſtente orantibus indulgentiam plenariam impertitur. *Ven. D. S. Innocentius* XI. 383.

Decreto S. Congreg. Concilii, Joanni Baptiſtæ à Corſano, qui in Religione Tertii Ordinis, ut laicus Profeſſionem emiſit, poſt ſuum ad nos tranſitum, ceu Clericum profiteri, indulgetur. 385.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, ad inſtantias Familiæ Lomellinæ tres Sacerdotes cum Fratre laico in Inſula, *Tabarca* nuncupata, manuteneri, & ab his Sacramenta adminiſtrari conceditur. *cum nota*. *ibi*.

Fratribus, à Sereniſſima Republica ad ſpiritualem Triremium directionem aſſumptis, varias facultates largitur, & ad eorum obſequia Laicum deputari, Miniſtro Provinciali imponit. *Clemens* XI. 386.

Decreto S. Congreg. Concilii, Parocho Oppidi Ilicis Quartam funeralem prætenſam non deberi, & retentas propterea ab eo candelas, Fratribus reſtitui ſancitur. 387.

Reſcripto Pontificio Conventus Monferratenſes à Provincia ſcinduntur, & immediatæ P. Miniſtri Generalis juriſdictioni ſubduntur. *ibi*.

Decreto S. Congreg. Epiſcop. & Regul. Jus ſepeliendi cadavera Defunctorum, qui ſepulturam in Eccleſiis noſtris, cum licentia P. Generalis &c. ad requiſitionem Parochi exhibenda elegerunt, Nobis competere confirmatur, & alia circa curam Cadaveris Sacerdotis Camilli Saravalli Parochum inter- & Fratres noſtros Ovadæ ſanciuntur. *ibi*.

Decreto ejuſdem S. Congreg. in Eccleſia Civitatis Plebis ſepultura Jo: Auguſtino Garello Canonico, & Philippo Leureri, cum eorum poſteris conceditur. 388.

PROVINCIA PEDEMONTANA.

Monaſterium, *Abbatia* nuncupatum, & in Commendam Cardinali Vaſtavillano conceſſum, Fratribus pro conſtructione Conventûs in loco Pinaroli permittit. *Gregorius* XIII. 390.

Librum P. Zachariæ Boverii contra opus de Republica Chriſtiana &c. tunc edendum, intra decennium in Urbe, aut Statu Eccleſiaſtico reimprimi inhibet. *Paulus* V. *cum nota*. 391.

Legata pia, à Fr. Joanne à Taurino ante Religionis ingreſſum aſſignata, & ab Hæredibus neglecta, executioni mandari, ad ejuſdem Fr. Joannis inſtantias, Nuntio Apoſtolico committit. *Urbanus* VIII. 392.

Duciſſis à Sabaudia Monaſteria Taurini ingrediendi facultatem largitur. *Idem*. 393.

Decreto S. Congreg. Concilii, in loco Avilianæ, vel Miſſas votivas à Fratribus pro rata eleemoſynæ receptas legi, vel Peregrinantes de non applicatione moneri debere, ſancitur. *ibi*.

Epiſtola S. Congreg. Epiſc. & Regul. Fratres circa quæſtuationem in loco Soſpitelli vexari, aut impediri, Epiſcopo Ventimilienſi inhibetur. *cum nota*. 394.

Conſtitutiones Monialium B. Mariæ de Suffragio Taurini confirmat. *Idem*. 395.

Decretis S. Congreg. Rit. & Concilii, Fratres Eporediæ nonniſi ad Proceſſiones ſolitas, & pro publico bono, & honore indictas accedere teneri ſtatuitur, ita tamen, ut in perſolvendis ſuis Officiis Regularibus non impediantur. *cum nota*. 396.

Decreto S. Congreg. Epiſcop. & Regul. Introductio Monialium ad novum Monaſterium Montis Regalis, Epiſcopo ibi ſub ſolitis clauſulis committitur. 397.

Decreto S. Congregationis Concilii, Tempore Interdicti, cui Oppidum Podivarini ſubjectum erat, Fratribus in

Feſtis

Feſtis Sanctorum Ordinis Privilegia ſuffragari declaratur. *ibi*.

Decreto ejuſdem S.Congreg. ad inſtantias Fratrum Clavaſii Regulares Mendicantes in eleemoſynis, per Dioeceſin, & Loca, in quibus habent Conventus, quærendis non poſſe impediri, & econtra ſolum ad licentiam ſuorum Superiorum. Ordinario exhibendam, in caſu quæſtuationis extra loca Conventuum obligari declarat. *ibi*.

Parocho loci Carrucci ratione Cadaverum Dominorum Comitum de Coſta, ad Fratrum Eccleſiam dicti Loci translatorum, Quartam funeralem non deberi, ſancitur. 398.

Epiſtola S. Congreg. de Propag. Fide Illuſtriſs. Archiepiſcopo Taurinenſi ſcriptâ, ne Fratres Miſſionarii circa facultates à Sancta Sede conceſſas turbentur, nec ad examen pro Confeſſionibus in locis Miſſionum excipiendis, ab Ordinariis vocentur, cavetur, 400.

Reſcripto ejuſdem S. Congreg. Fratres in Miſſionibus Salutiarum manutenentur, & prætenſa ab Illuſtriſs. D. Ordinario facultatum eorum moderatio rejicitur. *cum nota*. *ibi*.

PROVINCIA TUSCIÆ.

A RR. Patribus Sancti Auguſtini Terræ Montis Sancti Sabini nemus, ex quo in hortum noſtræ Domûs ibidem patebat inſpectus, vendi, & alio terræ petio à Communitate ibidem compenſari committit. *Sanctus Pius* V. 404.

Eccleſiam S. Michaelis de *Monte roſſo*, prope Oppidum Peccioli nuncupatum, per modum Capellaniæ, Præpoſituræ S.Amerani ejuſdem Oppidi annexam diſſolvit; eam ſalvis redditibus (ſi qui forent) eidem Præpoſiturę remanſuris, Fratribus concedi indulget; ac Fratres eoſdem omnibus privilegiis, & indulgentiis, aliis Ordinis Eccleſiis conceſſis, & concedendis in ea frui, & gaudere &c. declarat. *Gregor.* XIII. 405.

Altare Capellæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ in loco Montis Ugorum, pro Fratribus Ordinis ita privilegiat, ac ſi Miſſæ in Altari Beati Gregorii de Urbe dicerentur. *Idem*. 406.

Idem Privilegium ad Altare Annuntiationis ejuſdem B. Mariæ Virginis in noviter reparata Capella ejuſdem Eccleſiæ transfert. *Clemens* VIII. 407.

Inſtrumentum Franciſci Cardin. Tauruſii, Archiepiſcopi Senenſis, de Eccleſia S. Ægidii, Paſſitheæ, & Monialibus pro Monaſterio conceſſa, de Capellania in ea cum Miſſa perpetua fundata; de Dote eidem appropriata, ac illius cum Archipreſbyteratu unione confirmat, & Moniales ſub juriſdictione Ordinarii omnibus Ordinis privilegiis gaudere debere ſancit. *Idem*. 407.

Fabricam earumdem Monialium in Monaſterium ſub invocatione S. Joannis Baptiſtæ, ac prima Regula S.Claræ erigi; Moniales uſque ad numerum 40. admitti; ac à Fratribus noſtris, quoad ſpiritualia, gubernari indulget. *Paulus* V. 411.

Sacras Reliquias extra Eccleſiam earumdem Monialium extrahi interdicit. *Idem*. *ibi*.

Monaſterium Monialium in Terra S. Floræ ab Eleonora Urſina Sfortia Duciſſa Segniæ &c. fundatum, ſub prima S.Claræ Regula, perpetua clauſura, & juriſdictione Ordinarii loci inſtitui; eidem legata, & dona tam ejuſdem Eleonoræ Duciſſæ, quàm Communitatis ibidem appropriari; à Monialibus numerariis 200. & à ſupernumerariis 400. ſcuta pendi &c. Epiſcopo Caſtri Plebis committit. *Idem*. 412.

Partem pii Legati, à Fr. Ægidio à Pitiliano facti, ad hujus inſtantias relaxat, & ab illius onere Hæredem pauperem liberat. *Gregorius* XV. 414.

Duas Domunculas Fratribus Oppidi Sancti Stephani pro Conventus ampliatione relictas vendi, & pretium inde redactum in novæ fabricæ ſubſidium converti concedit. *Urbanus* VIII. *cum nota*. 415.

Varia Monaſterii Monialium Terræ Sanctæ Floræ bona minus fructifera vendi, ac ex pretio alia bona ſtabilia melioris conditionis emi, Epiſcopo loci &c. committit. *Idem*. 416.

Eccleſiam veteris Domûs in Civitate Collenſis ad uſus prophanos reduci, & pretium ex ædificio veteri vendito redactum, ad novæ fabricæ ſumptus converti, Epiſcopo loci mandat. *Idem. cum nota.* 417.

Veterem Domum extra muros, Civitati Senenſi durante contagio pro *Lazaretto* concedi indulget. *Idem.* 418.

Situm terræ, muro horti Conventûs Radicophari contiguum, per Syndicum vendi, & pretium inde redactum pro perfectione fabricæ Conventûs ibidem applicari concedit. *Idem.* 419.

Donationem ſitûs ad menſam Epiſcopi Pientin. ſpectantis Conventui Terræ Sancti Quirici factam confirmat. *Idem. ibi.*

A Fratribus Conventûs Terræ Puppii, Officia Defunctorum, ad quæ perſolvenda ex pio Legato tenebantur, anticipari indulget. *Idem.* 420.

Dimiſſam extra muros Civitatis Senarum noſtram Domum cum horto, & ſylva Patribus Camaldulenſibus donat. *Alexander* VII. *ibi.*

Fr. Angelum à Figline, Aſiaticæ Iberiæ Miſſionarium, ſibi commendatum, benignè exceptum, ejuſdemque poſtulatis conſenſiſſe, Magno Hetruriæ Duci reponit. *Ven. D. S. Innocentius* XI. *cum nota.* 422.

Fr. Franciſcum Mariam ab Aretio, ad munus Apoſtolici Concionatoris, ex antiqua virtutis, & zeli fama electum fuiſſe, Eidem Magno Hetruriæ Duci Coſimo ſignificat. *Innocentius* XII. 423.

Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, Monaſterium Monialium ſub titulo, & invocatione SS. Nominis Jeſu, Joſephi, & Mariæ, ac ſub ſtrictiori Regula, & primævo inſtituto Sanctæ Claræ, cura verò, & gubernio Archiepiſcopi, Florentiæ fundari conceditur. *ibi.*

PROVINCIA CORSICÆ.

Epiſtola S. Congreg. Epiſcop. & Regul. In Cauſa Hoſpitii, à RR. PP. Reformatis Baſtiæ conſtruendi datus Ordinis noſtri conſenſus, variis cautelis circumſcribitur. *cum nota.* 425.

Epiſtola ejuſdem S. Congregat. Fratres charitati, ac benevolentiæ Ordinarii Alerienſis commendantur. *ibi.*

Domum, & Eccleſiam S. Joſephi à Fratribus ob aeris intemperiem deſeri, pro nova Domo conſtruenda iis Eccleſiam Sancti Petri ibidem conſignari, & ab hac onera ad Eccleſiam Parochialem Sancti Joannis transferri &c. ſignat: *Urbanus* VIII. *ibi.*

Epiſtola S. Congreg. Epiſc. & Regul. In Civitate Adjacii Conventum erigi, Epiſcopo ibidem committitur. 426.

Epiſtola ejuſdem S. Congreg. Erectionem novi Conventus Curiæ permitti, Epiſcopo Aleriæ pariter mandatur. 427.

Duas Domos, unam videlicet in Terra de Fozzano, & aliam in Terra de Ragliano conſtruendi facultatem largitur. *Clemens* X. *cum nota.* *ibi.*

Decretum S. Congr. Epiſc. & Regular. quo in Inſula Corſicæ novas Domos abſque duodecim milliariorum diſtantia, à RR. PP. Obſervantibus, Reformatis, & à Noſtratibus fundari prohibetur, confirmat. *Idem.* 428.

Decreto S. Congr. Epiſc. & Regul. In quæſtuatione limites Conventuum egredi prohibetur. *cum nota.* *ibi.*

Decreto Ejuſdem S. Congr. novam Domum Olmetti erigi, & Fratres in illam induci, Epiſcopo loci committitur. 428.

Bello, aliiſque circumſtantiis celebrationem Capituli impedientibus, motu proprio Superiores Provinciæ inſtituit. *Clemens* XII. 429.

MO-

MONUMENTA APOSTOLICA,

Vel omnes Italiæ, ac Inſularum adjacentium, vel ſolius Statûs Eccleſiaſtici Provincias concernentia.

APOSTOLICO DOCUMENTO
SEU
MEDIATO VIVÆ VOCIS ORACULO

Ex quibuſcumque locis eleemoſynas extrahi, & ad Conventus liberè, & ſine conſcientiæ ſcrupulo convehi conceditur.

HENRICUS

Miſeratione Divina tit. S. Pudentiæ Presbyter Card. Cajetanus S. R. E. Camerarius.

Ven. Fratribus Religioſis Capucinis nuncupatis, totique Veſtræ Congregationi ſalutem in Domino.

RELIGIONIS Zelus, ac Fidei Conſtantia, ſynceræque devotionis affectus, quibus vos in Apoſtolicæ Sedis conſpectu præditos eſſe novimus, Nos inducunt, ut commodis, & neceſſitatibus veſtris, quantùm cum Deo poſſumus, favorabiliter attendamus. Itaque veſtris in hac parte Nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, de mandato S. D. N. Papæ, vivæ vocis Oraculo Nobis facto, & auctoritate Noſtri Camerariatûs Officii, Vobis, ut per quoſcumque Agentes, Factores, Famulos, Miniſtros veſtros, præſentium Oſtenſores, quamcumque Panis, Vini, Olei, Caſtanearum, Leguminum, ac aliorum, victui veſtro neceſſariorum quantitatem, quæ vobis ubique locorum, tam in Statu Eccleſiaſtico, quàm extra illum in eleemoſynam pro veſtro omnium victu, & uſu conceſſa, tradita, data, & donata fuerint, cujuſvis quantitatis ſint, unâ, ſeu pluribus extractionibus ex quibuſcumque Civitatibus, Terris, Oppidis, locis, & Territoriis, in quibus eleemoſyna hujuſmodi Vobis elargita fuerit, extrahere, & ad quæcumque loca, ſeu Conventus Congregationi, ſeu Religioni Veſtræ ſubjecta, ubicunque ſita, in eorum victum, & uſum convehere, & comportare liberè, & licitè, etiam abſque Conſcientiæ Scrupulo poſitis, & valeatis, tenore præſentium, licentiam indulgemus, ac facultatem, & auctoritatem, perpetuò duraturam concedimus, & impertimur. Enixè propterea in Domino hortantes, ac rogantes omnes, & ſingulos Dominos Illuſtriſſimos Cardinales, Sedis Apoſtolicæ de latere Legatos, alioſque temporales Principes, quatenus pia erga Sedem Apoſtolicam devotione, vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, Vobis, veſtriſque prædictis in tranſportatione, & extractione eleemoſynarum hujuſmodi faveant, & opitulentur, ac auxilium, conſilium, & favorem præſtent: cæteriſque verò omnibus, & ſingulis, Magiſtratibus, Officialibus, & Miniſtris Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubjectis, aliiſque, ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit quomodolibet in futurum, earundem tenore præſentium ſtrictè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne ſub S. D. N. PP., ac Noſtræ indignationis, necnon mille ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ inferendorum, aliiſque arbitrii Noſtri pœnis, Vos, ſeu

ſeu Veſtros prædictos, aliqua ex dicta eleemoſyna Vobis, ut præfertur, tradita & conceſſa, & Provinciis, Civitatibus, Terris, Caſtris, & locis extrahentes, & ad veſtros Conventus, & loca, in quibus reſpectivè Vitam Religioſam ducentes habitaveritis, etiamſi extractio hujuſmodi ex Statu Eccleſiaſtico, ad alia ipſi Statui Eccleſiaſtico non ſubjecta loca, ſeu aliàs, prout neceſſitas exegerit, fieri contigerit, contra præſentium noſtrarum literarum formam, continentiam, & tenorem, quoquo modo impedire, moleſtare, vexare, perturbare, aut remorari audeant, ſeu præſumant, ſeu eorum aliquis audeat, vel præſumat: alioquin &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ in Camera Apoſt. die VI. menſis Septembris MDXCI. Pontificatus S. D. N. Gregorii PP. XIV. Anno Primo.

Henricus Card. Cajetanus.

A. Martini.

Exemplar Authenticum in Archivo Generali Ordinis, Armario Bulla, Brevia, *& in Boverio Tom. 2. fol. 954.*

N O T A.

QUantumvis noſtræ Religionis exemptio à Gabellis, Pedagiis, Datiis, Vectigalibus, Guidaciis &c. munimine Juris Canonici (*a*) Civilis (*b*) diverſorum Conciliorum, præſertim Tridentini (*c*) & plurium Apoſtolicarum Conſtitutionum, quas Ordo noſter cum aliis Religioſis Ordinibus habet communes, & quas in Tomo, Bullas communes continente, per extenſum, & in Indice generali totius Operis ſuccinctè videre erit, validè ſit ſuffulta, videaturque fluere ex naturali dictamine, quod Ordo, qui nec in communi, nec in particulari quid poſſidet, ex puris alitur eleemoſynis cum ſimplice uſu facti duntaxat, & Perſonam, eleemoſynas pro ſuis indigentiis futuris aſſervantem non admittit, ad ſolvenda hujuſmodi onera non poſſit obligari, præſertim dum talia, obſervantiam regulæ ſine gloſſa, & ad litteram reddunt impoſſibilem, nihilominus in præmium ſinceræ devotionis, qua Religio noſtra in primo ſuo ortu erga Apoſtolicam Sedem ferebatur, ſuprapoſito Documento ſpecialiter fuit firmata, & data generalis facultas *quamcunque panis, vini, olei &c. quantitatem ex quibuſcunque Civitatibus, Terris, Oppidis, locis, & Territoriis* primo *liberè & licitè*, ſecundo *etiam abſque ſcrupulo conſcientiæ extrahendi.*

(a) Cap. non minus. Cap. adverſus de Immunitate Eccleſ. Cap. Quamquam de Cenſibus, & Cap. fin. de Vita, & beneſt. Clericorum.
(b) Leg. Sancimus. Cod. de Sacroſan. Eccl. & auth item nulla. Cod. de Epiſ.
(c) Seſſ. 25. cap. 8.

Dicitur primò *liberè & licitè*, id eſt, ſine ullo gabellæ onere. Non ſemel quidem à Dohanarum, aut Rev. Cameræ Apoſtolicæ Miniſtris, qui vel muneris ſui lucro nimis avidè inhiabant, vel privilegio Religionis generali, & ſpeciali, nimis timidi derogatum fuiſſe, autumabant, exemptio prædicta *circa vinum, carnes, fœnum, paleam, lanam, & chartam, ſeu papyrum* fuit impetita; facto autem ad Curiæ Tribunalia recurſu, vel porrectis precibus, veritas & juſtitia ſemper ſibi obviaverunt, & dum veritas exemptionis, Subſidium juſtitiæ requiſivit, juſtitia veritatem, novo juris adminiculo communivit, prout Documenta, circa caſus ſpecificos hic ſubjungenda docent.

Exemptio circa vinum, fœnum &c.

Conſtitutione Alexandri VII. Anno 1667. emanatâ, à Mendicantibus cujuſvis generis gabellas ſuper quolibet Cado vini, & reſpectivè fœno & palea impoſitas ſolvi, fuit ordinatum, at immunis ab hoc onere, ac in dicta Conſtitutione non comprehenſa declarabatur noſtra Religio, judiciali ſententia Theſaurarii Generalis Cameræ ſequente.

B O N A C C U R S I U S   B O N A C C U R S I U S

Prothonotarius Apoſtolicus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Theſaurarius.

DOminis Antonio Scariono, Joanni Baptiſtæ Bullæ, & Joanni de Bartholomeis Aſſictuariis, & Appaltatoribus Gabellarum bononenorum quinque ſuper quocunque Cado Vini, & ſuper quacunque Salma Fœni, & bononenorum duorum cum dimidio ſuper quavis ſalma Paleæ, introducen. in Urbem, ac quibuſcuuque aliis dictæ Almæ Urbis, Provinciæque Romanæ Dohaneriis, Gabellariis, eorumque Miniſtris, Executoribus, & Commiſſariis quibuſcumque, Pontiumque, & Portarum Cuſtodibus, nec non omnibus, & ſingulis dictæ Almæ Urbis, ac Provinciæ Romanæ prædictæ DD. Judicibus quibuſcunque Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, Commiſſariis, Ordinariis, & Subdelegatis quacunque auctoritate fungentibus, ac futuris, Baroncellis quoque, Exequutoribus, Subexequutoribus, cæteriſque Juſtitiæ Miniſtris, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet in futurum, illique, vel illis, ad quem, ſeu quos præſentes noſtræ pervenerint, ſeu aliàs quomodolibet oſtenſæ, vel præſentatæ fuerint ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis, NOVERITIS, quod introducta coram Nobis lite, & cauſa inter Reverendos Patres Minores de Obſervantia Sancti Franciſci, in Conventu S. Mariæ de Aracœli Urbis Actores, & RR. Patres Capucinos in Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe, ac RR. Patres Minores de Obſervantia, ac Reformatos Sancti Franciſci Provinciæ Romanæ admiſſos ad cauſam ex una, & Reverendiſſimum Dominum Jacobum Elephantutium Sanctiſs. Dom. Noſtri Papæ, ejuſque Rev. Cam. Apoſtolicæ Commiſſarium Generalem, ac dictos Dominos Antonium Scarionum, Joannem Baptiſtam Bullam, & Joannem de Bartholomeis Aſſictuarios, & Appaltatores prædictos de, & ſuper exemptione à ſolutione dictarum Gabellarum, rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſarum hujuſmodi latius deductis, & illarum occaſione partibus ex altera,

in qua quidem cauſa ad varios, & diverſos actus deventum, tandem ſervatis de jure ſervandis noſtram diffinitivam tulimus ſententiam hujuſmodi ſub tenore videlicet:

CHRISTI NOMINE INVOCATO, Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juris peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in cauſa, & cauſis, quæ coram Nobis in prima, ſeu alia veriori verſæ fuerunt, & vertuntur, inſtantiis inter Reverendos Patres Minores de Obſervantia Sancti Franciſci in Conventu Sanctæ Mariæ de Aracœli Urbis, Actores, & Reverendos Patres Capucinos in Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe, ac Reverendos Patres Minores de Obſervantia, ac Reformatos Sancti Franciſci Provinciæ Romanæ admiſſos ad cauſam ex una, & Reverendiſſimum Dominum Jacobum Elephantutium Sanctiſſimi Domini Noſtri, ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarium Generalem, & Dominos Antonium Scarionum, Joannem Baptiſtam Bullam, & Joannem de Bartholomeis Affictuarios, & Appaltatores Gabellarum bononenorum quinque ſuper quocunque Cado Vini, & ſuper quacunque Salma Fœni, ac bononenorum duorum cum dimidio ſuper quavis Salma Paleæ introducen. in Urbem, Reos conventos, Partibus ex altera, de, & ſuper exemptione à ſolutione dictarum Gabellarum, rebuſque aliis &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, dictos Reverendos Patres Minores de Obſervantia, ac Reformatos, & Capucinos, tanqnam ſingulariter profitentes voto ſolemni altiſſimam paupertatem, & nihil, nec in communi, nec in particulari poſſidentes, ſed ex Piorum eleemoſynis viventes fore, & eſſe ſingulariter exemptos, & exceptuatos à ſolutione prædictarum Gabellarum, ipſoſque non eſſe comprehenſos in illarum conſtitutione, nec in impoſitione, obligationemque, injunctam omnibus Mendicantibus cujuſvis generis ſolvendi Gabellas prædictas, Patres Minores Obſervantes, Reformatos, & Capucinos non comprehendere, nec afficere, & propterea ipſos nullo modo teneri, neque eſſe obligatos ad prætenſam ſolutionem earundem Gabellarum, & pro iis nunquam moleſtari poſſe, aut debere volumus, & mandamus, nec non quaſcunque obligationes, & fidejuſſiones per Syndicum Apoſtolicum, vel aliam quamcunque perſonam pro ſupradictis Obſervantibus, Reformatis, & Capucinis occaſione ſupradictarum Gabellarum Vini, Fœni, & Paleæ, quomodolibet factas, & præſtitas abolendas, & caſſandas fore, & eſſe, prout abolemus, & caſſamus, ac pro caſſis, & aboletis haberi, ideoque prædictos Religioſos in altiſſima paupertate viventes ab illis abſolvendos fore, & eſſe, prout abſolvimus, & liberamus, dictiſque Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Reverendæ Cameræ, & Gabellariis nullum Jus, nullamque actionem ſuper præmiſſis modo aliquo competiiſſe, aut competere, nec fore competiturum; Ideoque perpetuum ſilentium eiſdem imponendum fore, & eſſe, prout imponimus, & pro impoſito haberi volumus, & mandamus; Et inſuper inhibemus prædictis Domino Commiſſario Cameræ, & Gabellariis, & cuilibet eorum in ſolidum; ut pro præfatis Gabellis, ac dicta obligatione, ſeu fidejuſſione dictos Reverendos Patres, eorumque Syndicum, nec aliquam perſonam pro ipſis Agentem nunquam moleſtent, ſeu moleſtari faciant ſub quovis prætextu. Reſervantes tamen dictis Gabellariis Jura talia qualia, & ſi quæ, & quatenus &c. & prout de Jure competunt, contra quos de Jure agendi ad relevationem quatenus &c. & non alias &c. Victoſque Victoribus in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de Jure impoſterum, reſervamus, quatenus huic ſententiæ non acquieſcant, quatenus verò acquieſcant, ab expenſis abſolvimus, & liberamus. Et ita ſingula ſingulis congruè referendo, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, non ſolum &c. ſed omni &c. Ita pronunciavi Ego Anibal Simonettus Auditor. Subſequenterque comparuit coram Nobis admodum Reverendus Pater Frater Franciſcus à Palumbaria olim Guardianus ſupradicti Venerabilis Conventus, & nunc Almæ Provinciæ Romanæ Vicarius Provincialis, ac petiit, & inſtetit præinſertam ſententiam, omniaque, & ſingula in eo contenta, & expreſſa quæcunque, ad quos ſpectat, obſervari, & mandatum de obſervando eiſdem omnibus Patribus ſupradictis concedere, & decernere dignaremur. Nos itaque attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, Mandatum de obſervando, ut infra, concedendum fore, & eſſe duximus, prout conceſſimus, & concedimus per præſentes. Quocirca auctoritate noſtri Theſaurariatûs officii Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ne ſub mille ducatorum Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & pro illis mandati exequutivi, & in juris ſubſidium excommunicationis, ac trium ictuum funis publicè infligendorum, & mandati de capiendo reſpectivè, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore, & ex parte omnium ſupradictorum Reverendorum Patrum fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus, noſtraque, imo veriùs Apoſtolica auctoritate, præinſertam ſententiam, omniaque, & ſingula in ea contenta, & expreſſa quæcunque, eiſdem omnibus ſupradictis Reverendis Patribus, & cuilibet eorum inviolabiliter, & ad unguem obſervetis, & adimpleatis, ac omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum obſervari, & adimpleri mandetis, & faciatis in omnibus, & per omnia, prout in eadem præinſerta ſententia continetur. Non permittentes eoſdem Reverendos Patres Inſtantes; & quemlibet eorum contra formam, & tenorem dictæ præinſertæ ſententiæ à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, ſeu impediri ſub quovis prætextu, cauſa, capite, ingenio, vel quæſito colore. Alioquin contra inobedientes, & præmiſſis non parentes ad ſupradictarum pœnarum incurſus declarationem, & omnimodam exequutionem procedemus, juſtitia mediante, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. In quorum omnium, & ſingulorum fidem has præſentes fieri, & per infraſcriptum noſtrum, & Cameræ Apoſtolicæ Notarium ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ ex Ædibus noſtris hac die XXVIII. Martii MDCLXVII. Indictione quinta. Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Alexandri divina providentia Papæ Septimi Anno ejus duodecimo.

B. Bonaccurſius Theſ. gener.

Franciſcus Antamorus.

Loco ✠ ſigilli.

Exemptio quoad carnem.

Dum anno 1686. circa Carnem, ejuſdem aſportationem, tranſitationem, & introductionem Conventus noſter Viterbii ab Appaltatoribus moleſtiùs jactabatur, & ſolutio gabellæ quatrini fortiter exigebatur, poſſeſsio noſtri privilegii contra vexas fuit vindicata *primò* per Sententiam anno 1662. in plena Camera emanatam, & *ſecundò* à Cardinale ab Alteriis cl.mem. S.R.E. Camerario, ſeu à b. m. Joſepho de Aſte, tunc R.C.A. Clerico, intercedente Sanctiſſimi vivæ vocis Oraculo, per ſpeciale, & ſequens Monitorium.

P A U L U T I U S

Tituli Baſilicæ Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis de Alteriis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis, quibuſcunque, illique, vel illis, ad quem, ſeu quos præſentes noſtræ pervenerint, aut aliàs quomodolibet oſtenſæ, vel præſentatæ fuerint, ſalutem in Domino. NOVERITIS, quod in plena Camera Apoſtolica ſub die 24. menſis Novembris proximè præteriti ex parte, & ad inſtantiam Ven. Conventus, & RR. PP. Sanctæ Mariæ de Aracœli, omniumque aliorum Conventuum Religionis Minor. Obſer. Sancti Franciſci, tam contra Dohanerios Urbis, quàm omnes alios Appaltatores Gabellæ Carnis aliorum quorumvis locorum, fuerit in plena Camera Apoſtolica confecta infraſcripta propoſitio, videlicet Committi D. de Aſte, cui aliàs, & ſub die 14. Octobris 1686. fuit commiſſa Cauſa ex parte, & ad inſtantiam RR. PP. Capucinorum Civitatis Viterbii, & ſub die 10. Octobris proximè præteriti ad inſtantiam Ven. Conventus, & PP. Sancti Franciſci Minor. Obſer. Matelicæ contra Appaltatores dictorum locorum ſuper exemptione dictorum PP. tanquam de Ordine Mendicantium Sancti Franciſci competente à prætenſa ſolutione Gabellæ quatreni Carnis, & reſpectivè Carnium aliis in locis recipien. aſportationem ad dictam Civitatem, nec non etiam ſuper obſervatione ſententiæ per bon. mem. Salviatum de voto plenæ Cameræ ſub die 16. Januarii 1662. ſuper hujuſmodi exemptione per acta Monini, tunc Cameræ Apoſtolicæ Notarii latæ favore RR. PP. Sancti Antonii in Monte Reatis Ordinis Sancti Franciſci Strictioris Obſervan. hujuſmodi cauſam cum clauſula, quam, & quas, & inhiberi, ac cum facultate ſuper præmiſſis concedendi Monitorium cum inhibitione, favore ſupradictorum PP. S. Mariæ de Aracœli, & aliorum Conventuum contra dictos Dohanerios, & Appaltatores Urbis, ac aliis facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, à qua plena Camera reſcriptum fuerit ad Dom. de Aſte, qui Monitorium cum inhibitione in Curia, & extrà ſuper exemptione à ſolutione Gabellæ quatreni Carnis, ac reſpectivè obſervatione ſententiæ per dictum Salviatum latæ, cujus tenor talis eſt, ut ſequitur videlicet. CHRISTI NOMINE INVOCATO pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de DD. Cameræ Apoſtolicæ Conclericorum Præſidentium voto pariter, & aſſenſu ferimus in his ſcriptis in cauſa, & cauſis, quæ primò in prima coram D. Theſaurario Generali, & ſecundò in ſecunda, ſeu alia veriori inſtantiis coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inter D. Joannem Palumbum Procuratorem Ordinis Min. Strictioris Obſervantiæ nomine Conventûs nuncupati S. Antonii de Monte Civitatis Reatis S. Franciſci, Fratrumque dicti Ordinis actorem, & appellantem ex una, & DD. Lauretum Angelottum, Joſephum Flavium, & alios Appaltatores Gabellæ quatreni Carnis in dicta Civitate Reatis, & litis Conſortes reos Conventos, & appellatos, partibus ex altera, ſuper exemptione à prætenſa ſolutione dictæ Gabellæ quatreni Carnis, & reſpectivè Carnium aliis in locis recipien., aſportatione, rebuſque aliis &c. Viſis videndis dicimus, pronunciamus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, bene fuiſſe pro parte dictorum Conventûs, & Fratrum de nullitate dictum, & appellatum adverſus ſententiam ſecunda vice latam per dictum Theſaurarium, ſive ejus Auditorem ſub die 11. Martii 1661. ad favorem dictorum Gabellariorum, & litis Conſortium, ac nulliter, & malè dictum Dom. Theſaurarium, ſive ejus Auditorem dicta die 11. Martii 1661. pronunciaſſe, & revocaſſe alteram ſuam ſententiam, prima vice 11. Januarii 1661. ritè, & rectè latam, ad favorem dictorum Conventûs, & Fratrum, & propterea, dicto ſecundo loco latam ſub die 11. Martii ſententiam nullam, & invalidam declarandam fore, & eſſe, & quatenus opus ſit, annullandam, revocandam, & infirmandam, prout declaramus, annullamus, revocamus, & infirmamus; moleſtationes autem, vexationes, jactationes, & impedimenta per dictos Gabellarios, & litis Conſortes quomodolibet ſuper ſolutione dictæ Gabellæ Carnis, & Carnium ubique recipien. aſportatione præfatis Conventui, & Fratribus illatas, præſtitas, & comminatas, illata, præſtita, & comminata fuiſſe, & eſſe illicitas, indebitas, & de facto præſumptas, illicita, indebita & præſumpta: prout tales, & talia declaramus, & ſuper præmiſſis dictis Gabellariis, & litis Conſortibus perpetuum ſilentium imponen. fore, & eſſe, prout imponimus, victoſque victoribus in expenſis in cauſa factis, nec non damnis, & intereſſe condemnandos fore, & eſſe, prout condemnamus; illarum tamen taxationem, & eorum liquidationem Nobis, vel cui de Jure impoſterùm reſervando, & pro præmiſſis omnibus, & ſingulis quæcunque mandata quomodolibet neceſſaria, & opportuna decernen. fore, & eſſe, prout decernimus, & relaxamus, & ita dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, volumus, atque mandamus non ſolùm iſto &c. ſed etiam omni alio meliori modo &c. Ita pronunciavi Ego Laurentius Salviatus Cameræ Apoſtolicæ Clericus, & Judex, concederet. NUPER verò fuiſſe coram nobis, & eodem Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Joſeph de Aſte Judice infraſcripto ex parte, & ad inſtantiam præfatorum Ven. Conventus, & PP. S. Mariæ de Aracœli, omniumque aliorum Conventuum Regul. Min. Obſer. S. Franciſci omni meliori modo &c. principalium comparitum, & debita cum inſtantia poſtulatum, quatenus Monitorium ſuper antedicta exemptione, & præinſertæ ſententiæ obſervatione cum inhibitione eiſdem concedere velle dignaremur. Nos itaque, ac præfatus Illuſtr. Dom. de Aſte attendentes petitionem hujuſmodi eſſe juſtam, rationique conſonam, juſtaque petenti non eſſe denegandum aſſenſum, Monitorium petitum cum inhibitione, ut infra, conceden. fore, & eſſe, prout idem Illuſtriſſimus Dom. de Aſte Judex ad formam præinſerti Decreti Cameræ, & ſententiæ reſpectivè conceſſit, & nos concedimus per præſentes. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Dom. Noſtri Papæ vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri Camerariatûs Officii Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, ac poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter

ve-

veſtrûm fuerit requiſitus, ex parte noſtra, imò veriùs, Apoſtolica auctoritate moneatis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, & mandetis, prout Nos, & idem Illuſtriſſimus Dom. de Aſte Judex per præſentes monemus, & requirimus Illuſtriſſimos Dominos Marchionem Philippum, & Antonium de Nerlis, ac Jo: Franciſcum Fantonum, Almæ Urbis Dohanerios Generales, omneſque alios Appaltatores, aliorum quorumvis locorum, ac in executione præſentium nominandos, & cognominandos, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, trinaque monitione Canonica Nos aſſignamus, & Vos aſſignetis eiſdem, ne ſub mille ducatorum auri Rev. Cameræ Apoſtolicæ applican., & pro illis mandati executivi ac in Juris ſubſidium, quatenus opus ſit, excommunicationis, aliiſque &c. arbitrio dicti Dom. de Aſte Judicis, pœnis infligendis debeant, & quilibet ipſorum debeat, præfatos inſtantes vigore privilegiorum, eiſdem conceſſorum, à ſolutione gabellæ quatreni Carnis, ac reſpectivè Carnium aliis in locis recipien. introductione, tranſitatione, & aſportatione ad hanc Almam Urbem, ſive ad quoſcumque Conventus dictæ Religionis ubique locorum exiſtentes, liberos, & exemptos, feciſſe, ac præinſertam ſententiam ſuper præmiſſis latam, etiam favore prædictorum Inſtantium, ac de verbo ad verbum attendiſſe, obſervaſſe, & debitæ, omnimodæque ac plenariæ executioni demandaſſe, & demandari feciſſe, nec non ab omnibus, & ſingulis jactationibus, moleſtationibus, perturbationibus, & impedimentis eiſdem Ven. Conventui, & PP. S. Mariæ de Aracœli, omnibuſque aliis Conventibus Relig. Minor. Obſer. Sancti Franciſci inſtantibus, de, & ſuper præmiſſis, illorumque Cauſa, & occaſione hactenus illatis, ſeu inferri comminatis, dandiſque, & inſerendis in futurum, ceſſaſſe, receſſiſſe, deſtitiſſe, ac ſe ſe omnino abſtinuiſſe aliàs per nos, & Illuſtriſſimum Dom. de Aſte Judicem a jactationibus &c. ceſſari, inſtantes à ſolutione dictæ gabellæ liberos, & exemptos declarari, præinſertamque ſententiam, etiam favore inſtantium obſervari, ac debitæ executioni demandari, expenſaſque, damna, & intereſſe paſſa, & patienda, ac taxanda, & liquidanda refici, mandari, & mandata quæcunque de obſervando executiva, & alia deſuper neceſſaria decerni, concedi, relaxari, decreta, ſententias, aliaſque, & alia fieri, ferri, & promulgari, jus, & juſtitiam miniſtrari, nobileque officium Judicis, & beneficium Juris eiſdem Inſtantibus, qui deducunt omne Jus, omnemque actionem, &c. interponendo, & implorando vidiſſe, & audiviſſe, & præſentibus omnino paruiſſe alioquin, &c. inſuper inhibeatis, & inhibendo expreſsè præcipiatis, & mandetis, prout Nos, & præfatus Illuſtriſſimus Dom. de Aſte Judex, inhibemus, & inhibendo expreſsè præcipimus, & mandamus ſupradictis omnibus, & ſingulis DD. Dohaneriis, & Appaltatoribus, eorumque Officialibus, & Miniſtris, ne ſub antedictis pœnis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat præfatos Inſtantes pro ſolutione dictæ Gabellæ moleſtare, vexare, & perturbare, ac moleſtari, &c. facere, ſeu fieri permittere, nec quidquam aliud contra formam, & tenorem ſupra præinſerti Decreti Cameræ, & ſententiæ reſpectivè innovare, ſeu attentare, innovatumve forſan, & attentatum ulterius proſequi, mediare, terminare & finire per ſeſe, vel per alium, ſeu alios quovis ſub prætextu, &c. & nihilominus, ſi quis, &c. compareat, &c. in quorum fidem, &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolica hac die IX. Decembris MDCXXXVII.

Joſeph de Aſte Cameræ Apoſtolicæ Clericus, & Judex.

Franciſcus Antamorus Rev. Cam. Apoſt. Secretarius.

Loco ✠ ſigilli.

Regiſtr. in libro Diverſorum Eminen. Card. Camerarii fol. 97.

Monitorio hoc non obſtante, dum Anno 1708. Chirographo à Sanctiſſimo ſubſcripto, omnes Perſonæ cujuſcunque Statûs, & gradûs, *etiam Mendicantes Strictiſſimæ Mendicitatis*, ad ſolutionem, ſeu gabellam duorum quatrenorum pro Carne obſtringebantur, concuſſum exinde Ordinis privilegium Appaltatores exiſtimantes, importunè dictos quatrenos à Fratribus exigebant, uſque dum Eminentiſs. Cardinalis Spinula, S. R. E. Camerarius, de mandato Sanctiſsimi, Religioſos Mendicantes ſtrictiſſimæ Mendicitatis, id eſt, *nullum bonorum genus, nec in communi poſſidentes*, dicto Chirographo non affici, per litteras Encyclicas, inferiùs apponendas, & incip. *Cum Sanctiſſimo* declaravit.

Ita autem ſucceſsivè tenor hujus Edicti repeſcebat, ut Appaltatores contravenientes Anno 1715. medio pœnæ corporalis ad exactiorem illius obſervantjam fuerint compulſi.

Fratres econtra ita ſtrictè ei inhærebant, ut vigore illius, ſe quoque à ſolutione gabellæ Carnis pro ea quantitate, quæ in publicis macellis, ab ipſis Fratribus, vel ſub eorum nomine emitur, exemptos eſſe prætenderent. Et quamvis hujuſmodi gratia, Conventui noſtro Anconitano, per benigniſsimum Bened. XIII. Reſcriptum, inter Bullas Provinciæ Marchiæ inveniendum, conceſſa ſit, Sententia tamen ab Eminentiſsimo Cardinale Camerario Anno 1716. contra Nos lata, ſenſum interpretationis, intentioni Pontificiæ diſſonum fuiſſe docuit: Sententiam hanc cum Statuto pœnæ corporalis continet Decretum Eminentiſsimi Cardinalis Camerarii ſupra citatum, & hîc ſubjunctum:

JOANNES BAPTISTA SPINULA

Presbyter Cardinalis S. Cæſarei S. R. E. Camerarius.

U*Niverſis, & ſingulis DD. quarumcunque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Villarum, Oppidorum, & aliorum quorumcunque locorum S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectorum, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Gubernatoribus, Locumtenentibus, Auditoribus, Poteſtatibus, Vicariis, & aliis Judicibus quibuſcunque Eccleſiaſticis, & Secularibus, Commiſſariis, Ordinariis, Delegatis, & Subdelegatis quacunque*

que Authoritate fungentibus, & functuris, Baroncellis quoque, Executoribus, Subexecutoribus, cæteriſque Juſtitiæ Miniſtris, illique, vel illis, ac cui, ſeu quibus præſentes Noſtræ pervenerint, vel aliàs quomodolibet præſentatæ fuerint, ſalutem &c. NOVERITIS, quod infraſcripta die comparuit coram Nobis in Camera Apoſtolica D. Jo: Baptiſta Campagiornus, Procurator Illuſtriſſimi D. Petri Franciſci Berardi Appaltatoris Generalis Gabellæ duorum quatrenorum pro qualibet libra Carnis Provinciæ Marchiæ, & expoſuit uſque, & de Anno 1708. ſub die 20. Octobris pro parte Religioſorum Mendicantium, arctiſſimam paupertatem profitentium juxta reſolutiones Sac. Congregationis OEconomicæ, & de Mandato Sanctiſſimi, impetratas fuiſſe à Nobis litteras circulares, directas Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus à Latere Legatis, ac RR. PP. DD. Gubernatoribus Provinciarum, & Locorum Status Eccleſiaſtici, quibus declaratum extitit, Religioſos Mendicantes Strictiſſimæ Mendicitatis nullum Bonorum genus, neque in communione poſſidentes, non fuiſſe, nec eſſe comprehenſos in Chirographo, per Sanctiſſimum ſub die 26. Auguſti dicti Anni 1708. ſubſignato, quo obligatæ leguntur omnes Perſonæ cujuſvis ſtatûs, gradûs, conditionis, etiam Eccleſiaſticæ, tam Seculares, quàm Regulares, etiam Mendicantes Strictiſſimæ Mendicitatis, non obſtante quovis earum privilegio, aut exemptione, ad ſolutionem contributionum, & onerum pro tunc currentibus notis emergentiis impoſitorum, & imponendorum, ut latius habetur ex eiſdem litteris impreſſis in Actis infraſcripti Noſtri, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Secretarii exhibitis, tenoris ſequentis videlicet:

In Latin. trad. *Cum Sanctiſſimo Domino noſtro non ſine gravi animi ſui dolore innotuerit ſiniſtra interpretatio, Chirographo à Sua Sanctitate ſub 26. Auguſti proximè elapſi ſignato, à nonnullis affictà in illo articulo, quo omnes Perſonæ cujuſcumque ſtatûs, gradûs, & conditionis, etiam Eccleſiaſticæ, ſive Sæculares, ſive Regulares, etiam Mendicantes* Strictiſsimæ Mendicitatis, *non obſtante quocunque privilegio, & exemptione, bonis ſuis ad contributiones, & onera, pro obverſantibus notis neceſſitatibus impoſita, & imponenda concurrere obligabantur, & ideo deformiter fuerit prætenſum, quod etiam Regulares Mendicantes, nec etiam in communi quid poſſidentes, vigore dicti Chirographi, Gabellis, quæ Communitatibus pro ſolutione taxæ imponuntur, poſſint, & debeant gravari, ita quidem, ut hujuſmodi taxis non ſolùm eleemoſynæ, quas ab ipſis Communitatibus, vel aliis Benefactoribus recipiunt, ſed etiam ipſæ eleemoſynæ manuales, quæ à Fidelibus pro S. Miſſæ Sacrificiis iis dantur, ſubjiciantur. Hinc Sanctitas Sua mandavit, ut ultra id, quod per aliam ſimilem Epiſtolam ſub 20 præteriti menſis Septembris ſcriptam fuit ordinatum in hujuſmodi puncto exemptionis, quod ſcilicet, prædicti Regulares Mendicantes, nec in communi quid poſſidentes, Gabellis ad memoratum effectum impoſitis, & imponendis, in omnibus, ad eorum alimoniam, & uſum ſpectantibus debeant eximi, præſenti Epiſtola circulari preſſius explicetur, & declaretur, quod diſpoſitio prædicti Chirographi, ubi Religioſos ſtrictiſſimæ Mendicitatis comprehendit (quamvis eo ipſo quod ſit relativa ad bona, quæ poſſident, & ſimul litteraliter verè pauperes, nihil poſſidentes excludat, ſat clara ſit, ita, ut explicatione, vel declaratione non indigeat) illos dumtaxat Religioſos afficiat, qui, etiamſi Mendicantes, in communi tamen poſſidere poſſunt, & de facto ſpeciem bonorum ſtabilium poſſident, nullatenus verò illos, qui nec in communi quid poſſident, & conſequenter ab omnibus taxis, impoſitionibus, omnique aliâ onerum ſpecie debent eſſe exempti, nam hæc ſemper fuit, & eſt mens Suæ Sanctitatis. Non dubito, quin Dom. Sua illam, in quantum ad Eamdem ſpectat, executioni dari ſatagat. Deus Eam ſervet ſanam. Romæ XX. Octobris MDCCVIII.*

Joan. Baptiſta Card. Spinula Camerar.

Fr. Marabottinus Congreg. OEconomicæ Secret.

Noviſſimè verò, & ſub die 11. Martii proximè præteriti pro parte eorumdem Religioſorum Minoris Obſervantiæ, Reformatorum, Capucinorum fuiſſe impetratas à Nobis alias Literas, demandantes in genere obſervantiam præcedentium Literarum dicti Anni 1708. etiam contra Appaltatores dictæ Gabellæ Carnis ſub comminatione pœnarum, etiam corporalium, prout de Jure, quoties eiſdem Literis contravenire auderent, ut latiùs legitur in ipſis, quas iidem Religioſi imprimendas curarunt in calce primodictarum Literarum, ut ſupra, exhibitarum tenoris ſequentis videlicet:

ILLUSTRISSIME DOMINE.

In Latin. trad. *Cum Religioſi Minores Obſervantes, Reformati, et Capucini ſumpto ad Nos recurſu expoſuerint, quod Joſephus Nicchia Appaltator Gabellæ Carnis, Eos ad ſolutionem dictæ impoſitionis conſtringat, declaratione à Me per Litteras circulares ſub Dat. 20. Octobr. 1708. ex Mandato Sanctiſſimi factâ non obſtante, Dom. Veſtra, veris exiſtentibus expoſitis, obſervantiæ illius invigilabit, et caſu, quo Appaltator contraveniat, contra eum, etiam pœnâ corporali, prout ratio exiget, procedet: quem in finem Dom. Suæ, vigore præſentium neceſſariam, et opportunam facultatem concedimus. Deus etc. Romæ XI. Martii MDCCXVI.*

Dom. S. Joan. Baptiſta Spinula Card. Camerar.

Verùm quia iidem Religioſi ob non factam ſpecificam expreſſionem eorum prætenſarum Exemptionum in ſecundò dictis litteris, illaſque propterea perperam interpretantes, & ſic ſatagentes Exemptiones prædictas extendere etiam ad non ſolutionem dictæ Gabellæ Carnis pro ea Carnium quantitate, quæ in publicis Macellis ab eiſdem Religioſis, vel eorum nomine emitur, præfatis Literis innixi recuſàrunt, & recuſant Gabellam prædictam perſolvere, etiam pro dictis Carnibus in publicis Macellis emendis, in grave damnum, & præjudicium dicti D. Berardi ſui Principalis, & aliorum dictæ Gabellæ Appaltatorum, illorumque Subappaltatorum, & Miniſtrorum, & contra formam, & diſpoſitionem Chirographi, per Sanctiſſimum ſignati ſuper impoſitione dictæ Gabellæ ſub die ſecunda præſentis Menſis Auguſti 1708. Et Bandimentorum deſuper die 12. Decembris proximè præteriti Anni 1715. publicatorum per Acta ejuſdem infraſcripti Noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Secretarii, & Cancellarii, ad quæ &c. Ideoque prædictus Dom. Comparens quo ſupra nomine penès Nos petiit, & inſtetit enixè ſupplicando, quatenus ad tollendam omnem dubietatem, quæ ex eiſdem ſecundo literis oriri poſſet ob non factam in eis individuam, & ſpecificam expreſſionem Exemptionum, dictis Religioſis competentium, circa

ta prædictam Gabellam Carnis, & ad evitanda ulteriora damna, & præjudicia dictis DD. Appaltatoribus exinde eventura Senſum ſecundò dictarum literarum juxta mentem noſtram declarare dignaremur omni &c.
Ex tunc Nos ſedentes &c. viſis &c. auditis &c. declarando ſenſum ſecundò dictarum literarum diei nempe 11. Martii proximè præteriti juxta Mentem Noſtram diximus, & decrevimus prænominatos Religioſos fuiſſe, & eſſe exemptos à ſolutione dictæ Gabellæ pro iis Animalibus, quæ eiſdem pro Eleemoſyna, vel alio titulo data in eorum Conventibus pro eorum uſu tantùm mactantur, ſecus verò pro iis Carnibus, quæ in publicis Macellis ab eis, vel eorum nomine, licèt cum pecuniis pro Eleemoſyna receptis emuntur juxta formam Bandimentorum, quæ in reliquis ſervari volumus, & mandamus omni &c. Quo circa Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium prædicta omnia, & ſingula, ut ſupra, inſinuamus, notificamus, & ad notitiam deducimus, ne ullo unquam tempore ignorantiam allegare valeatis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolica hac die XVIII. Aprilis MDCCXVI.

Jo: Baptiſta Card. Spinula Camerarius.

Felix Franciſchinus R. C. A. Secretarius.

Non videtur autem, quod ab exemplo gratiæ Anconitanæ poſſit contra hanc ſententiam deduci conſequentia, tam, quod gratia particularis juri communi, cui ſententia dicta innititur, non deroget, tam, quod paſſim huic mos geratur.

Oriebantur & anno 1720. difficultates circa Gabellam Chartæ, & Ceræ, cum tamen Appaltus tunc, per 10. Menſes tantùm adhuc duraret, amicabilis facta eſt compoſitio, 4. comprehenſa articulis: quam uſque ad modernum tempus omnes Appaltatores charitativè ratihabuêre, concedendo gratuitam Chartæ & Ceræ extractionem, ſi tamen hæ Fratrum, & Conventuum uſui ſint deſtinatæ, & aliàs articuli deſuper ſtipulati, & in Archivo generali Tom. R. videndi, fideliter obſerventur. *Exemptio quoad chartam.*

Durior ſæpius fuit conflictus ratione Gabellæ Lanæ, quæ à Fratribus per Miniſtros Reverendæ Cameræ ſub vario prætextu exigebatur, cumque Anno 1731. formiter de jure hujuſmodi prætenſionis diſceptaretur, & Fratres pro libero ſui privilegii uſu, humiliter inſtarent, fuit hoc, Sententiâ Auditoris Eminen. Card. Camerarii hic adjunctâ, ceu novo adminiculo ſtabilitum. *Exemptio quoad lanam.*

CHRISTI NOMINE INVOCATO pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juris Peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in cauſa, & cauſis, quæ primo, & in prima, ſeu alia veriori coram nobis verſæ fuerunt, & vertuntur Inſtantia inter DD. Nicolaum Ferretti, Syndicum RR. PP. Obſervantium Beatæ Mariæ de Aracœli, & Paulum Cherubini, Syndicum RR. PP. Reformatorum Sancti Franciſci ad Ripas, & Epiphanium Ferretti Syndicum RR. PP. Capuccinorum de Urbe nomine eorumdem Patrum Actores ex una, & Illuſtriſſimum Dominum Marchionem Proſperum Sparapani reum conventum partibus ex altera, de, & ſuper ſolutione prætenſa per D. Marchionem pro attergatione licentiarum ad effectum extrahendi Lanas ab Urbe inſervientes pro uſu dictorum Religioſorum rebuſque aliis &c. in actis cauſæ, & cauſarum hujuſmodi latius deductas ad quæ &c. dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, & diffinitivè ſententiamus conſtituiſſe, & conſtare de exemptione eorundem Patrum, eiſdem impartita per Conſtitutiones Apoſtolicas, ab onere ſolutionis dictarum attergationum, & quorumcumque aliorum onerum occaſione extractionis Lanarum, dummodo tamen Lanæ extrahendæ ab Urbe inſerviant pro uſu Religioſorum, ideoque abſolvendos fore, & eſſe ab indebitè petitis per dictum D. Marchionem, prout abſolvimus, & liberamus, & pro abſolutis, & liberatis habere volumus, & mandamus; de & ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponimus; Partemque victam Victrici in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de Jure in poſterum reſervamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & definitivè ſententiamus non ſolùm &c. ſed & omni alio &c.

Ita pronunciamus Ego Philippus Joſias Cauccius Auditor.

Quod idem anno 1734. aliâ ſententiâ Illuſtriſſimi Theſaurarii Generalis, ſeu ejuſdem Auditoris demandatum, ut ſequitur.

CHRISTI NOMINE INVOCATO Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram deſſinitivam ſententiam, quam de juris Peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in Cauſa, & Cauſis, quæ primo, & in prima, ſeu alia veriori coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur Inſtantia inter Illuſtriſſimos DD. Carolum Ferretti Syndicum ſubſtitutum per obitum bo: me: Epiphanii Ferretti RR. PP. Minorum Obſervantium, Hieronymum Belloni. Syndicum RR. PP. Capuccinorum, nomine eorundem Patrum Actores ex una, & Reverendam Cameram Apoſtolicam, necnon Dohanas generales Urbis reas conventas Partibus ex altera, de & ſuper manutentione in poſſeſſione, ſeu quaſi libertatis non ſolvendi Gabellas omnes, extractionem Lanarum albarum, & cujuſcumque alterius coloris concernentes, tam per aquam, quàm per Terram inſervientium tantùm pro uſu dictorum Religioſorum, nimirum Gabellam juliorum quatuor ſeu quinque pro qualibet Sarcina Lanarum, aliam Gabellam duarum Librarum pro quolibet centenario, & tertiam Gabellam pro ſigillo rebuſque aliis &c. in Actis Cauſæ & Cauſarum hujuſmodi latius deduct. ad quæ &c. dicimus pronunciamus, decernimus, declaramus, ac deſſinitivè ſententiamus conſtitiſſe & conſtare de exemptione eorundem Patrum eiſdem impartita per Conſtitutiones Apoſtolicas, ab onere ſolutionis trium præfatarum Gabellarum, & quorumcumque aliorum onerum occaſione extractionis Lanarum cujuſcumque coloris, tam per aquam, quàm per Terram, dummodo tamen Lanæ extrahendæ inſerviant pro uſu dictorum Religioſorum Minorum Obſervantium, necnon Reformatorum, atque Capuccinorum commorantium tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quàm extra Statum Eccleſiaſticum: ideoque manutenendos, fore, & eſſe in poſſeſſione ſeu quaſi libertatis non ſolvendi præfatas Gabellas juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, prout manuteneri volumus & mandamus, & mandatum de manutenendo deſuper neceſſarium, & opportunum, ſeu aliud quodcumque decernendum, & relaxandum fore & eſſe, prout decernimus, & relaxamus, non obſtitiſſe, neque obſtare ad impediendam manutentionem prædictam exceptiones omnes exadverſo datas, ſed uti inſubſiſtentes & inanes reiciendas fore & eſſe, prout rejicimus, & pro rejectis

ctis haberi volumus & mandamus, de & ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponimus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & deffinitivè ſententiamus, non ſolum &c. ſed & omni &c.

Ita pronunciavi Ego Dominicus Colmeta Auditor.

Supradicta ſententia publicata die 17. Septembris 1734. per acta Pauletti Secret. Cameræ Apoſtolicæ.

Exemptione per duplicem conformem Sententiam ita firmatà, Capucinos circa Gabellam Lanæ non amplius moleſtandos fore cenſeri debebat, contrarium nihilominus docuit nova, & anno 1738. mota tentatio: variis enim variarum Provinciarum Fratribus eo anno Romæ, ut Lanificiis ſuis reſpectivè de lana providerent, cunctantibus, factâ quoque per Apoſtolicos Syndicos circa quantitatem, & qualitatem lanæ conventione, & pretio ex eleemoſynis collectis, ſtabilito, Miniſtri Camerales eam ponderari nolebant, inſiſtentes ſolutioni gabellæ, etiam ab iis, qui ex Regula altiſſimam paupertatem profiterentur, juxta eos ſolvendæ, quin ad duplicem ſupra poſitam ſententiam, ad noſtrum favorem emanatam, vel ad Decretum proviſionale Illuſtriſſimi D. Commiſſarii Generalis Cameræ, tribus annis prius editum, facta fuerit attentio. Supplici tamen recurſu Fratres id effecerunt, ut ſub 20. Maii 1738. ſolitum ſervari juſſum, & lanam ſine prætenſo onere extrahi conceſſum fuerit, uti in Regeſto Memorialium anni 1738., in Archivo Procuræ aſſervato, ad finem fol. 19. videre eſt.

Cum dein ſub 2. Junii ejuſdem anni 1738. prodierit Edictum, vi cujus non amplius emptor, uti à tempore Sixti PP. V. conſuetum erat, ſed venditor duo per centum ſolvere conſtringebatur, hic Capucinis illa duo impoſuit, lanamque iis pro ratione duorum cariùs vendidit, ex quo conſectariò Fratres indirectè ad ſolutionem Gabellæ, haud ſecus, ac alii non exempti tenebantur, non obſtante, quod in recurſu RR. PP. Obſervantium & Fratrum noſtrorum gravatorio, Sanctitas Sua, ſe gabellis nos ſubjicere, nunquam intendiſſe, vivæ vocis oraculo declaraſſet, & in ſua Bulla, *incip. Rom. Pontifex* prius edita §. VII. exemptionem & privilegia confirmaſſet. Inde tam anno 1739. ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem, & anno 1740. ad Eminentiſs. Cardinales, Capita Ordinum, tempore Conclavis, recurrere Fratres compulſi fuerunt, eo quidem effectu, ut *gratiam fieri* Eminentiſſimo Cardinali Camerario commiſſum fuerit: quæ ut ſine nova vexa continuaretur, evecto ad Solium D. Petri Benedicto XIV. P. Procurator Generalis, ſequenti libello ſupplici anno 1741. inſtitit.

Beatiſſime Pater.

Procurator Generalis Capucinorum Sanctitati Veſtræ humillimè exponit, quod nonnullæ ſui Ordinis Provinciæ hic Romæ de quantitate lanæ veſtiario Religioſorum, converſa ad hunc finem modicâ illa elemoſynâ, quæ vel à pietate Benefactorum, vel pro applicatione Miſſarum, vel ex aliis motivis fuit ſubminiſtrata, providere ſoleant: cumque lanæ ſine mora expediendæ tempus inſtet, pro facultate eam ex alma Urbe, vel etiam ex Statu Eccleſiaſtico gratìs, ſine ullo onere gabellæ, aut cujuſcumque Datii, vel duorum per centum, quæ R. Cameræ Miniſtri ſolvi indirectè prætendunt, extrahendi Sanctitati veſtræ ſupplicat; cum hæc ſemper Summorum Pontificum mens fuerit, ut nulla gabella ſeu onus ſupra eleemoſynas Regularium Mendicantium, nec in communi, nec in particulari quid poſſidentium, caderet, prout diverſis Conſtitutionibus Apoſtolicis in favorem exemptionis, qua de præterito ii ſemper gaudebant, editis conſtat, prout ultimò in omni legitima forma per ſententiam Rev. Cameræ Apoſtolicæ ſub 18. Septembris 1734. fuit confirmatum, necnon anno elapſo in Conclavi ab Eminentiſſimis Cardinalibus Capitibus Ordinum conceſſum. Sperat proin Orator de innata Clementia S. V. quod ſicuti ſancto zelo conſervationi regulari invigilat, ita ceu Pater Pauperum, hoſce in puncto expoſito indebitè gravari non ſit permiſſura.

Ad quod reſcriptum fuit.

Ex audientia Sanctiſſimi habita die 3. Junii 1741. Sanctitas Sua benignà annuit juxta petita.

I. Julianus Rubini Commiſſarius Generalis.

Quæ omnia dum conceſſam in præpoſito Apoſtolico Documento gratiam & privilegium ſpeciale, panem, vinum, chartam, lanam &c *liberè*, id eſt ſine onere extrahendi, abundè confirmant, reſtat & adjuncta verba *ſine conſcientiæ ſcrupulo* expendere.

Supponere hæc videntur Doctrinam, quam aliàs Theologia problematicè diſcutit, quod vectigalium ſolutio obliget in conſcientia, & ideo dum Apoſtolica Sedes ſine ſcrupulo conſcientiæ, res noſtro uſui deſtinatas, à Nobis extrahi concedit, nos ab omni, quæ conſcientiam gravare poſſet, eximit culpa, & pœna ſpirituali, qualis eſt cenſura excommunicationis, ſub qua hujuſmodi extractiones aliquoties inhiberi contingit, prout exemplum anni 1613. in caſu olei exhibet.

Anxios quidem nonnihil tunc Fratres reddidit hujuſmodi pœna, reſtituit autem quietem duplex epiſtola à Reverendiſsimo Commiſſario Cameræ ad D. Gubernatorem Fani, & P. Procuratorem Generalem Ordinis directa, quâ nec dantes hujuſmodi eleemoſynas, nec Fratres eas recipientes, vel extrahentes dictæ pœnæ ſubiici declaratur. Epiſtolæ primæ tenor erat ſequens.

Illuſtris, & Reverendiſsime Domine, Patrone Colendiſsime.

Sanctiſſimus Dominus noſter ſæpius mihi declaravit, quod Religioſos Mendicantes, propria non habentes, nec pecunias tractantes, pœnâ excommunicationis involvi noluerit, quando ex Statu Eccleſiaſtico modicum illud olei, quod quæſtuant, & ceu eleemoſynam pro ſuis Domibus, & Eccleſiis acceptant, extrahunt: imò nec Piæ Perſonæ, ipſis modicam olei quantitatem pro ipſorum victu, vel Eccleſiarum uſu, nec ipſi Religioſi, nec mittentes, nec donantes, nec pro hujuſmodi effectu vendentes, eam incurrunt: Vultque Sanctiſſimus, ut hujuſmodi eleemo-

ſynæ

ſynæ extrahantur, & ad Conventus conducantur, & quidem in ſpecie â Capucinis. Quapropter in executionem Mentis Sanctiſſimi Domini noſtri Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ notum facio, quod, ſi Capucini, etiamſi extra Statum Eccleſiaſticum, aut quocumque alio in loco degerent, ab illa Civitate, & illius Diſtrictu, oleum in elemoſynam acquiſitum, ceu donatum, aut â Perſonis piis emptum ad eorum Domos & Eccleſias pro proprio uſu transferre vellent, Reverendiſſima Dominatio Veſtra iis opportunam pro libero tranſitu concedat licentiam, quatenus cum gratia, quam Sanctiſſimus & aliæ piæ Perſonæ reſpectivè iis faciunt, ſeſe manutenere valeant. Et oſculans manus &c.

Illuſtris & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ.

Romæ 3. *Maii* 1613.

Affectuoſiſſimus Servus
Hortenſius Rubeus Commiſſarius Cameræ.

Litteræ autem, P. Proc. Generali Ordinis inſcriptæ, fuerunt ſtyli ſequentis.

M. Reverende Pater.

Expoſui Sanctiſſimo petitionem & dubium, nomine ſuæ Religionis mihi expoſitum, an ſcilicet ii, qui vobis oleum, legumina, panem & ſimilia ceu elemoſynam pro proprio Conventuum veſtrorum uſu apportant, incurrant excommunicationem, aliàs contra eos latam, qui talia, vel extra Statum Eccleſiaſticum, vel de loco immediato ad mediatum intra eundem Statum portant? & pariter, an Fratres veſtri Ordinis, qui ea portant, acceptant, vel in ſubſidium, & proprium aliorum veſtrorum Conventuum uſum mittunt, illâ afficiantur? Et Sanctitas ſua ex ingenita ſibi Clementia mihi repoſuit, quod jam aliis vicibus in prædictis caſibus excommunicationem non incurri declaraverit; quod & confirmavit, voluitque, ut P. V. deſuper reddam certiorem, prout & facio, rogans, ut pro ſua Sanctitate Sacras preces duplicari curet. Et manus oſculans &c. Romæ 22. *Januarii* 1614.

M. R. Paternitatis Veſtræ.

Paratiſſimus ad obſequia
Hortenſius Rubeus Commiſſarius Cameræ.

Tertiæ dein reflexionis materia digna eſt, quod Apoſtolicum Privilegium *ad quæcumque loca, ſeu Conventus ubicumque ſitos* extendatur, & tam Cardinales, quàm Principes & Magiſtratus ſæculares, nobis efficacis defenſionis præſidio circa dictarum elemoſynarum tranſportationem aſsiſtere moneantur & rogentur, nihilominus id inter privilegia Provinciis Italiæ, & Inſularum adjacentium communia poni ſuaſit reflexio, tam, quod moleſta neceſſitas ſæpiùs illud exhiberi cogat, tam, quod in Provinciis Ultramontanis â Dohanarum Miniſtris hujuſmodi vexis non obruamur, ita quidem, ut etiam eos, qui in fide à Nobis diſcrepant, experiamur, charitate erga Ordinem, uſque ad aliorum confuſionem, ſæpius inſigniores.

Originalia vel exempla authent. in Arch. Gen. Ord. tom. K.

MEDIATO VIVÆ VOCIS ORACULO.

Omnibus Eccleſiaſtici Statûs Domibus annuatim portionem Salis ad rationem 15. librarum pro Perſona conſignari mandatur.

HYPPOLITUS S. ANGELI IN FORO PISCIUM

Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.

VObis Magnificis Salariæ N. Appaltatoribus ſeu Diſtributoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, de mandato Sanctiſſimi D. N. Papæ Vivæ Vocis oraculo Nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatûs Officii, tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus de Sale iſtius Salariæ ſingulis annis perpetuis futuris temporibus tradatis, & conſignetis, tradique, & conſignari mandetis, & faciatis RR. FF. Capuccinis loci N. quos benedicente Domino ad numerum — aſcendere comperimus, libras — gratis, & in elemoſynam in eorum Victum, & uſum, dummodo aliud ſimile Mandatum non habuerint, & ſint comprehenſi in Mandato generali. Nos enim dicti Salis quantitatem, ſuper vos conſignandam, in veſtris dictæ Salariæ computis acceptabimus, & admitti faciemus, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die 8. Julii 1632.

Hyppolitus Card. Camerarius.

Antonius Cicalotus Audit.

Loco ✠ Sigilli.

Felix Contelorius C. Apoſt. Com. Gen.

Reg. in Sec. Cam. Apoſt. lib. 17. *fol.* 184. *de quo in Arch. Gen. exempl. Auth. Tom. G. num.* 88.

Pro D. Ruffino Plebani.

Joannes Cermontinus.

NOTA.

Pontificiâ benignitate â tempore Urbani PP. VIII. hucuſque continuatâ, omnibus Eccleſiaſtici Statûs Domibus, ſeu Conventibus annuatim certa Salis portio in elemoſynam conceditur, & quidem cuilibet loco ſeparatim, & vi Mandati, in ſupra poſita forma relaxati, & per Eminentiſſimum Card. Camerarium, vel in Statu Urbini per Theſaurarium Generalem ſubſcripti, ac nonniſi additione paucorum Verborum aliquoties immutati.

Sequebantur executionem hujus gratiæ non ſemel aliquæ difficultates, tam, quod ob adauctum Fratrum numerum taxata quantitas Monaſteriis non ſufficeret, tam, quod ob diminutum Fratrum numerum, hæc excederet, hinc, ut Fratrum indigentiæ conſuleretur, ſimulque præjudicio Reverendæ Cameræ præcaveretur, variæ ſucceſſivè emanârunt diſpoſitiones, quas hic apponi ſupervacaneum cenſetur, cum ſummariè contineantur in Mandato anno 1639. deſuper in regulam edito, in latinum traducto, & hîc ſubjuncto.

ANTONIUS S. AGATHÆ

Diaconus Cardinalis Barberinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius.

Ne antiquus Cameræ Apoſtolicæ Stylus & uſus quoad eleemoſynam Salis, Religioſis, Monialibus, ac piis Locis ſpeciali Sanctiſſimi Domini noſtri Chirographo ſub 8. Januarii 1633. emanato roboratus, & actibus infraſcripti noſtri, & dictæ Cameræ Notarii inſertus, tenoreſque Inſtrumenti contractûs, cum Appaltatoribus initi, alterentur, & in damnum dictæ Cameræ & Appaltatorum tam in Statu Urbini, quam in quacumque alia Civitate, Terra, vel loco Statûs Eccleſiaſtici pervertantur:

Nos de mandato Suæ Sanctitatis Nobis vivæ vocis Oraculo dato, & auctoritate noſtri Camerariatûs officii, ac vigore dicti Chirographi ordinamus & mandamus.

Primò. Ne ullus Salinarum Appaltator, vel Subappaltator, Officialis, aut Miniſter ullam Salis quantitatem in elemoſynam, ad prædictæ Cameræ computum extradat, quin ipſi vel ipſis, conſuetum Camerale Mandatum â Nobis expeditum, & ab Illuſtriſſimo D. Commiſſario Cameræ, â quo inſtantiæ videri, & examinari debent, prius fuerit exhibitum.

Secundò. Quod major quantitas, quam quæ in dicto Mandato, ad rationem librarum 15. pro Perſona annuatim, (non plus, nec aliter) fuerit expreſſa, conſignari nequeat. Cumque, numerum Religioſorum, qui tempore expediti Mandati in Monaſteriis degunt, & pro quibus in Mandato elemoſyna ad rationem librarum 15. pro Perſona fuit fixa, diminui contingat, ordinamus, & mandamus, ut dictis Religioſis, fide â Superiore locali juratâ, & ſubſcriptâ, ſolitoque Religionis Sigillo munitâ, prius non exhibitâ, Sal juxta quantitatem Perſonarum ibi degentium non extradatur. Sique Perſonas pauciores, quàm in Appaltatorum ſeu Directorum Mandato exprimantur, ibi morari, ex dicta fide conſtiterit, etiam Salis elemoſyna diminuatur, & ad rationem dictarum librarum 15. pro Perſona effectiva, & non plus, conſignetur, aliàs in caſu præſentis Mandati, non obſervati, Appaltatoribus & SubAppaltatoribus quantitas Salis contra harum Ordinationum formam diſpenſata â prædicta Camera non compenſabitur.

Tertiò. Revocamus omnem uſum & Mandata in contrarium, etiam â Nobiſmetipſis uſque ad præſentem diem expedita, & præcipimus omnibus locorum Gubernatoribus, Appaltatoribus, & SubAppaltatoribus; quatenus præſentes Articulos obſervent, & inviolabiliter obſervari curent, dictiſque Appaltatoribus, & Salinarum Directoribus pro prædicta obſervantia aſſiſtant.

Superiores dein, qui memoratam fidem facient, eam ab ipſis veram & juſtam fieri monemus, aliàs, ſi non vera in dictæ Cameræ præjudicium reperiatur, contra eos pœnis rigoroſis ad noſtrum arbitrium procedetur. Et ne præſentes Ordinationes declinent ad deſuetudinem, volumus, & mandamus, ut in qualibet Salis Camera, in loco, in quo videri queant, affixa teneantur ſub pœnis pariter ad noſtrum arbitrium infligendis.

In fidem &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolica 11. Maii 1639.

Card. Antonius Barberinus.

F. M. Mancinus Auditor.

Bartholomæus Brunorus.

Cum poſtea â nonnullis Appaltatoribus libra ad rationem 10. unciarum juxta pondus Camerale computata, conſignaretur, & Fratribus exinde non leve adnaſceretur præjudicium, fuit anno 1643. â tunc Procuratore Generali, Reverendæ Cameræ, quatenus 12. uncias pro libra dari juberet, ſupplicatum, fuitque ſub die 9. Februarii 1644. gratioſo Reſcripto gratia conceſſa, prout conſtat ex documentis in ſupradicto Archivii Generalis Tomo conjunctim cum aliis reſervatis, & ex uſu hucuſque non interrupto.

DECRE-

D E C R E T O

S. Congreg. ſuper Statu Regularium.

Nonnulli articuli circa Novitios in Provinciis Italiæ & Inſularum adjacentium recipiendos præſcribuntur.

AD propagandam in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum Regularem obſervantiam, quæ Novitiorum Inſtitutioni, & educationi præcipuè innititur, Sacra Congregatio deputata ſuper ſtatu Regularium de Mandato Sanctiſſimi D. N. Alexandri Papæ VII. in ſingulis Italiæ, & Inſularum adjacentium Provinciis ejuſdem Ordinis, præſentis Decreti vigore, licentiam impertitur cuilibet earum Provinciali, ut hac vice tantùm recipere valeat Novitios infra numerum hîc præfixum, videlicet in Provinciis Romana, Sancti Franciſci, Marchiæ, Bononien. Veneta, Mediolanen. Brixien. Januen. Pedemontana, Hetruriæ, & Neapolitana duodecim Clericos, & ſex Converſos, ſeu laicos: In Provinciis Panormitana, Meſſanen. Siracuſana, Baſilicata, Rhegien. Coſentina, & Apruntina decem Clericos, & quatuor laicos: Et in Provinciis S. Angeli, Baren. Hydruntina Corſicæ, & Sardiniæ novem Clericos, & tres laicos pro qualibet Provincia. Ita tamen, ut hæc, quæ ſequuntur, juxta præſcriptum Regulæ, & ejuſdem Religionis Conſtitutiones inviolatè obſerventur. Primùm Provincialis, cui ſoli, & nulli alii ex præſcripto Regulæ Sancti Franciſci conceſſum eſt, ut venientes pro Habitu ſuſcipiendo admittere poſſit, eos, qui ipſum adjerint, de illorum natura, ætate, cæteriſque qualitatibus, etiamſi forent Religioſi cujuſcumque alterius Inſtituti, juxta Religionis ſtatuta, exactam ſumat informationem, ſedulòque inquirat, an levitate, neceſſitate, vel aliquo alio inordinato fine moti; An verò ex puro zelo perfectioris vitæ, Deoque liberius in ſancta Religione ſerviendi poſtulent admitti? eoſdemque poſtea pro ſuæ conſcientiæ dictamine, habita præſertim ratione indolis, morum, fervoris ſpiritûs, acuminis ingenii, & conditionis natalium approbare, vel reprobare teneatur. Quos autem præelegerit, ad Habitum probationis in Conventu Novitiatûs ſuſcipiendum, ſuis litteris òbedientialibus tranſmittat, ubi per aliquot dies, antequam induantur Habitu Religionis, exerceantur in iis omnibus, quæ à Fratribus obſervantur, ut hinc bonum illorum deſiderium probetur, & ipſi majori illuſtratione, maturitate, ac deliberatione tantum opus aggrediantur. Anno poſtea probationis elapſo, qui habiles inventi fuerint, juxta Religionis ſtatuta, & ordinationes à Fratribus familiæ ad profeſſionem admittantur, ſub exacta tamen vita communi, ad præſcriptum Regulæ, quavis laxiori conſuetudine in contrarium non obſtante, ac ſervata etiam forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum. Quod, ſi aliquem ex prædictis Novitiis, poſtquam receptus fuerit, ante profeſſionem à Religione diſcedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum ſubrogari poſſit, dummodo tamen in omnibus ſervetur forma ſuperiùs præſcripta. Cæterùm ut prædicti Novitii melius in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, poſtquam in Profeſſorum numerum, ut præfertur, recepti fuerint, in alium Conventum transferantur, & per triennium juxta Conſtitutiones Ordinis ſub Magiſtri diſciplina perſiſtant, & qui futurus eſt eorum Guardianus, idem pariter ſit ipſorum Magiſter, eaſque qualitates habeat, quibus Magiſtrum Novitiorum præditum eſſe oportet. Porro in Conventibus pro Novitiatu aſſignatis non collocentur niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, & regularis obſervantiæ, ac puritatis regulæ ſtudioſi, nec in Guardianum admittatur, qui vitam communem ſervare non poſſit. Poſtremò, poſtquam Novitii in Profeſſorum numerum cooptati fuerint, Superiores Regulares, ad quos pert inet, illicò Sacram Congregationem edoceat, ſupraſcripta omnia, & ſingula fuiſſe ad unguem adimpleta, & executioni mandata; alioquin pœnas in memoratis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Statutis Ordinis præſcriptas, & alias etiam graviores, pro modo commiſſæ culpæ, ſe ſubituros, ac novas licentias recipiendi Novitios, nequaquam fore impetraturos certò ſciant. Non obſtantibus quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non prædicti Ordinis conſuetudinibus, & privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 2. Maii *1655*.

B. Card. Spada.

P. Fagnanus S. Congr. Secr

Exemplar authent. in Arch. Gener. Ord. tom. II. num. 12.

N O T A.

ET, dum omnes Italiæ &c. Provincias & Cuſtodias in Decreto nominatim non expreſſas obſervas, id ex eo evenire reflecte, quod tempore emanati Decreti Provinciæ, & Cuſtodiæ hujuſmodi per diviſionem nondum fuerint erectæ.

Alia Apoſtolica Documenta, quæ Novitios in communi concernunt, dabit tomus Bullas &c. communes continens.

Fratres â Locorum Ordinariis ad excipiendas ordinarias Monialium confeſſiones, præterquam, ubi per Litteras Apoſtolicas Confeſſarii Ordinarii Monialium Capuccinorum deſtinati ſunt, ✱ in Italia &c. prohibet.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis munere in eam curam ſolitis ſtudiis intendimus, ut Chriſtifideles, Altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ inſtituto famulantes, ſublatis quibuslibet impedimentis in quietis, & pacis amoenitate vota ſua Domino reddant, felicioribuſque in dies proficiant incrementis. Exponi ſiquidem nuper fecerunt dilecti filii Bonaventura â Ferraria, Miniſter, ac Definitores Generales Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, quòd, cum aliàs vigore cujuſdam Reſcripti fel. rec. Benedicti PP. XIII. Prædeceſſoris Noſtri conceſſum fuerit Venerabili Fratri Archiepiſcopo Roſſanen., ut Fratres dicti Ordinis in Confeſſarios Ordinarios Monialium Monaſterii S. Claræ Roſſanen. deputare poſſet; ipſi Exponentes id menti, & ſpiritui Regulæ ejuſdem Sancti Franciſci, quam Fratres prædicti profitentur, adverſari conſiderantes, aliiſque rationabilibus ex cauſis, in eorum Definitorio Generali perpenſis, opportunè in præmiſſis à Nobis provideri ſummopere deſiderant. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, illorumque ſingulares perſonas à quibſuvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis â Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequen. harum ſerie abſoventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus Eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, conceſſionem ſupradicto Archiepiſcopo Roſſanen. per memoratum Benedictum Prædeceſſorem, ſicut præmittitur, factam, etiamſi poſtmodum per Sedem Apoſtolicam confirmata reperiatur, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie revocamus, & abrogamus. Præterea, ne Fratres prædicti Ordinis in Provinciis Italiæ nunc, & pro tempore exiſtentes à Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſeu dilectis filiis locorum Ordinariis in Confeſſarios ordinarios Monialium quovis ſub prætextu, præterquam, ubi per litteras Apoſtolicas Confeſſarii ordinarii alicujus Monaſterii Monialium Capuccinarum nuncupatarum deſtinati forent, deinceps ullatenus conſtitui, ſeu deputari valeant, dicta auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & prohibemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palati Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XXIII. Maii MDCCXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. Generali Ord. tom. R. num.60.

ORDINE

Sac. Congreg. Diſcip. Regul.

Qualibet die Dominica, in omnibus Conventibus Laicis Doctrinam Chriſtianam cum aliquo Regulæ articulo explicari ſancitur.

COnſiderans Sac. Congregatio Diſciplinæ Regularis, quantùm interſit, ut & Religioſi in ſtatu laicali Profeſſi, non ſolùm in rebus S. Fidei, ſed etiam circa onera & debita Statui proprio ſpecialiter annexa inſtruantur, & ex nonnullis habitis notitiis dubitans, an in omnibus Conventibus, eâ, quâ par eſt, exactitu- *In lat. trad.*

actitudine, neceſſaria inſtructio Laicis, præſertim ex quæſtuationis Officio diſtractis, præbeatur, ordinem circularem, anno 1709. jam datum renovari præcepit. Hinc Secretarius, P. Procuratori Generali Ordinis Capuccinorum ſignificat, mentem Sac. Congregationis eſſe, ut litteris Encyclicis omnibus Italiæ & Inſularum adjacentibus Provincialibus, coſhærenter ad ordinem (uti dictum) jam aliàs emanatum, qualibet die Dominica in quolibet Conventu à Patre, quem Superior localis idoneum judicaverit, Religioſis in Statu laicali Profeſſis, & in ſpecie, quæſtuantibus, Doctrinam Chriſtianam, & quoddam Regulæ punctum explicari injungat, & ſtrictè, ne in præſcriptorum executione deficiant, eos moneat.

Interim &c.

Autog. in Arch. Procuræ.

N O T A.

Ordo alius, qui anno 1709. emanatus, hiç vocatur, fuit tenoris ſequentis.

Virtute præſentium P. Procuratori Generali Capucinorum ſeriò inculcatur, quatenus omnes Provinciarum Italiæ, & Inſularum adjacentium Provinciales literis circularibus cohærenter ad expreſſam S. Congregationis ſuper Diſciplina Regularium mentem commoneat, ut in quolibet eorumdem Conventu, à Patre, qui à Superioribus localibus reſpectivè, quoad doctrinam habilis judicabitur, Cathechiſmus Romanus, & quoddam Regulæ punctum, Religioſis in Statu laicali Profeſſis, & in ſpecie Quæſtuantibus explicetur, & obſervantia eorum, quæ eorum munera, debita, & Vitæ Religioſæ, quam profitentur, characterem concernunt, cum fervore urgeatur. Dumque in ſcriptis de horum executione informari volumus &c. *In lat. Pariter relat.*

Exempl. in dicto Arch.

PRO-

PROVINCIA ROMANA.

NACTA eſt hæc Provincia ſuum ortum cum ipſo noſtræ Reformationis exordio, dum enim hæc in Alma Urbe contra adverſa molimina Apoſtolico munimine firmabatur, illa à Primævis Patribus ſucceſſivè in Provinciam formabatur.

Clareſcit Canonicâ Fr. Felicis à Cantalicio ſanctitate, quem dum noſtra Reformatio primum de ſuis Alumnis in Apotheoſin relatum veneratur, hæc Eo, ceu vero ſuo filio, dignè gloriatur.

Inter alios Viros, quos virtus, ſanctitatis famâ celebres, ſigniſque & prodigiis claros reddidit, reſplendet Fr. Franciſcus Titelmannus, Beiga, qui Provinciæ clavum, miræ virtutis exemplo inter primos tenuit, cujus 27. Operibus, prælo publico datis, litterarius Orbis grato præconio applaudit, & cujus Venerabiles exuvias Eccleſia Domûs noſtræ Anticulenſis devotâ curâ conſervat.

Franciſco Titelmano meritò accenſetur nominis, & virtutis ejus æmulus, Fr. Franciſcus Bergomenſis, qui juxta epigraphen, marmoreæ lypſanothecæ, alæ Sacelli S. P. Franciſci in Eccleſia Domûs de Urbe impactæ ex conſilio S. Philippi Nerei Religionem FF. Minorum Capuccinorum eſt ingreſſus, in qua velut alter Hilarion 70. prope annis Deo ſervivit, vultu, verbo, & opere Sanctitatem ſpirans: Crucem Chriſti non ſolum in corde, ſed & in corpore portavit, dum â Superna virtute in terram projectus, & graviter læſus hanc vocem deſuper ſibi dicentem audivit: *hæc eſt Crux, quam tibi præparavi*: ante ſuum obitum per duos annos, & ſeptem menſes, Angelorum concentus audire, cum eis officium Divinum, & alias preces recitare, eorum dulci colloquio diu noctuque frui meruit, & obiit Romæ 11. Octob. anno MDCXXVI. ætatis ſuæ circiter XCIII. miraculis in vita, in morte, & poſt mortem clarus.

Bipartitur cum Provincia Hydruntina honorem de præcelſo Eminentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi Anſelmi à Monopoli merito dimanantem, dum enim illa, huic Sac. Ordinis Habitum, & prima Seraphici Spiritûs rudimenta dedit, Romana, ſibi aggregato, prima ſua contulit officia.

Præter Patres Laurentium Reatinum, & Petrum à Civitate Ducali, qui ex diſtrictu Provinciæ oriundi, & ceu Guardiani Domûs de Urbe, Officio Procuratoris Generalis functi ſunt, ad Definitoriatûs Generalis munus, ex hac Provincia hucuſque ſunt evecti.

Fr. Sanctes Theſaurus, Romanus, qui expoſitionem in Regulam Clariſſarum Monialium, & aliam in Regulam Fratrum italico idiomate coaſcripſit, à P. Jodoco Bremgartenſi, Provinciæ Helveticæ Conc. latio donatam.

Et Fr. Antonius à Cavis, quem Doctrina, & virtute clarum noſtra nôrunt tempora.

Complectitur Provincia.

Conventus Fratrum XLIII.

Miſſionem (Præter illam in Regno Congi) I.

Hoſpi-

Hoſpitia ſeu Aſyla Fratrum quæſtuantium, & itinerantium II.
Monaſteria Monialium Capucinarum ſtrictè talium II.

Conventuum, Fratrum, & Monaſteriorum Monialium hujus Provinciæ, ſicut & aliarum Provinciarum, quarum Bullas &c. præſens Tomus exhibebit, nomina individua dabit Tabula, ad hujus operis calcem apponenda.

Celebriores, quæ ab origine hujus Provinciæ emanârunt, eam concernentes Bullæ, Brevia Apoſtolica, Decreta &c. ſunt, quæ ſequuntur.

Fratribus ex Domo S. Mariæ Annuntiatæ prope Civitatem Urbeveteranenſem varia incomoda patientibus, ad Eccleſiam S. Bernardi ibidem, ſe transferendi, haneque pro nova eorum habitatione adaptandi, ac mutandi, Apoſtolicam facultatem largitur.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum Paſtoralis officii Nobis ex alto conceſſi requirit, ac Nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim ſub regulari obſervantia, ſtudio piæ vitæ aſſiduè vacantium non ſolum diſpendiis occurri, verùm etiam profectibus conſuli poſſit, libenter intendamus, ac in his, prout expedire conſpicimus, ejuſdem officii partes favorabiliter impertiamur. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum Eccleſia ſine cura Sancti Bernardi Urbeveteranenſis Diœceſis per liberam reſignationem Dilecti filii Simoncelli de Simoncellis, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prædictam vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis: & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Congregationis, & Fratrum Capuccinorum nuncupatorum Ordinis Minorum Sancti Franciſci petitio continebat, quod, cum Domus S. Mariæ Annuntiatæ prope Civitatem noſtram Urbeveteranenſem Ordinis, & Fratrum Prædictorum tam propter aeris inclementiam, & aquas inſalubres, ac lignorum penuriam eiſdem Fratribus adeo incommoda exiſtat, ut pro illorum valetudine conſervanda, ac neceſſitatibus illorum opportunè ſubveniendis minimè conveniat, quo fit, ut Fratres prædicti, qui pro debita eorum obſervantia apud illam reſidere tenentur, abſque valetudinis hujuſmodi diſcrimine in ea habitare, & remanere nequeant; Si dicta Eccleſia in Domum, ſeu Conventum ejuſdem Ordinis pro habitatione dictorum Fratrum erigeretur, & inſtitueretur, ex hoc profecto non parum eorumdem fratrum priſtinæ ſanitati, quàm etiam Divini cultûs augmento plurimùm conſuleretur, pro parte Congregationis, & Fratrum prædictorum, aſſerentium prædictæ Eccleſiæ, ac illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prædictam in Domum ejuſdem Ordinis pro habitatione dictorum Fratrum erigere, ac dilectis Filiis moderno Guardiano, & Fratribus in Domo Sanctæ Mariæ hujuſmodi degentibus ſe de illa ad Eccleſiam Sancti Bernardi præfatam transferendi licentiam concedere, aliâſque ſibi deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm exiſtimationem, prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin uniri non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, ſingulares Congregationis hujuſmodi perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam S. Bernardi prædictam, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut alterius cujuſcumque perſonæ, ſeu per ſimilem reſignationem

dicti

dicti Simoncelli, vel cujuſcumque alterius de illa Romana Curia, vel etiam extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia S. Bernardi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatutum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum annexis hujuſmodi ac omnibus juribus, & perpetuis tenentiis ſuis in Domum, vel Conventum dicti Ordinis ad inſtar aliorum Domorum, & Conventuum, ſeu locorum ejuſdem Ordinis cum omnibus, & ſingulis ſuis privilegiis, facultatibus, & exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remiſſionibus, conceſſionibus, indultis, & aliis gratiis univerſis tam Eccleſiaſticis, quàm temporalibus ſolitis, & conſuetis, ſine alicujus præjudicio, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, perpetuò erigimus, & inſtituimus: nec non Guardiano, & Fratribus in Domo S. Mariæ degentibus hujuſmodi, ſe cum omnibus eorum privilegiis, facultatibus, & exemptionibus, indultis, Indulgentiis, & gratiis ab eadem Domo Sanctæ Mariæ ad dictam Eccleſiam Sancti Bernardi transferendi, inibique degendi, ac ipſam Eccleſiam S. Bernardi ad ipſorum Fratrum habitationem adaptandi, ampliandi, & reformandi, ac etiam illam, & illius ſitum mutandi, & fabricas neceſſarias, aliaque inibi, prout eiſdem Guardiano, & Fratribus expediens videbitur, faciendi, & exequendi authorirate, & tenore prædictis licentiam, & facultatem concedimus, eiſque pariter indulgemus, non obſtantibus voluntate priori præfata, ac Lateranenſis Concilii, noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure præmiſſis fieri prohibentibus, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrârint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus, & proceſſus habitos ſuper eaſdem, ac inde ſecuta quæcunque, ad dictam S. Bernardi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Nos enim, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, quod propter erectionem, inſtitutionem, & conceſſionem hujuſmodi præfata Eccleſia S. Bernardi debitis non fraudetur obſequiis, ſed illius congruè ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Tertiodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Intus *V. Caſ. Glorieirus*.

Autog. in Secret. R. C. Apoſtolicæ apud Cæſarem Secret. de quo Bulla formata in Archiv. Conventûs.

Ad Moniales Capuccinas in Monte Quirinali de Urbe inſtituendas quatuor Moniales è Monaſterio S. Mariæ de Jeruſalem dimitti, ac ad Almam Urbem conduci, P. Procuratori Ordinis, illuc ablegato committit.

A tergo. *Dilecto Filio Evangeliſtæ â Cænobio Ordinis FF. Santo Franciſci Capuccinorum in Romana Curia Procuratori*.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cupientes in Monaſterio nuper in Monte Quirinali, ſeu Caballo nuncupato de Urbe conſtructo, pro Monialibus Capuccinis Ordinis S. Claræ rectam vivendi normam, regularemque diſciplinam introduci, & introductam cuſtodiri, Tibi mandamus, ut Neapolim ad Monaſterium Monialium S. Mariæ de Jeruſalem ſub S. Claræ regula prima degentium Te conferas, & Monialibus ejuſdem Mo-

de ip-

naſterii congregatis, auctoritate Apoſtolica præcipias, ut ſecundùm tuum beneplacitum de ipſis unam, quæ ad gerendum Abbatiſſatûs officium magis idonea ſit, & vitæ exemplaris probitate præſtet, non tamen, quæ ibi impræſentiarùm Abbatiſſa exiſtet, dicto Monaſterio novo hîc præficiendam, necnon tres alias, etiam magis idoneas officiis ſibi committendis in eodem Monaſterio novo, quarum una ſit Magiſtra Novitiarum, Reliquæ verò ſint Rotariæ, ſeu Diſcretæ, & Abbatiſſæ conſiliariæ, quamprimùm eligant. Quæ quidem quatuor Moniales, poſtquam (ut præfertur) electæ fuerint, per obedientiam clauſtrum exire, & cum honeſto comitatu eis aſſignando, Romam venire debeant & teneantur: non obſtante perpetuæ clauſuræ voto, ab eis emiſſo, ſuper quo cum eis ad hunc effectum, & pro hac vice tantùm diſpenſamus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Martii MDLXXVI. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Cæſ. Glorierius.

Breve format. in Arch. Conventûs S. Mariæ Pacis Peruſii.

Fratrum curæ & adminiſtrationi Monaſterium prædictum, & ſub prima, & arctiore S. Claræ Regula inſtitutum ſubjicit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii cura, quâ in Dei Eccleſia, meritis quamvis inſufficientibus, ex Dei diſpoſitione fungimur, Nos excitat & inducit, ut ſedula cogitatione, & ardenti ſtudio adnitamur, quoad Omnipotentis Dei gloriam, & Monaſteria Monialium, ac pia loca ubique gentium, & locorum, præſertim in Alma Urbe noſtra, Religionis, ac virtutum omnium domicilio, propria cum Animarum ſalute conſtruantur: piaque Fidelium vota in his, quæ Religionis propagationem, divinique cultûs augmentum reſpiciunt, ut optatum ſortiantur effectum, promoveamus, & adjuvemus. Nuper ſiquidem dilecti Filii Confratres Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Crucifixi de Urbe canonicè inſtitutæ, pro augmento Divini Cultus in eadem Urbe, oblata ſibi opportunitate, quod dilecta in Chriſto Filia, nobilis Mulier Joanna Aragonia, relicta quondam Aſcanii Columnæ, Tagliacotii Ducis, prædium cum domibus in Monte Quirinali ſitis, pro inibi conſtruendo Monaſterio Monialium, liberaliter donaverat, Monaſterium Corporis Chriſti nuncupandum, Ordinis Sanctæ Claræ, cum prædio, & domibus, in quo Sanctimoniales præcipuæ obſervantiæ, & ſanctitatis in altiſſima paupertate, & arctiſſima clauſura, juxta Regulam primam ejuſdem Sanctæ Claræ, & laudabiles aliquas Conſtitutiones degerent; ac ſub cura Fratrum Minorum de Obſervantia Capucinorum nuncupatorum, Jeſu Chriſto Sponſo, qui eſt ſpecioſus formâ præ Filiis hominum, famularentur, Nobis ſcientibus, ac collaudantibus ædificare cœperunt: quo propè jam completo, quatuor Moniales paucis ante menſibus, auctoritate literarum Noſtrarum, de Monaſterio Sanctæ Mariæ in Hieruſalem Neapolitan. dicti Ordinis Sanctæ Claræ eductæ, ac in locum futuri Monaſterii Corporis Chriſti tranſlatæ, & concluſæ: deinde nonnullæ Virgines ſæculum relinquentes in eodem introductæ, & collocatæ ſunt. His igitur ita peractis, animadvertentes præcipuum hoc, & inſigne pietatis monumentum in eadem Urbe noſtris temporibus Dei beneficio inſtitutum fuiſſe, Eidem in primis gratias agendas duximus, quo adjutore, & auctore bona cuncta ordinem ſuſcipiunt, conſervantur, & perficiuntur, atque in dies augentur. Cupienteſque Fideles ſingulos in Dei timore cogitationes omnes ſuas defixas habere; ac huic, & ſingulis pietatis operibus conſervandis, augendis, & promovendis fore addictos: Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra matura deliberatione, prædicta omnia, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus; ſupplemuſque omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenenerint in eiſdem, & nihilominus in Ædibus prædictis unum MonaſteriumMonialium ſub dicta invocatione Corporis Chriſti, & ipſius Ordinis Sanctæ Claræ pro uſu, & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ, & Monialium ejuſdem Ordinis, quæ inibi ſub Regulari obſervantia, & perpetua Clauſura Deo famulentur, cum Eccleſia, campanili, campanis humilibus, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortaliciis, & aliis officinis neceſſariis, & ad ejuſdem uſum, & formam jam conſtructis, & impoſterum conſtruendis, eadem auctoritate in perpetuum ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus. Dilectis in Chriſto Filiabus ejuſdem Monaſterii Corporis Chriſti Monialibus jam in illud introductis, ac in poſterum

rum inibi introducendis, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipientes, ut Regulam primam Sanctæ Claræ, eam ſcilicet, quam B. Chriſti Confeſſor Franciſcus tradidit, & fel. record. Innocentius Papa Quartus Prædeceſſor noſter approbavit, ac Conſtitutiones in prædicto Monaſterio S. Mariæ ſervari ſolitas, omni, qua decet, reverentia, in hujuſmodi Monaſterio Corporis Chriſti excipiant, & pro Regis Æterni glòria obſervent, ac ab aliis obſervari faciant, ut juxta præſcriptam ab eiſdem Conſtitutionibus formam, in eodem Monaſterio Corporis Chriſti eædem Moniales vivere debeant. Idemque Monaſterium Corporis Chriſti Fratribus Capucinis prædictis ſubjicimus; necnon eiſdem Fratribus, ut Monaſterium Corporis Chriſti prædictum ſub eorum cura recipiant, ut, quæ ad illud in ſpiritualibus proſperè in via Domini dirigendum pertinent, expedire judicaverint, omni ſtudio, ac diligentia adhibitis, faciant, & exequantur, omnino diſtrictè mandamus; ac illud ſub Beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis immediata protectione ſuſcipimus, & ab omni juriſdictione, viſitatione, correctione, & poteſtate Noſtri in eadem Urbe Vicarii in ſpiritualibus Generalis, & illius Officialium quorumcumque, præterquam in his caſibus, in quibus Epiſcopi, & locorum Ordinarii, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, auctoritate Decretorum Concilii Tridentini in Monaſteriis, quantumvis exemptis, juriſdictionem, vel poteſtatem exercere poſſunt, aut debent, penitus eximimus, & liberamus: ac prorſus exemptum, ac liberum, dictis caſibus exceptis, ſtatuimus. Eidem Monaſterio Corporis Chriſti, illiuſque Abbatiſſæ, & Monialibus, quod omnibus, ac ſingulis Privilegiis, ac prærogativis, immunitatibus, gratiis, libertatibus, favoribus, indultis, ac indulgentiis, peccatorumque remiſſionibus, conceſſionibus, & gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia Monaſteria Monialium ejuſdem Ordinis, illorumque Abbatiſſæ, & Moniales de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; his, quæ primæ Regulæ S. Claræ, & Conſtitutionibus antedictis, ac Decretis ejuſdem Concilii Tridentini adverſantur, exceptis, auctoritate, & tenore præſentium indulgemus: Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Oſtienſi, & dilectis Filiis S. R. E. Camerario, & Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe vel per alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictæ Abbatiſſæ, & Monialium, aut Fratrum Capucinorum prædictorum, & aliorum, quos ipſæ literæ concernunt, vel alicujus eorum, ſuper hoc fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctotitate Noſtra præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac illos, quos eædem Noſtræ Literæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, vel eorum aliquem per ſupradictos, vel alios quoſcumque deſuper quomodolibet *indebitè* moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, & reaggravando; ſententiaſque, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſæcularis. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinibus, necnon Ordinum, & Monaſterii S. Mariæ prædictorum, à quo dictæ Moniales translatæ fuerunt, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis; & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, Ordinibus & Monaſteriis. ac Vicario Noſtro præſenti ſub quibuſcumque tenoribus, ac cum quibuſvis clauſulis irritantibus, ac aliis decretis conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut, ſi aliquibus communiter, ac diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſit per Literas Apoſtolicas, non facientes expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Cæterum cum ex prædicta prima Regula S. Claræ, eiſdem Monialibus aliquam poſſeſſionem, vel proprietatem ullo modo recipere, vel habere, aut aliquid in communi ſibi appropriare non liceat, Nos vehementer optantes, prædictas Moniales Archiconfraternitati, illiuſque Gubernatoribus, Guardianis, & Confratribus prædictis non mediocriter eſſe commendatas, eoſdem Fratres, quo poſſumus cordis affectu, in Domino co-

no cohortamur, ut temporalium ejuſdem Monaſterii neceſſitatum rationem habentes, fabricæ dicti Monaſterii, ubicumque ſe occaſio obtulerit, conſulant, ac illarum inſtantibus neceſſitatibus providendi, illiſque ſubveniendi ſpecialem curam gerant, atque ſuſcipiant. Quod, cum fecerint, ſtatutum habeant, ſe copioſum ab ipſo Redemptore noſtro retributionis præmium feliciter adepturos. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, præcepti, ſubjectionis, mandati, ſuſceptionis, exemptionis, liberationis, ſtatuti, indulti, decreti, derogationis, & cohortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Menſe Novembris Pontificatus Noſtri Anno quinto.

M. Datarius.

Cæſar Glorierius.

Regiſt. apud Cæſarem Secretar. & vidend. in Bover. Tom. 1. fol. 796.

A Monialibus iiſdem, annuatim nonnulla dolia vini pro earum uſu ſine gabella, aut alio onere per mare advehi poſſe permittit.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

VOlentes dilectas in Chriſto Filias Moniales Capucinas Montis Caballi Almæ Urbis, noſtræ benignitatis, & gratiæ favore proſequi, eis, & Agentibus pro eis, ut ſingulis annis decem dolia vini ſibi bene viſa per mare advecti, pro illarum uſu gratis, & abſque alicujus gabellæ, ſeu alterius oneris quomodolibet nuncupati ſolutione, ſimul vel ſeparatim emere, & ad earum Domum ſeu Monaſterium conduci facere, liberè & licitè valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus, dictaſque Moniales ab omni ſolutione, propter ea facienda, totaliter eximimus, & liberamus. Mandantes dilectis filiis, noſtro & S. R. E. Cammerario, & Theſaurario generali, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ Præſidentibus, necnon Dohaneriis & quibuſvis aliis Officialibus, quoſcunque nomine nuncupatis, nunc & pro tempore exiſtentibus, ut præſentes noſtras Litteras, & exemptionem hujuſmodi inviolabiliter obſervent, & ab aliis firmiter obſervari mandent, & faciant, quoſcunque inobedientes juris, & facti remediis, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die xx. Decembris MDLXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

Cæſar Glorierius.

Breve format. in Archivo Monaſterii Monialium dictarum.

N O T A.

Exhibito poſtea ſuprapoſito Apoſtolico Brevi in plena Camera, fuit illius executio ſequenti Cardinalis Camerarii Diplomate demandata.

A*Loyſius Miſeratione Divina Titituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis Cornelius nuncupatus Sanctæ Romanæ Eecleſiæ Camerarius. Dilectis Nobis in Chriſto Monialibus Capucinis Montis Caballi, ſub temporali cura, & gubernio Ven. Archiconfraternitatis Imaginis SS. Crucifixi ſalutem in Domino, Exhiberi feciſtis nuper Nobis in Camera Apoſtolica Literas in forma Brevis SS. D. N. Gregorii Papæ XIII. ſub Annulo Piſcatoris debitè, ut moris eſt, expeditas, hujuſmodi ſub tenore videlicet:* Gregorius Papa XIII. ad futuram rei memoriam. *Volentes dilectas;* reliqua uti ſupra.

Subindeque Nobis humiliter ſupplicâſtis, quatenus præinſertas in forma Brevis Literas recipere, & admittere, ac in Libris præfatæ Cameræ deſcribi, & regiſtrari facere, aliàſque deſuper opportunè providere dignaremur, Nos itaque veſtris precibus moti dictas Literas Apoſtolicas in forma Brevis ad Nos, ea, qua decuit, reverentia recipientes, in fidem illarum prius viſo, & lecto tenore de Mandato SS. D. N. Papæ vivæ vocis Oraculo Nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatûs officii, ac ex Decreto deſuper in plena Camera prædicta facto admiſimus, & in libris ejuſdem Cameræ regiſtrari mandavimus, prout admitti, & regiſtrari mandamus per præſentes. Et inſuper volentes Mandata Apoſtolica debitè, ut tenemur, exequi, de ſimilibus Mandato, Auctoritate, & Decreto magnificis Dominis Ripæ Almæ Urbis Dohaneriis, & quibuſvis aliis in dicta Ripa Officialibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ſub mille ducatorum dictæ Cameræ applicandorum, & in ſubſidium ſub cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque noſtro arbitrio reſervatis pœnis mandamus, ut dictas Apoſtolicas in forma Brevis Literas præinſertas, & in eis contenta, per præſentes noſtras, & exemptionem hujuſmodi inviolabiliter obſervent, vos, & Agentes veſtros, nomine veſtro, & dicti Monaſterii ſingulis annis decem dolia vini, vobis bene viſa per mare advecti, gratis, & abſque alicujus gabellæ ſeu alterius oneris quomodolibet nuncupati ſolutione, ſimul vel ſeparatim emenda, ad veſtram Domum, ſeu Monaſterium conduci facere juxta præinſertarum Literarum formam, & tenorem ſinant, & permittant: necnon dictum Monaſterium exemptione, & liberatione ab omni ſolutione gabellæ, ſeu alterius cujuſcunque oneris quomodolibet nuncupati pro decem doliis vini per

mare advecti eiſdem Monialibus per præinſertas Literas Apoſtolicas conceſſa, liberè frui, & gaudere faciant, & patiantur; ac Vos ſeu Agentes veſtros ſupra libera emptione decem doliorum vini eiſdem Monialibus benevifi, ac per mare advecti, ut ſupra, gratis, & abſque alicujus gabellæ ſolutioue contra præinſertarum literarum formam, & tenorem nullo modo impediant, vel moleſtent, nec ab aliis impediri, & moleſtari ſinant directè, vel indirectè, quovis prætextu ſeu quæſito colore, alioquin contra præmiſſa non obſervantes, & contradictores quoslibet, & rebelles, ad pœnarum prædictarum declarationem, & executionem procedemus, ſeu Camera præfata procedet: irritum nihilominus decernentes, quidquid ſecus fiet, non obſtantibus omnibus illis, quæ SS. D. N. Papa in dictis ſuis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. In quorum omnium præmiſſorum fidem præſentes noſtras fieri, & per unum ex Cameræ Apoſtolicæ Notariis noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri Camerariatûs officii, quo utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die decimatertia Menſis Januarii 1584. Pontificatûs SS. in Chriſto Patris D. N. D. Gregorii Divina Providentia Papæ XIII. Anno duodecimo.

Intrà plicam:
Viſa L. de Torres Archiep. Montis reg. dec.
Viſa Julius Vitellius Cameræ Apoſt. Cler.
Viſa J. Coſ. Cam. Apoſt. Clericus Præſidens &c.

Supra plicam: *Auguſtinus Cammellus.*

A tergo: Reg. in Cam. Apoſtolica lib. Diverſ. fol. I.

Orig. in Arch. Monaſterii Monialium dictarum.

Gratiam ita conceſſam ampliavit Paulus Papa V., & quindecim dolia vini ab omni gabella, & datio exempta, vel per mare, vel per flumen, vel per terram pro Monaſterii uſu advehi poſſe, in perpetuum conceſsit, expedito deſuper Apoſtolico Brevi, quod ſequitur.

A tergo: *Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Capucinis Monaſterii Corporis Chriſti in Monte Quirinali de Urbe.*

PAULUS PAPA V.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

C*Ommoditatibus veſtris, quantum cum Domino poſſumus, benignè proſpicere, ac vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & quamlibet veſtrûm à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtitis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu Proprio, ac ex certa Noſtra Scientia, & mera liberalitate, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine Vobis per præſentes in perpetuum concedimus, & indulgemus, ut ſingulis annis per Deputatos, ſeu Miniſtros veſtros nunc, & pro tempore exiſtentes quindicim dolia vini Ripalis, tam ex navigiis, quam ex magazzinis, prout Vobis commodius fuerit, ab omnibus doghanis, datiis, & gabellis, etiam quatuor pro centenario, & quatuor pro ſingulo dolio franca, & exempta pro veſtro, & Monaſterii veſtri uſu emere, & ad Urbem tam per Mare, quam per flumen, aut per terram conduci deinceps in perpetuum contigerit, ſimiliter ab omnibus dohanis, datiis, & gabellis franca, libera, & exempta educere liberè, & licitè valeatis, Voſque, & veſtrum Monaſterium à ſolutione dohanarum, datiorum, & gabellarum quarumcunque ratione dictorum quindecim doliorum hujuſmodi quomodolibet, & quavis auctoritate moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenus poſſe, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Preſidentes, ac S. R. E. Camerarium, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & deffiniri debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes in virtute S. Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis eiſdem Dohaneriis, Datiariis, & Gabellariis quibuſcunque, nunc & pro tempore exiſtentibus, ne Vos, veſtrumque Monaſterium ſuper præmiſſis quovis prætextu, cauſa vel occaſione moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant, ſeu præſumant. Et nihilominus dilectis filiis ejuſdem S. R. E. Camerario, & Præſidentibus Clericis, dictæ Cameræ, cæteriſque, ad quos ſpectat, & in futurum pro tempore quomodolibet ſpectabit, per eaſdem præſentes præcipimus, & mandamus, ut Vos, veſtrumque Monaſterium exemptione, & franchitia ſupradictis juxta tenorem præſentium liberè, & pacificè perpetuò frui, & gaudere permittant, Vobiſque, & eidem Monaſterio in præmiſſis faveant, & aſſiſtant, ac mandata quæcunque, & alias proviſiones veſtras, & opportunas deſuper expediant, & expediri faciant, & præſertim eiſdem Dohaneriis ad computum dictæ Cameræ totumid, quod exemptionis, & franchitiæ hujuſmodi ratione eos amittere contigerit, defalcari, & bonum fieri curent & faciant. Non obſtantibus fel. rec. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri de gratiis, qualecunque Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ intereſſe concernent, in eadem Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, ita, ut præſentes litteræ, etiamſi in eadem Camera per Nos minimè præſententur, & regiſtrentur, nihilominus perpetuò valeant, & ſubſiſtant, ac Vobis, & veſtro Monaſterio pleniſſimè ſuffragentur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Cameræ, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, ac capitulis, pactis, & conventionibus cum Appaltatoribus Dohanarum, & in contrarium præmiſſarum quomodolibet factis, conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus, pro*

ſufficienter expreſſis habentes hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII. Novembris MDCV. Pontificatus ſtri Anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Arch. Monialium.

MANDATO.

Illuſtriſſimi Cardinalis Camerarii, ſuper diſtributione aquæ Felicis ſpecialiter deputati, uncia una aquæ dictæ pro uſu Monaſterii earumdem Monialium ex publico aquæductu in perpetuum conceditur.

HEnricus Cajetanus Tituli Sanctæ Pudentianæ, S.R.E. Camerarius per S. D. N. Sixtum Divina Providentia Papam V. ſuper diſtributione aquæ Felicis, nuper maxima cum impenſa, per eundem Sanctiſſimum ad Urbem, & Thermas Diocletianas, ad publicam utilitatem conductæ pro fontibus publicis, & privatis in Alma Urbe conſtruendis ſpecialiter deputatus. Volentes dilectos filios illuſtres Dominos Cuſtodes Sanctiſſimi Crucifixi, ac Reverendos Priorem, & Moniales Monaſterii Capucinarum de Urbe in Monte Quirinali, quibus per eundem Sanctiſſimum D. N. fuit facta conceſſio, & donatio unius unciæ aquæ Felicis prædictæ, prout idem Sanctiſſimus vivæ vocis Oraculo Nobis ordinavit, & impoſuit, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, eiſdem Illuſtriſſimis Dominis Cuſtodibus, Venerabilibuſque Monaſterio & Monialibus prædictis, ut ex aquæductu publico dictarum aquarum, & loco proprio illius per eundem Sanctiſſimum, aut alium à Sanctitate Sua deſuper deputandum, aſſignandum, aut ordinandum, aquam ad quantitatem unius unciæ, ut ſupra, conceſſæ, ad dictos Illuſtriſſimos Dominos Cuſtodes, Monaſterium, & Moniales prædictas, pro uſu dicti Monaſterii, & Monialium ducere, illâque dictæ Moniales nunc & pro tempore in dicto Monaſterio exiſtentes perpetuis futuris temporibus uti & frui, liberè & licitè poſſint & valeant, tenore præſentium concedimus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis nunc & pro tempore dictæ Urbis exiſtentibus Officialibus, ad quos ſpectat, quatenus præfatos Illuſtriſſimos Dominos Cuſtodes, & Monaſterium ac Moniales in poſſeſſionem, vel quaſi uſum dictæ aquæ ex aquæductu, ut ſupra, percipiendæ inducant, & immitant, immiſſoſque & inductos manuteneant, nec à quoquam deſuper, quavis occaſione, vel cauſa moleſtari permittant, ſed præſentes patentes Litteras ſuum debitum ſortiri effectum, contrariis quibuſcunque non obſtantibus, faciant, & patiantur, cum hoc tamen, quod Illuſtriſſimi Domini Cuſtodes & Monaſterium prædictum teneantur, & obligati ſint Capitula, Statuta, & Conventiones, tam facta & formata, quam facienda, & formanda circa diſtributionem & uſum dictarum aquarum inviolabiliter obſervare, & parere, & prout eis ſuper prædictis impoſitum fuit, executioni demandare.

In quorum fidem præſentes fieri juſſimus, illaſque manibus Noſtris ſubſcripſimus, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Ædibus noſtris ſub Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo Indictione prima, Die verò vigeſima octava Menſis Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Sixti Divina Providentia Papæ V. Anno ejus tertio.

Henricus Card. Camerarius.

Alexius Buccamatus.

Exempl. Authent. in Arch. Monaſt. Monialium.

NOTA.

Fuit & eiſdem Monialibus facta donatio totius aquæ Felicis è Fonte, vulgo *della Guardia de' Svizzeri* nuncupato profluentis, prout exhibet Mandatum ſequens.

P*Etrus Miſeratione Divina S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius ſuper diſtributione aquæ Felicis jam dudum maxima cum impenſa per fel. rec. Sixtum Papam V. ad Urbem, & Termas Diocletianas ad ejuſdem Urbis decorem, & publicam commoditatem conductæ pro fontibus publicis, & privatis conſtruendis ſpecialiter, & expreſsè deputatus. Noveritis, quod nuper ad inſtantiam, & requiſitionem Reverendarum Monialium Capucinarum Montis Quirinalis petitum fuit, quod ipſis gratioſè concederemus totam quantitatem aquæ Felicis, quæ profluit è fonte, ut vulgo dicitur* della

Guar-

Guardia de' Svizzeri; *propè, & è conſpectu Monaſterii dictarum Monialium Capucinarum, de qua eiſdem RR. Monialibus Capucinis facta fuit donatio, & gratioſa conceſſio a b eodem SS. D. N. Papa Clemente VIII. prout idem SS. D. N. vivæ vocis Oraculo impoſuit, & ordinavit, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, Apoſtolicis parendo Mandatis, prædictis RR. Monialibus Capucinis aquam prædictam, quæ profluit è fonte ſupradicto vulgo* detto della Guardia de' Svizzeri; *accipere, & recipere pro ſervitio ipſarum Monialium Capucinarum in Monte Quirinali poſitarum ducere, & conducere, illâque ſic ductâ perpetuis futuris temporibus prædictæ Moniales uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſint & valeant, tenore præſentium concedimus, & gratioſè largimur, hac tamen conditione, quod teneantur ſuis ſumptibus, & expenſis conficere reditum dictæ aquæ. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis nunc, & pro tempore dictæ Urbis, & aquæ prædictæ Officialibus, ad quos ſpectat, quatenus ſtatim viſis præſentibus idem Monaſterium, & Moniales Capucinas in poſſeſſionem, vel quaſi dictæ aquæ inducant, & immittant, immiſſas & inductas manuteneant, eas nunquam â quoquam deſuper moleſtari permittant, ſed faciant, & patiantur has Noſtras Litteras patentes ſuum debitum ſortiri effectum, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Volumus autem eandem Domum, Monaſterium, & Moniales Capucinas teneri, & obligatas eſſe obſervare omniâ ſtatuta, & Ordinationes quomodolibet factas, & faciendas. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes fieri juſſimus, illaſque manu noſtra ſubſcripſimus, & per noſtrum infraſcriptum Notarium aquæ prædictæ ſubſcribi, noſtrique ſoliti ſigilli, quo in talibus utimur, fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ Die 20. Novembris Anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo Indictione decimaquinta Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus undecimo.*

P. Card. Aldobrandin. Camerarius.

Dominicus Buccamatius Notarius.

Exempl. aut. in Arch. Monaſterii Monialium dictarum.

R. R. P.P. Obſervantibus in Vingentina, ſeu Biſentina Lacûs Bolſenæ Inſula, Fratres noſtros ſubſtitui, hiſque Eccleſiam, & Domum illorum conſignari, Odoardo Cardinali Farneſio committit.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro Odoardo S. Euſtachii Diacono Cardinali Farneſio nuncupato.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, aliàs fel. rec. Eugenius Papa IV. Prædeceſſor noſter Eccleſiam ſine cura S. Joannis in Inſula Vingentina, ſive Biſentina in Lacu Bolſenæ Montisflaſconenſis Dioeceſis pridem quondam Honufrio de Sveſſa Presbytero Sveſſanen. per Apoſtolicam Sedem conceſſam, & ab eodem Honufrio reſtauratam, & Inſulam prædictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ipſo Honufrio ſupplicante, Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ Romanæ, eorumque Ordini in perpetuum concedi & aſſignari, & per prædictos Fratres recipi, & apud illam unum locum cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, cœmeterio, dormitorio, hortis, & officinis conſtrui, ac perpetuò retineri conceſſerit, per ejus litteras hujuſmodi ſub tenore videlicet:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ Romanæ ſecundùm morem dicti Ordinis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sacræ Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut precibus veſtris in his præſertim, quæ Divini Cultûs augmentum, & propagationem Religionis reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod, cum dilectus filius Honufrius de Sueſſa Presbyter SveſſanusEccleſiam ſine curaS. Joannis de Inſula Vincentina Diœc. Montisflaſconenſis, ſicut per SedemApoſtolicam ſibi ſua vita durante, etiam Epiſcopi Montisflaſconenſis, qui tunc erat, accedente conſenſu conceſſam, deſtructam & derelictam conſtruxerit & reparaverit, & deſideret, quod in Inſula, & Eccleſia prædictis unus locus cum Eccleſia, campanili, campana, cæmeterio, dormitorio, hortis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum veſtri Ordinis conſtruatur; & propterea idem Honufrius Eccleſiam prædictam, & omne jus ſibi in dicta Eccleſia, & aliàs ſibi quomodolibet competens in manibus noſtris ſponte & liberè reſignaverit; Noſque reſignationem hujuſmodi duxerimus admittendam, pro parte dicti Honufrii, & Veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam & Inſulam prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis Vobis, & eidem Ordini veſtro, Auctoritate Apoſtolica, in perpetuum concedere, & etiam aſſignare de benignita-

gnitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Cultum Divinum, & Religionis augmentum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis Eccleſiam & Inſulam prædictas Auctoritate Noſtra recipiendi, & apud illas novum locum cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, cœmeterio, dormitorio, hortis, & officinis prædictis conſtruendi, & pro uſu & habitatione veſtris perpetuò retinendi, felic. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſcumque aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & dicti Ordinis contrariis nequaquam obſtantibus Ordinarii loci, & alicujus alterius licentia non obtenta, jure tamen Parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate prædicta ſpecialem licentiam elargimur. Et inſuper Vobis, & aliis Fratribus, qui in hujuſmodi Domo conſtruenda pro tempore morabuntur, ut omnibus privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, & gratiis utamini & gaudeatis, ac utantur, & gaudeant, quibus alii Fratres in aliis Domibus dicti Ordinis gaudere ſolent, ac utuntur & gaudent, concedimus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, tertio decimo Kal. Novembris Pontificatus noſtri Anno primo.

Cumq. ex nonnullis cauſis, Nobis notis, nunc expediat, præfatos Fratres Minores de Obſervantia ex Eccleſia, & Inſula prædictis removeri, ac in illorum locum aliquot ex Fratribus Congregationis Capucinorum in Eccleſia, & Inſula prædictis deputari. Nos motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra conceſſionem Eccleſiæ, & Inſulæ prædictæ dictis Fratribus Minorum de Obſervantia, ut præfertur, factam, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò revocamus, & annullamus, ac Circumſpectioni tuæ per præſentes injungimus, ut per Te, vel alium à Te deputandum, prædictos Fratres Minores de Obſervantia, ex Eccleſia, & Inſula prædictis educere, & in eorum locum Fratres Congregationis Capuccinorum, numero ſaltem decem in Eccleſia, & Inſula prædictis ponere, ipſiſque Fratribus Capuccinis Eccleſiam, & Inſulam prædictam eiſdem modo, & forma, quibus prædictis Fratribus de Obſervantia per dictum Eugenium conceſſa fuit, Auctoritate Noſtra Apoſtolica concedere cures; Nos enim tam Tibi præmiſſa faciendi facultatem, quam ipſis Fratribus Capucinis Eccleſiam, & Inſulam prædictam, ut præfertur, recipiendi, ac in illa perpetuò habitandi licentiam, auctoritate, & tenore præſentium impartimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac felic. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ licentia de prohibitione hujuſmodi mentionem faciente, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, ejuſque Superioribus, & Fratribus in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VII. Julii MDXCIX. Pontificatus noſtri Anno octavo.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 169.

N O T A.

Relicta fuit & à noſtris Fratribus prædicta amœni ſitûs Domus, tam, quod Dominium Status Caſtri de Sereniſſima Familia Farneſiana, quæ victui 12. Fratrum integrè ibi providebat, ad Sanctam Sedem fuerit dvolutum, tam, quod alia Domus in vicinia, ſeu in Civitate Montis-Faliſci, ſeu Montis-Falconis fuerit fundata, ad quam, & prioris ſupellex cum Bibliotheca fuit tranſlata, Epiſcopo Montis-Flaſcon. pro tempore, tam Inſulæ, quàm Monaſterii adminiſtrationem tenente.

Antiquam Domum Tiburtin. vendi, & ex pretio inde redacto novæ Domûs fabricam perfici indulget.

A tergo. *Dilecto filio Provinciali Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Capuccinorum.*

PAULUS PP. V.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Domus Fratrum Capuccinorum prope Civitatem Tiburtinam vetuſtiſſima, & multum diſtans â Civitate, ac valde incommoda exiſtat, ita, ut ad illam maxima cum difficultate Medici Phyſici & Chirurgi ad curandas Fratrum infirmitates adducantur, & ob anguſtiam ſitûs nullo modo ampliari poſſit: & propterea Guardianus & Fratres dictæ Domûs aliam Domum, & Eccleſiam in loco commodiori extruere coacti fuerint; cumque ipſius novæ Domus & Eccleſiæ fabricam ob pecuniarum defectum perficere non poſſint, Nos illorum commoditati aliqua ratione conſulere cupientes, ac ipſum Gardianum, & Fratres ſpecialibus &c. volentes & eorum quemlibet â quibuſvis &c. cenſentes, eorum ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut juxta indultum â fel. rec. Alexandro PP. IV. Prædeceſſore noſtro, Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci conceſsum, Domum antiquam & illius ſitum cum omnibus aliis ad eumdem locum pertinentibus, excepta Eccleſia, ex quibus, ſicut pariter accepimus, pretium trecentorum quinquaginta ſcutorum reperitur, per perſonam ſeu perſonas ſæculares ad hoc â Te deputandas vendi, & pretium hujuſmodi in fabricam novæ Domus & Eccleſiæ prædictæ converti facere liberè, & licitè valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus & indulgemus, & ad hunc effectum tantùm, Indultum prædictum Alexandri IV. ad Vos extendimus. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac veſtri Ordinis, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die IX. Septembris MDCV. Pontificatûs noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. tomo menſ. Sept. 1605. fol. 443.

Novam Domum in Terra Setiæ conſtrui, & petium terræ ad Eccleſiam Sæcularem S. Antonii inibi ſpectantis, ad id concedi, Epiſcopo Terracinenſi committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Terracinen.*

PAULUS PP. V.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis Apoſtolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ Religioſorum Altiſſimo ſub ſuavi Religionis jugo famulantium propagationi opportunè conſulitur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Provincialis & Deffinitores Fratrum Ordinis Capuccinorum Provinciæ Romanæ, quod eorum Monaſterium dicti Ordinis Terræ Setiæ ſitum eſt in quadam parte ita aeris intemperie affectâ, ut aliò ſe transferre cogantur. Et quia parum longè â prædicta Civitate reperitur quidam ſitus pro fabrica novæ Domus, ſeu Conventus valde commodus, ſed anguſtus, cupiunt Provincialis & Definitores prædicti, unum petium Terreni, ad Eccleſiam S. Antonii dictæ Terræ, quam dilectus filius Jacobus Brancarius Preſbyter ad præſens obtinet, legitimè ſpectan. quantitatis octavæ partis unius rubri, ex quo dictus Jacobus Julios ſeptem annuatim percipit, & ob illius fructuum tenuitatem eidem Provinciali & Deffinitoribus, pro hujuſmodi novo Conventu erigendo libenter concedere ſe offert, habere, cum jam dicti exponentes repererint, qui illud, quod pro dicti petii Terreni remuneratione dicto Iacobo perſolvendum erit, perſolvet: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ad ea, quæ ad Divini cultûs augmentum, religionis propagationem, & animarum ſalutem pertinent, intendentes, ac dictorum Provincialis & Deffinitorum pio deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, benignè annuere volentes, & eorum quemlibet â quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſuplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut eiſdem Provinciali & Diffinitoribus prædictum petium Terræ de conſenſu dicti Jacobi, illud ad præſens obtinentis, ad effectum, ut ibidem unam dicti Ordinis Fratrum Capuccinorum Domum cum Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, aliiſque officiis, & officinis neceſſariis erigere poſſint,

ſint, auctoritate noſtra Apoſtolica concedas. Ac eiſdem Provinciali & Deffinitoribus, in prædicto Terreno Domum prædictam, in qua duodecim ſaltem Fratres commorari debeant, ſine tamen alicujus præiudicio, erigendi licentiam ſimiliter concedas. Ac eidem Domui, poſtquam erecta fuerit, eiuſque futuris Guardiano & Fratribus, ut omnibus & ſingulis gratiis, indultis, conceſſionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & privilegiis, quibus alii eiuſdem Ordinis Domus, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere ſolent, ac poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, ſine aliqua prorſus differentia uti, frui, & gaudere poſſint & valeant, eadem auctoritate noſtra indulgeas. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri, fratribus Mendicantibus novas Domos ad habitandum recipere prohibente, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac eiuſdem Ordinis & Eccleſiæ S. Antonii huiuſmodi, etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque &c. approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die xv. Octobris MDCV. Pontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. reg. Sept. 1605. fol. 445.

Monialibus Montis Quirinalis de Urbe Capellas imaginum novem Eccleſiarum, necnon S. Petri in carcere, intra clauſtra exiſtentes viſitantibus &c. eaſdem Indulgentias, quas viſitando Eccleſias prædictas conſequerentur, in perpetuum largitur.

PAULUS PAPA V.

Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Ordinis S. Claræ Capuccinis nuncupat. in Monte Quirinali Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam veſtram devotionem, ac animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, Vobis omnibus & ſingulis verè pœnitentibus, ac Sacra Communione refectis, quæ Capellas imaginum novem Eccleſiarum, necnon Beati Petri in Carcere Urbis intra clauſtra veſtri Monaſterii exiſtentes viſitantes, & in illis pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequamini, quas, ſi omnes & ſingulas ſeptem, ſeu novem Eccleſias, nec non Beati Petri in Carcere prædictas, viſitantes conſequeremini, concedimus, & indulgemus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Iunii MDCVIII. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Breve formatum in Arch. Monaſterii Monialium.

NOTA.

Eaſdem Indulgentias Ven. Dei Servi Innocentius XI. reſtauratione dictarum Capellarum non obſtante confirmavit, Brevi Apoſtolico ſequenti.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Ordinis S. Claræ Capucinis nuncupatis Monaſterii in Monte Quirinali de Urbe Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM fel. rec. Paulus PP. V. Prædeceſſor noſter, ad augendam veſtram devotionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris piâ charitate intentus Vobis omnibus & ſingulis verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, quæ Capellas imaginum novem Eccleſiarum, necnon Beati Petri in Carcere dictæ Urbis intra Clauſtra Monaſterii veſtri prædicti exiſtentes, devotè viſitaſſetis, & in illis pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſetis, ut omnes, & ſingulas Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequeremini, quas, ſi omnes, & ſingulas ſeptem, ſeu novem Eccleſias, necnon Beati Petri in Carcere prædictas viſitaſſetis, conſecuturæ fuiſſetis

tis, conceſſerit, & indulſerit, prout in ipſius Pauli Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die XXVII. Junii MDCVIII. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, continetur.

Et ſicut pro parte veſtra Nobis nuper expoſitum fuit, Capellæ & imagines prædictæ intra clauſtra ſupradicta exiſtentes progreſſu temporis reſtauratæ fuerint, eaque de cauſa in aliquo timore vel dubio verſemini, ne forſan gratia Vobis â memorato Paulo Prædeceſſore, ſicut præmittitur, conceſſa ceſſare potuerit; Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, ut Vobis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpirituali conſolationi veſtræ, & animarum veſtrarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, & veſtrûm ſingulares Perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, â jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indultum Vobis â prædicto Paulo Prædeceſſore conceſſum, ut petitur, ita, ut Vos omnes, & ſingulæ verè pœnitentes, & confeſſæ, ac ſacra Communione refectę, quæ ſupradictas Capellas, ut præmittitur, reſtauratas devotè viſitaveritis, & in illis, ſicut ſupra expreſſum eſt, pias ad Deum preces effuderitis, omnes, & ſingulas indulgentias, ſeu peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequamini, quas conſequeremini, ſi omnes & ſingulas ſeptem, ſeu novem Eccleſias, necnon B. Petri in carcere prædictas perſonaliter & devotè viſitaretis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & innovamus. Præſentibus itidem perpetuis futuris temporibus valituris, non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Julii MDCLXXVIII. Pontificatus noſtri anno Septimo.

I. G. Sluſius,

Breve format. in Arch. Monaſterii Monialium.

Emptionem petii terræ, ad Canonicos Monaſterii S. Salvatoris in Lauro de Urbe ſpectantis, ab Univerſitate Montis Rotundi factam approbat, inibique novam Fratrum Domum conſtrui permittit.

A tergo: *Dilectis Filiis Superioribus, & Fratribus Ordinis F. F. Capucinorum Provinciæ Romanæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nobis nuper expoſitum fuit, quod in Domo veſtri Ordinis loci Montis Rotundi Sabinen. Diœc. propter illius vetuſtatem, & Cœli intemperiem quotannis major pars illius Fratrum moritur, quod animadvertentes dilecti Filii Univerſitas, & Homines dicti loci Chriſtianâ Charitate ducti, quoddam petium terræ, capacitatis duorum nebrorum menſuræ illarum partium, ſalubriori in loco ſitum, â Priore, & Canonicis Monaſterii S. Salvatoris in Lauro de Urbe, ad quos ſpectabat, ſub Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito emerunt, illudque Vobis ad effectum conſtruendi inibi novam Domum Regularem perpetuò donârunt, & aſſignârunt. Cum autem, ut eadem expoſitio ſubjungebat, Prior, & Canonici prædicti, poſtquam pretium prædicti petii terræ in emptionem aliorum bonorum ſtabilium converſum fuerit, majorem inde, quam ex prædicto petio terræ, utilitatem recepturi ſint, & propterea Vos plurimùm cupiatis, venditionem, & emptionem, ac donationem, & aſſignationem hujuſmodi per Nos Apoſtolica Auctoritate approbari, & ideo Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & quemlibet veſtrûm â quibuſvis excommunicatiouis &c. &c. abſolutos fore cenſentes, veſtris, ac dilectorum filiorum Prioris, & Canonicorum prædictorum ſupplicationibus inclinati, venditionem, & emptionem, ac donationem, & aſſignationem prædictas, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui in illis intervenerint, ſupplemus. Inſuper Vobis, ut in petio terræ ſic empto, dictam novam Domum Regularem veſtri Ordinis cum Eccleſia, & aliis neceſſariis conſtruere, & ædificare, & ad illam, poſtquam conſtructa fuerit, Fratres primò dictæ Domus transferre, liberè, & licitè valeatis, licentiam, & facultatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur; non obſtantibus præmiſſis, & fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, earum teno-

tenores per præſentes pro expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, hâc vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut pretium præfatum in emptionem aliorum ſtabilium pro Monaſterio S. Salvatoris ſtatim ac receptum fuerit, integrè, & totaliter omnino convertatur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, per eos, ad quos ſpectat, eoipſo incurrendæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IV. Aprilis MDCIX. Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Authog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. reg. Aprilis 1609. fol. 146. de quo Breve formatum in Arch. Conventûs.

D E C R E T O

S. Congregationis Rituum.

In Civitate Tuſculana, necnon in Suburbiis, & Territorio Romano circa præcedentiam inter Fratres, & alios Regulares, in publicis proceſſionibus, id quod in Alma Urbe practicatur, ſervari debere declaratur.

Tuſculana.

CUM in Civitate Tuſculana orta fuit differentia circa præcedentiam in Proceſſionibus publicis, inter Fratres Capucinos, & Fratres Reformatos, Ordinis S. Franciſci, quia Capucini, cum ante Reformatos locum, & Conventum in eadem Civitate obtinuerunt, juxta formam literarum fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Reformatis præcedere volebant, propoſito hujuſmodi negotio in Sac. Rit. Congregatione, & de ejuſdem Sac. Congregationis Ordine, facto verbo de hac controverſia cum Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua ordinavit; in ſuburbiis, & Territorio Romano circa præcedentiam inter Regulares in publicis proceſſionibus ſervandum eſſe id, quod in ipſa Urbe ſervatur. Quare eadem Sac. Rit.Cong.juxta mentem,& ordinationem SSmi in Civitate Tuſculana circa præcedentiam inter F.F.Capucinos, & Fratres Reformatos S. Franciſci idem, quod in Urbe ſervatur, ſervandum eſſe cenſuit, & declaravit. Die 2. Martii 1613.

A. Mar. Epiſcopus Portuenſis Card. Gallus.

Ex reg. Secret. Cong. anni, & menſ. præd.

I. P. Mucantius Cong. Secret.

Altare SS. Crucifixi in Eccleſia Conventûs Tuſculani, tam pro Sacerdotibus Sæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, Miſſam Defunctorum ad dictum Altare celebrantibus, in perpetuum privilegiat.

P A U L U S P A P A V.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti, paterna charitate intenti Sacra interdum loca ſpecialibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex purgatorii pœnis, ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Domûs S. Franciſci Tuſculani, Ordinis Fratrum Minorum, ejuſdem S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ſimili hucuſque Privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, & in ea ſitum Altare SS. Crucifixi hoc ſpeciali dono illuſtrare, Auctoritate Nobis à Domino tradita, & de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, ſive cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta, ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ, per modum ſuffragii, Indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII. Novembris MDCXVI. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum in Arch. Provinciæ.

N O T A.

Fuit poſtea ab Urbano Papa VIII. Privilegium, ad Miſſas Defunctorum privativè reſtrictum, ad Miſſas quaſcunque extenſum, Brevi Apoſtolico ſequenti.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs fel. rec. Paulus Papa V. Prædeceſſor Noſter, volens Eccleſiam S. Franciſci Tuſculan. Ordinis Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, & in ea ſitum Altare SS. Crucifixi ſpeciali dono illuſtrare, Auctoritate ſibi â Domino tradita, perpetuò conceſſit, ut, quandocunque aliquis ſæcularis, ſive cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta, ab hac luce migrâſſet, ad prædictam Altare celebraret, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequeretur; ita ut D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumq; omnium meritis ſibi ſuffragantibus â Purgatorii pœnis liberaretur, prout in ipſius Pauli prædeceſſoris litteris plenius continetur. Nunc autem Nos eandem Eccleſiam ampliori dono illuſtrare cupientes, Auctoritate ſimiliter Nobis tradita confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis ſæcularis, ſive cujuſvis ordinis regularis Miſſam pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta, ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, auctoritate, & tenore ſimilibus perpetuò concedimus, & indulgemus: in contrarium facient. Non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 7. Decembris 1624. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

V. Theatin.

Breve formatum in Arch. Provinciæ.

SummamConciliorum, & Theologiæ Sancti Bonaventuræ, Tractatum de caſibus reſervatis, ac Breviarium Chronologicum, Auctore F. Franciſco à Corìolano typis impreſſa, in Alma Urbe, & Statu Eccleſiaſtico reimprimi prohibet.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilectus filius Franciſcus à Coriolano, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum profeſſor, Nobis nuper exponi fecit, ipſe unam Summam Conciliorum omnium, quæ à S. Petro, uſque ad noſtra tempora celebrata ſunt, cum variis annotationibus, ac aliam Summam Theologicam S. Bonaventuræ, ad inſtar Summæ S. Thomæ Aquinatis, variis itidem annotationibus, & commentariis illuſtratam, & in ſeptem tomos diſtributam, necnon alterum, ab eodem Franciſco aliàs impreſſum, ſed nunc tertiò multis in locis auctum, & locupletatum Tractatum de caſibus reſervatis, juxta Decretum fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri; necnon Breviarium Chronologicum, reſpectivè inſcripta opera in lucem edere intendat, ac vereatur, poſtquam in lucem prodierint, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, opera hujuſmodi typis cudi facere curent in ipſius Franciſci, ac ab eo cauſam habentium præjudicium. Nos eorum indemnitati, ne ex impreſſione hujuſmodi aliquod diſpendium patiantur, providere, ipſoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; ſupplicationibus ipſius Franciſci nomine, Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati, eidem Franciſco, ac ab eo cauſam habentibus prædictis, ut decennio proximo durante, â primæva operum hujuſmodi (dummodo tamen antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbata fuerint.) impreſſione computanda, nemo tam in Urbe, quam in univerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubjecto, opera hujuſmodi, ſine ſpeciali dicti Franciſci, ſeu ab eo cauſam habentium hujuſmodi licentia imprimere, ſeu ab alio, vel aliis impreſſa vendere, ſeu venalia habere, vel proponere poſſit, AuctoritateApoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus; inhibentes propterea univerſis, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, præſertim librorum impreſſoribus ſub quingentorum ducatorum auri de camera, & amiſ-

amiſſionis librorum, & typorum omnium pro una, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia, cauſam à dicto Franciſco habentibus prædictis, & pro reliqua tertiis partibus accuſatori, & judici exequenti irremiſſibiliter applicandis, eo ipſo abſque ulla declaratione incurrendis pænis, nè dicto decennio durante, opera prædicta, aut aliquam eorum partem, etiam prætextu additionum, aut explanationum tam in magno, quam in parvo folio, ac tam in Urbe, quam in univerſo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine hujuſmodi licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impreſſa vendere, aut venalia habere, vel proponere, quoquo modo audeant, ſeu præſumant, Mandantes propterea dilectis Filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vice-Legatis, ac Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis juſtitiæ Miniſtris, Provinciarum, Civitatum, Terrarum, ac locorum Statûs noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus cauſam â dicto Franciſco habentibus hujuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocunque ab ipſis fuerint requiſiti, pænas prædictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus prorſus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VII. Junii MDCXXI. Pontificatûs Noſtri Anno primo.

N O T A.

NOn Lege Nationis, ſed jure Profeſionis Romanus eſt ſupra expreſſus Fr. Franciſcus, nam juxta primam Provincia Cuſentina eum ſibi vendicat, cum Coriolanum, præclarum Superioris Calabriæ, & præfatæ Provinciæ Oppidum, natalem ei dederit lucem: ex ſecunda, Provincia Romana jure merito illum ſuis adſcribit, cum verè in ea S. Religioni ſe autoràſſe, chronicæ teſtentur tabulæ. Ut tamen & Patria Provincia Religioſi ſpiritûs, quo pollebat, potiretur fructibus, illius Provincialem curam ad nonnullos annos ſeverus Regularis Diſciplinæ Cuſtos aſſumpſit; Præteri Libros in Apoſtolico Brevi memoratos, Typis edidit.

Tractatum de Judicio Regulari.

Expoſitionem in Bullam Clem. VIII. de Largitione munerum.

Explicationem in Bullam Cruciatæ.

Horologium Spirituale, ſeu Meditationes pro omnibus Feſtis B. V. M.

Horologium Spirituale, ſeu Meditationes de tota Paſſione D. N. J. Chriſti.

Exercitium Angelicum pro ſalutanda Deipara Virgine Maria.

De ſumma Theologiæ, cujus Apoſtolicum Breve primam facit mentionem, primus tomus duntaxàt è Typo Vaticano prodiit, reliquos Auctoris mors ſuppreſſit.

Fuit acerrimus Doctrinæ D. Bonaventuræ Sectator, & juxta ejus normam, noſtratibus Sacram Theologiam prælegit.

Commendant illius Scripta, & virtutem Hyppolitus Maraccius lib. de Script. Marianis p. 1. Wading. de Script. Ord. Min. Torricilla lib. ſpecul. Seraph. Relig. & alii.

E P I S T O L A
S. Congregationis Epiſc., & Regularium.

Erectio novi Conventûs in loco Tulphæ Epiſcopo Nepeſino committitur.

SAnctiſſimus Dominus noſter indulget, ut Provincialis Capucinorum hujus Provinciæ Conventum ſui Ordinis in loco Tulphæ illius Diœceſis erigere poſſit, contradictione Patrum Ordinis S. Auguſtini, qui ſoli ibi morantur, non obſtante, ita tamen, ut Amplit. Tuæ conſenſus accedat, dicti Patres Auguſtiniani redditus, ex quibus juxta ſuppoſitionem vivere queant, habeant ſufficientes, & in Conventu, noviter conſtruendo, ad minus 12. Fratres de Familia degant, ac in reliquis diſpoſitio Decreti felic. mem. Clementis Papæ VIII. de novorum Conventuum erectione obſervetur. Romæ 18. Maji 1622.

Ex rog. Secret. Cong. anni, & menſis præd. fol. 105.

D E C R E T O.
S. Congregationis de Propaganda Fide.

Studium Controverſiarum in Conventu, tunc S. Bonaventuræ de Urbe, erigi imponitur.

Die 27. Februarii 1624.

SAcra Congregatio cenſuit, Studium Controverſiarum omnino eſſe erigendum in Conventu S. Bonaventuræ Capucinorum de Urbe

Urbe, in eoque ad lecturam deputandum eſſe Fr. Zachariam de Salutio, & propterea præcipiendum eſſe, prout præſenti Decreto præcipit Procuratori Generali, ut Decretum, aliàs ſuper hujuſmodi ſtudio factum executioni mandet, translatis à dicto Conventu ad alios, duodecim ad minus Fratribus, ut eorum loca, Concionatoribus Theologicis, ad proficiendum in controverſiis idoneis, aſſignari poſſint.

Franciſcus Ingolus Secretarius.

Exempl. auth. in Arch. gen. Ord. armario Congreg. de Propag. Fide.

Fratres in corporalem, & realem Domûs S. Antonii in Capite domorum exiſtentis poſſeſſionem induci, Vulpiano Vulpio, Epiſcopo Novarienſi, ac Viceſ-gerenti &c. committit.

Foris: *Venerabili Fratri Vulpiano olim Theatino.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex certis tunc expreſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus Congregationem Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum, omnia, & quæcunque illius officia, & Monaſteria, necnon Domos, & loca Regularia quæcunque, in quibuſvis Provinciis exiſtentia, ac ad Nos ſpectantia, necnon ſtatuta, conſuetudines, & Decreta, ac privilegia, & indulta generalia, & ſpecialia, ſuppreſſimus, & extinximus, ab eiſque Fratribus Domos, Conventus, & loca, ac bona immobilia, & mobilia, ac ſe moventia ubique gentium conſtituta, ſacram quoque, & communem ſupellectilem, ipſorumque omnium uſum, fructum, adminiſtrationem, ac poſſeſſionem ſpiritualem, & temporalem, necnon jus, & actionem eis quomodolibet competentia, eadem Auctoritate abſtulimus, & ablata eſſe, cenſeri voluimus. Necnon Domos, Conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones, & jura præfata, eorumque proprietatem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, eadem auctoritate conceſſimus, & aſſignavimus, ac inter alia Domum S. Antonii de Padua nuncupatam de Urbe, in Capite Domorum exiſtentem, ac ejus Eccleſiam, cellas, hortos, viridaria, aquarum derivationes, aliaſque officinas, necnon reliqua bona immobilia tantùm illi adjacentia, per ipſos Fratres, tunc poſſeſſa, Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ applicavimus, & incorporavimus, ac Noſtræ, & Succeſſorum Noſtrorum diſpoſitioni reſervavimus, prout in Noſtris deſuper in ſimili forma Brevis, ſub die VI. præſentis menſis Februarii expeditis Literis, quarum tenores pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Nos ad eximios, atque uberiores fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci, Capucini nuncupati, aſſiduis Verbi Dei prædicationibus, piæ, atque adeo exemplaris vitæ ſtudio, aliiſque ſpiritualibus exercitiis in Vinea Domini jugiter afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, eoſdem Fratres Capucinos in dictam Domum, ut ibi juxta Regularia eorum inſtituta Divinis laudibus inſiſtant, ad majorem Chriſtifidelium ſpiritualem ædificationem introducendos exiſtimavimus. Idcirco de ſingulari Fraternitatis tuæ fide, integritate, doctrina, ac tui ſpectata in rebus gerendis prudentia, plurimùm in Domino confiſi, Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut uſum, & habitationem Domûs S. Antonii de Padua præfatæ, ejuſque Eccleſiæ, cellarum, hortorum, viridariorum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum, hujuſmodi Fratribus Capucinis præfatis, Auctoritate Noſtra concedas, & aſſignes, inducens eoſdem Fratres Capucinos per Te, vel alium in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Domûs, Eccleſiæ, hortorum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum hujuſmodi, cujuſvis licentiâ deſuper minimè requiſitâ, ac defendens inductos, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pænas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli II., & Pii IV. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac reſpectivè de gratiis intereſſe Cameræ prædictæ quomodolibet concernent. In eadem Camera infra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, aliiſque Conſtitutionibus; & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris

pri-

ſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque in contrarium quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die x. Februarii MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. anni 1626. fol. 157. de quo Breve formatum cum executione, in Arch. gen. Ord. Armario *Provincia Romana*.

M. Veſtrius Barbianus.

CHIROGRAPHO PONTIFICIO.

Septem uncias aquæ cum dimidia ex Conductu principali ad Thermas Diocletianas, eidem Domui de Urbe concedi mandatur.

Præſul Ceſi Cameræ noſtræ Clerice.

In lat. relat. CUM Fratres Capucini Romæ aquâ Felice, quâ de facto potiuntur, vel utuntur in ipſorum Conventu, Palatium Datariæ in Monte Quirinali reſpiciente, & cujus uncia ipſis â fel. rec. Sixto V. cum alia media uncia â fel. rec. Innocentio IX. noſtris prædeceſſoribus ſimul cum regreſſu fontium hortorum Monachorum S. Benedicti in eodem Monte Quirinali, â pariter fel. rec. Paulo V. noſtro Prædeceſſore anno 1612. fuit conceſſa, in novo eorum Conventu, quem in platea ad Caput Domorum nuncupata ædificant, uti eamque uſque ad unciarum quantitatem ſeptem cum dimidia juxta menſuram *forzata* dictam, ob maximam Fabricæ, horti, & dicti novi Conventûs indigentiam augeri, ſimulque integram dictam quantitatem unciarum 7. cum dimidia, in una dumtaxat fiſtula unire cupiant.

Nos dictis Fratribus rem gratam præſtare volentes ordinamus, ut ipſis tota prædicta quantitas unciarum ſeptem cum dimidia ad menſuram *Forzata* ex conductu principali ad Thermas Diocletianas aſſignetur, facto prius Canone, & quidem in eo loco, qui illam ad novum Ipſorum Conventum ducendi, ſublatis aliis, quæ inibi ſunt, fiſtulis, opportunior videbitur. Ad quorum effectum ſolitæ litteræ Patentes gratis, & ſine ulla dictæ aquæ ſolutione expediantur, cum quantitatem majorem illâ, quam aliàs impræſentiarum habent, & gaudent, ipſis purè & liberè donemus.

Et ita executioni mandetur, cum hæc ſit mens noſtra, non obſtante Bulla Sixti V. fel. rec. Prædeceſſoris noſtri, omnibuſque aliis, quæ in contrarium faciunt vel diſponunt, quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, hâc vice tantùm, ſpecialiter & expreſsè derogamus. Datum in noſtro Palatio in Monte Quirinali XXI. Maii MDCXXVI.

Urbanus Papa Octavus.

NOTA.

Et lege executionem prædicti Chirographi in Diplomate, quod ſequitur.

HIPPOLITUS TITULI S. ANGELI IN FORO PISCIUM

Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius, univerſis & ſingulis has præſentes noſtras literas viſuris, inſpecturis, pariterque audituris Salutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, imò veriùs, Apoſtolica auctoritate firmiter obedire Mandatis.

CUm nuper Sanctiſſimus D. N. Urbanus, Divina Providentia Papa Octavus, unciam unam cum dimidia Aquæ Felicis, una cum reditu Aquæ-Ductuum ex fontibus Hortorum Monachorum S. Benedicti in Monte Quirinali â RR. PP. Capucinis de Urbe, pro ſervitio & commodo eorum Conventûs ſiti è conſpectu Palatii Dataria Apoſtolicæ in Monte Quirinali per ſel. rec. Sixtum V. Innocentium IX. & Paulum V. ejus Prædeceſſores conceſſam, ex gratia particulari & ſpeciali accreverit, & augmentaverit in totum ad uncias ſeptem cum dimidia ad menſuram nuncupatam Forzata, *recipiendas ex conductu principali dictæ aquæ ad Thermas Diocletianas ad effectum illas conducendiad novum Conventum dictorum RR. Patrum, qui de præſenti conſtruitur, & ædificatur ad Capita Domorum pro ſervitio, & commodo dicti novi Conventûs, prout latiùs ex Chirographo deſuper expedito, manu ejuſdem Sanctiſſimi, ut apparet, ſignato, & Reverendiſſimo Domino Ceſio Deputato directo, tenoris ſequentis, videlicet:*

Præſul Ceſi &c. reliqua uti ſupra.

Nos igitur volentes Apoſtolicis obedire mandatis, dictoſque RR. PP. Capucinos ſpecialibus favoribus proſequi, de Mandato Sanctiſſimi D. N. Papæ, & auctoritate noſtri Camerariatus officii eiſdem RR. PP. Capucinis de Urbe ex conductu Principali dictæ aquæ Felicis ad Thermas Diocletianas, & ex loco proprio per eundem Reverendiſſimum D. Ceſium aſſignando, & deſignando dictam aquam ad quantitatem dictarum unciarum ſeptem cum dimidia auctam, & augumentatam accipere, & recipere, ac illam ad dictum novum Conventum ducere, & conducere, illâque perpetuis futuris temporibus uti & frui, juxta formam, & continentiam præinſerti Chirographi Sanctiſſimi D. N. Papæ, licentiam, & facultatem concedimus & impertimur.

Man-

Mandantes propterea omnibus, & ſingulis Deputatis dictæ aquæ, & aliis, ad quos ſpectat &c. quatenus ſtatim viſis præſentibus &c. dictos RR. PP. Capucinos; & Conventum in poſſeſsionem dictarum unciarum ſeptem cum dimidia ad menſuram nuncupatam Forzata *dictæ Aquæ Felicis debeant immiſiſſe, amotis dictis aliis fiſtulis, & immiſſos manutenuiſſe, defendiſſe, ac conſervaſſe, ac manutenen. &c. feciſſe, nec deſuper â quovis, quâvis cauſa &c. moleſtari permiſiſſe. Volumus autem dictos RR. PP. Capuccinos teneri, & obligatos eſſe obſervare, & adimplere omnes & ſingulas ordinationes ſuper aqua hujuſmodi editas, ac in futurum edendas. In quorum omnium & ſingulorum fidem, has præſentes ſubſcripſimus, & per infraſcriptum noſtrum Notarium & Secretarium ſubſcribi, Sigillique noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datùm Romæ ex noſtro Palatio hâc die 30. Julii 1626. Pontifitatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Urbani, divina Providentia Papæ Octavi, anno ejus tertio.*

Pro Illuſtriſſimo D. meo Camerario Jo: Baptiſta Cardinalis Detus.

L. S.

Joannes Be. Nucuta Not. Secret.

Sperantius.

Exempl. auth. in Arch. Provinciæ.

Altare S. Bonaventuræ in Eccleſia Conventûs Albani in perpetuum privilegiat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti Sacra interdum loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Domus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Albanen. ſimili ad præſens Privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, & in ea ſitum Altare Sancti Bonaventuræ hoc ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocumque Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ dumtaxat, Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis, Mariæ Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXII. Junii MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

Breve format. in Arch. Conventus.

N O T A.

Cum vigore hujus Brevis Apoſtolici, Fratres in Conventu morantes privilegio conceſſo duntaxat gauderent, fuit id poſtea & ad Fratres ibi tranſeuntes extenſum, Brevi Apoſtolico ſequenti.

URBANUS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs volentes Nos Eccleſiam Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Albanen. & in ea Altare Sancti Bonaventuræ ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate Nobis â Domino tradita perpetuò conceſſimus, & indulſimus, ut, quandocumque Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ dumtaxat, Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebraret, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequeretur, ita, ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus â Purgatorii pœnis liberaretur, prout in noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis litteris plenius continetur. Nunc autem eandem Eccleſiam ampliori dono illuſtrare cupientes, eadem auctoritate confiſi, Indultum hujuſmodi eidem Eccleſię pro Sacerdotibus ejuſdem Eccleſiæ dumtaxat per Nos, ut præfertur, conceſſum, ad omnes, & ſingulos Sacerdotes ejuſdem Ordinis, illuc tranſeuntes, tenore præſentium etiam perpetuò extendimus, & ampliamus; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum

Romæ

Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV, Februarii MDCXXVI. Pontificatûs Noſtri Anno tertio.

V. Theatin.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Summam pecuniarum ex vendito Conventu Montis Calvarii Januæ FF. Minorum Conventualium Reformatorum exactam, in extinctionem Canonum, & Fabricam Conventûs de Urbe converti ordinat.

Foris: *Dilecto filio Fratri Felici Franciſchino à Caſcia Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Miniſtro Generali.*

URBANUS PP. VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs ſel. rec. Sixto Papæ V. Prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum S. Franciſci expoſito, quod ipſi ſtrictiorem vitam agere, & ſe reformare cæperant, aliquoſque Conventus acquiſierant, ac in iis ſub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis hujuſmodi vivebant: Idem Sixtus Prædeceſſor, ne ipſos Fratres Reformatos, eorumque Congregationem ſuper Reformatione hujuſmodi inquietari contingeret, ſupplicationibus eorumdem Fratrum Reformatorum nomine, ſibi humiliter porrectis inclinatus, Reformationem prædictam ubique locorum cœptam, & introductam, ac ex tunc in dies introducendam, & pro ea, illiuſque felici directione facta, ſtatuta, & ordinationes, cum inde ſecutis quibuſcumque, Apoſtolica auctoritate, perpetuò approbavit, & confirmavit. Noviſſimè verò per Nos accepto, ex Congregatione Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, non eos in Eccleſia Dei ſpirituales fructus, qui ſperabantur, prodiiſſe, ſed quamplures differentias inter eoſdem Fratres Reformatos, ac Fratres Conventuales, non Reformatos, ortas eſſe, & acriter vigere: Nos præmiſſis obviare, ac aliàs deſuper opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex præmiſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, Congregationem Fratrum Conventualium hujuſmodi, ac omnia quæcumque illius officia, & miniſteria, necnon Domos, & loca regularia quæcunque, & in quibuſvis Provinciis exiſtentia, & ad eos ſpectantia, ac ſtatuta, conſuetudines, & decreta, necnon privilegia, & indulta, tam ſpecialia, quàm generalia perpetuò ſuppreſſimus, extinximus, & revocavimus, ac ab eiſdem Fratribus Conventualibus Reformatis Domos, Conventus, & loca, ac bona immobilia, mobilia, & ſe moventia, ubique gentium conſtituta, ſacram quoque & communem ſupellectilem, ipſorumque omnium uſum, & uſumfructuum, adminiſtrationem, ac poſſeſſionem ſpiritualem, & temporalem, necnon jus, & actionem, eis quomodolibet competentia abſtulimus, & ablata eſſe cenſeri volumus, necnon Domos, Conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones, & jura prædicta, eorumque proprietatem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum certis modo, & forma, tunc expreſſis, conceſſimus, prout in dicti Sixti Prædeceſſoris ſub plumbo, ac noſtris, in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, dilectus Filius Nobilis Vir Carolus ab Auria del Caretto, Dux Turſi pro uſu, & ſervitio Monialium Monaſterii Spiritûs Sancti, ſeu aliorum piorum locorum, aut alterius pii operis in Civitate Januenſi, prout ſibi melius viſum fuerit, Domum regularem, ac ſitum Montis Calvarii de Garbari nuncupatum, Januen. Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, pretio quindecim millium ſcutorum monetæ emere, necnon uſum Eccleſiæ ad effectum prædictum acquirere intendat: cupiaſque propterea Tibi de opportuna ad hoc licentia provideri. Nos, tam Domui SS. duodecim Apoſtolorum de Urbe Fratrum Minorum Conventualium prædictorum, quàm Fabricæ novæ Domûs Fratrum Minorum hujuſmodi S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum de eadem Urbe de aliquo ſubventionis auxilio providere, ac ſpecialem Tibi gratiam facere volentes, Teque â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut Do-

mum Regularem Montis Calvarii hujuſmodi unà cum ſitu, ac juribus, & pertinentiis ſuis ad effectum præmiſſorum dicto Carolo Duci pretio quindecim millium ſcutorum hujuſmodi, quod quidem pro una octo millium ſtatim, & incontinenti ſolvi, ac penes Bancum dilecti Filii Marcelli Sacchetti Depoſitarii noſtri Generalis deponi,& pro reliqua ſummis ſeptem millium ſcutorum hujuſmodi infra annum, â Data præſentium computandum, ſolvi debeat, vendere, & alienare, uſumque Eccleſiæ hujuſmodi concedere liberè, & licitè poſſis, & valeas, exceptis tamen oneribus livellorum, Canonum, terraticorum, ſeu cujuſvis reſponſionis annuæ, vel laudemii, ad quæ ſolvenda dictum Carolum Ducem teneri volumus, & pro hujuſmodi ſolutione, ita facienda, ipſe Carolus Dux ſe in forma garantigiæ, Dilectus verò filius Octavius Coſta mercator,Romanam Curiam ſequens, in ampliori formá Cameræ Apoſtolicæ, uti principalis principaliter, & in ſolidum ſeſe reſpectivè obligare debeant, & cum hoc etiam, ut dictum pretium pro una duorum millium, & trecentorum dictæ Domui Sanctorum duodecim Apoſtolorum, pro reliqua verò ſummis ipſius pretii, quæ ad infraſcriptum effectum penes dictum Bancum deponi debeant, fabricæ Domus Capucinorum hujuſmodi, ad effectum, illam in extinctionem annuorum Canonum, ſeu reſponſionum, vel Cenſuum occaſione ſituum, pro eadem fabrica emptorum, ſeu in eamdem fabricam convertendi, omnino applicetur, & approprietur, prout per præſentes applicamus, & incorporamus, Apoſtolica authoritate,tenore præſentium,facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes Te deſuper â quoquam impediri, moleſtari, vel perturbari nullatenus poſſe, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare. Cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Novemb. MDCXXVI. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. reg. Novemb. 1626. fol. 205. vel 393. de quo exemp. in Arch. Conventûs.

Legatum pium Capellæ in Eccleſia B. Mariæ de Miraculis, Regionis Trevii de Urbe, ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Conventualium Reformatorum relictum, in utilitatem novæ fabricæ Conventus de Urbe erogari committit, cum onere tamen, ut 20000. Miſſæ pro anima Teſtatoris &c. ſemel dumtaxat applicentur.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, quidam Joſephus Deſiderius in ultimo ſuo teſtamento diſpoſuerit, ut ſcuta duo millia monetæ in viginti locis Montium, non vacabilium, Communitatis ſecundæ erectionis, quæ ipſe teſtator habere ſe aſſeruit, & ſi non extarent, uſque ad dictam ſummam teneretur, perpetuò remanere debeant inveſtita, & obligata, & ulterius ordinaverit, ut alia ſcuta centum unà cum fructibus dictorum viginti locorum Montium uſque ad ſummam aliorum ſcutorum quadringentorum erogentur in conſtructionem, & ornamentum unius Capellæ, in Eccleſia Fratrum B. Mariæ de Miraculis Regionis Trevii de Urbe, ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum. Ac inſuper voluerit, ut hæres integros fructus dictorum viginti locorum Montium, excepta rata dictorum ſcutorum quadringentorum, teneatur tradere dictæ Eccleſiæ pro eleemoſyna, ad effectum, ut Fratres illius Eccleſiæ celebrare debeant quolibet anno tria Anniverſaria, cum Officio Defunctorum, & Miſſa ſolemni in die obitûs ipſius Teſtatoris, & parentum; & qualibet die, non impedita Miſſam Defunctorum, & in illa die, in qua non poſſit celebrari, debeant applicare Miſſam currentem: & quatenus dicti Fratres eleemoſynam prædictam retinere, ac onera præfata ſuſcipere non valeant, reliquerit arbitrio hæredum, & executorum illius applicationem uni, vel pluribus Eccleſiis, eiſdem beneviſis, cum eiſdem, ſeu majoribus oneribus, prout in dicto teſtamento pleniùs dicitur contineri. Nos fabricæ Domûs Regularis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quæ in eadem Regione ad præſens conſtruitur, de aliquo ſubventionis auxilio ſubvenire volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Circumſpectioni tuæ per præſentes injungimus, ut per Te, ſeu per perſonas à Te deputandas, ſupradicta viginti loca Montium exiſtentia in hæreditate vel empta, ſive emenda, necnon illorum fru-

fructus hucuſque decurſos, & decurrendos, aut quoquomodo debitos, ac ſupradicta ſcuta centum Syndico, aut deputato dictæ Fabricæ, ad effectum, illa in uſus, & utilitatem d. Fabricæ vel in extinctionem Canonum, ſive reſponſionum ſuper fundis, per dictos Fratres Capucinos, in eodem loco poſſeſſis, exiſtentium, & impoſterum convertendi, & cum hoc, quod Fratres Capucini prædicti viginti millia Miſſarum ſemel dumtaxat pro dicti Joſephi, ejuſque parentum animarum ſalute, & refrigerio celebrent, ſeu celebrari faciant, eadem auctoritate concedas, & aſſignes, cum facultate, ut idem Syndicus, vel deputatus fabricæ dicta Loca Montium vendere, illorumque pretium, ut ſupra, erogare, ſive eadem loca Montium aſſignare pro extinctione Canonum, & reſponſionum ſupradictarum poſſit, & valeat, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna facias, dicas, geras, & exequaris: ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, liberam, & amplam facultatem, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus voluntate dicti Joſephi, quam in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Novembris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

Authog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Nov. 1626. fol. 398.

Venditionem variarum petiarum terræ, murorum &c. quæ poſt abſoluta Conventuum ædificia, inutiles remanſerunt, ratihabet.

URBANUS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

JUſta petentium votis libenter annuimus, eaque, cum id à Nobis petitur, favoribus proſequimur opportunis: Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius modernus Provincialis Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Romanæ, poſt abſolutionem variarum Domorum dicti Ordinis, quæ ex eleemoſinis diverſorum Chriſtifidelium in Provincia Romana, ac circumvicinis Civitatibus, & Diœceſibus abhinc certis annis conſtructa fuerint, & in dies conſtruantur, quædam petiola terrarum, hortulorum, ac fruſta, ſeu partes murorum, aut hujuſce generis proprietatum ſuperfuerint, quæ propter eorum incommodam cohærentiam, aliis earumdem Domorum membris incorporari non potuerint, neque poſſint, & cum ex illis utile procurare conveniat, dictus Exponens plurimum cupiat per Nos, & Sedem Apoſtolicam ſibi deſuper, ut infra, indulgeri, Nos fruſtorum, ſeu terræ petiolorum, murorum, Hortulorum, aut hujuſce generis proprietatum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates, veroſque, & integros valores, præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque Exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, porrectis Nobis pro parte ſua ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum ſanctæ R.E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, eidem Exponenti, ut mediantibus dilectis filiis, dictarum Domorum Syndicis ſeu Procuratoribus fruſta, ſeu petiola terrarum, murorum, hortulorum, aut hujuſce generis proprietatum hujuſmodi, quæ eiſdem Domibus inutilia ſunt, & videbuntur, cum quibuſcumque perſonis, meliorem conditionem offerentibus, pro aliis dictis Domibus commodioribus bonis, iiſdem Domibus incorporandis, de conſenſu dilecti Filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis permutare, ſeu illis pro pretio reperibili venditis, ac pretium inde redigendum in earumdem Domorum neceſſarios uſus convertere liberè, & licitè, ac abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo poſſint, & valeant, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ac licentiam deſuper impartimur: irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli PP. II. prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Martii MDCXXVII. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Rentius.

Breve formatum in Arch. Provinciæ Rom.

Situm Conventûs de Urbe ab omni Canone, cui ſubjacebat, eximit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licèt imparibus, conſtituti, ad ea libenter intendimus, quæ pro perſonarum, præſertim Religioſarum, quiete, & ſecuritate conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Cæſar, quondam Vincentii Serjuſti Lucen. Fratribus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci Reformatis, in Eccleſia B. Mariæ Miraculorum Almæ noſtræ Urbis tunc degentibus, quorum Congregationem, & Statuta fel. rec. Sixtus V. Prædeceſſor Noſter confirmaverat, ad effectum conſtruendi, & ædificandi Eccleſiam, & Monaſterium pro Fratribus ejuſdem Congregationis, primò cannas ſexcentas ſexaginta circiter ſub annuo perpetuo Canone bononeorum quindecim, pro qualibet canna, in totum conſtituens ſcuta centum monetæ annua ſemeſtruatim anticipatè ſolvenda, cum facultate eiſdem Fratribus attributa, prædictum annuum Canonem affrancandi ad rationem ſcutorum quinque pro quolibet centenario, & reſpectivè cum pacto, quod idem Canon pro rata ſcutorum quinquaginta annuorum tempore obitus ipſius Cæſaris remaneret extinctus, ſub pactis, & conditionibus, de quibus in inſtrumento dictæ conceſſionis die 5. Maii 1613. Seu &c. ut dicitur, rogato, per acta dilecti filii Sylveſtri Spada, Curiæ Reverendiſſimi Noſtri Vicarii Notarii. Deinde verò ipſiſmet Fratribus, vel aliis, à quibus ipſi cauſam habuerunt; alias cannas centumoctuaginta tres circiter ad eamdem rationem bajoch. quindecim pro qualibet canna, in totum conſtituens ſcuta vigintiſeptem cum dimidio annuatim anticipatè in Feſto Nativitatis D. N. J. C. perſolven., cum eadem facultate affrancandi ad rationem ſcutorum quinque pro quolibet centenario, ut ſupra, per acta dilecti filii Franciſci Miceni, Curiæ Capit. Notarii, ſub die 19. Aprilis ejuſdem Anni 1613., ex ſitu, quem ipſe Cæſar habebat in Capite domorum in Emphiteuſim perpetuam conceſſit. Nos, qui dudum juſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, Congregationem prædictorum Fratrum Reformatorum ſuppreſſimus, & qui ſitum prædictum, illis aliàs, ut ſupra, conceſſum, Religioni F.F. Capucinorum, ad effectum inibi ædificandi Eccleſiam, & Conventum pro eorum Religione applicavimus, & etiam ad effectum prædictum, â dilectis filiis Ferrante Meliorino, Stephano Gaibano, Julio Candelottaro, Alexandro Foglietta, & Cæſare Carabello alias cannas centum, & ſeptuagintaſex, palmos 66. circiter in totum ſitûs ejuſdem, ſub proprietate prædicti Cæſaris, inſimul gravatas annuo canone ſcutorum viginti ſex cum dimidio monetæ, ſumpſerunt, & reſpectivè etiam ultra præmiſſa omnia, attendentes dictos Fratres Capucinos ex eleemoſynis vivere, ipſoſque quicquam non poſſidere, & ipſis Canonum prædictorum ſolutionem perdifficilem fore: Et volentes, tam dictorum Fratrum, quam ejuſdem Cæſaris, qui, ſicut Nobis innotuit, ſitum prædictum poſſidebat, nuncque Canones prædictos ex eodem ſitu eidem, ut ſupra, debitos poſſidet ſub fideicommiſſo, facto à quondam Joanne Baptiſta Serjuſto illius Patruo, ſive à quocunque, tam ad ipſius Cæſaris, quàm ejus Fratrum, & aliorum quorumcunque, etiam in infinitum, vocatorum favorem indemnitati conſulere. Propterea Motu Noſtro Proprio, ac ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, inſtrumentum conceſſionis prædictæ per dictum Cæſarem dictis Fratribus Reformatis, ut ſupra factum, necnon reſpectivè inſtrumentum cum dicto Cæſare Carabello celebratum, dictumque ſitum, necnon omnia, & ſingula alia, deſuper quomodolibet neceſſaria, & opportuna, illorumque quantitatem, & confinia, & veros valores, ac reſpectivè tenores, pro ſufficienter inſertis, & expreſſis habentes, ſitum prædictum per Nos, ut ſupra, applicatum, & in parte per dictos Fratres Capucinos, ut ſupra, ſumptum, vel aliàs illis quomodolibet conceſſum, illiuſque jura, & membra quæcunque, à medietate libera, & quæ nulli oneri, aut conditioni ſubjacet primo dicti annui Canonis ſcutorum centum, aliâ medietate vinculo ſupradicto obnoxiâ in ſuo robore manente, necnon à cæteris omnibus, & ſingulis aliis canonibus ſupradictis, ac fideicommiſſis prædictis, & ab omnibus, & quibuſcunque juribus, actionibus, & prætenſionibus, & hypothecis, quæ, & quas tam dictus Cæſar, quam alii quicunque vocati, & comprehenſi in prædictis fideicommiſſis, aliique quicunque, etiam Creditores, tam ad præſens, quam in futurum, ſua intereſſe putantes, quomodolibet, quomodocunque, & qualitercunque habere, & prætendere poſſent, etiam vigore quarumcunque hypothecarum, & obligationum, tenore præſentium, perpetuò eximimus, liberamus, & affrancamus, ac ea omnia penitus tollimus, & ſuper dicto ſitu, & canonibus extinguimus, & caſſamus taliter, quod ipſi ſuper eodem ſitu quicquam in futurum petere, nec prætendere, minuſque eis, aut eorum alteri, ex quacunque cauſa, competere poſſit, ex cauſa hujuſmodi exemptionis, liberationis, & affrancationis pretium dictorum

rum Canonum ad rationem ſcutorum quinque pro centenario, ut ſupra, conventum, pro rata ſcutorum duorum millium, & quinquaginta perſolvi mandamus in tot locis Montium Communitatis Noſtri Statûs Eccleſiaſtici ſecundæ erectionis, ad rationem centumduorum ſcutorum cum dimidio pro ſingulo loco, ad quam rationem in Verbo Romani Pontificis atteſtamur, dicta Loca ad præſens communiter vendi in hac Alma Urbe Noſtra, ex illis aliàs reſignatis, ad favorem prædictorum Fratrum Capucinorum, ſive illorum fabricæ: Reliqua verò ſcuta triginta pro complemento dicti pretii ad effectum inveſtiendi in aliqua re ſtabili, tuta, & ſecura, quæ perpetuò conditionibus, & aliis, ut infra, dicendis ſubjacere debeat, & penès Montem Pietatis deponi mandamus, hoc addito, quod tam dicta loca Montium, quam inveſtimentum ex eiſdem ſcutis 30. faciendum, nunquam vendi, nec reſignari poſſint, ſed ſemper, & perpetuò ſtent, & ſtare debeant obligata, & hypothecata primariò, & principaliter pro cautela, & ſecuritate evictionis dicti ſitûs, & canonum, ut ſupra, extinctorum, ac pro liberatione à quibuſcunque moleſtiis, & hypothecis. Secundo verò loco pro fideicommiſſis dicti quondam Joannis Baptiſtæ, vel aliorum quorumcunque, & ad fideicommiſſa prædicta vocatis, & comprehenſis, & reſpectivè obligata ad favorem creditorum ejuſdem Cæſaris, & aliorum cohæredum ejuſdem quondam Jo. Baptiſtæ, aut aliorum quorumcunque, & pro quibuſcunque hypothecis quorumcunque creditorum, & aliàs in omnibus, & per omnia loco dicti ſitûs, & Canonum, & in eventum extractionis, vel extinctionis dictorum locorum, aut alicujus eorum, ſeu coactæ venditionis, inveſtimenti ex prædictis ſcutis 30. ut ſupra, faciendi, pretium deponi debeat penes Montem Pietatis, & exinde non amovendum, niſi ad effectum illud reinveſtiendi in aliis locis Montium, non vacabilium, ad Cameram noſtram ſpectan., cum deliberatione, quod pretium proveniens ex pretio hujuſmodi affrancationis, & liberationis, ac cum vinculis, & conditionibus ſupradictis, & id fieri, & ſervari debeat ſemper, & in perpetuum, ac toties, quoties caſus prædicti, aut alter eorum evenerit, etiam in reinveſtimentis pro tempore faciendis, quæ quidem loca ſic, ut ſupra, reſignanda, & inveſtimentum reſpectivè, ut ſupra faciendum, & alia quæcunque loca, pro tempore emenda, & illorum loco ſubroganda in locum dicti ſitûs, & Canonum ponimus, & ſubrogamus, & ſuper his jura, actiones, fideicommiſſa, hypothecas, & alia quæcunque jura eorundem ſitûs, & Canonum transferimus, ita ut dictus Cæſar, & alii Fideicommiſſarii, necnon quicunque creditores, & alii quicunque, ſua intereſſe putantes, ſuper eiſdem ſitu, & canonibus non amplius venire poſſint, ſed eorum jura reſerventur, prout Nos per præſentes reſervamus, ſuper dictis locis reſignandis, inveſtimento facien., & aliis eorum loco ſubrogandis, ut ſupra. Ulterius dicto Cæſari de terminis hactenus decurſis, & non ſolutis dictorum omnium, & ſingulorum Canonum ſatisfieri mandamus de pecuniis per Nos, vel aliàs quomodolibet dictæ novæ fabricæ Capucinorum aſſignatis, & applicatis, & ſi ipſe Cæſar ad recipiendum, & quietandum citatus recipere, & quietare recuſaverit, vel neglexerit, tunc ipſos terminos decurſos, & non ſolutos, penes prædictum Montem Pietatis, ad ipſius Cæſaris creditum, & diſpoſitionem, ſine omni illius riſico, & periculo deponi mandamus, & ex nunc pro tunc Depoſito hujuſmodi ſic facto, & reſpectivè ſecutâ reſignatione prædictorum locorum, necnon etiam ſimiliter facto Depoſito, ut ſupra, prædictorum ſcutorum triginta, quietantiam, tam de dictis terminis decurſis, & non ſolutis prædictorum canonum, quàm de pretio affrancationis, & aliorum, ut ſupra, pro ritè, rectè, & legitimè facta haberi volumus, & mandamus. Dilecto verò Filio noſtro nunc, & pro tempore exiſtenti Cameræ Noſtræ Auditori per præſentes committimus, ut præſentes noſtras litteras exequatur, decretaque, & mandata quæcunque deſuper quomodolibet neceſſaria, & opportuna, gratis, & abſque ulla ſolutione, & mercede, etiam quoad Notarios, & Maſſam, faciat, & relaxet, prædictam Religionem Capucinorum ſuper præmiſſis contra Cæſarem, & alios prædictos, omnibus, & ſingulis juris, & facti remediis, etiam per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas defendat, & contra præſentium Noſtrarum Literarum tenorem, & formam, à quopiam moleſtari non permittat. Decernentes contra eaſdem præſentes Noſtras Litteras, quod nunquam poſſit dari de ſubreptione, obreptione, defectu Noſtræ intentionis, vel alia quavis nullitate, ſeu vitio exceptio, quòdque nemo ad probandum contra narrata admittatur, nec ad ea probandum dicti Fratres Capucini cogi poſſint, necnon, quod ſic, & non aliàs tam per dictum Auditorem Cameræ, quàm alios quoſcunque Judices ordinarios delegatos, & ſubdelegatos, & Noſtri Palatii Apoſtolici Auditores, & etiam Cardinales, de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Noſtra de jure quæſito nòn tollendo, dictique Joannis Baptiſtæ, & aliorum quorumcumque teſtamentis, necnon, quatenus opus ſit, inſtrumentis conceſſio-

ſionum dicti ſitûs in ea parte, in quibus fortaſſe obſtarent, ac omnibus, & ſingulis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, decretis, uſibus, ſtylis, conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi ſpecialem, & individuam mentionem requirerent, eorumque tenores exprimi deberent, tenore hujuſmodi pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium, pro hac vice tantùm ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die prima Junii MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

V. Theatinus.

Auth. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. reg: menſ. Junii aut Jul. fol. 25. de quo exemp. in Arch. Conventûs.

Pro novæ Domûs conſtructione in Terra Ronciglionis, ſitum, ad Hoſpitale Pauperum ibidem ſpectantem emi, & in ſolutionem pretium, ex antiqua Domo vendita redactum applicari, Epiſcopo Sutrinenſi committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Sutrinen.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Guardianus & Fratres Domûs Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum Terræ Roncilionis, Sutrinenſis Diœceſis, quod ipſi, qui, ut aſſerunt, novam Domum regularem in alio opportuniori loco conſtrui facere intendunt quemdam ſitum, ad Hoſpitale pauperum dictæ Terræ legitimè ſpectantem valoris in proprietate trecentorum ſcutorum, ad illum ſitui dictæ novæ Domûs regularis includendum, emere, & antiquæ eorum Domûs regularis Eccleſiam prophanare, & cæmentis exinde provenientibus in commodum & beneficium fabricæ dictæ novæ Domus uti, antiquam verò domum prædictam, ſive illius & ejuſdem Eccleſiæ ſitum vendere, & pretium exinde proveniens, in pretii ſitûs primodicti ſolutionem, aut ejuſdem fabricæ uſus convertere poſſe ſummopere deſiderant, ſi noſtra & Apoſtolicæ Sedis eis ſuffragetur licentia & facultas. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur Guardianum & Fratres prædictos ſpecialibus &c. volentes, & illorum ſingulares perſonas â quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut eiſdem Guardiano & Fratribus, quatenus ipſi ſitum primodictum â dicti Hoſpitalis Rectoribus pro pretio â duobus in arte peritis per partes, vel altera ex eis eligere recuſante per Te eligendis, concorditèr declarando, ac eis diſcordantibus per tertium peritum â Te ſimiliter deputandum, arbitrando emere, ipſis verò Rectoribus, ut eum illis pro pretio hujuſmodi vendere liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas; necnon translatis prius Canonicè dictis Guardiano & Fratribus, ac monumentis & oſſibus defunctorum, ſi quæ ſint, una cum ſuperficie terræ & fabrica novæ Domûs hujuſmodi nondum perfecta, antiquam Eccleſiam prædictam prophanes, & ad prophanos, non tamen ſordidos uſus, erecta inibi Cruce, dicta auctoritate reducas. Inſuper, poſtquam licentia hujuſmodi per Te vigore præſentium conceſſa fuerit, dilecto filio fratrum prædictorum Syndico, ut, antequam Domum regularem prædictam, ſive illius & dictæ antiquæ Eccleſiæ ſitum, etiam dicta fabrica nondum perfecta, ut præfertur, uni ſeu pluribus perſonis meliorem conditionem offerentibus, vendere & alienare, ac prætium exinde proveniens, in pretii primodicti ſitûs ſolutionem, vel dictæ fabricæ uſus ac beneficium & commodum, prout & cæmenta ex eadem antiqua Eccleſia, ut præfertur, prophananda, &c. &c., convertere, ac ſuper emptione, & venditione ſupradictis inſtrumenta neceſſaria, & opportuna celebrare, liberè ſimiliter & licitè poſſit & valeat, licentiam, auctoritate prædicta etiam tribuimus & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus ac Hoſpitalis, & Ordinis prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque &c. innovatis: quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVII. Novembris MDCXXVII. Pontificatus Noſtri anno quinto.

V. Theatinus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. reg. menſ. Nov. 1627. fol. 94.

Partem unam pii Legati Fratribus Domûs Veliternenſis relicti, in Canonis extinctionem, & aliam in Fabricæ Conventûs ſubventionem converti, Epiſcopo ibidem committit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Guardianus,& Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Velitern., quod ipſis aliàs occaſione fabricæ ſitûs eorum Domûs regularis quoddam terræ petium, ad dilectos etiam filios Clericos Eccleſiæ S. Angeli, etiam Veliternen., directo dominio ſpectans, ſub annuo Canone, ſeu reſponſione trium circiter ſcutorum monetæ recipere neceſſe fuit. Cum autem, ſicùt eadem expoſitio ſubjungebat, Canon, ſeu reſponſio hujuſmodi à multis annis ſoluta minimè fuerit, ac pro illius extinctione, & ſolutione tam de præterito, quàm de cætero facienda, Clerici prædicti maximè inſtent, nuper verò,ſeu aliàs quondam Fulvia Zaffrana ſimiliter Veliternenſis quoddam legatum perpetuum,unius ſcilicet ſcuti,in ſingulos menſes, in emptionem obſonii convertendi reliquerit, proindeque Guardianus, & Fratres prædicti, cum ſimilium legatorum, juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, Apoſtolica Authoritate confirmata, incapaces exiſtant, plurimùm cupiant legatum hujuſmodi in ſolutionem ejuſdem Canonis, ſeu reſponſionis, ac fabricæ dictæ eorum Domûs regularis, ſubſidium converti. Ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Guardiano, & Fratribus prædictis de aliquo ſubventionis auxilio in præmiſſis providere, ac ſpecialem gratiam facere volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, Syndico dictæ Domûs regularis, quatenus legatum prædictum in extinctionem Canonis, ſeu reſponſionis, ac terminorum non ſolutorum ſatisfactionem, reſiduum verò in fabricæ ejuſdem Domûs ſubventionem, convertere liberè, & licitè poſſit, & valeat, Authoritate Noſtra Apoſtolica, licentiam, & facultatem concedas, & impartiaris, voluntatemque dictæ Fulviæ in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutes. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis, & quibuſvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Decembris MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

V. Theatinus.

Foris: *Venerabili Fratri Epiſcopo Veliternen.*

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. Jan. 1627. fol. 346. de quo Breve formatum in Archivo Conventûs.

Situm è conſpectu Eccleſiæ Domûs de Urbe, â Monialibus Purificationis B. V. Mariæ Fratribus concedi,indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilectæ in Chriſto Filiæ Abbatiſſa, Prioriſſa, & Moniales Monaſterii Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Mariæ de Urbe,Ordinis S.Franciſci, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſæ pro eo, quo dilectos filios Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinos nuncupatos proſequuntur affectu, quendam ſitum cannarum quadringentarum, & ſeptuagintaocto, ac palmorum triginta menſuræ Romanæ è conſpectu novæ Eccleſiæ dictorum Frarrum de eadem Urbe exiſtentem, & ad dictum Monaſterium legitimè ſpectantem, eiſdem Fratribus, ad effectum aperiendi plateam coram anteriori parte ipſius Eccleſiæ, concedere intendant; Nobiſque propterea humiliter ſupplicari fecerint, ut eis de opportuna ad hoc licentia providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, & Moniales prædictas ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eraumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. abſo-

abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialibus, ut ſitum prædictum dictis Fratribus ad effectum præmiſſum concedere, & elargiri, & quæcunque inſtrumenta, ſeu ſcripturas, & alia deſuper neceſſaria, & opportuna facere, & exequi liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Monaſterii, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die V. Septembris MDCXXVIII. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Breve format. in Arch. Provinciæ.

V. Theatinus.

N O T A.

Et vide infra Apoſtolicum Breve, quo emptio hujuſmodi ſitûs poſtea fuit confirmata.

Cellas, in novo Conventu Urbis, â Cardinale Antonio pro ſuo, & ſuæ Familiæ uſu conſtrui permittit.

Foris: *Dilecto Filio Noſtro Tituli S. Honufrii Presbytero Cardinali, noſtro ſecundum carnem Fratri Germano.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte &c. Eximia circumſpectionis tuæ in Nos, & hanc Sanctam Sedem Fidei, & devotionis merita promerentur, ut in his, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere poſſunt, favorabiliter annuamus, Teqne favoribus, & gratiis proſequamur opportunis. Cum itaque, ſicut Nobis nuper expoſuiſti, Tu, pro ſingulari tua erga Deum pietate, & Ordinem FF. Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum devotionis affectu, unam ejuſdem Ordinis Regularem Domum, cum Eccleſia, hortis, hortalitiis, aliiſque membris neceſſariis, & opportunis prope plateam olim de Sfortiis, nunc autem de Barberinis nuncupatam de Urbe propriis expenſis fabricari facias, in eaque quaſdam ſtantias, ſeu habitationem pro Temetipſo, tuaque familia, ac tuis, & ipſius familiæ Viris conſtrui facere intendas, & propterea Tibi per Nos deſuper, ut infra, opportunè provideri ſummopere deſideres. Nos votis tuis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, Teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati; Tibi ſtantias, ſeu habitationem hujuſmodi in prædicta Domo, prout tibi videbitur, & placuerit, conſtrui, & ædificari facias, ac poſtquam conſtructæ, & ædificatæ fuerint, inibi, quoad vixeris, unà cum familia tua, etiam Superioribus, & Fratribus ejuſdem Ordinis, ac etiam illius apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectore nunc, & pro tempore exiſtente contradicentibus, habitandi, & degendi, ac commorandi, licentiam, & facultatem, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Decernentes Te, aut familiam tuam hujuſmodi per Superiores, Fratres, ac Protectorem præfatos, ullo unquam tempore, quovis prætextu, cauſa, vel occaſione quomodolibet moleſtari, deſuper perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere, præſenteſque literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcunque Judices, Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublatâ &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis, etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Superioribus, ac Fratribus, & Protectori præfatis, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & irritantibus, ac aliàs in contrarium &c. innovatis, quibus omnibus &c.; etiamſi de illis ſpecialis habenba eſſet &c. illas omnino, & ſingulas &c. tenore præſentium pro plenè &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXI. Junii MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Autog. in Arch. Excel. Famil. Barberinæ, de quo Exemplar. in Arch. gen. Ord. ac Conventûs de Urbe.

Cellas

Cellas eaſdem poſt mortem Cardinalis Antonii ab hæredibus Familiæ vocatis, inhabitari poſſe declarat.

URBANUS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper per dilectum Filium noſtrum Antonium, Tituli S. Honuphrii Presbyterum Cardinalem, Noſtrum ſecundum carnem Fratrem Germanum, Nobis expoſito, quod ipſe unam Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum regularem Domum, cum Eccleſia, hortis, hortalitiis, aliiſque membris neceſſariis, & opportunis prope Plateam, olim de Sfortiis, nunc autem de Barberinis nuncupatam de Urbe, propriis ejùs expenſis fabricari faciebat, in eaque quaſdam ſtantias, ſeu habitationem pro ſe ipſo, ejuſque familia conſtrui facere intendebat: Nos ejus hac in parte ſupplicationibus inclinati, eidem Antonio Cardinali ſtantias, ſeu habitationem hujuſmodi in prædicta Domo, prout ei videretur, & placeret, conſtrui, & ædificari faciendi, ac poſtquam conſtructæ, & ædificatæ fuiſſent, inibi, quoad viveret, unà cum ejus familia, etiam Superioribus, & Fratribus dicti Ordinis, ac etiam illius apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectore pro tempore exiſtente contradicentibus, habitandi, ac in eis degendi, ac commorandi licentiam, & facultatem, Apoſtolica authoritate, conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in noſtris, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem &c. continetur. Cum autem, ſicut accepimus, dictus Antonius Cardinalis pro ſuo eximio Catholicæ Religionis zelo, ac præcipuo charitatis, quo Fratres prædictos proſequitur affectu, fabricam Domûs, & Eccleſiæ prædictorum ad finem debitum perduci curet ea intentione, ut ſtantiæ, ſeu habitatio hujuſmodi non ſolum ſibi, ſed etiam Nobilibus Viris, tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis Domûs, & Familiæ noſtræ, ſi illis ſtantiis, ſeu habitatione prædictis ullo unquam tempore uti voluerint, inſerviant, dictique Fratres intentioni & voluntati dicti Antonii Card. conſenſum Capitulariter præſtiterint, Nos Nobilium Virorum, etiam Eccleſiaſticorum, Domûs, & Familiæ noſtræ de Barberinis, ac ſucceſſorum ſuorum Filiorum, ac Nepotum, aliorumque in perpetuum, à dilecto filio Nobili Viro Carolo Barberino, Montis-Rotundi Duce, noſtro ſecundùm carnem, & præfati Antonii Cardinalis Fratre germano, & aliorum ejuſdem Caroli Ducis ſucceſſorum, in ſucceſſione per literas noſtras ordinata vocatorum, & in ea perpetuò ſuccedentium commoditatibus, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod eodem Antonio Cardinale viam univerſæ carnis ingreſſo, ſive â Romana Curia abſente, de ejus conſenſu ſtantiæ, ſeu habitatio hujuſmodi, â Nobilibus Noſtris, tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis Domûs, & familiæ præfatæ, aliiſque ſupradictis, unà cum eorum familiis inhabitare, ac utenſilia, ſuppellectilia, aliaque eorum bona in eis habere, & retinere, etiam Superioribus, & Fratribus, ac Ordinis hujuſmodi Protectore prædictis ſimiliter contradicentibus liberè, & licitè poſſint, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper, quod ſtantiæ ſeu habitatio hujuſmodi, aliis perſonis cujuſvis ſtatûs, gradûs, Ordinis, & conditionis exiſtentibus, nullo unquam tempore, abſque expreſſo Antonii Cardinalis, ac Virorum Eccleſiaſticorum, & Laicorum Domûs, & familiæ hujuſmodi, aliorumque Superiorum ſupradictorum, & Fratrum dicti Ordinis conſenſu, quovis modo commodari nullatenus poſſint, nec debeant, authoritate, & tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Decernentes illos per Superiores, & Fratres, ac Protectorem prædictos, ullo umquam tempore, quovis prætextu, cauſa, vel occaſione deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere, præſenteſque literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod Superiores, & Fratres, aut Protector prædicti, ſeu quicumque alii intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, aut aliàs quovis prætextu, cauſa, vel occaſione de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel in controverſiam vocari, aut in viam, & terminos juris reduci, ſive adversùs eas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium attentari, aut impetrari, ſeu concedi, vel ſic impetrato, aut conceſſo quempiam illo uti, ſeu ſe juvare, in judicio, vel extra, nullatenus poſſe, ſed eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ſemper valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, quos concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque per quoſcumque Judices, etiam Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis authoritate fungenti judicandi,

di, & interpetrandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in noſtris literis voluimus non obſtare, cæteriſ- contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXI. Julii MDCXXIX. Pontificatûs noſtri anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Auth. & exempl. in locis prædictis.

NOTA.

AD varios abuſus, & incommoda cum Srantiæ prædictæ occaſionem præberent, & de iis Emin. Cardinalis notitiam nactus eſſet, jure ſuo ceſſit, & ordinavit, ut pro uſu Conventûs ad formam Cellarum Ordinis redigerentur, expenſis accomodationis ab Ipſo factis. uti fuſiùs deducunt Annales Provinciæ Tom. I. fol. 664.

Emptionem ſitûs pro beneficio novi Conventûs de Urbe, & inſtrumentum deſuper erectum, Apoſtolica auctoritate firmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad Perpetuam rei memoriam.

EXpoſuit Nobis nuper dilectus filius noſter Antonius, tituli Sancti Honufrii preſbyter Cardinalis, noſter ſecundum carnem frater germanus, quod dilectus filius Nobilis Vir Joannes Antonius Urſinus, Dux Sancti Gemini, quoddam petium terræ, ſeu ſitum ad ipſum legitimè ſpectantem, in Monte Pincio de Urbe, juxta ab uno dilecti filii noſtri Ludovici, tituli Sancti Laurentii in Damaſo Preſbyteri Cardinalis Ludoviſii nuncupati bona, ac ab alio, ſitum fabricæ novæ Domûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum de Urbe, & ab alio viam publicam; à reliquo autem lateribus Domum, & Eccleſiam Sancti Iſidori, Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum poſitum, capacitatis, & menſuræ, prout reperitur, itá, quòd infraſcripta venditio cenſeatur, & ſit facta ad corpus, & non ad menſuram, unacum domo, ac omnibus & ſingulis aliis illius juribus, membris, & pertinentiis quibuſcumque, eidem Antonio Cardinali pro ſervitio, ac beneficio, & commodo fabricæ novæ Domûs prædictæ pretio ſex millium, & quingentorum Scutorum monetæ, reſervato noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito vendidit, & alienavit, prout pleniùs continetur in publico inſtrumento deſuper confecto, cujus tenor eſt, qui ſequitur,

IN NOMINE DOMINI. Amen. Præſenti publico inſtrumento Cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quòd anno à Nativitate ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti MDCXXVIII. Indictione XI. Die verò ſecunda menſis Novembris, Pontificatûs autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Urbani, Divina providentia Papæ VIII. anno ejus ſexto, in noſtrûm D. Julii Olivelli, & mei Dominici Fontiæ Notariorum publicorum, teſtimoniorumque infraſcriptorum habitorum, atque rogatorum præſentia præſens, & perſonaliter exiſtens Illmus, & Excellmus D. Don Joannes Antonius Urſinus, claræ memoriæ Don Virginii, Ducis Sancti Gemini &c. ſalvo, & reſervato in primis, & ante omnia pro majori infraſcriptorum validitate, & firmitate, conſenſu, & beneplacito Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ impetrando, & obtinendo, ſumptibus, & expenſis Illmi, & Remi D. Emptoris, ſuper confirmatione præſentis venditionis, ac derogatione quorumcunque aſſertorum fideicommiſſorum, & primogeniturarum ſuper infraſcripto Terreno, ſeu ſitu, ut infrà, vendendo, illiuſque juribus, membris, & pertinentiis quibuſcunque quomodolibet, & per quoſcunque, forſam factos, & inductos etiam cum prohibitione, de non alienando, nec licentiam impetrando, impetratâque, ſeu motu proprio conceſsâ non utendo, per quas quidem reſervationes, ac omnia, & ſingula alia infrà exprimenda, & apponenda præſens contractus, & inſtrumentum non intelligatur, nec ſit conditionale, ſed intelligatur, & ſit liberum purum, & perfectum, & non aliàs &c. de quo &c. ſponte &c. & omni meliori modo &c. vendidit, & titulo puræ, validæ, irrevocabiliter, & perpetuò valituræ venditionis jure proprio, & in perpetuum dedit, ceſſit, & conceſſit &c. Illmo, & Remo Domino Fratri Antonio Barberino S. R. E. Presbytero Cardinali S. Honufrii nuncupato, Sanctiſs. Domini Noſtri Papæ ſecundùm carnem Fratri germano, pro ſervitio tamen, ac beneficio, & commodo novæ fabricæ Capuccinorum in Capite domorum, reſervato ſemper nihilominus dominio ipſi Illmo, & Rmo Domino Cardinali, licèt abſenti, admodum Illmo, & Rmo P. D. Luca Antonio Virile, Sacræ Rotæ Auditore, & dictæ novæ fabricæ deputato præſente, & pro dicto Illmo & Rmo D. Car-

Cardinale ſuiſque &c. pro ſervitio, & beneficio ejuſdem fabricæ, ut ſupra, emente, acceptante, & ſolemniter, & legitimè, etiam nobiſcum Notariis &c. Stipulantibus &c. Petium terræ, ſeu ſitum, quod, vel quem ipſe Exm̃us D. Dux habet, & ad eum ſpectat, & pertinet in monte Pincio, juxta bona ab uno Illm̃i, & Rm̃i D. Cardinalis Ludoviſii, & ab alio, ſitum ejuſdem novæ fabricæ Capucinorum, ab alio, viam publicam, & ab alio lateribus Monaſterium, & Eccleſiam S. Iſidori poſitum, capacitatis, & menſuræ, prout reperitur, ita, quod præſens venditio cenſeatur, & ſit facta ad corpus, & non ad menſuram cum Domo, ac omnibus & ſingulis aliis illius juribus, membris, & pertinentiis, & cum omni, & toto eo, quod dictum petium terræ, ſive ſitus, ac præſcripta Domus in ſe etiam ſub ſolo continet, nihil penitus excepto, nec ipſi Exm̃o D. Venditori reſervato, ſed omnibus in dictum Illm̃um D. Emptorem, pro dicta nova fabrica Capucinorum & illius ſervitio, ut ſupra &c. translatis. Ex titulo, & cauſa venditionis, & alienationis hujuſmodi, dictus Excellentiſſimus D. Venditor etiam ceſſit, conceſſit, & tranſtulit dicto Illm̃o, & Rm̃o Domino Cardinali, dicta ſtipulatione interveniente, omnia jura, & omnes actiones reales, & perſonales &c. nullo jure &c. ad habendum &c. ponens &c. conſtituens &c. dans &c. & donec &c. conſtituit &c. Hujuſmodi verò venditionem, ac omnia, & ſingula in præſenti inſtrumento contenta, dictus Excellentiſſimus D. Venditor fecit, & facere declaravit, prout juſto pretio ſic concordato, & convento ſcutorum ſexmillium & quingentorum monetæ, de juliis decem pro ſcuto, quæ dictus Excellentiſſimus D. Venditor tunc manualiter, & in contanti coram teſtibus infraſcriptis, & Nobis Notariis &c. habuit, & recepit à dicto Illm̃o & Rm̃o D. Emptore, per medium tamen Banci Illuſtriſſimi D. Marcelli Sacchetti, & per manum D. Bartholomæi del Medico, ejus Procapſerii præſentis, & ſolventis, & ſolvere aſſerentis, & declarantis vigore ordinis, ſeu fidei R. P. Fratris Michaelis à Bergamo Capucini, & dictæ fabricæ Architecti, eidem Illuſtriſſimo D. Marcello directi, illaque in tot juliis, & teſtonibus argenteis ad ſe traxit &c. de quibus &c. pro integro dicto pretio vocavit ſe ſatisfactum &c. exceptioni &c. ſpeique &c. ad cautelam renunciavit, & quietavit &c. cum pacto &c. Ex quibus quidem ſcutis ſex millibus, & quingentis ſcuta mille ab oculis teſtium infraſcriptorum, & noſtrorum Notariorum non amota, dictus Excellentiſſimus D. Venditor incontinenti ad ejus creditum reliquit, & depoſuit penes dictum Illuſtriſſimum D. Marcellum Sacchettum, mediante dicto D. Bartholomæo del Medico, ejus Procapſerio præſente, & dicta ſcuta mille recipiente, ſub conditione, quod illa ex dicto banco nullatenus amoveri poſſint, niſi ad præciſum effectum, illa de ſcientia, & conſenſu dicti Illm̃i & Rm̃i D. Emptoris convertendi, & implicandi in emptionem tot locorum Montium, non vacabilium, ad Cameram Apoſtolicam tantùm, & non alias perſonas ſpectantia, cum expreſſa declaratione, & mentione, quod pretium eorundem locorum, proveniens ex pretio dicti ſitûs, dicto Illuſtriſs. D. Cardinali, ut ſupra, venditi, ac reſpectivè cum conditione, quod omnia, & ſingula loca prædicta ſint, & ſtare debeant pro multiplico, ut infra dicetur, faciendo, & reſpectivè illa, ſicuti etiam dictum multiplicum faciendum, nunquam vendi, nec alienari poſſit, etiam ſub eiſdem prædictis, & infraſcriptis reſpectivè vinculis, & conditionibus, quia ſic expreſsè actum, & conventum fuit, ſed ea omnia, tanquam emenda, & reſpectivè cumulanda ex pecuniis dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis ſemper, & perpetuò, ultra generalem obligationem dicti Excellentiſſimi D. Venditoris, & illius omnium, & ſingulorum bonorum præſentium, & futurorum, & ultra omnes, & ſingulas alias cautelas, & ſecuritates ſtent, & ſtare debeant ſpecialiter &c., ita tamen &c. ad favorem dicti Illuſtriſſimi D. Emptoris titulo primariæ, & privilegiatæ hypothecæ aſſecta, obnoxia, obligata, & hypothecata, prout etiam illa modo, & forma prædictis Excellentiſs. D. Dux Joannes Antonius ex nunc obligavit, & hypothecavit pro omni, & quacunque evictione generali, & particulari in quovis judicio &c. etiam poſſeſſorio ſummariſſimo dicti ſitûs, ut ſupra, venditi, ac pro liberatione à quibuſcunque moleſtiis, undecunque ex quocunque titulo, ex quacunque cauſa, etiam ex natura rei venditæ, & quocunque tempore quomodolibet provenien., ac perpetua validitate, obſervantia, & adimplemento præſentis inſtrumenti venditionis, & contractûs, ac omnium, & ſingulorum, in eo contentorum, ita, ut ſuper illis, eorumque poſſeſſione, & fructibus quibuſvis aſſertis ipſius Excellentiſſimi D. Ducis Creditoribus, quantumvis anterioribus, & potioribus, ac privilegiatis, & privilegiatiſſimis, etiam favore dotis, alimentorum, & cujuſvis alterius, quantumvis magis piæ, publicæ, & favorabilis cauſæ, nec alteri cuicunque perſonæ, Eccleſiæ, Collegio &c. nullum jus, nullaque actio unquam ſit, nec eſſe intelligatur hactenus, & pro tempore acquiſitum in damnum, & præjudicium dicti Illuſtriſs., & Reverendiſs. D. Cardinalis, ſed ſuper eis ipſe Illuſtriſſimus D. Cardinalis, cæteris omnibus ſemper præferatur, & præferri debeat, ad

ad eademque omnia, & ſingula loca montium, ut ſupra, emenda, ac etiam reſpectivè cumulanda, & illorum quoſcunque fructus, in eventum alicujus litis, & moleſtiæ ſuper ſupradicto ſitu, & ejus juribus &c. ſic, ut ſupra, venditis à quavis perſona &c. quomodolibet inferen., ſeu alicujus evictionis generalis, vel particularis in quovis judicio, &c. etiam poſſeſſorio ſummariſſimo, ſeu mixto, aut nullitatis, invaliditatis, ſeu reſciſſionis, aut contraventionis, & inobſervantiæ præſentis inſtrumenti, & contentorum in eo, in toto, vel in parte, ex quovis capite, titulo, jure, defectu, & cauſa, etiam hîc non expreſſa, & forſan de neceſſitate exprimenda, & in omnibus, & ſingulis aliis, & quibuſcunque caſibus, in quibus dictus Illuſtriſs. & Reverendiſs. D.Cardinalis, & ſui &c. ex facto, dato, & culpa dicti Excellentiſſimi D.Venditoris, vel ſuorum hæredum, & ſucceſſorum, ſeu anteceſſorum, aut auctorum aliorum quorumcumq;, ut ſupra, quomodocumque, & qualitercunque, & ex quocunque capite, ſive causâ impedirentur ſuper dominio, & libera poſſeſſione, & fruitione dicti ſitûs, & illius jurium, ut ſupra, venditorum, toties, quoties caſus præfati, aut alter eorum evenerit, liceat dicto Illuſtriſs., & Reverendiſſimo D. Cardinali Emptori, & ſuis &c. ſpecialiter &c. ita tamen &c., ut ſupra, liberum habere recurſum, & acceſſum, & eis, illorumque fructibus de facto, propria auctoritate, ſine licentia alicujus Judicis &c. nulla præcedente citatione, abſque vitio nullitatis ſpolii, & attentatorum, etiam quacunque lite pendente, ſe inveſtire, illorumque poſſeſſionem realem &c. capere, & apprehendere, ac dictos fructus, à quibus opus fuerit, petere, & exigere pro rata, & quantitate neceſſaria, & opportuna pro ſuſtentatione litium, ſecutâ verò evictione quacunque, dicta loca Montium vendere, & alienare perſonæ, & perſonis, ac pro pretio, & pretiis reperibilibus, & eis beneviſis, & dictum pretium, ſeu pretia pariter exigere, & de eo, vel eis, necnon de dictis fructibus, prout opus fuerit, cum ſolitis clauſulis quietare, ſeu dicta loca omnia, illorumque fructus penes ſe retinere, & habere, ac uſufructare loco rei evictæ, turbatæ, vel impeditæ, & uſque ad ſublatam evictionem, vel impedimentum, moleſtiam, aut turbationem. Ita tamen, ut interim in iſto caſu fructus in ſortem minimè computentur, & aliàs de eis facere, & diſponere ad eorum beneplacitum, & voluntatem pro eorum liberatione à moleſtiis, ac conſervatione, & relevatione indemnitatis ab evictione, damniſque paſſis cum clauſula, & effectu conſtituti, & precarii nunquam præſcriben., ſed in perpetuum duraturi, & cum aliis clauſulis, & facultatibus neceſſariis, & opportunis pro majori cautela, & ſecuritate dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis, & ſuorum &c. ſemper tamen ſine præjudicio facultatis agendi, vigore principalis obligationis, & virtute aliorum remediorum quorumcunque, ex hoc inſtrumento, & aliàs undecunque reſultan. contra quoſcunque, & cum poteſtate variandi &c. ita, quod unâ viâ electâ &c. Et ſi acciderit, quòd dictus Illuſtriſs. D. Cardinalis, vel ſui &c. utendo regreſſu, & manuum injectione præſent. vendere vellent aliquam partem ſupraſcriptorum inveſtimentorum ad effectus præfatos, tunc, & eo caſu ambæ Partes convenerunt, quòd fructus reſidui eorundem inveſtimentorum ſubjiciantur, & ſubjici debeant multiplico, donec ex eis congeſta, cumulata, & integrata fuerit ſumma, quæ per dictam alienationem, regreſſum, & manuum injectionem adempta, & diminuta fuerit, & hoc ſervari debeat toties, quoties caſus prædicti regreſsûs, ſeu manuum injectionis, & præfatæ alienationis venerit, quia ſic &c. Quorum quidem omnium Locorum ſic, ut ſupra, pro multiplico hujuſmodi emendorum fructus, & fructuum fructus, quòd ſufficiant pro emendo uno, vel pluribus Locis Montium, debeant ſemper in actu eorum exactionis converti, & erogari in emptionem tot locorum Montium, non vacabilium, ad Cameram Apoſtolicam tantummodo, & non ad alias perſonas, ut ſupra, ſpectantia, cum ſcientia, & conſenſu dicti Illuſtriſs., & Reverendiſſimi D. Cardinalis, & ſuorum &c., ac cum declaratione, quòd illorum pretium proveniens ex hujuſmodi multiplico, necnon cum conditione, quòd ſtare debeant pro ipſo multiplico faciendo, & reſpectivè ſpecialiter &c. ita tamen &c. primariò, & principaliter obligata, & hypotecata ad favorem dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis pro evictione dicti ſitûs, ut ſupra, venditi, modis, & formis prædictis, quæ hîc pro repetitis habeantur, & id fieri, & inviolabiliter ſervari debeat, donec, & quouſque ex prædictis, & continuatis emptionibus, & inveſtituris, quæ nunquam intermitti debeant, in totum una cum dicto capitali ſcutorum mille congeſta, & multiplicata fuerit ſumma dictorum ſcutorum ſex millium, & quingentorum pro pretio dicti ſitûs, ita, & taliter, quod dictus Excellentiſſimus Dux Venditor, illiuſque Filii, Deſcendentes, hæredes, & ſucceſſores, & alii quicunque interim, ac donec, & quouſque integra ſumma ipſa expreſſa cumulata non fuerit, ex dictis ſcutis mille pro dicto inveſtimento, & multiplico deſtinatis, & illorum augmentis, & multiplicationibus ullo unquam tempore poſſint ex quavis cauſa, etiam dotis, & alimentorum, ac etiam quantumvis urgenti, & urgentiſſima pia, & privilegiata, in totum, vel in partem

tem aliquos fructus percipere, vel in quoſvis alios, etiam neceſſarios, & utiles uſus convertere, ſed ſemper fructus præfati converti, & inveſtiri debeant ad effectum multiplicandi, ut ſupra dictum eſt, donec, & quouſque in totum fuerit aucta, & cumulata integra ſumma ſupradictorum ſcutorum ſexmillium, & quingentorum, comprehenſo ſupradicto capitali, & non aliàs aliter, nec alio modo, ita ut à quoquam non poſſit peti, nec obtineri licentia, vel reſcriptum in contrarium, à Sede Apoſtolica, & quatenus etiam motu pari, ac aliàs quomodolibet, etiam conſiſtorialiter, concederetur, nullus poſſit unquam illo uti, ſed præſens conventio omnino obſervetur, etiam non obſtante quocunque reſcripto Principis, cum derogatione in totum, vel in partem, aut in perpetuum, vel ad tempus pacti hujuſmodi ſeu præſentis contractûs, etiam ex cauſa dotis, ſeu alimentorum, vel ex quavis alia cauſa, quantumvis favorabili, pia, & privilegiata, & tam ad inſtantiam dicti Excellentiſſimi D. Ducis Venditoris, & aliorum quorumcunque, quàm motu proprio de plena, & certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, aut aliàs, ſub quavis alia forma, quantumvis gratioſa, & favorabili, cum quibuſcunque clauſulis derogatoriarum derogatoriis, quibus omnibus ex nunc dictus Exm̃us D. Venditor expreſsè renunciavit, & illis etiam motu proprio ceſſit, nullatenus uti promiſit, ſub quovis prætextu &c. Hujuſmodi verò multiplico, & cumulo demum perfecto, & expleto, & non antea, nec aliàs aliter, nec alio modo dictus Excellentiſſimus D. Venditor, de fructibus prædictis in ſuos uſus tanquam de re propria, liberè diſponere poſſit firmo ſemper manente inveſtimento pro ſumma ſuperius expreſſa ad fines, & effectus ſupra expreſſos. Onus autem, & cura faciendi multiplicationes, & inveſtimenta ſupradicta convenerunt ambæ Partes, quod ſpectet, & pertineat ad dictum Excellentiſſimum D. Venditorem, ejuſque hæredes, & ſucceſſores, prout ex nunc idem Excellentiſſimus D. Venditor in ſe ipſum, ejuſque hæredes, & ſucceſſores onus, & curam hujuſmodi aſſumpſit, & promiſit debitis terminis, & temporibus omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas ad dictum inveſtimentum, & cumulum quomodolibet ſpectantium, & pertinentium, & ex eis provenientium exigere, & illas cum omni diligentia, omnibus ipſius, & ejus hæredum, & ſucceſſorum ſumptibus, & expenſis, abſque aliqua perceptione, ſeu detractione, vel diminutione pecuniarum, pro multiplico hujuſmodi deſtinatarum, inveſtire, & multiplicare, inveſtimentumque, & multiplicum hujuſmodi expedire, modo, & forma ſuperiùs expreſſis, aliàs ultra præciſam obſervantiam, ad quam ſemper idem Excellentiſſimus D. Venditor cogi poſſit, & voluit, teneri etiam voluit ad omnia damna &c. de quibus &c. Et ſi dictus Excellentiſſimus D. Dux, ejuſque hæredes, & ſucceſſores quandocunque negligentes fuerint, vel defecerint in faciendo in totum, vel in partem, inveſtimenta, & multiplicationes prædictas in debitis terminis, & temporibus, ut ſupra, etiam pro una vice ultra præmiſſa, ad quæ ſemper dictus Excellentiſſimus D. Venditor, ejuſque hæredes &c. cogi poſſint, ambæ Partes convenerunt, quod toties quoties, dictus Excellentiſſimus D. Dux, & ſui &c. fuerint negligentes, vel defecerint, ut ſupra, dicto Illm̃o, & Rm̃o D. Cardinali, & ſuis &c. liceat, ipſique poſſint de facto propria auctoritate, & ſine alicujus Judicis, vel Curiæ licentia, ſeu Decreto, omni ipſius Excellentiſſimi D. Venditoris, ac ejus hæredum, & ſucceſſorum quorumcunque riſico, & periculo ad faciendum inveſtimenta, & multiplicationes prædictas eligere, nominare, & deputare unam, vel plures perſonas, ipſo Illuſtriſſimo D. Cardinali, & ſuis &c. placitas, & bene viſas, cum ſalario, ſive mercede, pariter eiſdem placitis, & cum facultate, omnes, & ſingulos fructus pro multiplico hujuſmodi deſtinatos, ac pretium, ſeu pretia locorum, multiplico ſubjectorum pro tempore extrahendorum, à quibus opus fuerit, petendi, erigendi, & de eis cum ſolitis clauſulis quietandi &c. ad effectum tamen, modis, & formis ſupradictis inveſtiendi, & ſi pro præmiſſis opus fuerit, contra quoſcunque judicialiter agendi &c. cum clauſulis ſolitis ad lites &c., & aliis clauſulis, & facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, ac ipſi Illuſtriſſimo D. Cardinali, & ſuis &c. placitis, & benevisis, ipſaſque perſonas nominatas, etiam ſine aliqua cauſa, à munere hujuſmodi levare, & amovere, & alias illorum loco deputare, eligere, & nominare, ut ſupra, & in hujuſmodi electionibus, & deputationibus continuare ſemel, & pluries, ac toties, quoties eidem Illuſtriſſimo D. Cardinali videbitur, & placuerit, ac uſque ad completum præfatum multiplicum, ſemper tamen ſine præjudicio facultatis variandi &c. ita, quod unâ viâ electâ &c. cui quidem perſonæ, ſeu perſonis per dictum Illuſtriſſimum D. Cardinalem vel ſuos &c. in caſum, & eventum prædictum ſic, ut ſupra, ſemel, vel pluries eligendis, & deputandis, Idem Excellentiſſimus Dominus Dux Venditor promiſit ſalarium ei, vel eis à præfato Illm̃o, & Rm̃o D. Cardinali, & ſuis &c. conſtituendum liberè, & omni prorſus exceptione remotâ, ſolvere, & exburſare, necnon etiam illi, ſeu illis pariter ſolvere, & exburſare, de proprio dicti Excellentiſſimi Domini Venditoris, & abſque aliqua detractione pecuniarum, præfato multiplico ſubjectarum, omnes expenſas, per ipſam perſonam,

ſonam, ſeu perſonas eligendas in faciendo, & expediendo dictum multiplicum quomodolibet faciendum liberè, ut ſupra, & aliàs &c. & ex nunc pro tunc facta dicta electione, & deputatione omnes, & ſingulas perſonas, per dictum Illuſtriſſimum D. Cardinalem, & ſuos, ſemel & pluries, ut ſupra, eligendas, & deputandas, idem Excellentiſſimus D. Venditor pro ſeipſo, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcunque fecit, conſtituit, & deputavit Procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam, etiam medio juramento, factâ Cruce &c. ad prædicta omnia, & ſingula, & alia etiam deſuper neceſſaria, & opportuna validè, & legitimè facienda, peragenda, & exequenda, cum prædictis, & aliis quibuſcunque clauſulis, authoritatibus, & facultatibus, etiam ſubſtituendi &c. deſuper quomodolibet neceſſariis, & opportunis, pacto tamen, & conditione deſuper appoſitis, videlicet, quod hujuſmodi procuræ mandatum per mortem dicti Excellentiſſimi D. Ducis, ac ejus hæredum, & ſucceſſorum nullatenus exſpiret, ſed duret, & durare debeat, ſi ita dicto Illuſtriſſimo D. Cardinali, & ſuis &c. videbitur, & placebit, & non aliàs &c. uſque ad completum prædictum multiplicum, necnon reſpectivè etiam cum pacto, & declaratione, videlicet: quod dictus Illuſtriſſimus D. Emptor, nec ex cauſa dictæ facultatis, ei, ut ſupra, attributæ, nec ex quavis alia cauſa, quantumvìs incognita, & inexcogitata teneatur ſubire onus dicti inveſtimenti, nec minus ad dictum inveſtimentum, & cumulum procurandum, & adimplendum, pariterque non teneatur de aliqua negligentia, vel culpa, ſeu dolo, etiam perſonæ, ſeu perſonarum ab eo, ut ſupra, deputandarum; ſicque, etiamſi dictum multiplicum in debitis terminis, & temporibus factum non fuerit, aliquod damnum, vel detrimentum ſimiliter pati non poſſit, ſed omnis cauſa ejuſdem multiplici, & inveſtimenti, prout etiam omne ejuſdem inſtrumenti periculum, & damnum, etiam cujuſvis deteriorationis, vel extractionis, aut extinctionis, vel evictionis, ex quavis cauſa provenientis, & expenſæ pro tempore faciendæ in emendo, & expediendo dictum multiplicum, & inveſtimentum, ut ſupra, & reſpectivè omne lucrum, augmentum, & commodum ex eiſdem inveſtimento, & multiplico, pro tempore proventura, ſpectent, & pertineant ad dictum Excellentiſſimum D. Ducem, ſuoſque &c. cum hypothecis tamen, clauſulis, & cautelis ſupradictis, & infra ſpecificandis in favorem dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, cui, ſi dictum inveſtimentum fiat, vel malè fiat, utt aliud ſiniſtri, vel præjudicii accidit, quicquam adſcribi, vel imputari non poſſit, minuſque per quoſcumque conſenſus, ex cauſa præmiſſorum, & infraſcriptorum præſtandos, ullo unquam tempore ipſi Illuſtriſſimo D. Cardinali cenſeatur, nec ſit illatum aliquod damnum, & præjudicium, ſed conſenſus, & contentamentum hujuſmodi intelligantur, & ſint adhibita, adhiberique, & intervenire debeant pro ejus jure, & intereſſe, & cautelis tantùm, & non aliàs, aliter, nec alio modo, quia ſic &c. In eventum verò extractionis, vel extinctionis locorum Montium pro multiplico faciendo emendorum, & reſpectivè, ut ſupra, cumulandorum, & multiplicandorum, & alicujus eorum, convenerunt, quod pretium illorum deponi debeat penes Sacrum Montem Pietatis cum conditione, quod exinde amoveri, & levari non poſſit, niſi ad effectum illud reinveſtiendi in aliis locis Montium, non vacabilium, ejuſdem R. C. Apoſtolicæ, modis, & formis, ac cum ſcientia, conſenſu, vinculis, clauſulis, authoritatibus, facultatibus, declarationibus, & omnibus aliis ſupradictis, & id fieri, ſervari, & adimpleri debeat toties, quoties alter ex ſupradictis caſibus evenerit, etiam in reinveſtimentis pro tempore faciendis, quia ſic pariter actum &c. promittens, & affirmans dictus Excellentiſſimus D. Venditor dictum ſitum, ut ſupra, venditum cum ipſius juribus &c. eſſe ipſius Excellentiſsimi D. Venditoris, & ad ipſum ſpectaſſe, & pertinuiſſe, ac ſpectare, & pertinere, & eſſe prorſus liberum, immunem, & exemptum ab omnibus, & ſingulis cenſibus, Canonibus, & reſponſionibus ſervitutis, devolutionis, caducitatis, primogenituris, fideicommiſſis purificatis, vel purificandis, & alio quocunque onere, hujuſmodi venditionem, & alienationem, quomodolibet impediente, vel quod illi in aliquo præjudicare poſſit, neminique alteri perſonæ &c. in totum, vel in partem fuiſſe, nec eſſe venditum, datum, donatum, ceſſum, conceſſum, permutatum, aut aliàs quomodolibet alienatum, alienationis etiam vocabulo latiſſimè ſumpto, & de eo non fuiſſe factum, nec ullo unquam tempore appariturum alium aliquem contractum &c. in præjudicium præſentis &c. hujuſmodique venditionem, & alienationem eſſe, & perpetuò fore bonam, & validam, beneque validè, & legitimè factam, & pro tali omni tempore manutenere, & ad eam devenire ſibi licuiſſe, & licere, & hujuſmodi inſtrumento, ac omnibus, & ſingulis in eo contentis facere conſentire omnes, & quaſcunque perſonas &c. jus, ſeu actionem aliquam ſuper dicto ſitu, & illius juribus &c. habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, etiamſi Eccleſiaſticas &c. Ita quod &c. litem &c. non inferre, nec inferenti quomodolibet conſentire,

tire, ſeu adhærere, quinimo ab aliis movendam, ſeu movendas in quocunque judicio, tam petitorio, quàm poſſeſſorio, & mixto, ac etiam poſſeſſorio ſummariiſſimo, ut ſupra, ac quolibet eorum in ſolidum avocata, vel non avocata poſſeſſione, in ſe ipſum ſuſcipere ad omnem ſolam, ſimplicem, & extrajudicialem requiſitionem, denunciam, voluntatem, & interpellationem dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, & ſuorum &c., etiam non ſolemniter factas ſine inſeritione libelli, domi dimiſſa copia, & juris communis, ac ſtatutorum Urbis formâ in præmiſſis minimè ſervata, & in eventum abſentiæ ab Urbe per contradictas, aut edictum publicum, quæ ſic facta arctet, & valeat, ac ſufficiat, & afficiat, ac ſi firmiter, & ſolemniter facta foret, illaſque proſequi, mediare, terminare pariter, & finire, & ab illis dictum Illuſtriſſimum D. Cardinalem, & ſuos &c. penitus, & omnino tueri, defendere, & liberare, omnibus, & ſingulis ipſius Excellentiſſimi D. Venditoris ſumptibus, & expenſis, etiam Procuratoris, & Advocati abſque ulla cura, impenſa, vel labore dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, & ſuorum &c. aliàs in omnes, & ſingulos caſus, & eventus contrarios, ſive contraventionis, vel inobſervantiæ præmiſſorum, aut alicujus eorum, ſive nullitatis, invaliditatis, aut reſciſſionis præſentis inſtrumenti, & contentorum in eo, in totum, vel in partem, ex quovis capite, titulo, jure de facto, & cauſa, etiam hic non expreſſa, & forſan neceſſariò exprimenda, & in quolibet dictorum caſuum, idem Excellentiſſimus D. Ventor teneri, & obligatum eſſe voluit de omni, & quacunque dicti ſitûs, & illius jurium quorumcunque evictione generali, & particulari, in quovis judicio &c., etiam poſſeſſorio ſummariiſſimo, in forma juris valida, & in Urbe conſueta, hoc eſt, ad duplum &c. aſſerens &c. & ad omnia damna &c., ita, quod ſub prætextu litis ſuſceptæ, vel minus ſolemniter intimatæ, aut quod evictio per malitiam, vel ignorantiam judicantium, negligentiam litigantium facto Principis ex natura rei, vel aliàs quodolibet, quomodocunque, & qualitercunque ſequatur, idem Excellentiſſimus D. Venditor, & ſui &c. nihilominus nullatenus ſe excuſare valeant, quia ſic actum &c. Et ut dicto Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali magis cautum ſit, promiſit ſupradictus Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Don Joannes Antonius Urſinus, hujuſmodi inſtrumento, ac omnibus, & ſingulis in eo contentis, & expreſſis accepturum, & obligaturum Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Don Ferdinandum Urſinum, ejus Generum, prout in præmiſſorum executionem ibidem perſonaliter exiſtens dictus Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus D. Ferdinandus Urſinus Nobis Notariis bene cognitus, aſſerens ſe habere plenam notitiam, ac certam ſcientiam, & informationem de ſupradicta venditione ſitûs, facta per ſupradictum Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Don Joannem Antonium Urſinum Ducem Gemini &c. ſupradicto Illm̃o, & Reverendiſs. D. Cardinali Sancti Honuphrii, pretio ſcutorum ſexmillium, & quingentorum monetæ, quorum mille debent implicari, & inveſtiri pro multiplico faciendo, donec congeſta, & cumulata fuerit integra ſumma dictorum ſcutorum ſex millium, & quingentorum, ac de omnibus, & ſingulis contentis, & expreſſis in ſupradicto inſtrumento venditionis, cujus celebrationi idem Excellentiſſimus Dominus Don Ferdinandus interfuit, ſciens &c. ſed &c. ſponte &c. omni meliori modo &c. dictæ venditioni præfati ſitûs, ut ſupra factæ, tam pro conſenſu præſtando, lite, & cauſa quacunque ſuſcipienda, & proſequenda, validitate contractûs, multiplico, illiuſque continuatione, perfectione, & expletione, evictioneque univerſali, & particulari, quam demum pro inviolabili obſervatione, ac totali adimplemento omnium, & ſingulorum, per ſupradictum Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Ducem promiſſorum, & in præfato inſtrumento contentorum in omnibus, & per omnia, uti principalis, principaliter, & in ſolidum acceſſit, fidejuſſit, & promiſit &c. ſe principalem perſonaliter, & in ſolidum obligatum ad favorem ſupradicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis S. Honuphrii, ut ſupra, abſentis, dicta ſtipulatione interveniente, in omnibus, & per omnia faciendo, & conſtituendo; & inſuper dicti Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. Don Joannes Antonius, & Don Ferdinandus in ſolidum promiſerunt, quod Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus D. Virginius Urſinus, Filius dicti Excellentiſſimi D. Don Ferdinandi, minor annis viginti, non ſolùm infra menſem proximum pro ſupradictis omnibus, & ſingulis cum decreto Judicis, & aliis ſolemnitatibus requiſitis accedet, promittet, & ſe obligabit in omnibus, & per omnia, prout ſupradictus Excellentiſſimus D. Dux Ferdinandus, ejus Pater, ut ſupra, acceſſit, promiſit, & ſe obligavit, verùm etiam illa omnia, cum primùm ad ætatem legitimam pervenerit, in valida, & ſufficienti forma ratificabit liberè &c. quos Illuſtriſſimos, & Excellentiſſimos Dominos D. Ferdinandum, ſic promittentem præſentem &c. ac D. Virginium acceſſurum, & ratificaturum reſpectivè, abſentibus nobis Notariis &c. dictus Excellentiſſimas D. Don Joannes Antonius indemnem &c. relevare, & conſervare promiſit, ita, quod &c. Ulteriùs jura juribus, & cautelas cautelis, ad favorem ſupradicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis Emptoris adden-

addendo, tam ipſe Excellentiſſimus D. Venditor, & dictus admodum Ill. & Reverendiſſimus P. D. Lucas Antonius Virilis, nomine dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, quàm etiam ſupradictus Excellentiſſimus Dominus Don Ferdinandus Urſinus fidejuſſor convenerunt de ſupplicando, prout ex nunc ſupplicarunt SS. D. N. Papæ & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, pro quacunque confirmatione apoſtolica præſentis Inſtrumenti, & contractûs motu proprio, vel aliàs quomodolibet concedenda, & obtinenda, cum ſuppletione, & ſanatione omnium, & quorumcunque defectuum, tam formalium, quàm ſubſtantialium, etiam ſolemnitatum, ſolemniter forſan non adhibitarum, & aliorum, etiam hîc non expreſſorum, cum ampla derogatione quorumcunque fideicommiſſorum, donationum, primogeniturarum, pactorum de ſuccedendo, ac omnium, & ſingulorum aliorum, & quorumcunque obſtaculorum, & impedimentorum, quatenus extarent, ſeu extare dici, vel cenſeri poſſent, ac omnimoda ipſius ſitûs, & ejus jnrium &c. liberatione ab omnibus, & ſingulis præmiſsis, nec non ab omnibus & ſingulis cenſibus ſuper dicto ſitu, ab ipſo Excellentiſſimo Domino Duce, & aliis quibuſcumque deſuper quomodolibet impoſitis, & ad favorem quarumcumque perſonarum, etiam ſpeciali nota dignarum venditis, ac aliis obligationibus, & hypothecis, etiam dotalibus, & etiam in cauſam alimentorum, aut aliam quantumlibet magis piam, & privilegiatam deſuper factis, necnon omnibus, & ſingulis aliis, quæ præſenti venditioni, ac dicto Illuſtriſſimo D. Cardinali & ſuis &c. dictæque novæ fabricæ nocere, vel quomodolibet præjudicare poſſent, præmiſſorumque omnium, & ſingulorum cenſuum &c. ſuper dicto ſitu quomodolibet apparentium translatione, & ſubrogatione ſuper tenuta Montis Majoris extra Portam Piam in territorio Sabinenſi . . . . & aliis bonis dicti Exmi D. Ducis allodialibus tamen, non autem juriſdictionalibus, necnon omnium, & ſingulorum debitorum ſuper dictum ſitum apparentium translatione, ſuper aliis bonis Excellentiſſimi Ducis allodialibus tamen, non autem juriſdictionalibus, ita ut fideicommiſſarii, Primogeniti, cenſuum, & aliórum quorumcumque Creditores, & alii quicunque nunc, & pro tempore prætendentes, & ſua intereſſe putantes, non amplius poſſint contra dictum ſitum, qui ſemper, & perpetuò ab omnibus, & ſingulis præmiſſis, & aliis quibuſcumque impedimentis, & obſtaculis liber, & exemptus eſſe, & remanere debeat, ſed ipſis eorum jura reſerventur ſuper aliis dicti Excellentiſs. D. Ducis bonis allodialibus, non autem juriſdictionalibus, & reſpective cenſuum, etiam ſuper dicta tenuta Montis Majoris, necnon ſuper inſtrumento, & multiplico, ut ſupra, faciendo, ſalvis tamen hypothecis, & privilegiis ad favorem dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis, & ſuorum &c. ut ſupra. Ita, ut idem Illuſtriſſimus D. Cardinalis, & ſui &c. ſuper hujuſmodi inſtrumento, & multiplico cæteris aliis ſemper præferantur, & præferri debeant, & non aliàs &c. de qua &c. cum derogatione regulæ Cancellariæ de jure quæſito non tollendo, clauſula ſublata, decreto irritanti, & quod de ſubreptione, obreptione, defectu intentionis, & quopiam alio defectu dari non poſſit, & aliis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & decretis ampliſſimis, arbitrio dicti Illuſtriſſimi D. Cardinalis apponen., & extenden., cui quidem confirmationi &c. ex nunc dictus Excellentiſſimus D. Venditor, ac dictus Excellentiſſimus D. Don Ferdinandus fidejuſſor conſenſerunt, & ad illam peten., impetran., obtinen., & expediri faciendam præmiſſo, & omni alio meliori modo &c. ambæ Partes conſtituerunt Procuratorem irrevocabilem, ut in rem propriam, etiam medio juramento, tactis pectore, & Cruce, & literis reſpectivè, Illuſtriſs., & Excellentiſs. D. Franciſcum Capitonum de Sancto Gemino U. J. D. ibidem præſentem, cum authoritatibus & facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, & cum facultate ſubſtituendi &c. & generaliter &c. promittens &c. relevans &c. Quæ omnia, & ſingula præmiſſa, & in præſenti inſtrumento contenta ſingula ſingulis congruè referendo dictæ Partes promiſerunt, attendere, rata habere, executioni demandare, & contra non facere &c. ex quavis cauſa &c., aliàs ultra præciſam illorum omnium, & ſingulorum obſervantiam, ad quam ſemper cogi poſſent, teneri etiam, & obligatos eſſe voluerunt ad omnia damna &c., de quibus &c., quod juramentum &c. ſic actum &c. Pro quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis ſic tenendis, complendis, ac firmiter & inviolabiliter obſervandis dictus Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Don Joannes Antonius venditor, ac dictus Illuſtriſſimus, & Excellentiſs. D. Don Ferdinandus fidejuſſor in ſolidum obligarunt &c. ſe ſe &c. ac bona &c. in ampliori forma Cam. Apoſt. cum clauſulis &c. citrà &c. renunciando, &c. & conſentiens &c. unica &c., ſicque tactis Cruce, & literis reſpectivè jurârunt &c. ſuper quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis petitum fuit à me Notario publico infraſcripto, ut de prædictis omnibus unum, vel plura publicum, vel publica conficerem, atque traderem inſtrumentum, & inſtrumenta, prout opus fuerit, ac requiſitus ero. Datum Romæ in Domo ſolitæ Habitationis ſupradicti Reverendiſſimi P. D. Virilis, Regionis Arenulæ, præſentibus, audientibus, atque intelligentibus Domino

mino Joanne Baptiſta Pierallo Florentino, & D. Thoma Buſtino Comenſi teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis ſpecialiter, atque rogatis. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Antonius Cardinalis plurimùm cupiat venditionem, & alienationem prædictas, aliaque præmiſſa pro perpetua illorum ſubſiſtentia, & validitate, Apoſtolicæ Noſtræ Confirmationis robore communiri, aliàſque deſuper ad effectum validitatis eorumdem præmiſſorum opportunè provideri, Nos dicti Antonii Cardinalis, & novæ Domûs prædictæ indemnitati, & ſecuritati in præmiſſis proſpicere volentes, necnon petii terræ, ſeu ejus hujuſmodi qualitates, quantitates, vocabula, & denominationes, aliaque hìc de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, venditionem, & alienationem petii terræ, ſeu ſitûs præfati cum omnibus juribus, membris, & pertinentiis ſuis quibuſcunque, ac deſuper confectum præinſertum inſtrumentum hujuſmodi, omniaque, & ſingula in eo contenta quæcunque, tenore præſentium, perpetuò approbamus, & illis perpetuæ Apoſtolicæ firmitatis, approbationis, & confirmationis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti, & ſolemnitatum, & alios etiam quantumvis ſubſtantiales, & formales defectus cogitatos, & incogitatos, ſi quis principaliter, vel acceſſoriè in præmiſſis, & circa ea quomodolibet intervenerit, etiamſi de illis, ad hoc, ut ſuppleri poſſint, ſpecialis mentio facienda eſſet, pleniſſimè ſupplemus, tollimus, & abrogamus. Et inſuper ejuſdem Antonii Cardinalis, & ſuorum potiori cautelæ, & ſecuritati in præmiſſis conſultum fore, & eſſe volentes, petium terræ, ſeu ſitum præfatum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, in venditione, ac præinſerto inſtrumento hujuſmodi comprehenſis, ab omnibus, & quibuſcunque obligationibus, etiam Cameralibus hypothecis, etiam ex cauſa dotis, & alia quantumvis pia, & privilegiata, etiam juramento vallatis, necnon inveſtituris, & primogenituris, fideicommiſſis, & alienandi prohibitionibus, per quoſvis ejuſdem Joannis Antonii Ducis anteceſſores, ac etiam agnatos, ſive collaterales, ſive tranſverſales, ſive alios quoſcunque, per viam teſtamentorum, codicillorum, donationis, etiam cauſa mortis, contractûs inter vivos, & quarumcunque aliarum diſpoſitionum, & ultimarum voluntatum, ſive in prima acquiſitione petii terræ, ſeu ſitûs, & aliorum, ut ſupra, venditorum ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac verborum expreſſionibus, cum pactis de invicem ſuccedendo, necnon privationum, omiſſionum, caducitatum, devolutionum, & quarumcunque aliarum perſonarum, & mulctarum adjectionibus, & applicationibus, necnon proximiorum, & aliarum perſonarum, & Familiarum, ac forſan Eccleſiarum, Hoſpitalium, Collegiorum, Univerſitatum, & quorumcunque Locorum Piorum, ſeu aliàs quantumcunque privilegiatorum, vocationibus, ſubſtitutionibus, conditionibus, vinculis, oneribus, hypothecis, obligationibus, cautelis, necnon quibuſvis etiam prægnantiſſimis, fortiſſimis, efficaciſſimis, & quomodocunque factis, & indultis, illorum omnium tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro ſufficienter, ac de verbo ad verbum expreſſis, & inſertis habentes, penitus, & omnino eximimimus, & liberamus, ac obligationes, fideicommiſſa, prohibitiones, pacta, vocationes, ſubſtitutiones, & alia præmiſſa, cæteraque omnia, quæ venditioni, & alienationi petii terræ ſeu ſitûs, & aliorum prædictorum quomodolibet obſtare, aut aliàs impedimentum, vel præjudicium afferre poſſunt, ad effectum præſentium tollimus, abrogamus, & abolemus, illaque omnia in partem petii terræ hujuſmodi, ac multiplicum, & inveſtimenta exinde, juxta formam præinſerti inſtrumenti facienda, & alia dicti Joannis Antonii Ducis bona allodialia, non autem juriſdictionalia, ſalvis hypothecis, ad favorem dicti Antonii Cardinalis reſervatis, juxta ejuſdem inſtrumenti formam, ſimiliter perpetuò transferimus, conſtituimus, & collocamus, ac partem pretii, & multiplicum, ac inveſtimenta, inde facienda, & alia dicti Joannis Antonii Ducis bona allodialia, non autem juriſdictionalia hujuſmodi, in locum petii terræ, ſeu ſitûs, aliorum, ut præfertur, venditorum, & alienatorum, illorumque annexorum, & dependentium in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi à principio ſuper parte pretii, ac multiplico, & inveſtimentis inde faciendis, ac aliis dicti Joannis Antonii Ducis bonis allodialibus, non autem juriſdictionalibus præfatis conſtituta, collocata, & injuncta fuiſſent, ſalvis hypotecis ad favorem dicti Antonii Cardinalis, ut præfertur, reſervatis, perpetuò ſufficimus, ſubſtituimus, & ſubrogamus, ita, quod tam in inveſtituris, primogenituris, fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, & aliis diſpoſitionibus hujuſmodi quomodolibet vocati, & comprehenſi, quàm quicunque alii eorundem fideicommiſſorum, ſubſtitutionum, ac vinculorum, hypothecarum, obligationum, etiam Cameralium, etiam ex dotis, & alia quacunque cauſa, quantumvis pia, & privilegiata, vigore, aut prætextu, ullo unquam tempore, ſuper petio terræ, aut ſitu, & aliis, ut ſupra, venditis, & alienatis, aliquod jus, vel aliquam actionem habere, prætendere, vel intentare, aut aliàs experiri

riri non poſſint in quovis judicio, tam petitorio, quàm poſſeſſorio, ſed, ſiquid ſuper petio terræ, vel ſitu, illiuſque juribus, & pertinentiis prædictis, aut illorum occaſione, vel cauſa, contra eundem Joannem Antonium Ducem, aut Antonium Cardinalem præfatum, ſeu præſentes literas prætenderent, non ad petium terræ, ſeu ſitum, & alia, ut ſupra, vendita, & alienata, ac liberata, ſed ad partem pretii, ac multiplicum, & inveſtimenta inde facien., ut præfertur, aliaque dicti Joannis Antonii Ducis bona allodialia, non autem juriſdictionalia præfata, in quæ, & ſuper quibus ad hunc effectum inveſtituras, primogenituras, fideicommiſſa, ſubſtitutiones, prohibitiones, conditiones, devolutiones, voluntates, declarationes, onera, cenſus, vincula, hypothecas, obligationes, etiam Camerales, & etiam ex cauſa dotis, & alias diſpoſitiones prædictas, ſalvis hypothecis, ad favorem dicti Antonii Cardinalis, ut præfertur, reſervatis, translata, & collocata reſpectivè eſſe volumus, & declaramus, prout præſentium vigore transferimus, & collocamus, illorumque fructus, & emolumenta hypothecis, ad favorem dicti Antonii Cardinalis, ut præfertur, reſervatis, ſalvis, & aliàs juxtà ejuſdem inſtrumenti formam ſeſe convertere debeant. Et nihilominus Antonius Card., & ſui præfati, in eventum cujuſcunq; evictionis univerſalis, ſeu particularis petii terræ, ſeu ſitûs, illiuſque jurium, & pertinentiarum præfatarum, ut ſupra, venditarùm in quovis judicio, tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio, in totum, vel in partem, aut quarumcunque moleſtiarum ſuper illis movendarum, vel inferendarum, ſeu non obſervationis in toto, vel in parte omnium, & ſingulorum, per dictum Joannem Antonium Ducem promiſſorum, ſeu aliàs conventorum, omnibus Fidei-Commiſſariis, ſubſtitutis, primogenitis, & vocatis præfatis, & aliis quibuſcunque, jus quomodolibet habentibus, ſeu habere prætendentibus, ex quavis cauſa, etiam privilegiata, ſuffultis, in conſequen. ſuper parte pretii, ac multiplico, inveſtimentis inde faciendis, ut præfertur, pro rei evictæ pretio potiores, & anteriores eſſe intelligantur, & ſint, ac perpetuò, & ſemper præferri debeant, liceatque Antonio Cardinali, & ſuis præfatis pro eorum ſecuritate, & evictione in primis, & ante alios omnes partem pretii, ac multiplicum, & inveſtimentum inde facienda, obligata, & hypothecata, ac affecta pro concurrenti quantitate valoris rei evictæ, ac intereſſe, & damnorum paſſorum vendicare, & ad illa tam in proprietate, quàm in uſufructu recurſum habere, nec non corporalem, realem, & actualem illorum poſſeſſionem, propria authoritate, & abſque vitio ſpolii, & attentatorum, liberè apprehendere, & retinere, eaque uti, & frui, ac fructus ſuos facere, & cum aliis facultatibus omnibus, in præinſerto inſtrumento contentis, vendendi, diſtrahendi, pretiumque recipiendi, & de eo quietandi, ac illud in computum valoris rei evictæ, damnorum paſſorum, & expenſarum, ac aliorum adimplendorum retinen., itidem perpetuò ſimiliter decernimus, ac petium terræ, ſeu ſitum, & alia vendita præfata, ab obligationibus, fideicommiſſis, & aliis præfatis prorſus abſoluta, exempta, & liberata fore, & eſſe, ac pro talibus haberi, & reputari debere volumus, pariter decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi obligationes, fideicommiſſa, prohibitiones, pacta, ſubſtitutiones, vocationes, & alia præfata ſuper petio terræ ſeu ſitu, & aliis, ut ſupra, venditis nunquam facta, appoſita, & inducta fuiſſent. Præſentes quoque literas, ac præinſertum inſtrumentum hujuſmodi, & in eis contenta quæcunque, nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod quicunque in fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, & aliis diſpoſitionibus præfatis vocati, & ſub illis comprehenſi, aut aliàs jus, & intereſſe, in præmiſſis, vel eorum aliquo habentes, vel habere prætendentes, illis non conſenſerint, neque ad id vocati, ſeu auditi, minuſque ſolemnitates, vel alia neceſſaria, ac juxta inveſtituras, primogenituras, fideicommiſſa, ſubſtitutiones, & diſpoſitiones hujuſmodi, ſeu aliàs quomodolibet ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta fuerint, ſive etiam enormis, & enormiſſimæ læſionis, & ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut teſtamentaria, vel alia diſpoſitione, ſeu ſtatuto & conſuetudine, ſeu aliàs, quomodolibet reſultant., ſive alio quocunque prætextu, cauſa, vel occaſione, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præſentium, ac venditionis, & inſtrumenti hujuſmodi, præſentiumque noſtrarum literarum neceſſariò exprimenda foret, quorum omnium, & ſingulorum tenores, etiam præſentibus pro expreſſis haberi volumus, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſûs, ſive alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retardari, reſcindi, infringi, in jus vel controverſiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut etiam reſtitutionis in integrum, ex clauſula illa generali: Si qua mihi &c. ſeu quodvis aliud juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi, aut ſic impetrato, vel conceſſo quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, ſed ſemper, & omni tempore adversùs quaſ-

cun-

cunque impugnationes, & impedimenta valida, atque efficacia eſſe, & fore, & ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi vocatis vocandis, & de omnium, & ſingulorum vocatorum, ac jus, & intereſſe habentium, ſeu prætendentium hujuſmodi expreſſo conſenſu emanaſſent, ac tam per ipſum Joannem Antonium Ducem, ejuſque hæredes, & ſucceſſores, quàm quoſcunque alios vocatos, ac jus, & intereſſe habentes, vel prætendentes hujuſmodi inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, & adimpleri, neque ipſos in petio terræ ſeu ſitu, aliiſque præfatis, prætextu inveſtiturarum, primogeniturarum, fideicommiſſorum, ſubſtitutionum, prohibitionum, conditionum, devolutionum, voluntatum, declarationum, onerum, vinculorum, hypothecarum, obligationum, etiam Cameralium, etiam ex cauſa dotis, etiam quantumvis pia, & privilegiata, etiam quarumcunque aliarum diſpoſitionum præfatarum jus, vel actionem, ut beneficium reſtitutionis in integrum, judicis officium, ſeu quæcunque alia juris, & facti remedia ordinaria, & extraordinaria tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio prætendere, minuſque Antonium Cardinalem, ac ſuos præfatos, vel cauſam ab eis pro tempore habentes, aut eorum, quempiam, quovis prætextu, & colore, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè moleſtare, perturbare, & inquietare poſſe, vel debere. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis, in quacunque inſtantia, per quoſcunque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretrandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac quibuſcunque teſtamentis, fideicommiſſis, inveſtituris, primogenituris, hypothecis, obligationibus, etiam Cameralibus, & juramento firmatis, ac aliis diſpoſitionibus præfatis, nec non quorumcunque teſtamentorum, & diſpoſitionum voluntatibus, quas, & quæ quoad præmiſſa omnia, & ſingula ſufficienter, & expreſsè commutamus, ac litûm, & differentiarum quarumcunque, ſi quæ ſint, pendentiis, ac regula noſtra de jure quæſito non tollendo, nec non quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque, etiam Imperialibus ſtatutis, reformationibus, etiam Urbis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis decretis, privilegiis, indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam pluries per Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, ac Nos, Sedemque Apoſtolicam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam inſolitis, ac irritantibus, & derogatoriarum derogatoriis, ſeu aliàs quomodolibet editis, emanatis, conceſſis, confirmatis, ac pluries etiam innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, & decernimus; cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulfi Albanen. Dœceſis ſub Annulo Piſcatoris Die xx. Octobris MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. tom. 5. diverſor. Urb. VIII. f. 516. de quo Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Altare Nativitatis D.N.J.Chriſti in Eccleſia ejuſdem Domûs de Urbe, ad inſtar Altaris S. Gregorii, pariter de Urbe, in perpetuum privilegiat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti, paterna charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, D. N. J. C., ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Conceptionis B. M. Virginis Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum de Urbe, ſimili ad præſens privile-

vilegio, ut accepimus, minimè decorata, & in ea ſitum Altare Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, hoc ſpeciali dono illuſtrare, ſupplicationibus quoque dilecti filii Noſtri Antonii Tituli S. Honuphrii Presbyteri Cardinalis, qui Eccleſiam, & Domum prædictas ſuis expenſis ſumptuoſo opere conſtrui fecit, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Auctoritate Nobis à Domino tradita, & de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis ſæcularis, ſive cujuſcunque Ordinis Regularis, Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta, ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa per ejuſdem celebrationem eaſdem Indulgentias conſequatur, & ad ejus liberationem dicta Miſſa operetur, quas conſequeretur, ſi præfatus Sacerdos Miſſam ad Altare, ſitum in Eccleſia B. Gregorii, etiam de Urbe, ad id deputatum, celebraſſet; ita ut ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Octobris MDCXXX. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. tom. 7. Diverſ. Urbani VIII. fol. 483.

Sub Titulo Sſmæ Conceptionis B. V. Mariæ eandem Domûm erectam ab omni ſervitute immunem declarat: Eum proprium, & primum Provinciæ Romanæ Conventum adinſtar Conventûs S. Bonaventuræ teneri: & tam ad uſum Provinciæ, quàm commodum totius Ordinis, & præſertim Capitulorum Generalium ſervire debere decernit; ac Juſpatronatûs honorificum Duci Carolo Barberino, ejuſque hæredibus reſervat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam:

ALiàs Motu Proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex certis tunc expreſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, Congregationem Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum, omniaque, & quæcunque illius officia, & Miniſteria, ac Domos, ac loca Regularia quæcunque, & in quibuſvis Provinciis exiſtentia, necnon ſtatuta, conſuetudines, & decreta, ac privilegia, & indulta gereralia, & ſpecialia ſuppreſſimus, & extinximus, Domoſque, Conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones, & jura, eorumque proprietatem ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, Auctoritate Apoſtolica conceſſimus, & aſſignavimus, ac inter alia Domum S. Antonii de Padua nuncupatam de Urbe, in Capite domorum exiſtentem, ac ejus Eccleſiam, cellas, hortos, viridaria, aquarum derivationes, aliaſque officinas, nec non reliqua bona immobilia, tantùm illi adjacentia, per ipſos Fratres nunc poſſeſſa, Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ applicavimus, & incorporavimus. Subinde verò ad dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum aſſiduas Verbi Dei prædicationes, piæ, atque adeo exemplaris vitæ ſtudium, aliaque ſpiritualia exercitia paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, eoſdemque Fratres Capucinos in dictam Domum, ut inibi juxta regularia eorum inſtituta Divinis Laudibus inſiſterent, ad majorem Chriſtifidelium ædificationem introducendos exiſtimavimus, & propterea bon. mem. Vulpiano Archiepiſcopo, olim Theatinenſi, commiſimus, & mandavimus, ut uſum, & habitationem Domûs Sancti Antonii de Padua prædictæ, ejuſque Eccleſiæ, cellarum, hortorum, viridariorum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum hujuſmodi, Fratribus Capucinis prædictis, Auctoritate Noſtra concederet, & aſſignaret, inducens eoſdem Fratres Capucinos per ſe, vel alium in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Domûs, hortorum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum hujuſmodi, cujuſvìs licentiâ minimè requiſitâ, & aliàs, prout in diverſis noſtris, in ſimili forma Brevis deſuper expeditis Literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Nobis innotuit, conceſſo per eundem Vulpianum dictis Fratribus Capucinis uſu, habitatione Domûs, & Eccleſiæ, aliorumque membrorum, & pertinentiarum hujuſmodi, eiſdem Fratribus Capucinis in illorum poſſeſſionem, ſeu uſum inductis, dilectus Filius Noſter Antonius Tituli S. Honuphrii Presbyter Cardinalis, Noſter ſecundum carnem Frater Germanus, pro ſingulari ſua erga Deum pietate, & dictum Ordinem Fratrum Capucinorum, quem ipſe in minoribus

con-

conſtitutus profeſſus eſt, devotionis affectu, in ſitu Domûs, & Eccleſiæ S. Antonii de Padua demoliendarum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum hujuſmodi, prope plateam olim de Sforziis, nunc autem de Barberinis nuncupatam, à fundamentis novam dicti Ordinis Fratrum Capucinorum Regularem Domum, & Eccleſiam magis dicto Ordini congruam, & capacem, ſub invocatione Conceptionis B. M. Virginis, ac hortis, hortalitiis, aliiſque membris neceſſariis, & opportunis conſtrui facere inceperit, & perficere intendat, ut Fratres Capucini prædicti è Regulari Domo, & Eccleſia S. Bonaventuræ de Urbe, in qua commorabantur, ad novam Regularem Domum, & Eccleſiam Conceptionis B. M. Virginis per dictum Antonium conſtrui, ut præfertur, faciendam, poſtquam fabrica Eccleſiæ, & Conventûs perfecta fuerit, de noſtra, & hujus Sanctæ Sedis licentia ſe transferant, Nos ad abundantiorem cautelam, & pro potiore eorumdem Fratrum Capucinorum quiete, illorum ſecuritati, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere, ipſos Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c., & abſolutas cenſentes, motu proprio, non ad eorumdem Fratrum Capucinorum, ſeu aliorum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine prædictam ſuppreſſionem, per Nos factam, quatenus foret opus, confirmantes, & approbantes, novam Eccleſiam, & Regularem Domum Fratrum Capucinorum præfatam, cum omnibus, & quibuſcunque illius hortis, hortalitiis, aliiſque membris, juribus, officinis, & pertinentiis univerſis, etiam per præfatum Antonium Cardinalem donandis, & aſſignandis, ab omni, & quacunque ſervitute, tam præterita, quàm præſenti, & futura, reſervato tamen jure agendi, ſi quod competeret alicui pro ſuo prætenſo intereſſe, prout de jure, & contra quos de jure, necnon ipſius novæ Domus Regularis plateam particularem, ante prædictam Eccleſiam jam forſan factam, ſeu inceptam, vel faciendam, ab omni, & quacunque magiſtrorum viarum ejuſdem Urbis juriſdictione, authoritate, & qualibet alia ſuperioritate, tenore præſentium, perpetuò eximimus, & liberamus. Quodque Fratres Capucini prædicti à dicta nova Eccleſia, ac Regulari Domo, illiuſque hortis, hortalitiis, aliiſque juribus, officinis, & pertinentiis prædictis, nullo unquam tempore, quavis ex cauſa, ſeu quæſito colore, directè, vel indirectè, aut aliàs quomodolibet nullatenus amoveri poſſint, ſed eadem nova Regularis Domus prædicta, ſit, & eſſe cenſeatur, tanquam proprius Conventus Provinciæ Romanæ eorumdem Fratrum Capucinorum, & in uſum ejuſdem Provinciæ, & majus commodum totius Ordinis prædicti, & præſertim Capitulorum, & Congregationum Generalium ſub regimine, & adminiſtratione libera dictorum Fratrum Capucinorum, Provinciæ Romanæ, ſicut ſemper fuit Domus Regularis S. Bonaventuræ præfata de Urbe, tamquam primus Conventus, & Caput totius Provinciæ prædictæ, Auctoritate Apoſtolica, earumdem tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & declaramus. Præterea Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Barberino, Montis Rotundi Duci, Noſtro, & dicti Antonii Cardinalis ſecundùm carnem Fratri Germano, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcunque in ſucceſſione, per Nos ordinata, vocatis, juſpatronatus honorificum novæ Domûs Regularis, illiuſque Eccleſiæ, aliorumque jurium, & pertinentiarum hujuſmodi, cum omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis, ſimilibus Patronis de jure, uſu, ſtatuto, conſuetudine, aut ex Privilegio Apoſtolico, vel aliàs quomodolibet competentibus, attento ipſius Antonii Cardinalis conſenſu, jam præſtito, authoritate, & tenore prædictis, ſimiliter perpetuò concedimus, & reſervamus: necnon juſpatronatus honorificum hujuſmodi laicorum Nobilium, & illuſtrium ex genere, illudque Carolo Duci, ejuſque ſucceſſoribus prædictis, non ex Privilegio Apoſtolico, ſed ex mera, vera, & reali fundatione, & conſtructione competere, ac illud robur obtinere, quæ obtinent alia jurapatronatûs honorifica ex mera, vera, & reali fundatione, & conſtructione Laicorum Nobilium, & illuſtrium competentia, nec illi aliquo pacto, per quemcunque, etiam per Sedem Apoſtolicam derogari, aut illud revocari, ſuſpendi, vel annullari, ſeu illi derogatum, aut illud revocatum, ſuſpenſum, vel annullatum cenſeri; Præſenteſque literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aut alio quocunque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, reſcindi, in jus, vel controverſiam vocari, in viam, & terminos juris reduci, aut adversùs illas, etiam reſtitutionis in integrum, ſeu quodvis aliud juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi, aut ſic impetrato, vel conceſſo quempiam uti, ſeu illo ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, vel debere, ſed ſemper, & omni tempore adverſus quaſcunq; impugnationes, & impedimenta, valida, & efficacia eſſe, & fore, ac ſuos effectus plenarios, & integros ſortiri, & obtinere; necnon ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limita-

mitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio concedendis, comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe, & cenſeri. Sicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, â quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus foret, regula noſtra de jure quæſito non tollendo, ac omnibus illis, quæ in noſtris literis præfatis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVI. Martii MDCXXXI. Pontificatûs &c.

Autog. in Archivo Excellentiſſimæ Familiæ Barberinæ. (ut mihi relatum fuit.) de quo exemplar in Arch. gen. Ordinis, ac Procuræ, necnon in Regeſto Bullarum, in cella P. Guardiani de Urbe reſervato. Omnia quidem hæc exemplaria annotant Datam ſub Anno 1626. in quo tamen errorem latere, ob Documenta, Exemplari Archivi Generalis á me injuncta, opinor.

N O T A.

RItè facturus videor, ſi de Jure honorifico, quod in ſuprapoſito Apoſtolico Brevi, Excellentiſſimæ Familiæ Barberinæ reſervatur, & quod Conventuum conſtructione, juxta Sac. Congregationis Epiſc. Decreta 14. Jan. 1606. & 3. Aprilis 1626. emanata, & â Pignatello (*a*) citata, acquiritur, laconicè hîc annotem, quæ fusè, & cumulatè Juriſconſulti deſuper tradunt.

Quamvis enim Fundatores Domuum, & Eccleſiarum noſtrarum, hujuſmodi juri plerumque renuntient, haſque Sanctæ Sedis Dominio remittant, nihilominus & illorum nonnulli, qui illud ſibi reſervant, reperiuntur, hinc, ne ex parte Fundatorum emergat prætenſionis exceſſus, & ex parte Fratrum obtingat debiti defectus, in memoriæ ſubſidium, Canonicæ diſpoſitionis hîc ſubjunguntur placita.

Pro quo, Fundatione vel Dotatione Eccleſiarum Jus Patronatûs, â Jure honorifico diſtinctum, acquiri ſupponi debet, fuitque hoc juxta Franciſcum le Roy (*b*) jam ſæculo quinto inductum, ut Fideles ex viſo Eccleſiaſticæ gratitudinis exemplo, ad fundandas Eccleſias ſuaviùs allicerentur.

Definit illud Fargna (*c*) ex Pignatello (*d*) *Jus honorificum, onerosum, & utile, alicui competens in Eccleſia in eo, quod de Diœceſani conſenſu Eccleſiam fundavit, conſtruxit, vel dotavit ipſe, vel is, á quo cauſam habuit, ſolus, vel alio concurrente.* Ex quo Jus Patronatûs, & Jus Honorificum ab aliis malè confundi, ſeu ſynonomicè ſumi ſequitur, cum ſtrictiùs definitioni allatæ inhærendo, hoc ſecundum, â primo tanquam effectus fluat, & juri Patronatûs plura alia, e. g. jus alimentationis, onus defenſionis &c. ſint annexa, quæ Jus Honorificum reduplicativè ſumptum non concludit.

Fundatur potiſſimum hoc Jus honoris in Decreto 16. Gelaſii Papæ, relato â Gratiano q. 7. canone primo, & ſecundo, in quorum primo Papa prædictus â Julio, Fundatore Eccleſiæ, *ſciri* ſupponit. *PRÆTER PROCESSIONIS ADITUM, qui omni Chriſtiano debetur, nihil* in fundata Eccleſia, *ſe proprii juris habiturum:* quod idem iiſdem verbis can. 2. confirmat.

Quamvis autem ex verbis, *Proceſſionis aditum*, jus honoris non erui multi contendant Canoniſtæ, & in ſpecie Thomaſinus (*e*) communiore tamen jam calculo per illa jus præeminentiæ, in Eccleſia patronata Fundatori debitæ, inferri receptum eſt: Eccleſia enim, quæ Sancta, mundani honoris aſpernatur faſtum, ſpecies honoris, æquè pietatem redolentes, ac charitatem commendantes eligit, iiſque illud Apoſtoli, *cui honorem, honorem*, grata erga Fundatorem adimplet.

Inter haſce honoris ſpecies eſt, uti dictum, honor, ſeu *aditus Proceſſionis*, qui juxta Canoniſtas, & nominatim Card. Hoſtienſem duplex eſt, & utraque ex parte Patrono exhibetur.

Primò quidem, dum Patrono Clerus uſque ad Eccleſiæ ambitum proceſſionaliter occurrit; quod tamen idem Hoſtienſis limitat additâ clauſulâ, *ſi Fundator talis, ac tantus ſit*, ideſt, ſi ſit *Rex, vel Princeps Magnæ Potentiæ*, juxta expreſſionem Pontificalis Romani, quod ordini, Principem recipiendi præponit hunc titulum. *Ordo ad recipiendum Principem MAGNÆ POTENTIÆ.*

Secundò, defertur Fundatori honor Proceſſionis, dum ei in publica Proceſſione locus honoratior, & primus aſsignatur, prout cum aliis refert Vaneſpen (*f*). Quod & firmat Pontificale prædictum præſcribendo (*g*) ut Pontifex abſolutâ conſecratione dicat ad Fundatorem: *quod â Sanctis Patribus ſtatutum eſt, in diei Dedicationis anniverſario ſolemni, Fundatores, & hæredes eorum in proceſſionibus primos eſſe debere.*

Præter duplicem Proceſsionis honorem, datur quoque Fundatori locus primus in Seſsionibus, & ſcamnum in loco Eccleſiæ nobiliore, Barboſa, (*h*) Petra, (*i*) & alii. Locus autem nobilior cenſetur, qui Sacrario, vel Aræ magnæ vicinior eſt, ita opinante dicto Van eſpen. (*k*) Si tamen Eccleſia foret Cathedralis, vel Collegiata, Sedem Fundatoris intra Presbyterium collocari non deceret, ut Pign. (*l*) deducit. Maximè, ſi foret fœmina, quæ juxta Card. Petra (*m*) â Choro & Presbyterio ratione honeſtatis in Eccleſia arcetur. Caſu autem, quo Fundator eſſet Clericus, licèt conjugatus, portans tamen Habitum & Tonſuram Clericalem, nihil obſtaret, quin Sedem in choro habere poſſet, uti cenſet Fargna. (*n*)

Præſentatur inſuper Fundatori præ cæteris Laicis Pax, ſeu tabella Pacis pro oſculo; ante hos dantur illi in feſto Purificationis B. V. Mariæ Candela, & in Dominica Palmarum ramus olivæ; accipit primò in primo quadrageſimalis jejunii die Cinerem, additque his actibus, quos Canoniſtæ ſpecificè recenſent, Vaneſpen (*o*) thurificationem ſeu incenſationem, & aquæ Benedictæ oblationem.

(a) *Tom. 9. conſult. 82. in fin. fol. mihi* 186.

(b) *In prolog. ad tit. de jurep. c. 2.*

[c] *Part. 1. Coment. de Jurep. fol. mihi* 2.

(d) *Tom. cit. fol. mihi* 174. *num.* 30.

(e) *Eccleſ. Diſcip. part. 2. l. 1. c. 29. num. 8. fol. mihi* 76.

(f) *Tom. 1. de Jur. Eccleſ. par. 2. tit. 25. fol. mihi* 536.

(g) *Tti. de conſec.*

(h) *Cap. præterea de jurep. num. 4.*

[i] *Tom. 2. Coment. in Conſt. Apoſt fol. mihi* 303. *num.* 49.

(k) *Loc. & fol. cit.*

(l) *Tom. 3. conſultat. 3. fol. mihi* 11. *& tom. 4. conſult. 16. f. mihi* 15.

[m] *Tom. & loco & f. cit.*

(n) *par. 1. Coment. de Jurep. fol. mihi* 6.

(o) *Tomo, loco, & folio ſupracit.*

Caſu

Caſu autem, quo Epiſcopus &c. aut Dominus Territorii ad hujuſmodi functiones confluerent, Funuaror iis non præferri deberet: & quidem quoad Epiſcopum, non eſt ulla Difficultas, cum ille in Eccleſia, utut patronata, habeat juriſdictionem, uti obſervant Fagnanus (*p*) Pignatelli (*q*) Petra (*r*) Quoad Dominum Territorialem autem, id deducitur ex eo, quod & ille habeat perpetuam, & contentioſam juriſdictionem in loco, debeatque primatus honoris, Patrono debitus, ita intelligi, ut illius exhibitione non ſequatur abſurditas, qualis foret, ſi major honor Patrono, minorem auctoritatem habenti, quam Domino Territoriali, ſpeciali nota digno præſtaretur, uti notant Pignat. Petra, Fargna &c. locis jam citatis.

Alia honoris ſpecies, qua Patronus diſtinguitur, eſt appoſitio Inſignium, Statuarum erectio, Inſcriptionis lapides &c. de quibus videndus eſt Lambertinus (*ſ*) dummodo tamen talia ſint ſpheræ honeſtatis Eccleſiæ conſona, ut monet Petra, loco cit.

Nec poſſunt hujuſmodi Gentilitia inſignia &c. ſine Patroni conſenſu deleri, ſeu amoveri, poteſtque arbitrio Judicis, qui violentiâ uteretur, puniri. Imò nec Epiſcopus ea dimovere poteſt, quantumque Familia foret extincta, juxta Antonell. (*t*) & Lambertin. (*u*).

Circa hoc tamen honoris jus noſtra zelotes eſt Religio, quæ ſicut Eccleſias Domuum noſtrarum ſimplici & paupere ornatu diſtingui contendit, ita vanitate, & excedente talium Inſcriptionum pompâ hunc lædi cauta obſiſtit.

Vix non autem potior Patroni honos eſt, præſentatio Clerici ſeu Rectoris, Patrono, ſeu Fundatori, jam in Conc. Arauſicano can. 10. conceſſa. Cum autem hâc materiâ tumeſcant Canoniſtarum libri, & hæc Eccleſias noſtras (ſicut nec plures honoris actus ex præenarratis) non tangat, ſtudio illâ æque, ac narratione aliorum Jurium & onerum Patroni ſuperſedeo, & cum Monito Vaneſpen concludo, quo (*x*) ait: *In deferendis his juribus honoris plurimùm valet locorum conſuetudo tam quoad perſonas, quibus exhibenda, quam modum exhibitionis*: quod & confirmat Franc. de Roy (*y*) dicens: *in officiis & honoribus exhibendis non modò videndum eſt, quid lege ſancitum, ſed quid conſuetudine valeat*.

Et in regulam unicè adjungo, quod Patronus inter tot honoris prærogativas, jus ſeu honorem ſepulturæ in Eccleſia Patronata prætendere nequeat, prout Lotter. (*z*) Barboſa (*a*) & alii docent, & Sac. Rota variè præſertim (*b*) decidit, cum ex juris diſpoſitione, Parochianos ſine ſepulturæ electione decedentes, in Eccleſia Parochiali ſepeliri oporteat, niſi Patronus id ſibi expreſsè in fundationis limine reſervâſſet: nec etiam Eccleſia Patronata, jus defuncti Patroni cadaver humandi, prætendere poteſt, prout unum & alterum Fargna per totum caſum ſecundum par. 1. coment. de jurep. probat.

(p) *In cap. Nobis de Ju. repat.*

(q) *Tom. 9. conſ. 82 n. 4. fol. mihi 72.*

(r) *Tomo, loco & folio citat.*

(ſ) *De Jure Pat. lib. 3. art. 4. q. 5. num. 1. & ſeq.*

(t) *de regim. Eccl. l. 3. c. 5. n. 31.*

(u) *Tomo, & loco cit.*

(x) *Tom. loc. cit. fol. mihi 537.*

(y) *Lib. 2. de jurep. cap. 5.*

(z) *De re Benef. l. 2. q. 4. n. 9. & 21.*

(a) *De Jure Eccl. l. 2. c. 10. num. 9.*

(b) *Dec. 162. num. 17. coram Bichio.*

Fr. Michaelem â Bergamo in Officio ſuperintendentiæ ædificiorum Cameræ Apoſtolicæ, & novæ Fabricæ Domûs noſtræ de Urbe, cum variis facultatibus confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

JUſtitiæ, & æquitatis ratio poſtulat, ut proviſionis noſtræ miniſterio opportunè provideamus, ne de illorum, qui in Noſtris, & hujus Sanctæ Sedis negotiis juſſu noſtro verſantur, quique eo nomine, prompto atque alacri animo labores, & incommoda ſubeunt, facultatibus, Apoſtolica eis auctoritate per Nos conceſſis, deque rebus, illarum vigore geſtis â nemine umquam, quovis prætextu, ullatenus umquam dubitari poſſit. Cum itaque dudum dilecto filio Michaeli â Bergamo Ordinis Fratrum minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ſuperintendentiam fabricarum, & ædificiorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, vivæ vocis oraculo commiſerimus, cum facultate revidendi computa, & menſuras Lapiadarum, Latomorum, Fabrorum, Cæmentariorum, Lignariorum, Ferrariorum, & Sculptorum, Pictorum, & aliorum quorumcumque Opificum, etiamſi menſuræ, & computa hujuſmodi viſa, æſtimata, & reſpectivè menſurata fuiſſent per ejuſdem Cameræ Menſuratores, Architectos, & Superintendentes, nec non quæcumque alia computa, æſtimationes, vel menſuras bonorum quorumcumque mobilium ſeu ſtabilium, quę oretenus ſive in ſcriptis illi, per quemcunque Miniſtrum, fabricis ſeu ædificiis faciendis â Nobis præpoſitum, tam pro Palatii Apolici hujuſmodi & locorum piorum, quam Domûs, & Familiæ noſtræ de Barberinis ſervitio ordinata, & injuncta fuiſſent, nec non pretia etiam, & cottimos vulgò nuncupat. tam operum, quam rerum revidendi, & ſtabiliendi, Officium, ſeu Partes Periti vel Æſtimatoris ſolus vel conjunctim cum aliis Menſuratoribus, Æſtimatoribus, & Architectis obeundi, & exercendi, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna, non modo pro Camera Noſtra Apoſtolica prædicta, verùm etiam pro quibuſcunque aliis fabricis, & ædificiis, tam perſonarum ſæcularium Familiæ noſtræ Barberinæ prædictæ, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti Regularium faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi. Nos nihilominus ſecuritati dicti Michaelis cautum eſſe, & ne de facultate, & auctoritate per Nos illi, ut præfertur, conceſſis, ullo unquam tempore dubitari contingat, opportunè providere volentes, ac Michaelem prædictum, præmiſſa omnia, & ſingula, ac inde ſequuta quæcumque de expreſſo, & ſpeciali noſtro Mandato feciſſe, & executioni demandaſſe, in verbo Romani Pontificis atteſtantes, motu

pro-

proprio, non ad dicti Michaelis, vel alterius pro eo Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula, quæ per Michaelem prædictum in præmiſſis, & circa ea, tam verbis, quam ſcriptis, ac aliàs quomodolibet facta, geſta, ordinata, & executioni demandata fuerunt, rata, & grata habemus, eaque tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, eidemque Michaeli ſuperintendentiam fabricarum, & ædificiorum hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis facultatibus ſupradictis, citra tamen præjudicium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & ad noſtrum beneplacitum, concedimus, etiam iis in rebus, quæ illi per Prælatos Viſitationis Apoſtolicæ pro tempore committentur, ipſique Michaeli, ut etiam una cum ſuperintendentia hujuſmodi, tam Præſidentis, quam ſuperintendentis novæ Domûs FF. Capucinorum hujus Almæ Urbis noſtræ, illiuſque fabricæ Officium ſibi per Capitulum Provinciale Provinciæ Romanæ ipſius Ordinis impoſitum retinere, nec non quibuſvis ipſius Domûs Fratribus, ad negotia prædicta peragenda indiſtinctè uti, & poſt futuram dicti Capituli Provincialis celebrationem, aliquem ex iiſdem Fratribus ſibi in ſocium, ad ejus beneplacitum, eligere, illumque toties, quoties ei videbitur, & placuerit, variare, &, ut magis pro opportunitate negotiorum, ad ejuſdem Sedis commodum expeditus exiſtat, eidem Michaeli, quod ad publicas, & privatas actiones religioſas, ad quas cæteri ipſius Ordinis Fratres tenentur, obligatus non ſit, niſi, prout ſibi propria conſcientia dictaverit, utque, etiam cum ſocio, vel abſque eo cum perſonis ad opus, ſeu miniſterium, ad quod â Nobis ſeu dicto miniſterio deputatus fuerit, neceſſariis equo, ſive curru, aut rheda incedere, & iter facere liberè, & licite poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium ſimiliter concedimus, & indulgemus. Decernentes eumdem Michaelem ſuper præmiſſis omnibus, aut eorum aliquo per ipſius Ordinis apud Nos, & hanc Sanctam Sedem Protectorem, ſeu alios Prælatos, & Superiores quocumque nomine nuncupatos, vel alios quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari minimè poſſe, minuſque præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, reſcindi, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus eas, & ea, quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili concedi poſſe, ſed ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac per eos, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, tam in judicio, quam extra, ſicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, necnon Camerarium, Theſaurarium, Commiſſarium, Præſidentes, & Clericos, alioſque ejuſdem Cameræ Officiales, & Miniſtros, Miniſtrum Generalem, Cardinalem Protectorem, alioſque Superiores prædictæ Religionis, ſublata &c. attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. rec. Pii Papæ IV. de gratiis qualecumque intereſſe ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet concernen. in eadem Camera infra certum, tunc expreſſum tempus præſentandi, & regiſtrandi, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Fratrum Capucinorum etiam juramento &c. Conſtitutionibus, Privilegiis &c. innovatis. Quibus &c. expreſſis, & ad verbum inſertis habentes hac vice &c. quibuſcunque. Cæterùm per præſentes non intendimus quoquomodo tollere, vel revocare facultatem Miniſtrorum, & Officialium Cameræ Apoſtolicæ prædictæ, & præſertim Theſaurarii, Clericorum, & Commiſſarii pro tempore exiſtentis. Datum Romæ apud S.Petrum &c. Die XIV. Aprilis MDCXXXI. Pontificatûs Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Anni, & menſ. præd. fol. 59.

Conventum De Urbe, & Eccleſiam S. Bonaventuræ ad uſum Sæcularem reduci, eam Nationi Lucanæ concedi, ibique Hoſpitale pro dicta Natione erigi permittit.

URBANUS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupereminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licèt imparibus, Divina diponente Providentia conſtituti, pia Chriſtifidelium vota, quæ ad Divini cultûs augmentum, & ipſorum Fidelium ſalutem ſpectant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus: prout ipſorum Chriſtifidelium animarum ſaluti con-

conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque nuper dilecti filii Guardianus, & Fratres Domûs S. Bonaventuræ de Urbe, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum è prædictis Domo, & Eccleſia ad Domum Eccleſiæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis de eadem Urbe, per dilectum Filium Noſtrum Antonium, Tituli S. Honuphrii Presbyterum Cardinalem, noſtrum ſecundùm carnem Fratrem Germanum, pro eiſdem Guardiano, & Fratribus fundatam, & conſtructam de noſtra, & hujus Sanctæ Sedis licentia ſe tranſtulerint. Nos, ne ob diſceſſum Fratrum ipſorum ab eadem Eccleſia, ea propterea debitis fraudetur obſequiis, ſed in Divinis laudabiliter deſerviatur, quantùm cum Domino poſſumus, providere, ſimulque Nationi Lucanæ in eadem Urbe commoranti, & plurium Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumque Virorum doctrina, pietate, rerum gerendarum uſu, aliiſque egregiis virtutum ornamentis præſtantium meritis inſigni, ſpecialem gratiam facere volentes, ipſius Nationis ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, Ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, in Domo, & Eccleſia S. Bonaventuræ prædictis, omnem ſtatum, eſſentiam, & dependentiam Regulares, omnia, & ſingula privilegia, gratias, & indulta illis, uti Regularibus conceſſa, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium ſupprimimus, & extinguimus, Eccleſiam prædictam ad ſæcularem reducimus, eamque, quam de cætero perpetuis futuris temribus Sanctæ Crucis de Lucca, & S. Bonaventuræ nuncupari debere decernimus, & declaramus, cum choro, ſacriſtia, & parte ſitûs, ac fabrica dictæ Domûs ab eiſdem Fratribus relictæ per Nos, ſeu de Mandato Noſtro per dilectos filios Fauſtum Polum, Palatii Noſtri Præfectum, & Michaelem Bergomen. dicti Ordinis Profeſſorem declaranda, & ſpecificanda, præfatæ Nationi Lucanæ, ita tamen, ut in ea octo Miſſas ſingulis diebus celebrari facere, dictæque Eccleſiæ de paramentis, & ornamentis Eccleſiaſticis, aliaque omnimoda ſacra, & prophanâ ſupellectili, ad Divinum cultum, ipſiuſque Eccleſiæ decorem neceſſariâ providere debeant, & teneantur, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium, perpetuò concedimus, & aſſignamus. Dantes eidem Nationi facultatem apud Eccleſiam S. Crucis, & S. Bonaventuræ prædictam, unum Hoſpitale pauperum infirmorum ejuſdem Nationis erigendi, ſeu aperiendi, illudque regendi, & gubernandi, & pro Eccleſiæ, & Hoſpitalis hujuſmodi negotiis ſe congregandi, & quæcumque ſtatuta, Capitula, Ordines, & Decreta pro ſalubri Eccleſiæ, & Hoſpitalis regimine, & directione neceſſaria, & opportuna, licita tamen, & honeſta, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, per dilectum filium noſtrum in Alma Urbe prædicta Vicarium in ſpiritualibus Generalem examinanda, & approbanda, faciendi, & edendi, illaque pro tempore, prout eis videbitur, prævia ſimili examinatione, & approbatione mutandi, alterandi, corrigendi, ac in melius reformandi; ac inſuper omnia, & ſingula legata, relicta, res, & bona, quomodolibet qualificata, mobilia, & immobilia per quoſcunque Chriſtifideles, Eccleſiæ, & Hoſpitali prædictis, per viam Teſtamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore elargita recipiendi, & per eoſdem Deputatos adminiſtrandi, ac in Eccleſiæ, & Hoſpitalis prædictorum uſus, ita tamen, ut de receptis, & adminiſtratis per eos, eidem Vicario, juxta Decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, convertendi, & inſuper in Eccleſia prædicta Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, & Oleum infirmorum debitis cum honore & reverentia aſſervandi, ac infirmis in dicto Hoſpitali, pro tempore exiſtentibus, Sacroſancta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ prædictæ, extremæquæ Unctionis Sacramenta, per Eccleſiæ, ſeu Hoſpitalis præfati Cappellanum, qui à dicto Vicario ad id approbatus fuerit, adminiſtrari curandi, ac præterea in eadem Eccleſia S. Crucis, & Bonaventuræ tam in dicto Hoſpitali decedentium, quàm quorumcumque Chriſtifidelium, ibi ſepeliri cupientium, corpora ſepeliendi, ſeu ſepeliri faciendi, ſine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio. Decernentes Eccleſiam S. Crucis, & S. Bonaventuræ hujuſmodi liberam, ipſamque, & Hoſpitale præfatum dicto Vicario, tàm in Viſitationibus, quàm aliis quibuſcumque plenè ſubjectam eſſe, & fore: præſentes verò literas, & ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad id vocati, & auditi non fuerint, aut præmiſſis non conſenſerint, aut quavis alia de cauſa, quantumvis legitima, & juridica, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis Noſtræ; vel quocunque alio defectu notari, impugnari, redargui, infringi, aut in jus vel controverſiam revocari, nullatenus poſſe, ſed eas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac dictæ Nationi pleniſſimè ſuffragari. Sicque per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari,

cari, & diffiniri debere. Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulfi Albanenſis Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris Die XXII. Maii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

N O T A.

In executionem hujus Apoſtolici Brevis facta eſt ceſſio Loci & aſſignatio partium, inſtrumento ſequenti.

IN NOMINE DOMINI Amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis pateat evidenter, & notum ſit, quòd Anno à Nativitate D. N. J. C. 1631. Indictione 14. die verò 23. menſis Junii, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, ac D. N. D. Urbani, Divina providentia Papæ VIII. anno ejus Octavo. Cum fuit, & ſit, quod SS. D. N Urbanus PP. VIII. conceſſerit Nationi Lucanæ Eccleſiam, Chorum, & Sacriſtiam S. Bonaventuræ Capucinorum, necnon alios ſitus, & fabricas ibidem adjacentes, declarandos, & ſpecificandos ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Fauſto Polo, Palatii Pontificii Præfecto, & Fratre Michaele de Bergamo Ordinis Capucinorum, prout conſtat ex literis, in forma Brevis ſub Datum in Arce Gandulphi 22. Maii præſentis anni, & ex Chirographo, manu ejuſdem Sanctiſſimi ſignato ſub die 21. præſentis Menſis, quæ Breve, & Chirographum, tenoris inferius regiſtrandi, mihi exhibuerunt infraſcripti DD. Deputati Nationis Lucanæ ad effectum inſerendi in præſenti Inſtrumento. Cumque de præſenti velint dicti Illuſtriſſimus D. Fauſtus Polus, & Fr. Michael de Bergamo venire ad dictam declarationem, & ſpecificationem, & aſſignationem facere. prout in eodem Brevi, ad effectum, ut prædicta Natio poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, & ejus membrorum conſequi poſſit ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Antonio Ricciullo, Epiſcopo Bellicaſtrenſi, Viceſgerente Eminentiſs D. Cardinalis Vicarii, cui dictum Chyrographum, ac Mandatum Apoſtolicum ad tradendam dictam poſſeſſionem reperitur directum. Hinc eſt, quod in mei &c. præfati Illuſtriſſimus D Fauſtus Polus, & Fr. Michael à Bergamo coram prædicto Domino Viceſgerente, habito priùs inter ſe mutuo colloquio, & tractatu: & diligenter circumſpectis dictis ſitibus, & fabricis adhærentibus Eccleſiæ S. Bonaventuræ, declararunt, & aſſignarunt Nationi Lucanæ, & pro ea Illuſtriſſimo D. Hieronymo Bonviſio, Cameræ Apoſtolicæ Clerico, Gherardo Spada, Bernardino Turrio, Pompejo Balbano, Bartholomæo Bernardino, Michaeli Cataldio, & Nicolao Riccio, ſeptem ex octo Deputatis Nationis prædictæ, ut de eorum deputatione conſtare aſſeruerunt ex Decreto, facto in generali Congregatione, habita ſub die 23. Martii proximi præteriti, regiſtrato in libro deliberationum prædictæ Nationis, necnon Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Tegrimo de Tegrimis Epiſcopo Aſſiſienſi, ac Joanne Baptiſta Spada, Sac. Conſultæ Secretario, ejuſdem Nationis Manſiunculam, ſeu Sacriſtiam poſitam à Cornu ſiniſtro Majoris Altaris dictæ Eccleſiæ, necnon illam partem ſitûs, & ædificiorum, quæ formando unam rectam lineam ab extremitate Chori, reſpiciente Collem Quirinalem, versùs Orientem Solem ad Dormitorium, versùs meridiem reſpicien. Domum Excellentiſſimæ Columnenſium Familiæ, de præſenti inhabitatam per Epiſcopum Parmenſem, interſecando dictum Dormitorium, procedendo deinde verſus viam, quæ tendità Conventu SS. Apoſtolorum ad Eccleſiam prædictam S Bonaventuræ, continetur intra prædictum ambitum, ſeu circuitum, comprehendendo, quidquid à latere Eccleſiæ, & Oratorii, reſpiciente versùs dictas Domos Excellentiſſimæ Familiæ Columnenſis uſque ad prædictam formatam lineam continetur de ædificiis, ſitibus, & Domunculis, olim à Fratribus Capucinis retentis, & inhabitatis, nempe ingreſſum, cum Cortili, & Puteo, Domunculas, Dormitorium contingens Eccleſiam, ſeu Sacriſtiam, aliam partem Dormitorii uſque ad lineam primo loco formatam, partem horti, & finaliter, quidquid intra dictum circuitum, non excedendo dictam lineam, à terra uſque ad Cælum continetur; & aliàs, prout latiùs, & diſtrictius apparet in planta deſuper confecta à D. Vincentio della Greca Architecto, per eundem ibidem præſentem mihi, noto traditâ ad effectum inſerendi in præſenti Inſtrumento tenoris &c. Quam quidem declarationem, & aſſignationem prædicti Illuſtriſſimus Fauſtus Polus & Fr. Michael de Bergamo ſe facere dixerunt vigore facultatum in dicto Brevi, & Chirographis ſibi conceſſarum, ac aliàs omni meliori modo, præſente Illuſtriſſimo D. Viceſgerente, de quo ſupra, hæc omnia audiente, & intelligente, necnon præfatis Deputatis, & aliis duobus Prælatis Nationis Lucanę gratias agentibus, nomine ejuſdem Nationis ſtipulantibus. Succeſſivè, & incontinenti coram eodem me Notario, & teſtibus conſtituti prędicti D. Deputati, ac duo Prelati ejuſdem Nationis in vim dicti Brevis, & Chirographi, ut ſupra, mihi exhibitorum inſteterunt, & humiliter deprecati ſunt prædictum Illuſtriſſimum D. Antonium Ricciullum, Epiſcopum Bellicaſtrenſem, Eminentiſſimi D. Cardinalis Vicarii Viceſgerentem, ut dignaretur illos immittere in Realem, & actualem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, Chori, Sacriſtiæ ſitûs, & fabricæ, ut ſupra, conceſſorum, & aſſignatorum à Sanctiſſimo D. N. & de ejus mandato reſpectivè eorum Nationi, & pro adimplemento voluntatis Sanctitatis Suæ in primis dederunt in manus prædicti Illuſtriſſimi D. Viceſgerentis cedulam Depoſiti, ſeu Bancariam ſcutorum quatuormille monetæ, ſubſcriptam à DD. Bonanno, & ſociis mercatoribus, Romanæ Curiæ ſequen. ſolvendorum D. Marcello Sacchetto pro ratis, & temporibus, prout in ea; quam quidem Cedulam idem D. Viceſgerens conſignavit Illuſtriſſimo D. Fauſto Polo Sac. Palatii Apoſtolici Præfecto, ibidem adhuc præſenti, dimiſſa tamen ejuſdem Cedulæ penès me copia collationata hîc inſerenda &c. Qui quidem D. Viceſgerens viſis, & conſideratis literis in forma Brevis, & Chirographo Sanctiſſimi volens Mandatis Apoſtolicis obtemperare, attenta declaratione, & ſpecificatione per dictum Illuſtriſſimum D. Fauſtum Polum, & Fratrem Michelem

chaelem à Bergamo, & dictis DD. Deputatis facta, necnon exhibitione dictæ Cedulæ Depoſiti ſcutorum 4000. monetæ, in vim dictarum literarum Apoſtolicarum, & Chirographi, ac aliàs omni meliori modo, ac ſalvis aliis in dictis Brevi, & Chirographo contentis, juxta illorum tenorem, & continentiam, nec aliàs aliter, nec alio modo dd. DD. Deputatos, & Prælatos Nationis Lucanæ ibidem, ut ſupra, præſentes, in realem, corporalem, & actualem poſſeſsionem dictæ Eccleſiæ, olim S. Bonaventuræ, nunc verò S. Crucis, & S. Bonaventuræ Nationis Lucanæ, Chori, Sacriſtiæ, partis ſitûs, & ædificiorum, ut ſupra, aſſignatorum, necnon omnium ejuſdem Eccleſiæ, ac illorum prædictorum Jurium, & pertinentiarum quarumcumque, juxta formam literarum prædictarum, immiſit, & induxit cum onere celebrandi Miſſas, & aliis oneribus in dictis literis Apoſtolicis contentis. Qui DD. Deputati ſic inducti, & immiſsi poſſeſſionem actualem, & corporalem dictæ Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Chori, & partis ſitûs, ac ædificiorum eis, ut ſupra, aſsignatorum, ac declaratorum, ac omnium, & ſingulorum eorumdem Jurium, membrorum, & pertinentiarum quarumcumque acceperunt, & adepti fuerunt dictam Eccleſiam ingrediendo, Altare deoſculando, prædictum Chorum, Sacriſtiam, ſitum, partem horti, & ædificiorum, ut ſupra ſibi aſsignatorum ingrediendo, per ea deambulando, ac in eis ſtando, & permanendo, ac alios actus poſſeſſorios, in ſimilibus fieri ſolitos faciendo, proteſtantes, quod per quemcumque eorum ab inde receſſum, ſeu diſceſſum non intendunt dictam poſſeſsionem dimittere, ſed illam animo, & corpore continuare iſto, & omni &c. Ulterius promiſerunt dicti Deputati nomine quo ſupra, Quadros picturarum, & ornamenta lignea Altarium, in dicta Eccleſia exiſtentium, reconſignare dictis Fratribus Capucinis, ſtatim quod ipſi Deputati alia, juxta eorum voluntatem confecerint, & interim illis uti valeant, quia ſic &c. Pro quorum Quadrorum & ornamentorum ligneorum reſtitutione dd. DD. Deputati eorum Congregationem, & bona omnia dictæ Congregationis, & Jura obligarunt &c. In forma Cameræ Apoſtolicæ cum clauſulis citra &c. renunciantes appellationi, conſentientes in Mandatum extraordinarium unica &c. & tactis pectoribus more &c., ac ſcripturis reſpectivè jurarunt, præfatas verò literas Apoſtolicas, & Chirographum dictus Illuſtriſsimus D. Viceſgerens reſtituit dd. DD. Deputatis, retenta penes me &c. earum copia collationata tenoris &c. ſuper quibus &c. Actum Romæ in dicta Eccleſia, & ſitu reſpectivè præſentibus &c. Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo D. Franciſco Corona J. V. D. Reatino, & D. Bernardino Roverino Britinorienſi teſtibus &c.

Tenor Chirographi ſupra memorati fuit ſequens:

Reverendiſſime Cardinalis Vicarie. Cum Nationi Lucanæ hujus Urbis Eccleſiam S. Bonaventuræ ad pedes Montis Quirinalis cum Choro, Sacriſtia, & parte ſitûs & fabricæ Domûs, quæ PP. Capucinis ibi habitantibus nuper inſerviebant, juxta declarationem, & ſpecificationem à Fauſto Polo, noſtri Palatii Præfecto, & Fr. Michaele à Bergamo Capucino conceſſerimus, ad effectum, ut penes dictam Eccleſiam Hoſpitale pro infirmis dictæ Nationis aperiatur, & erigatur, prout fuſius in Brevi ſub 22. Maii proximè elapſi emanato continetur. Inde virtute præſentis Chirographi Vobis committimus, ut detis poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, Chori, Sacriſtiæ, & illius partis ſitûs, & fabricæ Domûs, quam per Declarationem à præfatis Fauſto, & Fr. Michaele cum apocha ab ipſis ſubſcripta, aut alio meliore modo, qui vobis ſufficiens videatur, dictæ Nationi aſſignatam fuiſſe noveritis. Si tamen ultra, & ſalvis rebus, in Brevi contentis eodem tempore dent ſchedam Mercatoris, ſolvere potentis poſt 15. dies in manus Marcelli Sacchetti noſtri Depoſitarii pro 5000. ſcutis in moneta, & pro aliis 1000. ſcutis poſt dictæ ſolutionis annum, ad effectum, ut vel in totum, vel in partem uſui vel ſervitio pio, aut aliàs ad arbitrium Noſtrum, & juxta ordinem, à Nobis per alium chirographum dandum applicentur. Quam ſummam dictæ Nationi à Camera reſtitui volumus, caſu quo ex quacunque cauſa, quantumvis urgente, aut urgentiſſima præmemoratus ſitus, aut fabricæ, ſupradictæ Nationi aſſignatæ tollerentur, vel in totum, vel in partem, aut pro rata partis demptæ, ad quam reſtitutionem nunc pro tunc Cameram obligamus, non obſtante, quod ſuper hoc à Noſtris Miniſtris Cameralibus aliud Inſtrumentum, ſeu ſcriptura non fiat. Derogantes Conſtitutioni Pii IV. de regiſtrandis, & omnibus aliis hujus, & aliorum Pontificum Conſtitutionibus, omnique alii diſpoſitioni contrariæ, cujus tenorem hic pro expreſſo haberi volumus. Datum in Noſtro Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis 21. Junii 1631.

Urbanus Papa VIII.

Exempl. Brevis, Chirographi, & Inſtrumenti in Archivo generali Ord. Armario Prov. Rom.

Viſitantibus ſeptem Altaria in Eccleſia Conceptionis B. M. V. de Urbe, omnes Indulgentias ad inſtar Baſilicæ Principis Apoſt. concedit in perpetuum.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SPlendor Paternæ gloriæ, qui ſuâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementiſſima ejus Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur Eccleſiam Conceptionis B. M. V. novæ Domûs FF. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum de Urbe, ſpecialibus Indulgentiarum muneribus decorare, & de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui ſeptem Altaria in præfata Eccleſia per dilectum Filium Noſtrum in eadem Urbe in ſpiritualibus Vicarium Generalem ſemel tantùm deſignanda, devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Princi-

pum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequerentur, ſi ſeptem Altaria, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe deſignata, perſonaliter viſitarent, miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus regula Noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VIII. Junii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Archivio Provinciæ.

Varia circa Regimen Provinciæ Decreta, ſeu articulos confirmat, hoſque ante electiones Capitulares prælegi præſcribit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad Perpetuam rei Memoriam.

CHriſti Salvatoris noſtri, qui pacem ſuper pacem tribuit Dilectis ſuis, vices licèt immeriti gerentes in Terris, ad ea præcipuas Apoſtolicæ ſollicitudinis partes jugiter intendimus, ut religioſi Viri, qui obliti populum ſuum, & domum patris ſui ſemetipſos abnegantes, divini Numinis obſequiis ſe mancipârunt, charitatis, dilectioniſque vinculo colligati, ſemotis quibuslibet differentiarum anfractibus, reddant Domino abundantes fructus ſuos in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, & nedum controverſiarum cauſæ, & occaſiones penitus eliminentur, ſed paci, & quieti Religioſorum eorundem, quantùm fieri in Domino poteſt, opportunis rationibus conſulatur; Unde Nos præcipuo, quo Ordinem Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum proſequimur, paternæ charitatis affectu moti, ſimulque conſiderantes, Nos ex eodem Ordine dilectum Filium noſtrum Antonium Tituli Sancti Honuphrii Preſbyterum Cardinalem, noſtrum ſecundùm carnem Fratrem germanum, & Ordinem prædictum, dum in minoribus conſtitutus eſſet, expreſsè profeſſum, in Sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium, pro ipſius S. R. E. bono cooptâſſe, facilè inducimur, ut iis, quæ ſpirituali ipſius Ordinis progreſſui profutura noſcuntur, peculiarem paſtoralis vigilantiæ curam ſedulò impendamus. Quapropter ortis nuper nonnullis gravibus, atque urgentibus Provinciæ Romanæ ejuſdem Ordinis tranquillum illius ſtatum, felicemque diſciplinæ regularis directionem concernentibus neceſſitatibus, ne, quod ad muneris noſtri, paternæque in eundem Ordinem charitatis partes ſpectabat, prætermitteremus, Dilectis Filiis Hieronymo à Narnia, Vicario Generali, Franciſco à Genua, Procuratori Generali, Franciſco à Neapoli, & Paulo à Ceſena, Diffinitoribus Generalibus ejuſdem Ordinis, dedimus in mandatis, ut perſpectis diligenter omnibus occaſionibus, quæ fraternæ charitati impedimento eſſent, eas tollerent, ac neceſſitatibus hujuſmodi opportunis, quantùm in Domino judicaſſent, remediis, auctoritate noſtra providerent. Et, ſicut accepimus, quod Hieronymus, ac uterque Franciſcus, & Paulus prædicti, maturà conſultatione adhibitâ, Mandata noſtra hujuſmodi exequuti ſint, ac providè conſiderantes, quod in multis aliis religioſis guberniis, ſive adminiſtrationibus, multis ex cauſis evenire ſolet, ita & in hoc Ordine diſſidiorum, contentionumque occaſiones ſuperſeminante humani generis hoſte zizania, præſertim verò ex inæqualitate graduum, & dignitatum oriri poſſe, idcirco illis obviam ire volentes, inter alia ſtatuerint, decreverint, & ordinaverint, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus ipſius Provinciæ Romanæ Capitulis duo ſemper ex ea orti, & duo, ex ea non orti eligantur Diffinitores, ex quinque Vocalibus Capituli Generalis duo ex dicta Provincia orti, & duo ex ea non orti ſint, quintus verò, ſive in dicta Provincia ortus, ſive non, ab ipſo Capitulo, arbitrio ſuo, eligatur, Miniſter Provincialis ſingulo quoque triennio alternatim ex ortis in dicta Provincia, & ex non ortis in eadem conſtituatur. Omnes electiones Capitulares, ſi quas contra præſcriptam formam, & omnimodam æqualitatem hujuſmodi fieri contigerit, ipſo facto nullæ, nulliuſque roboris, ſeu momenti ſint. Præterea ex nunc, donec Capitulum Provinciale proximè futurum celebretur, & deinde triennio Capitulari à celebratione Capituli Provincialis hujuſmodi inchoando durante, ſive longiori tempore, ſi ita dilectis Filiis Vicario, ſeu Miniſtro Generali pro tempore exiſtenti videbitur; Provincia Romana prædicta per Miniſtrum Provincialem externum, qui ab eadem Provincia nullatenus dependeat, regatur, & gubernetur, dictus tamen Miniſter Provincialis à Vicario Generali, immediatè in regimine, & gubernio ipſius Provinciæ

ciæ inſtituatur, & ab eodem, ſeu Miniſtro Generali, qui pro tempore fuerit, ab officio amoveri, & in ejus locum in Officio prædicto alter, extra ſimiliter Provinciam Romanam, ſubſtitui valeat, prout Vicarius, ſeu Miniſter prædicti in Domino judicaverit expedire. Idem Miniſter Provincialis externus, præter, & ultra omnes, & quoſcumque actus ſibi, uti vero Miniſtro Provinciali dictæ Provinciæ de jure competentes, facultatem habeat in omnibus, & ſingulis Patrum Guardianorum proviſionibus, ſive deputationibus, eos ab hujuſmodi officio excludendi, qui ad illud obeundum ſibi minus idonei, ſeu aliàs nullo modo opportuni, in Domino videbuntur, nec ad Officium Guardiani hujuſmodi quovis modo aſſumptorum, ſeu deputatorum confirmationem teneatur, ſi illi in tabulis Capitularibus lecti, & publicati non fuerint, Nos perpetuæ, & inviolabili tam præmiſſorum, quàm omnium, & ſingulorum aliorum decretorum, diſpoſitionum, deliberationum, & ordinationum, æquam Guardianorum proviſionem, ſive deputationem, ortorum, & non ortorum in dicta Provincia, & extra eam habitationem, alternum Domûs Regularis de Urbe dicti Ordinis regimen, & gubernium, Novitiorum receptionem, ac ad Habitum, & profeſſionem admiſſionem, ac denique communem ipſius Provinciæ Romanæ utilitatem, & quietem concernentium per Hieronymum, & utrumque Franciſcum, & Paulum prædictos, ut præfertur, editorum validitati, & obſervationi, quantùm cum Domino poſſumus, conſultum eſſe volentes, motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris omnia, & ſingula decreta, diſpoſitiones, deliberationes, & ordinationes hujuſmodi cum omnibus in eis contentis præceptis, & pœnis, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, nec non privationis vocis activæ, & paſſivæ, per triennium omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Religioſis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne decretis, diſpoſitionibus, deliberationibus, & ordinationibus hujuſmodi, aut eorum alicui ſeſe opponere, aut contradicere quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Ac decernentes eadem decreta, diſpoſitiones, deliberationes, & ordinationes cum omnibus in eis, & eorum quolibet contentis ſemper, & perpetuò valida, firma, & inconcuſſa in dicto Ordine remanere, ac ab omnibus, & ſingulis dictæ Provinciæ Religioſis prædictis inviolabiliter perpetuò obſervari, & adimpleri debere, nec aliquem ſuper illis diſpenſari, aut ab alio, quàm à Nobis, & Romano Pontifice, pro tempore exiſtente diſpenſari ullatenus poſſe; ſic, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cœterùm dilectos Filios dicti Ordinis Provinciæ hujuſmodi Fratres omnes, & ſingulos, tam præſentes, quàm futuros in Domino monemus, & hortamur, eiſque in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut inquirentes pacem Chriſti, & ſequentes eam, in qua & vocati ſunt in uno corpore, Decreta, diſpoſitiones, deliberationes præinſertas hujuſmodi ſtudeant inviolabiliter obſervare. Ne verò præmiſſa, quæ pro utilitate, honore, & proſpero dictæ Próvinciæ ſtatu inſtituta, & decreta ſunt, oblivioni dentur, ſeu ab aliquo parvipendantur, quin etiam, ut de ipſis perpetuis futuris temporibus certior notitia habeatur, præcipimus per præſentes, ut poſt earum publicationem ſemel in Conventu de Urbe ejuſdem Ordinis habendam, rurſus in primo Capitulo Provinciali, & deinde in cunctis aliis Provincialibus Capitulis dictæ Provinciæ ſingulis annis celebrandis, Fratribus omnibus, in Refectorio ad hoc ſpecialiter vocatis, ante electiones præmiſſa omnia, & ſingula de verbo ad verbum publicè legantur, idemque fieri mandamus per ſingulos Superiores locales in ſuis familiis ſemel in anno. Nos enim eo die, quo eadem præmiſſa legentur, omnibus, & ſingulis dictæ Provinciæ Religioſis,

gioſis, qui verè pænitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti cuilibet præmiſſorum eorumdem publicationi præſentes fuerint, ac illa obſervare voluerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Generalis Vicarii dicti Ordinis ſubſcriptis, ac ſigillo ejuſdem Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Septembris MDCXXXI. Pontificatûs noſtri Anno nono.

M. A. Maraldus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. anni præd. fol. 460. Vide confirmationem harum literarum infra inter Conſtitutiones Alexandri Papæ VII.

Emptionem proprietatis, ſeu directi Dominii ad Moniales Monaſterii Purificationis B. V. Mariæ de Urbe ſpectantis, â Cardinale Antonio Barberino ad effectum plateam ante Eccleſiam Domûs de Urbe conſtruendi factam, Apoſtolica Confirmatione communit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſuit Nobis nuper dilectus filius noſter Antonius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis, noſter ſecundùm carnem frater germanus, quod ipſe quandam proprietatem, & directum dominium, ad dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam, & Moniales Monaſterii Purificationis B. M. Virginis de Urbe, ſuper quodam ſitu cannarum centum, & ſexaginta duarum, & palmorum ſeptuaginta duorum, menſuræ Romanæ, in eadem Urbe, in Regione Trivii, in loco *a Capo le Caſe* vulgò nuncupato, è conſpectu novæ Eccleſiæ Domûs Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum exiſten., & diverſis perſonis ad fabricandum conceſſo ſpectan., cum omnibus juribus, membris, pertinentiis, adjacentiis, juriſdictionibus, uſibus, commoditatibus, & egreſſibus ſuis univerſis, ad effectum plateam ante novam Eccleſiam præfatam conſtruendi, à præfatis Abbatiſſa, & Monialibus ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, pretio mille & centum ſcutorum monetæ emit, & acquiſivit, prout in publico deſuper confecto inſtrumento plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Antonius Cardinalis plurimùm cupiat præmiſſa pro eorum validitate, & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri. Nos eumdem Antonium Cardinalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ejus hac in parte ſupplicationibus inclinati, Emptionem, & acquiſitionem proprietatis, & directi dominii hujuſmodi, ac deſuper confectum inſtrumentum hujuſmodi, cum omnibus inde ſecutis, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus; illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum quarumcunque quomodolibet requiſitarum, & neceſſariarum, ac omiſſarum, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, vel cenſeri poſſint, ſupplemus. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Monaſterii, & illius Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſumma mille & centum ſcutorum hujuſmodi ex prædicta venditione, ut ſupra, provenien. penes Montem Pietatis de Urbe, ſeu aliam perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, nec inde niſi ad effectum illam in emptionem tot bonorum ſtabilium, ſeu locorum Montium, non vacabilium, Cameræ Apoſtolicæ ad favorem dicti Monaſterii convertendi, amoveri nequeat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Septembris MDCCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno nono.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Arch. Provinciæ. Vide facultatem venditionis faciendæ ſupra fol. 39.

Legatum pium â Pompejo Pierleoni pro Ædificio Eccleſiæ S. Antonii Domûs FF. Minorum Conventualium Reformato-

matorum relictum, & ad Fabricam Baſilicæ S. Petri devolutum, Fabricæ Domûs, & Eccleſiæ Fratrum applicat, ac onera Capellæ, ſepulturæ, Iconum &c. teſtamento annexa, in Eccleſia S. Crucis, & S. Bonaventuræ, Nationis Lucanæ, adimpleri, contra alias ſuas Literas mandat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs à Nobis emanârunt Literæ ſub plumbo tenoris ſubſequentis, videlicet: Romanus Pontifex, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conſtitutus, nonnunquam rationabilibus cauſis adductus, pias Chriſtifidelium voluntates, ad Divini Nominis gloriam, & laudem tendentes commutat, aliàſque diſponit, prout in Domino conſpicit ſalubritèr expedire. Aliàs ſiquidem, ſicut accepimus, quondam Pompejus Pierleoni incola, dum vixit, Almæ Urbis, in teſtamento per eum condito, ſub cujus diſpoſitione deceſſit ab humanis, voluit, & ordinavit, ut dilecta in Chriſto filia Hieronyma Catalana ejus, dum viveret idem teſtator, uxor, & hæres univerſalis, Eccleſiam ſub invocatione S. Antonii de Padua nuncupatam, Domûs Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum etiam nuncupatorum de Urbe exſtrui, & fabricam Eccleſiæ hujuſmodi poſt ejusdem teſtatoris obitum inchoari, & illam abſque intermiſſione continuari facere deberet; & in Altari majori ejuſdem Eccleſiæ, in quo tunc Imago Beatiſſimæ Virginis Mariæ depicta exiſtebat, Icon ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, à lateribus autem illius S. Antonii Abbatis, & S. Franciſci Aſſiſienſis, ac Sanctæ Mariæ Magdalenæ Imagines, quibus iidem Sancti Beatam Virginem prædictam adorare, & ad illam preces pro anima dicti teſtatoris effundere oſtendantur, depingerentur, & effigies ejuſdem Teſtatoris, quaſi ad pedes dictorum Sanctorum proſtrati conficeretur. A' lateribus verò ejuſdem Eccleſiæ in parietibus Imagines Sanctorum Joannis Baptiſtæ, Joſeph, Joannis Evangeliſtæ, ac Sanctarum Catharinæ V. & M. Catharinæ Senenſis, Gertrudis Virg., & Urſulæ pariter depingerentur, & in eadem Eccleſia nomina, & cognomina, Inſignia tam Teſtatoris, quàm Hieronymæ prædictorum inſcriberentur, & ponerentur, ac una ſepultura, ad quam dicti Teſtatoris, & ejus filii, necnon Hieronymæ prædictæ cadavera transferri deberent, exſtrueretur: & in ſumptus fabricæ hujuſmodi ter mille ſcuta, aut minus, ſi ita dictæ Hieronymæ videretur, expenderentur, ac pecuniæ pro uſu ejuſdem fabricæ inſerviendæ penes Bancum Sancti Spiritûs de dicta Urbe ad creditum dictæ Hieronymæ, ad hoc, ut de ejus ordine ſolverentur, cum expreſſa declaratione, quod in uſum dictæ fabricæ convertendæ ſunt, deponerentur, & aliàs, prout in dicto teſtamento dicitur pleniùs contineri. Deindè verò, cum, ſicut Nobis innotuit, fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ob dilationem executionis dicti legati ultra annum, aut ex alia quacumque, etiam juridica cauſa, idem legatum ad fabricam hujuſmodi devolutum eſſe prætenderet: Negotio ipſo in Congregatione Fabricæ prædictæ, & coram Magiſtro Marco Antonio Franciotto, ad id deputato, nunc Cameræ noſtræ Clerico, tractato. Nos juſtis rationibus, & cauſis adducti, locum deſtinatæ fabricæ prædictæ ad Domum, & Eccleſiam dictorum Fratrum dilectis Filiis Fratribus Minoribus Capucinis nuncupatis, præfatis Fratribus Minoribus Reformatis aliò per Nos translatis, pro eorumdem Fratrum Minorum Capucinorum habitatione, ac Domo, & Eccleſia inibi conſtruendis dedimus, & conceſſimus. Quamobrem, ut idem legatum in loco per teſtatorem deſtinato, exactiori, qua fieri poſſe judicavimus, ratione adimpleatur; & ne voluntas dicti Teſtatoris defraudetur, motu ſimili, non ad eorum Fratrum Capucinorum, vel quorumvis aliorum pro eis oblatæ Nobis petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod ter mille ſcuta prædictæ perſonæ, ſeu perſonis per Fratrem Michaelem expreſsè profeſſum dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, cui cura fabricæ, habitationis, Domûs, & Eccleſiæ prædictæ commiſſa eſt, deſignandis, ex nunc, abſque ulla contradictione ſolvi, & de illis unum Oratorium prope Altare majus Eccleſiæ extruendæ prædictæ, ac tertia ex quinque Capellis in eadem Eccleſia ad latus ſiniſtrum erigendis ædificari, & in dicta tertia Capella omnes Sancti, & Sanctæ prædictæ, ut ſupra diſpoſitum eſt, depingi, illamque ad inſtar Capellarum aliarum conſtruendarum ornari, conſtrui, & ab omnibus ſuis numeris abſolvi, & ſic manuteneri, & in ea ſepulturam concameratam, cum monumento, & lapide illius ingreſſum tegente confici, & in columna ejuſdem tertiæ Capellæ lapis marmoreus, in quo conſcriptum ſit, quod Oratorium, & tertia Capella prædicta à fundamentis, per dictam Hieronymam ſumptu trium mille ſcutorum prædictorum, de auctoritate Sedis Apoſtolicæ, in executionem voluntatis dicti Teſtatoris, loco præfatæ Eccleſiæ

ſiæ

ſiæ S. Antonii extructa, ornata, & omnibus numeris ſuis abſoluta fuit, apponi, & in ea Icon Beatæ Mariæ Virginis, quæ illius Coronationem à SS. Trinitate factam repræſentet & imago S. Hieronymi genua flectentis conſici; ac denique in aliqua ejusdem tertiæ Capellæ parte, quod teſtator, ejuſque filii prædicti in dicta Capella inhumati exiſtunt, & in ea dicta Hieronyma inhumari debeat, inſcribi, & ſupra dictam tertiam Capellam Inſignia Teſtatoris, & Hieronymæ prædictorum collocari poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuò concedimus, ac ita volumus, & decernimus, ac ſtatuimus. Motu pari decernentes, Fratres Minores Reformatos prædictos, ac Fabricam dictæ Baſilicæ, necnon Confraternitatem S. Annuntiatæ de Urbe, per ipſum Teſtatorem, in medietate bonorum ſubſtitutam, & Moniales Monaſterii, quod dicta Hieronyma in Civitate Nepeſina, ſicut etiam accepimus, exſtrui curat, in altera eorumdem bonorum medietate hæredes inſtituti, ſeu ſubſtituti, executionem præſentis noſtræ conceſſionis, & voluntatis dicti Teſtatoris commutationis minimè impedire, eoſque nullo unquam tempore, quovis prætextu, colore, vel ingenio, aut ex quacumque cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, quicquam de legato trium millium ſcutorum prædictorum prætendere, nec dictam Hieronymam, ejuſque hæredes, & ſucceſſores deſuper moleſtare, minùſque hunc Motum noſtrum proprium, ac præſentes literas, etiam ex eo, quòd prædicti, & quicumque alii in præmiſſis forſan intereſſe habentes, vel habere prætendentes, illis non conſenſerint, ad eaque vocati, & cauſæ, propter quas illæ emanârunt, examinatæ, aut aliàs approbatæ non fuerint, ſeu aliàs ex quocumque capite, & cauſa, quantumvis legitima, & juridica de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, annullari, in jus, vel in controverſiam vocari, aut adversùs illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, & pro tempore quomodolibet factas, comprehendi, ſed ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum, in quo ante quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacumque poſteriori Data per Fratres Minores Capucinos præfatos quandocumque eligenda, conceſſas eſſe, & fore. Sicque per quoſcumque Judices, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuntios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, qua auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, & attentantes ſic mentis, & incommutabilis voluntatis exiſtere. Non obſtantibus dicti Pompeii voluntate, quam quoad præmiſſa omnia, & ſingula ſufficienter, & expreſsè commutamus, aliiſque præmiſſis, necnon Regula noſtra, de jure quæſito non tollendo, ac quibuſvis Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, & Provincialibus, univerſalibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon fabricæ dictæ Baſilicæ, ac Confraternitatis, Monaſterii, & Fratrum Minorum Reformatorum, necnon Fratrum Minorum Capucinorum prædictorum Ordinum Statutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, aut quævis alia expreſſio habenda foret, tenore hujuſmodi pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, voluntatis, decreti, ſtatuti, commutationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignatiouem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto octavo Kalendas Junii, Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Cum autem Nos nuper novis Domo, & Eccleſiâ prædictis conſtructis, & ad eas dile-

ctis

ctis Filiis Guardiano, & Fratribus, tunc exiſtentis Domûs regularis Sancti Bonaventuræ de Urbe translatis, Eccleſiam ultimò dictæ Domûs, Nationi Lucan. ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſimus, volentes, ut Eccleſia ipſa ultimodicta, Sanctæ Crucis, & Sancti Bonaventuræ Nationis prædictæ, deinceps nuncuparetur, & aliàs, prout in noſtris aliis, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Nos dictæ Eccleſiæ novæ Fratrum Capucinorum prædictorum, quæ eſt ſub invocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, necnon ipſorum Fratrum Capuccinorum indemnitati conſulere, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Guardianum, ac Fratres novarum Domûs, & Eccleſiæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis prædictarum, ipſaſque Domum, & Eccleſiam ab onere, Capellam, & Oratorium juxta præinſertarum litterarum formam conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, dictumque legatum adimplendi, tenore præſentium totaliter eximimus, & liberamus, dictumque onus ad unam ex Capellis Eccleſiæ præfatæ Sanctæ Crucis, & Sancti Bonaventuræ transferimus, legatumque ipſum in ea adimpleri volumus, & mandamus: Decernentes præſentes litteras, etiam ex eo, quòd, quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, aut præmiſſis non conſenſerint, aut ex quavis alia cauſa, quantumvis legitima, & juridica, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis notari, impugnari, redargui, aut in jus aut controverſiam revocari, vel ad terminos juris reduci, vel adversùs eas quodvis gratiæ, vel facti remedium impetrari, nullatenus poſſe, ſed eas ſemper validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, & ab iis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari: Sicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præfata voluntate Teſtatoris, quam quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac, quatenus opus ſit, regula noſtra de jure quæſito non tollendo, aliiſque omnibus, quæ in præinſertis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Septembris MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. tom. Div. Urban. VIII. fol. 313. de quo Breve formatum in Arch. Provinciæ Romanæ.

Cenſus annuos, à Principiſſa Flaminia Columna, Confraternitati SS. Sacramenti in Eccleſia S. Petri Civit. Albani inſtitutæ cum onere Anniverſarii perpetui, & elemoſynæ 50. ſcutorum pro Eccleſia, & uſu Fratrum ibidem annuatim conſignandæ, donatos vendi; illorum pretium in emptionem duorum Locorum Montium Cameræ Apoſtolicæ pro dicto Anniverſario celebrando &c., ac reſiduum in conſtructionem Murorum Clauſuræ noſtræ Domûs ibidem converti concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Domûs S. Bonaventuræ Albanenſ. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs bo. mem. Flaminia Columna Uxor, dum vixit, bonæ etiam mem. Julii Cæſaris Gonzagæ, Principis Bozzoli, pro ſua erga Deum pietate, Animæque ſuæ refrigerio nonnullos annuos perpetuos cenſus, aliàs ad ſui favorem cum diverſis perſonis impoſitos, ſibique debitos, uſque ad ſummam mille in eorum ſorte principali, in annuo verò redditu octuaginta ſcutorum monetæ in totum aſcendentes, Confraternitati SS. Sacramenti, in Eccleſia S. Petri Albanenſi canonicè inſtitutæ, donatione irrevocabili inter vivos, donavit, cum infraſcriptis tamen oneribus, & obligationibus, inter alia videlicet: quod ipſa Confraternitas, ac pro ea illius Cuſtodes, & Confratres pro tempore exiſtentes, unum Anniverſarium, in die ſui obitûs, in dicta Eccleſia, pro ipſius Flaminiæ Principiſſæ Ani-

Animæ refrigerio, in perpetuum celebrari facere, necnon etiam quolibet anno dictæ Domûs S. Bonaventuræ, aliàs ejuſdem Flaminiæ Principiſſæ ſumptibus conſtructæ, illiuſque Fratribus ſcuta quinquaginta monetæ, triginta videlicet in cera, & oleo pro dictæ Eccleſiæ uſu, & ſervitio, alia verò viginti in tot carnibus, & piſcibus pro Guardiano, & Fratribus prædictis tradere, & conſignare teneantur & aliàs, prout plenius continetur in publico inſtrumento deſuper confecto, tenoris ſubſequentis videlicet:

Die XIX. Menſis Februarii MDCXXXIII. Illma, & Exma Domina, Donna Flaminia Columna, Baroniſſa Romana, Principiſſa Gonzaga bon. mem. Illmi, & Exmi D. Sciarræ Columnæ filia, relictaq; Uxor bo. mem. Illmi, & Exmi Domini Principis Julii Cæſaris Gonzagæ, mihi Notario cognita, ſponte &c. Amore Dei propter piam cauſam, & pro ſuæ Animæ ſuffragio, omnique alio meliori modo &c. irrevocabiliter, & inter vivos donavit &c. Ven. Confraternitati, ſub invocatione Sanctiſſimi Sacramenti aliàs erectæ in Ven. Eccleſia S. Petri Civitatis Albanenſis, licet abſenti, me Notario &c. infraſcriptos annuos cenſus, aliàs ad ſui favorem, ab infradicendis perſonis reſpectivè impoſitos, & conſtitutos, hodierna die reſpectivè ſibi debitos videlicet: Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium, aliàs, & ſub die 24. Aprilis 1614., ſeu &c. in ipſius favorem impoſitum, & conſtitutum, per Dominum Petrum Paulum, quondam Lazzari de Albano in & ſuper illius domo, ſita in Burgo Civitatis Albani, & aliàs, prout latius dicit contineri in inſtrumento deſuper celebrato, & in actis D. Franciſci Grilli, olim Connotarii condito, & rogato, ad quod &c. Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium eademmet die 24. Aprilis 1614., ſeu &c. ad ipſius favorem impoſitum, & conſtitutum per D. Perſium, quondam Franciſci Rubini, etiam de Albano, in & ſuper illius Domo, ſita in Burgo ipſius Civitatis Albani, ut latius ex Inſtrumento in actis ejuſdem Domini Franciſci Grilli, olim Notarii Capitolini condito, & rogato, ad quod &c. Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium, aliàs, & ſub die 25. Februarii 1610., ſeu &c. in favorem D. Coſtuniæ, olim Uxoris quondam Jacobi Jacobatii de Albano per Dominum Valumnium Federicum, etiam de Albano, per acta D. Petri Pauli Martini, olim Notarii publici Capitolini impoſitum, & conſtitutum, poſtea ſub eademmet die 24. Aprilis 1614., ſeu &c. in ipſius Excellentiæ favorem venditum, & ceſſum, per acta prædicti Domini Franciſci Grilli, olim Notarii Capitolini ad quæ &c. Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium aliàs, & ſub die 13. Martii 1614., ſeu &c. in ipſius favorem impoſitum, & conſtitutum per D. Bartholomæum, quondam Hieronymii Bozzoli de Forlimpopulo, Incolam Albani, ſuper illius Domo, ſita in eadem Civitate, contigua Ven. Eccleſiæ S. Petri, ut latius ex Inſtrumento in Actis prædicti D. Franciſci Grilli, olim Notarii Capitolini confecto, & ſtipulato ad quod &c. Annuum cenſum ſcutorum ſexdecim monetæ, pretio ſcutorun ducentorum ſimilium, aliàs, & ſub die 20 Decembris 1614. ſeu in ipſius Excellentiæ favorem impoſitum, & conſtitutum per D. Auguſtinum, quondam Bernardini Jannini de Albano, ut latius ex Inſtrumento deſuper celebrato, & per eumdem D. Franciſcum Grillum, olim Notarium Capitolinum condito, & rogato, ad quod &c. Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium aliàs, & ſub die 12. Januarii 1615., ſeu &c. in ipſius Excellentiæ favorem impoſitum, & conſtitutum à D. Joanne, quomdam Dominici de Albano in & ſuper illius Domo, ſita in Burgo S. Pancratii, ipſius Civitatis, ut latius ex Inſtrumento in Actis prædicti D. Franciſci Grilli confecto, & ſtipulato, ad quod &c. Annuum cenſum ſcutorum octo monetæ, pretio ſcutorum centum ſimilium, aliàs, & ſub die 13. Julii 1615., ſeu &c. in ipſius favorem impoſitum, & conſtitutum per D. Auguſtinum, quondam Joannis Pellegrini de Graſſis, de Regio, Incolam Albani ſuper illius Domo, ſita in eadem Civitate, ut latius ex Inſtrumento in actis D. Lucæ Politi, olim Notarii Capitolini confecto, & ſtipulato ad quod &c. Necnon alium annuum cenſum ſcutorum ſexdecim monetæ, pretio ſcutorum ducentorum ſimilium aliàs, & ſub die 16. Martii 1616., ſeu &c. in ipſius Excellentiæ favorem impoſitum, & conſtitutum per D. Hieronymam, quondam Hectoris Cæſaris de Albano, uti Matrem, & Curatricem ejus, & quondam D. Trivultii Antonii, olim illius Viri, filiorum, & hæredum, ut latius ex Inſtrumento deſuper confecto, & ſtipulato per Dominum Hortenſium Archileum, Notarium publicum Albanen. ad quod &c. Hujuſmodi quinque annuorum cenſuum donationem &c. fecit, & facere declaravit cum fructibus, à die ſui futuri obitûs impoſterum decurrendis, una etiam cum illorum juribus, & actionibus univerſis, nullo alio jure &c. ſuis pro tempore hæredibus, & ſucceſſoribus deſuper reſervato, niſi infradicendis ad haben. &c. ponens &c. transferens &c., dans poteſtatem &c., & donec &c., conſtituit &c. Hujuſmodique irrevocabilem inter vivos donationem &c. cunctaque præmiſſa, & infradicenda ipſamet Excellentiſſima D. Principiſſa fecit, & facere declaravit erga prædictam Ven. Archiconfraternita-

nitatem ex cauſis ſupra expreſſis, ac ſub oneribus, obligationibus, conditionibus, & reſervationibus infradicendis, videlicet: ut ſibi Excellentiſſimæ D. Principiſſæ, donec, & quouſque naturaliter vixerit, ſpecialiter, & expreſsè reſervatus ſit, prout reſervavit, & reſervat, integer uſus fructûs, liberaque adminiſtratio omnium, & ſingulorum cenſuum præfatorum, adeo, ut ſi contigerit, ipsâ vivente, aliquem ex eis redimi, atque extingui, hujuſmodi retrovenditionem, ſeu retrovenditiones ipſa liberè facere poſſit, & valeat, & pretium ſeu pretia recipere una cum fructibus &c. de receptis, & exactis &c., quietare, & alia deſuper opportuna facere, & adimplere, prout ipſa maluerit, ad effectum tamen hujuſmodi pretium, ſeu pretia denuo reinveſtiendi in emptionem alterius annui cenſus ſeu cenſuum, qui ſemper ſint, & cenſeantur ſubrogati in locum cenſus, ſeu cenſuum retrovendendorum, idemque ſibi facere liceat toties, quoties contigerit, donec, & quouſque ipſa naturaliter vixerit, liberè quia ſic &c. Item ut ipſa Ven. Confraternitas, & illius pro tempore Cuſtodes, & Confratres poſt ſuum obitum teneantur ſingula die ſui futuri obitûs celebrari facere, in eorum Ven. Eccleſia prædicta unum Anniverſale pro ſuffragio ſuæ Animæ perpetuis futuris temporibus in infinitum: Et ulterius quolibet anno, etiam in perpetuum, & in infinitum tradere, & conſignare Venerabili Conventui, ſub invocatione Sancti Bonaventuræ ipſius Civitatis Albani, aliàs per ipſam ædificato, illiuſque RR. Fratribus ſcuta quinquaginta monetæ, nempe ſcuta quindecim in tot Cereis ad uſum Altaris, ſcuta quindecim in tot oleo, ſcuta decem in tot carne, & totidem ſcuta decem in tot piſcibus, hujuſmodique annuam traditionem, & conſignationem abſque ulla intermiſſione, continuare in perpetuum, & in infinitum, & hæc onera in tabella ipſius Venerabilis Confraternitatis deſcribere, & deſcripta perpetuò conſervare. Item, ut prædictos omnes, & ſingulos annuos cenſus, ut præfertur, donatos &c. necnon alios in eorum locum pro tempore ſubrogandi, ipſamet Venerabilis Confraternitas ſemper inalienabiliter manutenere, & conſervare teneatur, illoſque omnes, & ſingulos, nullo unquam tempore ex quavis etiam urgenti, & urgentiſſima cauſa nemini alteri perſonæ &c. in toto, vel in parte vendere, cedere, aſſignare, obligare, hipothecare, aut aliàs quomodolibet alienare poſſit, & valeat, alienationis &c. vocabulo latiſſimè ſumpto, ſub pæna nullitatis, necnon caducitatis ab omni commodo præſentis donationis, & in caſum eorum retrovenditionis ſeu retrovenditionum, pretium, ſeu pretia inde redigenda ſemper reinveſtire teneatur in emptionem annuorum cenſuum, ſeu bonorum ſtabilium cum ſcientia, & conſenſu Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis pro tempore Epiſcopi ipſius Civitatis Albani, quos ſeu quæ ſimiliter ſemper, & perpetuò conſervare, nec umquam alienare ſub quovis prætextu &c. poſſit, & valeat, idque ſervare ſemper, & adimplere teneatur, toties, quoties hujuſmodi caſus evenerit in perpetuum, & in infinitum liberè &c. Item, ut in quemcumque caſum, & eventum controventionis, defectûs, aut inobſervantiæ omnium, & ſingulorum onerum, conditionum, & obligationum præfatarum, ipſamet Venerabilis Confraternitas ipſo jure, ipſoque facto decadat, ac cecidiſſe cenſeatur ab omni commodo præſentis ſuæ Donationis, & in illius locum ſuccedat, & ſuccedere debeat Ven. Capitulum, & Canonici Cathedralis Eccleſiæ S. Pancratii, ipſius Civitatis, cui, & quibus hujuſmodi caſum, & eventum prædictos, omnes, & ſingulos annuos cenſus ex nunc pro tunc, etiam irrevocabiliter, & inter vivos, donavit &c. ſub eiſdemmet annuis perpetuis oneribus, obligationibus, vinculis, & conditionibus, ſuprà expreſſis, ſingula ſingulis congruè referen., quia ſic &c. Et ſalvis præmiſſis ipſamet Excellentiſſima D. Principiſſa promiſit, & ſe obligavit hujuſmodi irrevocabilem inter vivos donationem, ceſſionem, & renunciam, cunctaque alia præmiſſa, & infradicenda ſemper & omni tempore rata, grata, valida, & firma habere, tenere, & inviolabiliter obſervare, contraque non facere, dicere, vel venire, nec illam revocare, ſeu revocari facere, etiam ſub prætextu doli, ingratitudinis, paupertatis, religionis ingreſsûs, aut alio, quocumque prætextu, cauſa, quæſito colore, vel ingenio opinato, vel inopinato, ac in corpore juris clauſo, & hîc neceſſe exprimen., quibus omnibus, & ſingulis, atque etiam beneficio leg. ſi umquam cod. de revocand. donat. necnon ſen. Conſ. Vellejani auth., ſi qua mul. leg. Jul. de fund. Dot. Stat., & novis reformat. Urbis, cæteriſque legibus, juribus, & Conſtitutionibus, tam civilibus, quàm Canonicis, & municipalibus, & quibus mediantibus contra præſentem contractum, quomodolibet venire, vel ſe juvare poſſet, ſpecialiter, & expreſsè, etiam cum juramentis &c. renovavit, & renovat liberè &c., & ad potiorem cautelam conſenſit inſinuationi hujus contractus, coram competenti Judice faciendæ & ad illum inſinuan., & in actis publicis redigi, recipi, & regiſtrari, quodcumque Decretum deſuper opportunum fieri, & interponi peten. inſtan., & obtinen. Procuratores irrevocabiles, ut in rem publicam, etiam cum juramentis: fecit, & conſtituit &c. Excellentes DD. Philippum Guidottum, & Jacobum Lucarellum, juris utriuſque Doctores, licet abſentes

ſentes, & quemlibet eorum in ſolidum, cum poteſtate ſubſtituendi &c. aliiſque clauſulis, & facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, & generaliter &c. promittens &c. relevans &c. *Bomuccarus Notarius rogatus*:

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Fratres dictiOrdinis, & prçſertim Provinciç Romanç, juxta regularia eorum inſtituta, Apoſtolica Auctoritate confirmata, ſimilia legata non modò, non recipere, verùm etiam expreſsè renunciare conſueverint; Domus verò prædicta muris pro Clauſura cincta nequaquam ſit; Nos, quo Domus ipſa, debita convenientique Clauſura muniri poſſit, opportunè providere, illiuſque Guardianum, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus &c., cenſentes, nec non de dilectorum filiorum Petri Eſchinardi Laici, ac Dominici Fonthiæ, Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditoris Notarii, & Michaëlis de Bergamo, dicti Ordinis profeſſoris, fide, prudentia, integritate, & religionis zelo reſpectivè plurimùm in Domino confiſi, eidem Petro, ſeu Dominico, quod omnes, & ſingulos cenſus prædictos, quibuſvis perſonis, meliorem conditionem offerentibus vendere, & alienare, ac illorum pretium in emptionem duorum locorum Montium Cameræ Apoſtolicæ, eidem Confraternitati aſſignandorum, ad hoc, ut ex eorum fructibus prædictum Anniverſarium celebrare faciat, & ſi quid deductis expenſis pro dicti Anniverſarii celebratione neceſſariis ſupererit, in tot Miſſas pro ipſius Flaminiæ Donatricis Animæ refrigerio convertatur, reſiduum verò pretii hujuſmodi, quod apud ſe vel alium Virum fide, & facultatibus idoneum deponi debeat, in conſtructionem murorum Clauſurç dictç Domûs juxta ordines, per dictum Michaelem dandos, convertere liberè, & licitè valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur, ac voluntatem dictæ Flaminiæ Principiſſæ in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus. Non obſtantibus voluntate hujuſmodi, ac, quatenus opus ſit, fel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienan. aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Domûs etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XI. Junii MDCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſis, & Anni præd. fol. 95.

Fr. Bernardinum Maceratenſem, Provincialem à ſe ablegatum, pro benigno auditu Duci Mantuæ commendat.

Foris: *Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Gonzagæ Duci Mantuæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUÆ cum Nobilitate tua, Pater Bernardinus Maceratenſis, ex Ordine Capucinorum, Romanæ Provinciæ Præfectus diſſeret, ea ſcias noſtro Nomine Tibi exponi, iis proinde non ſecus, ac Noſtris verbis, fidem adhibebis, hominemque non minùs vitæ integritate, quàm prudentia ornatum, pro tua in Nos obſervantia, atque in Religioſos Ordines pietate humaniter tractabis. Nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Septembris MDCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

Franciſcus Herrera Secretarius.

Commendat Idem Duciſſæ Viduæ.

A tergo: *Dilectæ in Chriſti, Filiæ Nobili Mulieri Infanti Mantuæ Viduæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier Salutem, &c.

PAtrem Bernardinum Maceratenſem, ex Ordine Capuccinorum, Romanæ Provinciæ Præfectum, tum virtutum ipſius merito, tum noſtra cauſa, â Nobilitate tua benignè atque humaniter excipi cupimus. Quæ verò noſtro Nomine, ex illo audies, ea perinde, quaſi verba noſtra eſſent, abs te accipi volumus. Nobilitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ ut ſupra.

Franciſcus Herrera Secretarius.

Necnon Principiſſæ Mantuæ Viduæ.

A Tergo. *Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri Principiſſæ Mantuæ Viduæ.*

URBANUS PP. VIII.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier &c.

PAtri Bernardino Maceratenſi, ex Ordine Capucinorum, Romanæ Provinciæ Præfecto dedimus in mandatis, ut quædam Nobilitati tuæ, noſtro Nomine exponeret, quibus non minus, quàm noſtris verbis fidem à Te adhiberi volumus, Tu in Religioſo viro excipiendo, non tam hauſtam â majoribus, quàm inſitam â pueritia pietatem, tum noſtrâ, tum ipſius causâ, oſtendes. Nobilitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum, ut ſupra.

Franciſcus Herrera Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes Reg. mens & anni præd. f. 128.

Ne Superiores, vel Provinciales, vel Generales, ullo unquam tempore quidquam circa Situm, jura &c. Domûs de Urbe, ſine Familiæ Barberinæ conſenſu diſponant, interdicit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM dilectus filius noſter Antonius, Tituli S. Honufrii Presbyter Cardinalis, noſter ſecundùm carnem Frater germanus, pro ſua ſingulari, atque eximia in Deum pietate, ſuoque præcipuo erga Ordinem Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, cujus in minoribus conſtitutus profeſſor fuit, devotionis affectu, Domum Regularem eorumdem Fratrum cum Hortis, Hortalitiis, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, nec non Eccleſia, ſub invocatione Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, Choro, Campanis, aliiſque membris neceſſariis, & opportunis, de bonis ſibi à Deo collatis, in Alma Urbe noſtra, egregio, atque inſigni opere conſtrui, & fabricari fecerit. Nos ipſius Domûs Regularis conſervationi, ac manutentioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris; deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ejuſdem Domûs Guardiani, nec Provinciales, nec Generales, aut Procuratores Generales dicti Ordinis, pro tempore exiſtentes pro quacunque parte ſitûs dictæ Domûs Regularis, aquæductuum, & aliis quibuſcumque juribus ei quomodolibet competentibus, quicquam diſponere, neque appodiationem muris ipſius Domûs Regularis ad cujuſvis favorem, concedere, ſeu permittere, minuſque alia ſimilia præjudicialia facere, abſque ipſius Antonii Cardinalis, & eo vita functo, Nobilium Virorum Eccleſiaſticorum Domûs, & Familiæ noſtræ de Barberinis, in ſucceſſione per literas Noſtras ordinata vocatorum, qui manſionibus, ſeu ſtantiis in dicta Domo Regulari, ab ipſo Antonio Cardinali conſtructis, vigore Indulti, & conceſſionis ſibi, à Nobis factorum, uti poſſunt, ac majoris partis Vocalium Capituli Provincialis faciendi conſenſu, & expreſſa participatione audeant, ſeu præſumant, ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ pænis, eo ipſo abſque ulla declaratione incurrendis, ultra pænas à jure inflictas, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus: Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari: ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpetrandi facultate, ac authoritate, ubique judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Domûs, & illius Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris. Die XXVIII. Aug. MDCXXXV. Pontificatûs Noſtri Anno decimotertio.

M. A. Maraldus.

Exempl. in Arch. generali Ord. Armario Provincia Romana, *& aliud in Arch. Conventûs de Urbe.*

NO-

NOTA.

Cum Domus de Vrbe, ſucceſſu temporis, appoſitione variorum membrorum, hortorum, Cellarum &c. ſine Excellentiſſimæ Familiæ Barberinæ concurſu fuerit adaucta, prohibitionem ſupra poſitam ad ea dumtaxat, quæ hujus Familiæ ſtipendio exſtructa, vel empta ſunt, conſequenter reſtringendam eſſe autumo. Debet autem perenni memoria commendari generoſa liberalitas, qua altefata Familia tam pro decore, quàm commodo hujus Domûs prodigos expendit ſumptus, & cujus teſtem reliquit, votivum lapidem, in fundamentis, cum hac inſcriptione.

URBANUS PAPA VIII.

HOC pietatis in Deum, amoris, & obſervantiæ erga Chriſti Pauperes Religionis S. Franciſci Capucinorum Fratres lapideum monumentum, in fundamentis Eccleſiæ Immaculatæ Deiparæ Conceptionis Sumptibus generoſis Illuſtriſſimæ Barberinorum Familiæ opificè conſtruendæ, devotè appoſuit Anno Domini MDCXXVI. Pontificatus ſui quarto.

Ne quoque Ara magna Eccleſiæ, cujus Majeſtas ſolitam Capucinorum paupertatem longè excedit, puſillorum offenderet oculos, illam Pontificiâ ſuâ voluntate, & liberalitate ita confectam eſſe, affixo declaravit hoc monumento.

Urbanus VIII. Pont. Opt. Max.

Nolens Pontificiæ Charitatis Magnificentiam Capucinæ Paupertatis limitibus coerceri, Aram maximam ornavit.

Conventus Civitatis Caſtellanæ, & Terræ Nemi ad opportuniorem ſitum transferri, ſitus dimiſſos, & materialia Conventuum demolitorum plus offerentibus vendi, & pretium exinde redactum in novarum Domuum fabricam converti indulget, ac committit.

A tergo. *Dilecto Filio Michaeli à Bergamo Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori:*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Provincialis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Romanæ, Nobis expoſitum fuit, quod ipſi Civitatis Caſtellanæ, necnon Terræ Nemi Albanenſis Diœceſis, ſeu in alio Dominio Domos regulares dicti Ordinis in alium meliorem ſitum mutare, earumque Eccleſias, & Conventus demolire, necnon cæmentis, & materialibus illorum, in fabricam novarum Domorum Regularium, & Eccleſiarum Ordinis hujuſmodi faciendam, uti, ſituſque per ſe dimittendos plus offerentibus vendere, illorumque pretium ſimiliter in fabricam novorum Conventuum ſui Ordinis convertere poſſe, ſummoperè deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis oportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut per Te, vel alios à Te deputandos, prædictas Domos regulares in alium meliorem ſitum mutare, earumque Eccleſias, & Conventus demolire, & materialibus prædictis in fabricam Novarum Domorum regularium, & Eccleſiarum Ordinis hujuſmodi uti, ſituſque, ut petitur, dimittendos ultimis, & plus offerentibus vendere, & illorum pretium in fabricam novorum Conventuum hujuſmodi convertere liberè, & licitè poſſis, & valeas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XI. Junii MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno decimotertio.

M. A. Maraldus.

Auth. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 43. de quo Breve format. in Arch. Provinciæ.

Situm,

Situm, Sylvas, Cæmenta veteris Domûs Terræ Galleſii, Duci ab Altemps pro expenſis fabricæ novæ, ab eo inibi conſtructæ dari, ac ab eodem Duce, ac Succeſſoribus ejus, alios quoſcumque Religioſos in eadem nova Domo, caſu quo à noſtris Fratribus deſereretur, ſubſtitui poſſe indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad Futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Romanæ, quod, cum ipſi aliàs per multum temporis ſpatium, quo Domum Regularem ſui Ordinis Terræ Galleſii Sabinen. Dioec. habitârunt, experti fuerint illam inſalubrioris aeris exiſtere, in proximè præterito dictæ Provinciæ Provinciali Capitulo, è ſententia majoris partis Vocalium decreverunt, prædictam Regularem Domum ſibi deſerendam, dimittendamque fore: quod, cum dilectus Filius Nobilis Vir Petrus ab Altemps Dux, & dictæ Terræ Galleſii in Temporalibus Dominus reſciviſſet, pro peculiari, quo dictum Ordinem proſequitur, devotionis affectu, ſeſe ſuis ſumptibus, & expenſis aliam novam Domum Regularem in alio clementioris, ſalubrioriſque aeris ſitu, prædictis Fratribus fabricaturum obtulit, Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus &c. volen., & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſen. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus Provinciæ hujuſmodi, quod ipſi ea omnia, & ſingula veteris Domûs Regularis hujuſmodi cæmenta, quæ pro conſtructione dictæ novæ Regularis Domûs minimè neceſſaria fuerint, necnon ſimiliter totum illud ſpatium, ſitus, & ſylvas, quibus ipſi Fratres ad præſens in eadem primodicta Regulari Domo gaudebant, prædicto Petro Duci dare, ipſe verò Petrus Dux illa recipere, illiſque ſeſe, ſi non in totum, ſaltem in aliqua parte pro tanta fabricæ novæ Domûs Regularis hujuſmodi impenſa, proque comparandis aliis ſitibus, & ſylvis, illis neceſſariis, revalere, & uti, liberè, & licitè reſpectivè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam concedimus, & impertimur. Præterea eidem Petro Duci, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, quod, ſi quandocumque ab eiſdem Fratribus prædictam novam Domum Regularem quavis de cauſa etiam deſeri, dimittique contingat, eo caſu ipſi, eorumque ſinguli alios alicujus alterius, à Sede Apoſtolica approbati Ordinis Religioſos, à ſe eligendos, inibi collocare, liberè, & licitè, ac abſque ullo prorſus impedimento poſſint, & valeant, dicta auctoritate, earumdem tenore præſentium indulgemus. Non obſtan. quatenus opus ſit Pauli II. & aliorum Romanorum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, nec non Provinciæ, & Domûs Regularis hujuſmodi etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris III. Auguſti MDCXXXVII. Pontificatûs Noſtri anno XIV.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. menſ. & anni præd. f. 23.

Pro Complemento fabricæ Domûs Cinthian. duo petia terræ à Juliano Cæſarino Duce emi, ac pretium in emptionem bonorum ſtabilium pro annuo Canone, Archipresbytero, Capitulo, &c. ibidem ſolvendo converti, ſuo in Alma Urbe Vicario committit.

Dilecto Filio Noſtro in Alma Urbe Vicario in ſpiritualibus generali.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis, Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, pro fabricæ Domûs Regularis eorumdem Fratrum, inchoatæ in Territorio, & diſtrictu Terræ Cinthiani Albanenſis Diœceſis, juriſdictionis temporalis dilecti Filii, Nobilis Juvenis Juliani Cæſarini, Ducis Terræ Civitatis novæ nuncupatæ, Firmanæ Diœceſis complemento, dimidium Terræ ſaltuoſæ, & vineatæ rubrum, ad Eccleſiam Parrochialem dictæ Terræ Cinthiani legitimè ſpectans, valoris in proprietate ſcutorum 149., & bajoch. 60. ex quo annuus Canon, ſeu reſponſio quartæ partis fructuum, exinde provenientium, Archipresbytero dictæ Eccleſiæ, necnon aliud in 152. arboribus conſiſten. valoris centum viginti

ginti unius ſcutorum ſimilium, & bajochi 60. ex quo annuus Canon juliorum 25. Sacriſtiæ dictæ Eccleſiæ, ac reliquum Terræ ſaltuoſæ petia unius ſcortii, & trium quartorum menſuræ illarum partium, ex quo annua ſimiliter reſponſio bajoc. 35. dilectis filiis Capitulo, & Canonicis, Sæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ, Terræ Ariciæ, dictæ Albanenſis Dioeceſis reſpectivè debentur, neceſſaria ſint, ipſe verò Julianus Dux prædicta Terræ petia, quanti æſtimata ſunt, ſeu æſtimari poſſunt, ad effectum præmiſſum emere intendat. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut de opportuna in præmiſſis licentia providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Exponentem ſpecialibus &c. volen., & à quibuſvis &c. cenſen. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Circumſpectioni tuæ per præſentes injungimus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac dictis terræ petiis, & annuis Canonibus, ſeu reſponſionibus hujuſmodi, illiuſque circumſtantiis univerſis, prius coram Te ſpecificatis, de venditione hujuſmodi, & pretii exinde redigendi in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, & ſecurorum, ex quibus Archipresbytero, Sacriſtiæ, ac Capitulo, & Canonicis hujuſmodi Canones, ſeu reſponſiones prædictæ ſolvantur, & ſolvi debeant, reſpectivè converſione facienda, quodque illæ ſi fiant, in evidentem illorum ceſſuræ ſint, & cedant utilitatem, legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, eidem Exponenti, quod prædicta terræ petia vendi, & emi reſpectivè, ut præfertur, poſſint, & valeant, licentiam Auctoritate Noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienan., aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod venditio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem pretium prædictum penes Montem Pietatis de Urbe deponatur, exinde non amovend., niſi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VIII. Novembris MDCCXXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno decimoſexto.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. anni, & Menſ. præd. fol. 13.

Ut Provincia Miniſtrum Generalem, & in ejus abſentia Procuratorem Generalem, ceu Superiores, agnoſcat, eiſque more cæterarum Provinciarum, cæterorumque Ordinum pareat, præcipit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis à Domino Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut religioſorum Virorum, qui ſpretis hujus ſæculi vanitatibus divini Numinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo, & ſtrictioris obſervantiæ regulis ſe mancipârunt, paternam curam gerentes, in his ejuſdem muneris partes ſedulò intendamus, per quæ proſpero, felicique eorum ſtatui, & directioni opportunè conſulatur, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod Nos, quò difficultates, quæ, ut accepimus, Ordini Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum aliquid moleſtiæ adferunt, è medio tollantur, quantum cum Domino poſſumus, providere volentes, Miniſtrum Provincialem Provinciæ Romanæ dicti Ordinis, ipſamque Provinciam cum omnibus & ſingulis ejus Domibus, Lociſque Regularibus, & Conventibus Dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus Miniſtro generali, & Procuratori generali ejuſdem Ordinis, dum hic vices ipſius Miniſtri generalis ſuſtinet, Commiſſariuſque generalis appellatur, & eſt, iis legibus, eoque modo, quo ceteræ Provinciæ, ceterique Miniſtri Provinciales, Ordinis hujuſmodi, juxta ejus Conſtitutiones, Apoſtolica auctoritate confirmatas, ſubjectæ, & ſubjecti ſunt, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium ſubjicimus, ac præſentibus noſtris Literis, aliàs à Nobis die XVI. Martii Anno MDCXXVI. emanatas, minimè obſtare, Noſque per ſecundodictas literas auctoritati Commiſſarii generalis dicti Ordinis, cui Miniſter Provincialis Romanæ Provinciæ prædictæ, ipſaque Provincia, more ceterarum Provinciarum, ceterorumque Ordinum parere debent, eo maximè tempore, quo dictus Miniſter Generalis tranſmarinas, & ultramarinas Provincias incolit, inviſitque, noluiſſe, nec intendiſſe derogare declaramus. Mandantes propterea Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali, aliiſque Officialibus, & Fratribus dictæ Provinciæ Romanæ, quomodolibet nuncupatis, nunc & pro tempore exiſten. in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub ſuſpenſionis, & irregularitatis, depoſitioniſque ab eorum officiis, & muneribus, perpetuæque privationis vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrendæ, aliiſque arbitrii

bitrii dilecti filii noſtri Antonii, videlicet S. Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis, Sancti Onuphrii nuncupati, noſtri ſecundùm carnem Fratris Germani, moderni, & pro tempore exiſtentis Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris pœnis, ut Miniſtrum Generalem, ac Procuratorem Generalem, dum vices ipſius Miniſtri Generalis ſuſtinet, eſtque Commiſſarius Generalis, præfatos, in ſuos Superiores recipiant, & agnoſcant, eorumque ſalubria monita, & juſſa ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtan. quatenus opus ſit, prædictis Noſtris literis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Provinciæ, ac Miniſtro Provinciali, aliiſque Fratribus, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenore, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importan. mentio facienda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium ten. præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Maji MDCXXXIX. Pontificatus noſtri Anno decimoſexto.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & ann. præd. fol. 24. *de quo exemplaria Typis Rev. Cam. Apoſt. impreſſa in Arch. gen. Ord. Armar.* Provincia Romana. *Vide & infra confirmationem hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis. inter Bullas &c. Clemen. PP. XII.*

Quædam alia terræ petia pro fabrica Domûs Cyntiani empta ab annua reſponſione eximi, ac pretium in emptionem duorum locorum Montium converti, Archipresbytero, & Vicario Generali Albanen. committit.

A tergo. *Dilectis Filiis Archipresbytero Eccleſiæ Albanen. ac Vicario Ven. Fratris Noſtri Epiſ. Albanen. in ſpiritualib. Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſitum fuit, pro fabricæ Domûs Regularis eorum Fratrum, inchoatæ in Territorio, & diſtrictu Terræ Cyntiani Albanen. Diœceſis, juriſdictionis temporalis Dilecti Filii, nobilis juvenis Juliani Cæſarini Ducis Terræ Civitatis novæ nuncupatæ Firman. Diœceſis, complemento Terræ ſaltuoſæ, & vineatæ unum capacitatis dimidii rubri, vel circa, valoris tunc in proprietate ſcutorum centum quadraginta novem, & bajoccorum ſexaginta, nec non aliud terræ petiolum in centum quinquaginta duabus arboribus vitium conſiſtens, valoris centum viginti unius ſcutorum ſimilium, & bajoccorum ſexaginta monetæ Romanæ, à dilecto filio Jacobo Renzino, incola dictæ Terræ, ad quem illa ſpectabant, legitimè ſatisfacto, per dictum Julianum Ducem ex ſuis propriis pecuniis empta fuerint, ſed quia ex dimidio rubro quinta pars fructuum recolligendorum, quæ anno fertili cum ſterili computato tria ſcuta monetæ Romanæ non excedunt, Rectori, Archipresbytero nuncupato Parochialis Eccleſiæ, Archipresbyteratus nuncupatæ, dictæ Terræ, ex poſteriori verò petiolo Terræ hujuſmodi, duo alia ſcuta ſimilia, & bajocchi quinquaginta ſeptem, Sacriſtiæ ejuſdem Eccleſiæ pro reſponſione ſingulis annis præſtari conſueverunt, quamvis petiola Terræ hujuſmodi nulli caducitati, neque ſolutioni laudemii obnoxia ſint, nihilominus idem Julianus Dux indemnitati Eccleſiæ, & illius Sacriſtiæ hujuſmodi conſulere cupiens, ac prædictam Domum Regularem à prædictis reſponſionibus de cetero liberare, & eximere cupiens, ex ſuis propriis pecuniis duo loca Montium, non vacabilium de Urbe, ex quibus novem ſcuta paria annuatim percipientur, pro eiſdem Eccleſia, & Sacriſtia, ita, ut ex illis Eccleſiæ ſex, Sacriſtiæ verò hujuſmodi tria ſcuta ſimilia ſingulis annis obveniant, de conſenſu Rectoris Eccleſiæ, & Adminiſtratorum Sacriſtiæ

criſtiæ hujuſmodi emere intendat. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eumdem Procuratorem Generalem ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac dictis Terræ petiolis, & annuis Canonibus, ſeu reſponſionibus hujuſmodi, illorumque circumſtantiis univerſis, prius coram Vobis ſpecificatis, de exemptione, & liberatione, ac pretii in emptionem duorum locorum Montium converſione hujuſmodi facien. quodque illæ, ſi fiant, in evidentem Eccleſiæ, & Sacriſtiæ hujuſmodi ceſſuræ ſint utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus, legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, eidem Procuratori Generali, quod prædicta Terræ petiola à dictis reſponſionibus eximi, & liberari, ac pretium prædictum in emptionem duorum locorum Montium, ut ſupra, converti reſpectivè poſſint, & valeant, licentiam auctoritate noſtra Apoſtolica concedatis. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod venditio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem pretium ipſum penes Montem Pietatis de Urbe deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illud, ut ſupra, convertendi. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Junii MDCXXXIX. Pontificatus Noſtri anno XVI.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis Maji, vel Junii anni præd. f. 65.

Pium Legatum, cujus fructus quotannis in uſum, & ſervitium Domûs Montis S. Joannis converti debebant, ſemel duntaxat in fabricam dicti Conventûs erogari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Terræ Montis Sancti Joannis, Verulan. Diœc., quod aliàs quondam Venetianus, è dicta Terra oriundus, in ſuo ultimo, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento legavit, ut â ſuo hærede unus, ſeu plures cenſus perpetui, ſcutorum ducentorum monetæ, in ſorte principali emerentur, quorum fructus quotannis in uſum, & ſervitium Domûs Regularis eorumdem Fratrum ab eorum Procuratore ſeu Syndico converti deberent. Quoniam verò, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Fratres Capucini Legatorum hujuſmodi incapaces exiſtunt, & ad præſens pro cingenda dictæ Domûs Regularis fabrica pecuniis maximè indigent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat, conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus prædictis, quod ſcuta ducenta hujuſmodi ſemel duntaxat, de conſenſu hæredis dicti Venetiani deſuper præſtando, per Syndicum, ad id deputandum, percipi, illaque in fabricam Eorum Domûs regularis dictæ Terræ converti, & erogari liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & indulgemus, Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut eoſdem Exponentes præmiſſorum omnium commodo, & effectu frui, & gaudere ſinant, & faciant, ac Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſque Exponentibus in omnibus, & per omnia ſuffragari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis,

tis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Januarii MDCXL. Pontificatus Noſtri Anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Secr. Brev. Apoſt. Reg. menſ. Jan. vel Mart. anni præd. fol. 1. de quo Breve formatum in Archivo Conventûs.

N O T A.

Inter prima Antiquitatis noſtri Ordinis Monumenta habetur & Epiſcopale Inſtrumentum, quo Eccleſia S. Joannis Fratribus fuit conceſſa, quod hic apponi dignum cenſetur.

ENNIUS EPISCOPUS PHYLONARDUS

Tit. S. Angeli S. R. E. Presbyter Cardinalis Verulanus.

Attentâ juſtà interceſſione, Nobis ab Illuſtriſſima Domina Marchioniſſa Aterni, ſeu Peſcaræ in præteritum factâ, quatenus pro Dei cultu F. F. Capucinis Ordinis S. Franciſci Eccleſiam Montis S. Joannis extra Muros, in noſtra Diœceſi Verulana, concedere dignaremur, cum non ſolùm ab omni ſervitio, & uſu ob excommunicationes homicidiorum, ibi ante decem annos perpretratorum ſit derelicta, ita, ut cultus Divinus in ea non celebretur, verùm etiam tota collapſa ad ruinam, & Monaſterium mutatum ſit in Beſtiarum Stabulum. Hinc cum Eccleſia ſit reparata, & reſtaurata, Monaſterium quaſi de novo ædificatum, ſitus Sylvæ, & Horti emptus, ac prædictæ Illuſtriſſimæ Dominæ expenſis via â Terra uſque ad Conventum, omniſque alia commoditas facta pro uſu præfatorum Fratrum, quos Divina Officia in dicta Eccleſia attentè peragere percipimus, Motu proprio ordinamus, & mandamus Abbati, vel Rectori, & dictæ Eccleſiæ Clericis præſentibus, & futuris, ne ullo tempore futuro ullam moleſtiam cauſare, aut prædictos Fratres, aut illorum Succeſſores â memorata Eccleſia, & Monaſterio amovere præſumant, ſed econtra, quod eâ cum Sylva, horto, aliiſque rebus, â prætactâ Illuſtriſſima Domina ad illorum uſum emptis, omni futuro tempore dicti Fratres pacificè, & quietè uti & Monaſterio frui, ac cultum Divinum celebrare, Rectoreſque, & Clerici alios dictæ Eccleſiæ fructus duntaxat cum ſolitis oneribus percipere poſſint. Ita ordinamus, & mandamus, ut executioni mandetur, & pro Dei ſervitio, & cauſis tam allatis, quam aliis juſtiſſimis, animum noſtrum moventibus obſervetur, ſub pœna anathematis, & privationis omnium beneficiorum, qui huic noſtro juſto Mandato contraire præſumpſerit; & ſub omni alia, etiam majore pœna, ad noſtrum, & Eccleſiæ arbitrium. In quorum fidem præſentes ab infra ſcripto noſtro Secretario expediri juſſimus propria manu noſtra ſubſcriptas, conſuetoque noſtro Sigillo munitas Romæ in Palatio Apoſtolicô 17. Martii MDXXXVII.

E. S. Angeli Cardinalis Verulanus.

Franciſcus Franchinus Secretarius.

Originale in pergam. in hujus Conventûs Archivo.

In beneficium quoque hujus Domûs fuit rejecta inſtantia componendi cum Hærede, qui ad 5. Scuta, annuatim Sacrario inibi præſtanda, erat obligatus, Decreto S. Congregationis Concili ſequente.

In teſtamento, ſub quo deceſſit Anna Maria Maſſarelli Terre Popharum in Campania, Tertiaria Sancti Franciſci Hæredem gravavit ad annuatim præſtanda titulo Elemoſynæ ſcuta quinque, Sacrario Conventûs Capucinorum Montis S. Joannis abſque ullo onere Miſſarum.

Verùm, quia redditus hæreditatis ita ſint imminuiti, ut annua ſcuta 4. ex iis non retrahantur, pluries inſtetit dictus hæres apud Fratres pro aliqua compoſitione, dictique Religioſi agnoſcentes facti veritatem, & paupertatem hæredis, numeroſa familia gravati, concorditer decreverunt recipere ſcuta 50. pro unica vice tantùm, ad effectum illa erogandi in proviſionem Sacrorum Supellectilium, quibus idem Sacrarium adpræſens valdè indiget, ac propterea tam Franciſcus Roncius hæres, quàm Fratres prædicti ſupplicant pro beneplacito.

Die 5. Junii 1700. Sacra Congregatio Concilii, auditâ relatione e Procuratoris Generalis Ordinis inſtantiam rejicit.

I. Card. Sacripantes Præf.

I. D. Tomatus Secretarius.

Ex Reg. 50. Secret Congr. præd. fol. 293.

DECRETO

S. Congregationis de Propaganda Fide.

Miſſio Regni Congi Fratribus Provinciæ Romanæ aſſignatur.

Die 25. Junii 1640. coram Sanctiſſimo.

REferente Eminentiſſimo Cardinali Brancacio, Sacra Congregatio Miſſionem in Regnum Congi decrevit FF. Bonaventuræ de Aleſſano, Joſepho de Mediolano, Joan. Franciſco de Civitate Ducali, & Bonaventuræ de Torella. Capucinis, â Procuratore Generali approbatis, hujuſque Miſſionis Præfectum declaravit dictum Fratrem Bonaventuram de Aleſſano, & pro facultatibus juſſit adiri S. Officium.

Card. Antonius Barberinus Præf.

Franc. Ingolus Secret.

NOTA.

In executionem Decreti præfati, & à Sanctiſſimo approbati, Patres deſtinati, fuère muniti *Monito* tenoris ſequentis.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Urbanus, Divina Providentia Papa VIII., omnium Hominum ſaluti, pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te Fratrem Bonaventuram de Aleſſano, Ordinis Capucinorum cum tribus ſociis mittere decrevit, & mittit in Regnum Congi, ut cum facultatibus, Vobis per alias Literas concedendis, Evangelium D. N. Jeſu Chriſti annuntietis, & gentes illas doceatis ſervare, quæcumque S. Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana præcipit, & præſertim, ut judicium univerſale futurum eiſdem conteſtemini. Vos itaque Dei magnitudinem, & Apoſtolici muneris vobis commiſſi, gravitatem seriò appendentes in primis cavete, ne ad Hæreticorum, Schiſmaticorum, & infidelium Conciones, aut ritus quoslibet, quovis prætextu, vel cauſa accedatis. Deinde omnem adhibete curam, ut Miniſterium veſtrum dignè, ac fideliter, etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa, ſi opus fuerit, impleatis, ut immarceſcibilem coronam â Patre Luminum recipere mereamini. Datum Romæ, ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide 25. Junii 1640. Pontificatûs Ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris Anno decimoſeptimo.

Antonius Card. Barberinus Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secret.

Exempl. Auth. in Arch. generali Ordins Armario. Congregatio de Propaganda &c.

S. Reliquias, â Fr. Laurentio â Trivignano conquiſitas, & Eccleſiæ Parochiali Trivignan. donatas, ex eadem extrahi vetat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni ſacrarum, ut piè creditur, Sanctorum, & Sanctarum Reliquiarum, quas dilectus filius Laurentius à Trivignano, modernus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provincialis, Provinciæ Romanæ, ſe conquiſiviſſe, ac in Parochiali Eccleſia loci de Trivignano, Sutrinen., ſeu Nepeſinæ Diœceſis collocari curaviſſe aſſerit, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac Laurentium Provincialem prædictum ſpecialibus &c. volen., & à quibuſvis &c. cenſen. ſupplicationibus ejuſdem Laurentii Provincialis nomine &c. inclinati, ne de cætero quævis perſona, ſive Regularis, ſive Sæcularis cujuſvis gradûs, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacumque auctoritate, ſuperioritate, & officio fungens, etiam individua mentione digna, Reliquias prædictas, ſeu earum áliquam partem, etiam minimam, ê dicta Eccleſia extrahere, & aſportare, ſeu, ut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo, niſi à Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo conſtitutus, obtinere poſſit, ac etiam, quoad Regulares, privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per Contrafacientes eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius Sacriſtia, aut alio perſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſ-

ſit

ſit, continuè affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die 11. Junii MDCLI. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 480.

Situm ex Horto Domûs de Urbe, contiguo PP. Obſervantium ad S. Iſidorum Conventui concedi, ſuo in Alma Urbe Vicario Generali committit.

A tergo. *Dilecto Filio noſtro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOmine Conventûs Fratrum Domûs Regularis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum de Urbe Nobis nuper per Dilectum Filium Procuratorem Generalem ejuſdem Ordinis expoſitum fuit, quod ad componendam litem inter Fratres dicti Conventûs ex una, ac Dilectos pariter Filios Fratres dicti Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Domûs Regularis S. Iſidori de eadem Urbe, primodictæ Domûs Regularis contiguæ, ex altera partibus, circa nonnullas ſecundo dictorum Fratrum prætenſiones vertentem, confovendamque inter eos religioſam animorum concordiam, primodicti Fratres Capucini ſecundodictis Fratribus Obſervantibus exiguum quemdam ſitum, ex horto primodictæ Domûs Regularis, capacitatis quadraginta quinque circiter cannarum, menſuræ Romanæ, valoris æſtimati ſcutorum duorum pro qualibet canna circiter gratis dare, & concedere parati ſunt: verùm, quia id illis vetitum eſt, nedum per generales Conſtitutiones Apoſtolicas, bona Eccleſia ſine beneplacito Apoſtolico alienari prohibentes, ſed etiam per ſpeciales fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, in ſimili forma Brevis litteras, quibus mandavit primodictis Fratribus Cappuccinis, ne quamcumque minimam rem, ſeu partem fabricæ, vel ſitûs primodictæ eorum Domûs Regularis, quam quocumque tempore alienari, ſeu de illa diſponere voluiſſent, ſub quovis imaginario titulo, ſeu prætextu, vendendi, ſeu de illa diſponendi, licentiam à prædicta Sede Apoſtolica petere ullatenus poſſent, niſi præviis participatione, & conſenſu majoris partis Vocalium Capituli Provincialis Provinc. Rom. eorumdem FF. Capucinorum; Capitulum autem Provinciale hujuſmodi, nonniſi poſt proximè futurum Feſtum Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ celebrabitur, ejuſque celebratio ad effectum præmiſſorum ſine negotii præſentis præjudicio expectari minimè poteſt. Nobis proptera idem Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Procuratorem Generalem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Circumſpectioni tuæ per præſentes injungimus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac præmiſſis omnibus, & ſingulis, illorumque circumſtantiis univerſis, prius coram Te ſpecificatis, de gratuita conceſſione ſitûs hujuſmodi, per eoſdem primodictos Fratres Capucinos ſecundodictis Fratribus Obſervantibus hujuſmodi facienda, ut præfertur, quodque illa, ſi fiat, in evidentem utriuſque Domûs Regularis prædictæ ceſſura ſit commoditatem, Tibi legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, primodictæ Domûs Regularis Fratribus Capucinis ſitum, ex eorum horto prædictum, ſecundodictis Fratribus Obſervantibus, Domûs S. Iſidori hujuſmodi, gratis concedendi licentiam, dummodo tamen expreſſus, & prævius ad hoc dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, & quatuor Diffinitorum Capucinorum dictæ Provinciæ Romanæ accedat aſſenſus, Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtantibus prædictis dicti Urbani literis, rec. mem. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædictorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Domorum Regularium hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die x. Januarii MDCLII. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 17.

Domui prope Terram Cynthiani ſex uncias aquæ, vel ex veteribus aquæductibus Terræ Nemi congregandas, vel ex aliis magis commodis Terræ ejuſ-

ejuſdem locis colligendas in perpetuum donat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Guardianus Conventûs prope, & extra Mœnia Terræ Cynthiani Albanen. Diœceſis ſiti, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum idem Conventus maximâ aquarum, tum Fratrum in eo commorantium uſibus, quàm horto, aliiſque membris ipſius Conventûs neceſſariarum penuriâ laboret; inter alia verò loca Conventui hujuſmodi vicina, in Territorio Terræ Nemi nuncupatæ, ejusdem Diœceſis, non ſolum ingens aquarum copia exiſtat, ſed etiam nonnullorum aquæductuum antiquorum, per quos aquæ, ſicut antiquitus fluebant, ita forſan & nunc, ſi diſperſæ congregarentur, fluere, & ad dictum Conventum duci poſſent, veſtigia reperiantur, ipſe Guardianus eosdem aquæductus inveſtigari, aquaſque diſperſas in illos congregari, & ad eumdem Conventum duci, ſeu, ſi id fieri non poſſit, vel non expediat, aliquam aquarum quantitatem ex locis dicti territorii magis commodis, ſoluto dominis illarum pretio, ſi illud prætendant, ad Conventum prædictum pariter duci plurimùm deſiderat. Quare idem Guardianus Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut dicto Conventui in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Guardianum ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Conventûs prædicti Guardiano, ut quandocumque voluerit, antiquos aquæductus hujuſmodi, ad effectum reperiendi aquas diſperſas prædictas, quæri, inveſtigari, & recognoſci, illoſque refici, reparari, & reſtaurari, necnon aquas diſperſas uſque ad ſex uncias tantùm, in illos congregari, ac per illos in Conventum prædictum pro illius uſibus duci, vel, ſi id fieri non poſſit, aut minùs expedire ipſi moderno, & pro tempore exiſtenti Guardiano reſpectivè videbitur, ſex uncias aquarum, ex aliis dicti territorii Terræ Nemi nuncupatæ locis, quæ ei magis commoda, & opportuna videbuntur, ſoluto tamen illis, ad quos ea res pertinuerit, ſi id prætenderint, aquarum hujuſmodi pretio, per duos peritos, unum ab una, & alterum ab altera partium reſpectivè deputandos, æſtimando, & ſi illi diſcordent, per tertium peritum, à dictis duobus peritis eligendum, arbitrando, per quæcumque tam publica, quàm privata, etiam quorumvis piorum, & aliorum quocumque privilegio ſuffultorum locornm, & perſonarum prædia, loca, vias, ſitus, & terras ad eumdem Conventum pariter duci, ſine cujuſquam tamen, vel ſaltem refecto, & ſoluto illis, ad quos ſpectaverint, quod eis per præmiſſa quomodolibet inferetur, reſpectivè damno, facere, & curare liberè, & licitè poſſit, & valeat, plenam, & amplam facultatem, licentiam, & poteſtatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus, & impertimur. Præterea Conventui præfato ſex uncias ex aquis diſperſis prædictis, ſi, ut præmittitur, congregentur, & per antiquos aquæductus hujuſmodi ad eumdem Conventum ducantur, ſine cujuſquam præjudicio, in perpetuum gratioſè donamus, & appropriamus. Ac inſuper quibuſvis perſonis, ut aquas memorato Conventui, uſque ad ſex uncias hujuſmodi in totum concedere, & quemcumque neceſſarium, & opportunum in præmiſſis conſenſum præſtare, liberè pariter, ac licitè, ac validè, & ſine caducitatis, devolutionis, aliuſve cujusvis pœnæ in quibuslibet fideicommiſſis, & aliis, etiam ultimis diſpoſitionibus, & voluntatibus, etiam alienandi, & alias quaſcumque prohibitiones, aliave quælibet vincula, & nexus continentibus appoſitæ incurſu poſſint, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate, & tenore præfatis tribuimus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non tollendo jure quæſito, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis teſtamentis, codicillis, Fideicommiſſis, aliiſque etiam ultimis diſpoſitionibus, & voluntatibus, quas quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſsè commutamus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & Municipalibus, & quibuslibet, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCLVII. Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

G. Gualterius.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 15.

Dona-

Donationem ſuperiùs dictam, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmat, & illius executionem Juliano Cæſarino Duci, & Terræ illius Domino committit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs pro parte Dilecti Filii, tunc exiſtentis Guardiani Conventûs prope, & extra mœnia Terræ Cynthiani Albanen. Diœceſis ſiti, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſito, quod, cum idem Conventus maxima aquarum tam Fratrum in eo commorantium uſibus, quàm horto, aliiſque membris ipſius Conventûs neceſſariarum penuria laboraret, inter alia verò loca Conventui hujuſmodi vicina, in Territorio Terræ Nemi nuncupatæ, ejuſdem Diœceſis, non ſolùm ingens aquarum copia exiſteret, ſed etiam nonnullorum aquæductuum antiquorum, per quos aquæ, ſicut antiquitus fluebant, ita forſan & tunc, ſi diſperſæ congregatæ fuiſſent, fluere, & ad dictum Conventum duci potuiſſent, veſtigia reperirentur, ipſe Guardianus eoſdem aquæductus inveſtigari, aquaſque diſperſas in illos congregari, & ad eundem Conventum duci, ſeu, ſi id fieri non poſſet, vel non expediret, aliquam aquarum quantitatem ex locis dicti Territorii magis commodis, ſoluto Dominis illarum pretio, ſi illud prætenderent, ad Conventum prædictum pariter duci plurimùm deſiderabat. Nos ſupplicationibus ejusdem Guardiani Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Eidem tunc, & pro tempore exiſtenti Conventûs præfati Guardiano, ut, quandocumque voluiſſet, antiquos aquæductus hujuſmodi ad effectum reperiendi aquas diſperſas prædictas, quæri, inveſtigari, & recognoſci, illoſque refici, reparari, & reſtaurari, necnon aquas diſperſas uſque ad ſex uncias tantùm in illos congregari, ac per illos in dictum Conventum pro illius uſibus duci, vel ſi id fieri non poſſet, aut minùs expedire, ipſi tunc, & pro tempore exiſtenti Guardiano videretur, ſex uncias aquarum, ex aliis dicti Territorii Terræ Nemi nuncupatæ locis, quæ ei magis commoda, & opportuna viderentur, ſoluto tamen iis, ad quos ea res pertineret, ſi id prætenderent, aquarum hujuſmodi pretio, per quæcumque loca duci facere liberè, & licitè poſſet, plenam & amplam facultatem, licentiam, & poteſtatem ſub certis modo, & forma, tunc expreſſis conceſſimus, & impertiti ſumus, ac Conventui prædicto ſex uncias ex aquis diſperſis prædictis, ſi, ut præmittitur, congregarentur, & per antiquos aquæductus hujuſmodi ad eumdem Conventum ducerentur, ſine cujuſquam præjudicio, in perpetuum gratioſè donavimus, & appropriavimus, & aliàs, prout in noſtris, deſuper in ſimili forma Brevis die v. Julii proximè præteriti expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & verbatim inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, ſicut accepimus, eædem literæ certis ex cauſis, Nobis notis, effectum hactenus non habuerint, dictuſque Conventus proinde prænarratam aquarum penuriam adhuc patiatur: Hinc eſt, quod Nos eidem Conventui opportunè in præmiſſis proviſum eſſe cupientes, ac infraſcriptum Guardianum à quibuſvis &c. cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatinne noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Conventûs præfati Guardiano, ut, quandocunque voluerit, antiquos aquæductus hujuſmodi, ad effectum reperiendi aquas diſperſas prædictas, quæri, inveſtigari, & recognoſci, illoſque refici, reparari, & reſtaurari, necnon aquas diſperſas uſque ad ſex uncias tantùm, in illos congregari, ac per illos in Conventum prædictum pro illius uſibus duci, vel, ſi id fieri non poſſit, aut minùs expedire ipſi moderno, & pro tempore exiſtenti Guardiano reſpectivè videbitur, ſex uncias aquarum, ex aliis dicti Territorii Terræ Nemi nuncupatæ locis, quæ ei magis commoda, & opportuna videbuntur, ſoluto tamen iilis, ad quos ea res pertinuerit, ſi id prætenderint, aquarum hujuſmodi pretio, per duos peritos, unum ab una, & alterum ab altera partium reſpectivè deputandos, æſtimando, & ſi illi diſcordent, per tertium peritum, à dictis duobus peritis eligendum, arbitrando, aut facto pretii hujuſmodi in Monte Pietatis de Urbe Depoſito, vel præſtita idonea cautione de illo ſolvendo, per quæcumque tam publica, quàm privata, etiam quorumvis piorum, & aliorum, quocumque privilegio ſuffultorum locorum, & perſonarum prædia, loca, vias, ſitus, & terras, ad eumdem Conventum pariter duci, ſine cujuſquam tamen, vel ſaltem refecto, & ſoluto illis, ad quos ſpectaverit, quod eis per præmiſſa quomodolibet inferretur, reſpectivè damno, aut data idonea cautione de reficiendo, & ſolvendo damno hujuſmodi, facere, & curare liberè, & licitè poſſit, & valeat, plenam, & amplam facultatem, licentiam, & poteſtatem, tenore præſentium denuò concedimus, & impertimur. Præterea dicto Conventui ſex uncias

ex aquis diſperſis præfatis, ſi, ut præmittitur, congregentur, per antiquos aquæductus hujuſmodi ad eumdem Conventum ducantur, ſine cujuſquam præjudicio, in perpetuum gratiosè iterum donamus, & appropriamus. Ac inſuper quibusvis perſonis, ut aquas memorato Conventui uſque ad ſex uncias hujuſmodi in totum concedere, & quemcumque neceſſarium, & opportunum in præmiſſis conſenſum præſtare, liberè pariter, & licitè, ac validè, & ſine cadueitatis, devolutionis, aliuſve cujuſvis poenæ in quibuslibet fideicommiſſis, & aliis, etiam ultimis diſpoſitionibus, & voluntatibus, etiam alienandi, & alias quaſcumque prohibitiones, aliave quælibet vincula, & nexus continentibus appoſitæ incurſu poſſint, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore præfatis denuo tribuimus. Ceterùm, ut præmiſſa executioni quantocitiùs, & expeditiùs demandentur, Dilectum Filium Nobilem Virum Julianum Cæſarinum, Civitatis novæ in Provincia noſtra Marchiæ conſiſtentis Ducem, qui etiam ſupradictæ Terræ Cynthiani Dominus in temporalibus exiſtit, & de cujus prudentia, rerum agendarum peritia, dexteritate, pietate, ac ſpectata erga dictum Conventum, ejuſque Fratres charitate plurimùm in Domino confidimus, donationis, quam præfato Conventui, ſicut præmittitur, fecimus, Executorem, ita, ut ipſe Julianus Dux præmiſſa omnia, & ſingula, quorum facultatem, licentiam, & poteſtatem Guardiano prædicto conceſſimus, ad ejuſdem Conventûs favorem pari modo facere, curare, & exequi liberè, & licitè valeat, & cum aliis facultatibus ad eadem præmiſſa quomodolibet neceſſariis, & opportunis, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore paribus conſtituimus, & deputamus. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, etiam quacumque, quantumvis ſublimi dignitate fulgentes, ſeu aliàs ſpeciali, & individua mentione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas præſentes emanârunt, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, ſeu ex alia quacumque, quantumvis pia, legitima, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, quantumvis magno, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, invalidari, reſtringi, retractari, in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adversùs illas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, alioſque quoslibet, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, &c. attentari. Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus, & ſingulis, quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVI. Nov. MDCLVIII. Pontificatûs noſtri anno quarto.

G. Gualterius.

Aut. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. & loc. cit.

Nomina Nativorum, & non Nativorum ſupprimi; hos & illos à Loco Profeſſionis nominari; eundem Novitiorum numerum in uno, & altero Provinciæ Novitiatu collocari; in horum admiſſione votum Definitorii proponente Miniſtro exquiri; in electione Cuſtodum Generalium unum ex una, & alium ex altera parte eligi jubet, ac in reliquis Conſtitutionem Urbani VIII. incip. CHRISTI SALVATORIS, indictis controverſiæ perpetuo ſilentio, & poenis confirmat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs emanârunt à fel. record. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore noſtro Literæ in forma Brevis tenoris ſequentis, Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam, Chriſti Salvatoris noſtri. *Reſiduum vide fol. 60.*

Cum autem, ſicut accepimus, occaſioſione

ne præinſertarum literarum ; ac ſuper earum intellectu, & obſervatione inter prædictos Fratres Capucinos, Provinciæ Romanæ Nativos, & non Nativos plures exortæ ſint controverſiæ, Nos pro paſtorali noſtra erga Ordinem prædictum charitate controverſias hujuſmodi dirimere, mutuam charitatem, & unionem inter eoſdem Fratres firmare volentes, auditâ relatione nonnullorum Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus hujuſmodi negotium, auditis partibus examinandum commiſeramus, eaſdem præinſertas literas declarando, & aliquid etiam eis addendo, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & declaramus, ut in futurum prorſus aboleatur in dicta Provincia Romana nomen Fratrum Nativorum, & non Nativorum, & quælibet pars denominetur à loco ſuæ Profeſſionis, nempe Reatis, & Balneariæ, & idem numerus Novitiorum recipiatur in uno, atque in altero Novitiatu, & in admiſſione ad Habitum Novitiatûs concurrat votum Diffinitorii, proponente tamen, ac ſuffragia exquirente Miniſtro Provinciali: in electione autem Cuſtodum pro Capitulo Generali eligatur unus ex una, alter verò ex altera parte, & in aliis ſerventur Decreta Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1662. celebrati ſuper forma recipiendi Novitios: in reliquis verò præinſertas Urbani Prædeceſſoris literas confirmamus, jubemuſque, ut ab omnibus memoratæ Provinciæ Fratribus inviolatè, & ad unguem obſerventur, exceptâ Familiarum mutatione, quæ fieri poterit, prout hucuſque fieri conſuevit. Ac demum imponimus in hujuſmodi controverſiis perpetuum ſilentium, nec non pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ relegationis extra Provinciam, irremiſibiliter per Superiores ejuſdem Ordinis illico exequendam contra illos Fratres, qui hujuſmodi Apoſtolicis Literis verbo, & facto contradixerint, aut adamuſſim non obtemperaverint, vel in poſterum aliquid in contrarium attentare, ſeu litem hujuſmodi ſuſcitare præſumpſerint. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Audit. judicari, & diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, præinſertis Urbani Prædeceſſoris Literis, nec non omnibus, & ſingulis illis, quæ idem Urbanus Prædeceſſor in eis voluit non obſtare; cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu dilecti Filii Miniſtri, vel Vicarii Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, ac Sigillo ejuſdem Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XX. Auguſti MDCLXIII Pontificatus Noſtri Anno nono.

S. Ugolinus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 25. de quo Breve formatum in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Romana.

N O T A.

Ortas ex hâc Conſtitutione difficultates, & lites, Novitios concernentes, Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa X. diremit ſequente Oraculo.

CUM occaſione Literarum in forma Brevis fel. rec. Urbani Octavi ſub datum die 13. Septembris 1631. pro Provincia Romana Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum S. Franciſci, & ſuper earum intellectu, & obſervatione inter Fratres Nativos. & non Nativos plures exortæ eſſent controverſiæ, S. M. Alexander Septimus ad pacem inter eos Fratres firmandam, eaſdem literas declarando, & in illis addendo, Motu proprio &c. ſtatuit, decrevit, & declaravit, ut in futurum prorſus aboleretur in dicta Provincia Romana nomen Fratrum Nativorum, & non Nativorum, & quælibet pars nominaretur à loco ſuæ profeſſionis, nempè Reatis, & Balneariæ, & idem numerus Novitiorum reciperetur in uno, atque altero Novitiatu, & in admiſſione ad Habitum Novitiatûs concurreret votum Diffinitorii, proponente tamen, & ſuffragia exquirente Miniſtro Provinciali. In electione autem duorum Cuſtodum pro Capitulo Generali eligeretur unus ex una, alter ex altera parte, & in aliis ſervarentur Decreta Capituli Generalis dicti Ordinis Anni 1662. celebrati ſuper forma recipiendi Novitios, In reliquis verò prædictas literas Urbani confirmavit, juſſitque, ut ab omnibus memoratæ Provinciæ Fratribus inviolatè, & ad unguem obſervarentur, exceptâ familiarum mutatione, quæ fieri poſſet, ut pro antea fieri conſueverat, ut in ipſius Alexandri literis, in ſimili forma Brevis expeditis die 20. Auguſti 1663. uberiùs continetur, Quoniam verò etiam ſuper intellectu harum literarum Alexandri nonnullæ ortæ ſunt difficultates, Sanctiſſimus Dominus Noſter illas ſubmovendo declarat, hujuſmodi literas

ita eſſe intelligendas, ut Novitii in Conventibus Reatis, & Balneariæ, ut ſupra, pro Novitiatu deſignatis promiſcuè, & indifferenter degant, & profeſſionem emittant tam Nativi, quàm non Nativi: & in reliquis obſervari mandavit primò dictas literas Urbani, ita, ut in electionibus Capitulorum Provincialium eligantur duo Diffinitores ex una, & duo ex altera parte, & alternatim Miniſter Provincialis tam Nativorum, quàm non Nativorum, nulla habita ratione loci, in quo profeſſionem emiſerunt: & Novitii in pari numero ex utraque parte, ut ſupra, recipiantur; & prout fuſius exprimitur in eiſdem literis Urbani. Die 19. *Septembris* 1674.

P. Fagnanus.

Loc. ✠ Sig.

Autog. in Arch. Ord. Arm. Provincia Romana.

Cumque Breve Alexandri VII. Brevi Urbani VIII. quoad æqualitatem receptionis Novitiorum contrariari, ab aliquibus ad huc crederetur, S. Congregatio Epiſc. & Regul. ſequenti, & à Papa confirmato Decreto controverſiam terminavit.

In Cauſa Capucinorum Provinciæ Romanæ.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, partibus pluries auditis, referente Eminentiſſimo Caſanate, cenſuit Breve S. M. Alexandri VII. non eſſe contrarium Brevi S. M. Urbani VIII. circa æqualitatem receptionis Novitiorum. Romæ 4. *Auguſti* 1679.

Et die 13. *Septembris ejuſdem anni facta relatione de præmiſſis SS. Domino Noſtro, Sanctitas ſua Congregationis ſententiam approbavit, & mandavit ſervari ſupradictam æqualitatem ſub pœnis, in iiſdem Brevibus contentis &c.*

G. Cardinalis Carpineus.

Loc. ✠ Sig.

Exemp. Authent. in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Romana. *vide Breve Urbani VIII. ſupra fol.* 60.

A Monialibus S. Urbani de Urbe, loco bonorum immobilium, in quibus pretium Domûs pro ampliando Monaſterio emptæ, aliàs inveſtiri deberet, tot loca Montium, non vacabilium, Fideicommiſſo Vincentii Bocca ſupponi indulget.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales Capucinæ nuncupatæ, Monaſterii S. Urbani de Urbe, quod, cum ipſæ licentiam claudendi viam publicam, retro dictum Monaſterium exiſtentem, ad effectum ampliandi ipſum Monaſterium, quod nimis anguſtum eſt, ſibi à Nobis concedi obtinuerint, & pro ampliatione hujuſmodi quamdam domum, fideicommiſſo, per quondam Vincentium Bocca inſtituto, ſuppoſitam, vigore Conſtitutionis fel. rec. Gregorii Papæ XIII. ſuper jure congrui editæ, retrahere intendant, retractuique hujuſmodi juxta diſpoſitionem dictæ Conſtitutionis locus ſit; verùm juxta præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis ſtabile æquivalens, quod pro evictione dictæ Domûs ſtare, & in quod fideicommiſſum hujuſmodi transferri debeat, ab eiſdem Exponentibus aſſignandum ſit, hujuſmodi autem ſtabile vix poſſit inveniri; ipſæ Exponentes pretium prædictæ Domus retrahendæ, quod in ſumma mille centum, & quinquaginta ſcutorum monetæ concorditer, cum dilectis filiis modernis poſſeſſoribus dicti Fideicommiſſi æſtimatum fuit, in emptionem tot locorum Montium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, non vacabilium, convertere, ſeu loco ipſius pretii, tot loca Montium hujuſmodi aſſignare poſſe, plurimùm deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſas Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulas à quibuſvis &c. cenſentes, ac dicti Fideicommiſſi tenorem præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, ut vice, & loco tot bonorum immobilium, in quibus pretium Domûs prædictæ, cum illius augmento, juxta memoratam Conſtitutionem debito, inveſtiri deberet, tot loca Montium Cameræ prædictæ, non vacabilium, quæ pro evictione ejuſdem Domûs ſtare, ac fideicommiſſo prædicto, ejuſque vinculis

lis ſubjacere debeant, illis, ad quos ſpectat, aſſignare liberè, & licitè poſſint, & valeant, ita ut per hoc dictæ Conſtitutioni ſatisfactum, ejuſque forma adimpleta ſit, & eſſe intelligatur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi tot bona immobilia aſſignata fuiſſent, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Præterea modernis, ſeu pro tempore exiſtentibus hæredibus prædicti Vincentii, poſſeſſoribus dicti Fideicommiſſi, ut intra quadriennium ab aſſignatione dictorum locorum Montium numerandum, eadem loca Montium meliori, qua fieri poterit, conditione vendere, & alienare, pretiumque inde proventurum, in emptionem tot bonorum immobilium ſecurorum, & fructiferorum ad favorem ejuſdem fideicommiſſi, ac ad illud pro tempore vocatorum, & non in alios uſus convertere, & erogare liberè pariter, & licitè poſſint, ita tamen, ut bona immobilia ſic emenda vice, & loco eorumdem locorum Montium vendendorum, pro evictione Domûs ſupradictæ pariter ſtare, ac dicto Fideicommiſſo, ejuſque vinculis ſupponi, & ſubjacere debeant, licentiam, & facultatem auctoritate, & tenore præſentium tribuimus, & impartimur. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, & validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac dictis Exponentibus, & aliis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & Vicarium Urbis prædictæ Magiſtros judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus prædicta Gregorii Prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dictæ Urbis, & aliis quibuſvis etiam &c. ſtatutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut venditio locorum Montium, pretiique inde proventuri, converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem pretium ipſum penes Montem Pietatis de eadem Urbe deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIX. Julii MDCLXVI. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

S. Ugolinus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. Jul., aut Sept. fol. 7.

NOTA.

Et Moniales ſupradictas, verè Capucinas eſſe tene: fuit illarum Monaſterium erectum Anno 1600. inſtantibus Cardinale Cæſare Baronio, Fulvia de Comitibus Sfortiæ, ac aliis Fundatoribus, in beneficium, & favorem Puellarum *diſperſarum* Domûs, prope Eccleſiam S. Euphemiæ in Campo Carleo, ut, quæ harum Puellarum Deo ſub ſuavi Religionis jugo famulari anhelarent, in dicto novo Monaſterio, ad formam Monaſteriorum Monialium Capucinarum erecto, vota ſua exequi poſſent, profitentes primam S. Claræ Regulam, prout Bulla Clementis Papæ VIII. fuſius exhibet, in Bullario antiquo inter Conſtit. hujus Papæ 66. incip. *Debitum Paſtoralis officii &c.*, & anno 1600. emanata. Pleniùs poſtea formabantur ad vitam Capucinam per quatuor Moniales, de Partenone Montis Quirinalis illac tranſlatis, cum ab iis non ſolùm formam Habitûs, ſed & Conſtitutiones Capucinas acceperint, ita, ut nomen Capucinarum ob vitam, exemplarem, & ſtatui Capuccino conformem digniſſimè gerant. Diſcrepant tamen à Monialibus Capucinis Montis Quirinalis in hoc, quod, dum hæ ſub ſpirituali Ordinis Gubernio manent, illæ juriſdictioni Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii de Urbe plenè ſubjaceant:

In Cella S. Felicis intra Clauſtrum, & Domum de Urbe, Miſſas celebrandi facultatem largitur.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Guardianus Conventûs Romani, Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod dudum fel. rec. Urbanus Papa VIII., Prædeceſſor noſter, licentiam erigendi Altare, in quadam Cella, dicti Conventûs, in qua Beatus Felix de Cantalicio, dicti Ordinis, quadraginta annorum ſpatio habitaſſe memoratur, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium die 18. Maii, qua idem Beatus Felix in Domino obdormivit, quotannis dumtaxat celebrandi conceſſit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Altaria tam Eccleſiæ, quàm Cappellarum Conventûs prædicti, in quibus Miſſam quotidie celebrari permiſſum eſt, Sacerdotibus ibidem celebrare cupientibus, propter eorum multitudinem interdum, & præſertim tempore celebrationis Capitulorum Generalium, Ordinis præfati, ac in Feſto Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti non ſufficiant; & propterea dictus Guardianus quo

tum neceſſitati, tum devotioni Sacerdotum hujuſmodi conſuli valeat, opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimùm deſideret. Nos ipſius Guardiani votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis &c. inclinati, ut etiam aliis quibuſvis anni diebus ad Altare, in Cella ſupradicta exiſtens, prout vel neceſſitas exiget, vel Sacerdotum illic celebrare volentium devotio flagitabit, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari liberè, & licitè poſſit, & valeat, ſervatâ tamen cæteroquin licentiæ, à memorato Urbano Prædeceſſore, ſicut præmittitur, conceſſæ formâ, & diſpoſitione, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VI. Februarii MDCLXXIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

I. G. Sluſius.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. Feb., ſeu Mart., & Anni præd. fol. 31.

Fratres perpetuos Triremium Pontificiarum Capellanos conſtituit: numerum eorum aſſignat: iis facultates ſpirituales largitur; Hoſpitium P. Miniſtro Provinciali immediatè ſubjectum, in Portu Maritimo Centum Cellarum pro illis conſtrui, iiſdem de Supellectile, ac aliis ad victum neceſſariis (præter indumenta) provideri curat, ac Seculares, ſeu Regulares (etiam Capucinos) ad D. Hoſpitium recipi vetat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM Nos ad ſpiritualem Militum, Nautarum, & Remigum, aliorumque Christifidelium, in Triremibus Pontificiis, earumque Claſſe nunc, & pro tempore exiſtentium directionem, eorumque Animarum curam, quam nonnulli Presbyteri Sæculares, Triremium hujuſmodi Capellani, hactenus geſſerunt, Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum operâ deinceps uti decrevimus; verùm eiſdem Fratribus per Conſtitutiones dicti Ordinis, Apoſtolica Auctoritate approbatas, Sacramentales Sæcularium confeſſiones excipere, & audire interdictum ſit: hinc eſt, quod Nos ex commiſſi Nobis divinitùs Paſtoralis muneris debito, Animarum ſaluti, quantùm cum Domino poſſumus, providere cupientes, dictorum Fratrum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c., & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine eiſdem Fratribus Minoribus Capucinis nuncupatis, in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutis, & ad audiendas Sæcularium Confeſſiones hujuſmodi idoneis, & approbatis, qui ad inſerviendum pro Cappellanis, & Spiritualibus Directoribus in præfatis Triremibus Pontificiis, earumque Claſſe pro tempore deputati fuerint, ut, dum eædem Triremes in Portu noſtro Centum Cellarum, ſeu Civitatis Vetulæ reperirentur, Militum, Nautarum, Remigum, & aliorum quorumcunque, in Triremibus hujuſmodi pro tempore inſervientium duntaxat, & quidem in ipſis Triremibus, vel dicto Portu, ejuſque ambitu, ubi Hoſpitale poſitum eſt; in Mari autem, ſive dum eædem Triremes extra Portum præfatum navigabunt, etiam aliorum quorumvis Chriſtifidelium, in ipſis Triremibus Pontificiis, earumque, & aliarum quarumvis Triremium, & Navium Bellicarum, illis pro tempore unitarum, & uniendarum Claſſe exiſtentium, Sacramentales Confeſſiones audire, eoſque ab eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis &c. pœnitentiâ ſalutari, & aliâ, quæ injungenda fuerit, eis reſpectivè injunctis, in foro conſcientiæ tantùm abſolvere, & liberare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, tenore præſentium concedimus, & indulgemus; ac eoſdem FF. Capucinos, ſicut præmittitur, pro tempore deputandos, in locum ſupradictorum Cappellanorum Sæcularium, quoad ſpiritualem directionem, & curam Animarum hujuſmodi in omnibus, & per omnia ſubſtituimus, & ſubrogamus.

Porro pro dictis Fratribus Confeſſariis, & Spiritualibus Directoribus, ut præfertur, pro tempore deputandis, ex quibus ſingulæ Triremes Pontificiæ præfatæ ſuum peculiarem habere debebunt, eorumque Præſidente, & uno vel duobus Fratribus Laicis, ſeu Converſis dicti Ordinis, qui eis inſerviant, Hoſpitium in Portu prædicto, prope manſiones dicti Hoſpitalis ædificari, ac conſtrui volumus; ac eidem Hoſpitio, ac in eo pro tempore degentibus Fratribus prædictis de Supellectilibus, ac aliis omnibus ad victum neceſſariis (exceptis tantùm indumentis, quæ ipſis ab eorum Provinciali Miniſtro ſubminiſtrari debebunt.) provideri curabimus, & proinde iidem Fratres

nullo

nullo modo eleemoſiynas quærere, aut quæſtuationes facere poterunt. Hoſpitium autem prædictum, Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali Provinciæ Romanæ, Ordinis prædicti, immediatè ſubjaceat; nec in illud, etiam hoſpitandi causâ ullus extraneus, ſeu Laicus, ſeu Eccleſiaſticus Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis, etiam Fratrum Capucinorum prædictorum Regularis, ſub quocunque prætextu recipiatur, ſed ſoli Confeſſarii, & Spirituales Directores, eorumque Præſidens, ac unus, vel duo Fratres laici prædicti in illo commorentur.

Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis, per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis præfatorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XV. Maij MDCLXXXIV. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

I. G. Sluſius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Iiſdem Capellanis, Claſſe Triremium contra Turcas exeunte, ſpeciales facultates impertitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

UT Animarum Chriſtifidelium in noſtrarum, & Sedis Apoſtolicæ, aliiſque unitarum, & uniendarum Triremium, & aliarum navium Bellicarum Claſſe propediem in auxilium Chriſtianorum contra Turcas, benedicente Domino, navigatura, pro tempore exiſtentium, ſaluti uberiùs conſuli valeat, Motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, Dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Confeſſariis, & ſpiritualibus Directoribus, in locum Presbyterorum ſæcularium Capellanorum Claſſis Triremium Pontificiarum hujuſmodi à Nobis ſubrogatis, omnes, & ſingulos Chriſtifideles Claſſis prædictæ à quibuſvis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, etiam quantumvis gravibus, & enormibus, ac Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis Apoſtolicis, quæ die Cœnæ Domini legi conſueverunt, contentis, pœnitentiâ ſalutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvendi, illiſque, ut quadrageſimæ, & aliis anni temporibus, quibus eſus lacticiniorum eſt prohibitus, lacticiniis hujuſmodi, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, in eadem Claſſe veſci poſſint, concedendi, nec non Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium horâ poſt meridiem celebrandi facultatem ad annum proximum duntaxat duraturam, quâ tamen uti non poſſint, niſi extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum tantùm, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium impertimur, nec non iiſdem Chriſti Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, atque in expeditione contra Turcas morientibus, contritis tamen, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Maji MDCLXXXIV. Pontificatûs noſtri anno octavo.

I. G. Sluſius.

Breve format. in Arch. Provinciæ.

N O T A.

Ut, quæ Hoſpitium hoc Pontificium concernunt, commodiùs ad manus habeantur, ſubjunguntur hic & nonnulla Decreta deſuper in regulam edita, & quorum primo à S. Congregatione Epiſc. & Regular. &c. emanato, S. Euchariſtiam in illo aſſervari, curam S. Supellectilis à Rev. Camera Apoſtolica ſubmini-

miniſtratæ, à FF. Capellanis haberi, hoſque pro Confeſsione excipienda ab Eminen. Cardinale Urbis Vicario approbari ſancitur.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

lib. ſup. in lat. trad. *CUm Eminentiſſimus Epiſcopus Civitatis Centum-Cellarum, Triremium Pontificiarum Capellanis intimaverit, quod in executionem Decreti, ab hac Sacra Congregatione emanati, in Capella Hoſpitii Sanctiſſimum Sacramentum perpetuò aſſervare, & de omnibus, ad talem effectum neceſſariis providere deberent, Provincialis Capucinorum Provinciæ Romanæ, ad obediendum hujus Sacræ Congregationis nutibus promptiſſimus, EE. VV. ſupplicat, quatenus ante hujuſmodi executionem, Apoſtolicum Breve, Capucinis à S. M. Innocentio XI. conceſſum, & Illuſtriſs. Domino Secretario copialiter communicatum ponderare, & pro Religioſa præfatorum Fratrum quiete, ſequentia puncta reſolvere dignentur, videlicet:*

I. Quod Capella, in qua Sanctiſſimum aſſervari deberet, ſita ſit partim immediatè ſub cellis, ubi Capellani degunt, & dormiunt, partim inter ſcalas, quæ ab omni ſorte condemnatorum, & mancipiorum continuò calcatur: quod ob contiguam Granarii portam impediri nequit. Imò ſub ipſa Capellæ porta de hac hominum fæce reperti ſunt, actualiter nefandè agentes, hinc Sanctiſſimum ſine irreverentia ibi retineri non poſſe videtur.

II. An, cum prædicta Capella à R. Camera Apoſtolica, quæ illius retinet dominium, Capellanis pro ſimplici commodo celebrandi Sanctam Miſſam, & ſuppoſito, etiam aſſervandi Sanctiſſimum, conſignata ſit, Parochus deſuper acquirat juriſdictionem, vel an Cameræ Apoſtolicæ, juxta allegati Brevis præſcriptum, ſubjecta maneat?

III. Cum de Tabernaculo, Pixide, oleo pro lampade, velis Tabernaculi, cerâ, aliiſque utenſilibus neceſſariis providendum ſit, ad quem hujuſmodi proviſio ſpectet, cum Capellani aliud, præter nudum victum pro ſua ſuſtentatione, à Camera Apoſtolica non accipiant?

IV. Cui cura Capellæ, & utenſilium incumbat, cum Capellani, qui Parocho ſubeſſe renuent, ad evitandas cum eo controverſias, etiam à celebrando abſtinebunt?

V. Cum Eminentiſs. Urbis Vicarius, Triremium dictarum, 100. *milliaribus à Civitate elongatarum, juriſdictionem habeat, hancque ipſam prætendat, quando ſunt in portu, vel* Darſena, *& ideo Capellanos pro confeſſione à ſuo foro approbari velit, idemque Emus Epiſcopus Viterbienſis, quando Triremes ſub ſua extant juriſdictione, prætendat, Capellanis onus, duplici examini ſeſe ſubjiciendi incumbit, cum tamen vix amplius Religioſus inveniatur, qui ob frequentes mortificationes, quas (non obſtante ſua capacitate, Provinciali perſpecta) ob rejectionem ſubire debet, examini uni ſoli ſe ſubdere velit.*

Imò videtur, quod Provincialis eos abſolutè deputare queat juxta conceſſionem, in prædicto Brevi expreſſam ſequentibus verbis: Eiſdem Fratribus Minoribus Capucinis pro tempore, qui ad inſerviendum pro Capellanis, & ſpiritualibus Directoribus pro tempore deputati fuerint, Sacramentales Confeſsiones audire &c. tenore præſentium concedimus, & indulgemus &c.

Sacra Congregatio Emorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium negot. & Conſultat. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Emo Carpineo, ejuſdem S. Congregationis Præfecto, cenſuit, ac decrevit.

Ad Primum, perſiſtendum eſſe in deciſis, ſcilicet Sanctiſsimam Euchariſtiam eſſe retinendam in loco decenti, aſsignando ab Emo Epiſcopo Viterbienſi.

Ad Secundum, citandum eſſe Parochum.

Ad Tertium, ſpectare ad Cameram Apoſtolicam.

Ad Quartum, ſpectare ad Capellanos.

Ad Quintum, ſpectare ad Emum Urbis Vicarium. Romæ 19. Decembris 1704.

G. Cardinalis Carpineus.

N. Grimaldus Secret.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ. & anni prædicti.

Alio Decreto, à S. Rituum Congregatione emanato, circa ſalutationem Præfectorum Triremium in principio, & fine Sanctæ Miſſæ prætenſam, à FF. Capellanis Rubricam Miſſalis, & Cœremoniale obſervari, ſtatuitur.

CENTUM CELLARUM.

Præfectis Triremium Summi Pontificis, prætendentibus à Fratribus Ordinis Capucinorum, earumdem Triremium Capellanis in principio, vel poſt finem Miſſæ ſalutari; ad conſulendum propriæ conſcientiæ Capellani prædicti, quid ipſis in caſu liceret, præſcribere, S. Rituum Congregationi demiſsè ſupplicaverunt.

Et eadem Sacra Rituum Congregatio reſpondit: Obſervetur Rubrica Miſſalis, & Cœremoniale. Die 24. Aprilis 1706.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. f. 155.

Renovatâ noviter quæſtione de approbatione Capellanorum pro excipiendis Confeſſionibus Remigum, & aliorum in Triremibus aliàs ſervientium, quando ſunt in portu Civitatis Centum-Cellarum, & præ-

prætendente Epiſcopo Viterbienſi, quod juxta priorum annorum praxin, in hujuſmodi caſu deberent approbari, ab Eo, ideo, quod Portus, & Civitas prædicta ſint ſub ſua juriſdictione, & Diœceſi, fuit à Sacra Congregatione Concilii, eos pro Confeſſionibus Remigum &c. in portu excipiendis, ab Eminentiſſimo Urbis Vicario, & pro illis, in Civitate prædicta excipiendis, ab Ordinario Viterbienſi approbari debere, reſolutum, ſtatu litis, memoratæ S. Congregationi ita expoſito.

Viterbien. Viſitationis Sacrorum Liminum.

Epiſcopus Viterbienſis in ſua relatione, S. Congregationi exhibita, occaſione viſitationis Sacrorum Liminum expoſuit, quod Patres Capucini, qui in Triremibus Pontificiis, pro Capellanis inſerviunt, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrant, nulla ab ipſo reportatâ approbatione, tam in Triremibus, quando ſunt in portu, & in Receptaculo, Vulgò Darſena, *quàm in ipſa Civitate Centum Cellarum, loquendo tamen de Remigibus, & aliis, qui in Triremibus degunt, non obſtante, quod portus, receptaculum, & Civitas ſint in ſua Diœceſi, & non obſtante, quod à Prædeceſſoribus Epiſcopis iidem Patres Capucini ab anno 1680. uſque ad annum 1704. facultatem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ petierint, & obtinuerint: & quærit, quomodo in poſterum ſe gerere debeat?*

Porro quatenus Capucini inniterentur approbationi, in aliis Diœceſibus reportatæ, urgeret adversùs eos, quod Regularis in una Diœceſi approbatus pro excipiendis Confeſſionibus Sæcularium, eas excipere non poteſt in alia Diœceſi, in qua approbatus non eſt, in hypotheſi etiam, in qua pœnitens eſſet Subditus illius Epiſcopi, à quo Regularis approbationem reportavit, uti habetur in Conſtit. 31. Bull. tom. 5. Innoc. X. & in Conſtit. 7. Clem. X. Bull. tom. 6. Et propoſitio, quod Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ad confeſſiones audiendas in una Diœceſi, habeantur pro approbatis in aliis Diœceſibus, ita, ut nova Epiſcoporum approbatione non indigeant, qualificata fuit, tanquam falſa, & Saluti animarum perniccioſa in Literis Apoſtolicis Alexandri Papæ VII. directis ad Epiſcopum Andegavenſem, & impreſſis apud Cabaſut. in Theor. & praxi Juris Canon. l. 1. cap. 10. num. 9.

Sublato itaque fundamento approbationis, reportatæ in alia Diœceſi, perpendendum eſt, an qualitas Capellanorum Triremium, qua PP. Capucini potiuntur, eos eximat à reportanda approbatione pro excipiendis Confeſſionibus Remigum, & aliorum, in navibus degentium, in ipſis Triremibus, dum ſunt in portu, & Receptaculo, ſive dum Remiges, aliique prædicti morantur in ipſa Civitate Centum Cellarum.

Notum eſt, quod Pontificiæ Triremes majore anni parte verſantur in portu, & in receptaculo, vulgò Darſena, *& quod aliquibus tantùm menſibus nauticum iter aſſumunt, vel cum adverſus Turcas, vel cum ad aliquod aliud peragendum negotium expediuntur, niſi forte neceſſitas aliqua urgeat, quod aliquæ ex eis debeant per mare vagari, ut litora noſtra ab incurſibus hoſtium defendant, in quo rerum themate, operæ pretium eſſe videtur exquirere, an, dum morantur, vel in portu, vel in Receptaculo, aſſimilari valeant Cohorti militum, in aliquo præſidio degentium; in ordine ad quos pluries ab hac S. Congregatione reſolutum fuit, quod ipſorum Capellani confeſſiones excipere non poſſunt, niſi vel habeant ſpeciale Apoſtolicum Privilegium, vel approbationem Ordinarii, in cujus Diœceſi exiſtunt, uti colligitur ex dubio Juriſdictionis Capellanorum Exercitûs die 6. Martii 1694. lib. 44. Decret. fol. 79.*

Cum enim quæſitum fuiſſet, an Capellani Exercitûs, ſive Regulares, ſive Sæculares Catholici, poſſint adminiſtrare Militibus, in præſidiis degentibus, Sacramentum Pœnitentiæ ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii, in cujus Diœceſi eos extare contigerit? huic Dubio, negativè reſponſum fuit, & hoc ipſum fuit confirmatum in Friſingen. die 29. Jan. 1707. lib. 57. Decret.

His Stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

An Patres Capucini Capellani Triremium Summi Pontificis excipere poſſint ſine approbatione Epiſcopi Viterbien. Confeſſiones Remigum, & aliorum in Triremibus degentium, ſive, quando Remiges, & alii ſunt in Triremibus, & Triremes ſunt, vel in portu, vel in receptaculo, vulgò Darſena, *ſive, quando Remiges, aliique in Triremibus degentes ſunt in Civitate Centum Cellarum?*

Quantumvis dubium fuerit propoſitum in Sacra Congregatione, habita die 22. Novembris 1721., nihil tamen ad id fuit deciſum ob motiva, in folio pro Congregatione 28. Martii 1722. indictâ diſpenſato contenta, & quidem, ut ſequitur.

Viterbien. Viſitationis Sacrorum Liminum.

Epiſcopus Viterbienſis in relatione, ad hanc S.Congregationem tranſmiſſa ſtatûs ſuæ Eccleſiæ, occaſione Viſitationis Sacrorum Liminum expoſuit, quod PP. Capucini, *qui in Triremibus Pontificiis pro Capellanis inſerviunt, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrant, nullà ab ipſo reportatâ approbatione, tam in Triremibus, quando ſunt in portu, & in receptaculo, vulgò* Darſena, *quàm in ipſa Civitate Centum Cellarum, non obſtante, quod portus, receptaculum, & Civitas ſint in ſua Diœceſi, & in Congregatione, habita die 22. Novemb. 1721. propoſitum fuerit dubium, an DD. Patres ſine approbatione Epiſcopi Viterbienſis poſſent confeſſiones juxta ſupra expoſita excipere?*

*Nulla tum capta fuit reſolutio, acceſſit enim ad me Secretarium * Congregationis Promotor Fiſcalis Eminentiſſimi Urbis Vicarii, qui dixit plura extare Decreta pro Eminentiſſimo Urbis Vicario circa competentiam approbationis PP. Capucinorum pro excipiendis Confeſſionibus Remigum, & cæterorum, qui ſunt in Triremibus Pontificiis.*

** Qui erat tunc Proſper de Lambertinis.*

Decreta autem ſunt hæc, quæ ſequuntur: primum editum fuit à Congregatione particulari, à ſummo Pontifice deputata anno 1678. in qua ſtante antiqua obſervantia, juxta quam approbatio Cappellanorum Triremium Claſſis Pontificiæ pro excipiendis Confeſſionibus Militum, Nautarum, Damnatorum, & aliorum, earumdem Triremium Miniſtrorum, fuerat conceſſa à Cardinale Urbis Vicario, ſic reſolutum fuit. Sed

quo-

quoniam circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ in ipſis Triremibus, etiam pro tempore, in quo ſunt in Darſena, & portu, ob diuturnam obſervantiam, ab ipſomet Epiſcopo Viterbienſi non contradictam, innovatio producere poſſet aliqua inconvenientia, idcirco viſum, & referendum, ſeu conſulendum eidem Sanctiſſimo, ut, quando ejus ſummæ prudentiæ videatur, cum ſpeciali indulto id concedat Capellanis, dummodo cum Perſonis, quæ continuò vivunt in ipſis Triremibus, non autem in Terra, prædictum Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent.

Secundum Decretum fuit illud Auditoris Sanctiſſimi, editum die 13. *Februarii* 1692, *in quo, facto verbo cum Sanctitate ſua, & non obſtante ſuperventa interim ſubrogatione PP. Capucinorum pro Capellanis in Triremibus Pontificiis, loco Presbyterorum Sæcularium, dictum fuit circa* jura juriſdictionalia, & Parochialia nihil fuiſſe innovatum ad tenorem Decreti emanati in Congregatione particulari anno 1678.

Tertium fuit S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium: conquerente ſiquidem P. Provinciale Capucinorum, quod ſui Religioſi, electi in Capellanos Triremium, tenebantur duplicem obtinere pro confeſſionibus excipiendis approbationem, unam ab Eminentiſſimo Urbis Vicario, alteram ab Epiſcopo Viterbienſi, S. Congregatio die 19. *Decem.* 1704. *audito Epiſcopo Viterbienſi reſpondit*: approbationem pertinere ad Eminentiſsimum Urbis Vicarium.

Ultimum Decretum eſt illud Auditoris Sanctiſſimi, editum die 18. *Septemb.* 1711. *in quo facto Verbo cum Sanctitate ſua, & partibus auditis, inhærendo reſolutioni Congregationis particularis anni* 1678. *declaravit*: PP. Capucinos poſſe adminiſtrare Perſonis, quæ continuò vivunt in Triremibus Pontificiis, Sacramentum Pœnitentiæ tantùm in ipſis Triremibus, in Darſena, portu, & Hoſpitio in Darſena exiſtente, *cum* approbatione tantùm Eminentiſsimi D. Cardinalis Vicarii; Extra tamen dicta loca declaravit, non poſſe *dictum Sacramentum adminiſtrare ſine approbatione* Eminentiſsimi D. Epiſcopi Viterbienſis.

Hiſce proin ſtantibus dignabuntur EE. VV. decernere.

An PP. Capucini &c. uti ſupra.

Cum autem & in hac Martii Congregatione Cauſa manſerit indeciſa, die 18. April. 1722. ad illam fuit reſcriptum, ut ſequitur.

Poſſe Patres Capucinos ſine approbatione Ordinarii Viterbienſis, & cum ſola approbatione Urbis Vicarii excipere confeſſiones Remigum, & aliorum in triremibus continuò degentium, tam in ipſis Triremibus, quàm in portu & receptaculo, vulgò Darſena, & in Hoſpitio in Darſena exiſtente, ſed non poſſe eoſdem Patres Capucinos excipere eorumdem confeſſiones in Civitate Centum Cellarum ſine approbatione Ordinarii Viterbienſis.

Ex tomo 2. *Theſauri reſol. S. Cong. fol.* 103. 147. *&* 158.

Decretum S. Congreg. Epiſcop. ac Regular. quo Monialibus Mont. Quir. de Urbe eſus lacticiniorum (extra quadrageſimam, ferias ſextas, & vigilias.) licitus declaratur, confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilecti Filii, moderni Miniſtri Provincialis Provinciæ Romanæ, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium FF. Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ expoſito, quod Monaſterium Monialium Corporis Chriſti Capucinarum nuncupatarum de Urbe, â primæva ejus fundatione, per quaſdam fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris noſtri deſuper ſub plumbo anno Incarnationis Dominicæ MDLXXVI. Pontificatus ſui, anno quinto, expeditas literas, directioni, & viſitationi tunc, & pro tempore exiſtentis Miniſtri Provincialis dicti Ordinis commendatum, dictiſque Monialibus injunctum fuerat, ut primam regulam Sanctæ Claræ unà cum Conſtitutionibus Monaſterii Monialium Capucinarum Sanctæ Mariæ in Hieruſalem, Civitatis Neapolitanæ, obſervare tenerentur, in prædictis verò Conſtitutionibus, ubi de perpetuo jejunio cap. IV. mentio fit, præſcriptum reperiatur, ut præter omnium Sanctorum, & majorem Quadrageſimam, ferias ſextas, ac vigilias de præcepto, lacticiniis ex conceſſione rec. mem. Eugenii Papæ IV. etiam Prædeceſſoris noſtri veſci poſſent, juxta quam utrumque Monaſterium continuata, & nunquam interrupta temporis ſerie ſemper vixerat; & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod paucis abhinc annis quædam Monialis primodicti Monaſterii, aut majoris perfectionis zelo, aut ignorantiâ ducta, ejuſdem Monaſterii quietem perturbare cœperat, aſſerendo, Moniales ea conceſſione, tutâ conſcientiâ uti minimè poſſe, cui quidem opinioni, cum fruſtra ſuis ſe perſuaſionibus objeciſſent, tunc pariter exiſtentes Miniſter Provincialis ejuſdem Provinciæ, & Procurator Generalis dicti Ordinis, neceſſe fuerat recurſum habere ad auctoritatem Venerabilis Fratris Nicolai, Epiſcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncup. ejuſdem Ordinis apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protectoris, cujus ope exciti motus quieverunt. Verùm excitatis iterum per eamdem Monialem in animis Novitiarum, aliarumque adoleſcen-

leſcentularum ſcrupulis, idem Miniſter Provincialis omnem diligentiam adhibuerat, ut diſſidia, quæ inter eas ſuboriri poſſent, componeret, ac proinde auxilium tunc etiam exiſtentis Miniſtri Generalis Ordinis prædicti imploraverat, qui perpenſo rei diſcrimine à Piæ memoriæ Innocentio Papa XII. itidem Prædeceſſore Noſtro, habuerat in mandatis, ut ſub gravibus pœnis omnibus Monialibus primò dicti Monaſterii hujuſmodi, obſervantiam vitæ communis, juxta tenorem Conſtitutionum injungeret. Et quia id ad perturbationes ſedandas ſufficiens minimè fuerat, pro parte ejuſdem Miniſtri Provincialis prædictæ Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut pro majori Conſcientiæ Monialium primò dicti Monaſterii quiete, ea ſuper re ederet Decretum, illiuſque obſervantiam, ſub pœnis ſibi viſis, per contrafacientes incurrendis, demandaret. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis narratis cenſuit, ac declaravit licere Monialibus Capucinis veſci eiſdem cibis, quibus utuntur Moniales Capucinæ S. Mariæ in Hieruſalem Neapolis. Romæ 3. Martii 1701. G. Cardinalis Carpineus. I. M. Parraccianus Secretarius. Loco ✠ Sigilli: Cum autem, ſicut dictus Miniſter Provincialis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Miniſtro Provinciali gratiam facere volentes, eumque à quibuſvis &c. cenſen. ſupplicationibus ejus nomine Nobis &c. inclinati, Decretum præinſertum, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos, & quas ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis, per quoſcumq; Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prædictorum, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annu lo Piſcatoris, Die xviii. Novemb. MDCCI. Ponti ficatus Noſtri Anno primo.

F. Oliverius.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. anni, præd. fol. 14.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

A Fratre N. N., in actu collati Sacerdotii, à ſe hoſtiam non tactam fuiſſe aſſerente, vel ſcrupulum deponi, vel ab eo à Miſſa abſtineri reſolvitur.

Ordinis Capucinorum.

Dubium Ordinationis.

TRibus ab hinc annis in Ordinatione, habitâ in quadam Eccleſia, inter alios, promotus fuit ad Sacerdotium Frater N. N. à N. N., Ordinis Capucinorum, qui, cum deberet tangere materiam, requiſitam ad dictum Ordinem recipiendum, advertit in Patena non adeſſe hoſtiam; Is verò tacuit, credens ex ſimplicitate, ita practicari in dicta Eccleſiâ, fortaſſe vigore alicujus Privilegii, ſubindeque nihil dubitans de validitate Ordinis, per tres circiter annos celebravit. Cumque poſtmodum in Conventu exiſtens, perpenſo caſu, agnoverit, hoſtiam fuiſſe neceſſariam ſupra patenam, tamquam materiam proximam, quam bene recordatur defeciſſe, prout idem affirmat alius Correligioſus in eadem Ordinatione, cum eo ad Presbyteratum promotus, pro ſerenitate conſcientiæ ſupplicavit declarari, quomodo in præmiſſis eſſet conſulendum, & quatenus Ordinatione indigeret, abſolvi, & diſpenſari ſuper irregularitate forſan incurſa, ob præfatam triennalem celebrationem.

Procurator Generalis Ordinis pro informatione requiſitus, retulit Patrem probum eſſe Religioſum, rectique judicii, & conſcientiæ non ſcrupuloſæ, proindeque cenſet ab eodem expoſita habenda eſſe vera, potiſſimum accedente teſtimonio præfati alterius Correligioſi ordinati, qui eadem teſtificatur, ac ipſius Oratoris exhibitione, omnia ſupranarrata jurejurando comprobandi. Relatâ cauſâ per Summarium ſub die 19. Novembris 1707. reſcriptum fuit pro nova Ordinatio-

natione, & cum abſolutione ab Irregularitate ad cautelam.

Modò iterùm recurrit Orator ad hanc Sacram Congregationem, cui adhæret idem Procurator Generalis Ordinis, pro declaratione, an debeat dicta Ordinatio in Presbyterum reiterari in totum, vel ſaltem quoad omiſſa? & an fieri valeat in diebus feſtivis privatim, vel fieri debeat in publicis Ordinationibus?

His porro ſuas itidem preces adjecit Frater N. N. à N., qui eſt alter Religioſus, ut ſupra, ordinatus, quique pariter cum eadem certitudine, eumdem defectum materiæ coram Superiore affirmavit, ut de eo circa probitatem, & conſcientiam, ſcrupulis non agitatam, Procurator Generalis, quemadmodum de altero, aſſeverat, unde cum omnia hæc fuerint per Summarium deducta in antecedenti Congregatione, injunctum fuit ab Emo Præfecto, ut Cauſa poneretur in Folio, prout hodie parendo Mandatis proponitur decidendum ſummæ prudentiæ EE. VV. infraſcriptum dubium.

An, & quomodo in præmiſſis ſit conſulendum in caſu &c.

Die 24. Januarii 1708. Sacra Congregatio Concilii diſtulit propoſitionem.

Cum autem ſupervenerint preces Epiſcopi Ordinantis, necnon fides duorum Magiſtrorum cæremoniarum, aliorumque Miniſtrorum in Ordinatione aſſiſtentium, ac etiam Coordinatorum in ipſa Ordinatione, ex quibus elicitur, non potuiſſe adeſſe deficientiam hoſtiæ, hinc repropoſito negotio per Summarium.

Die 11. Februarii 1708. Sacra Congregatio Concilii cenſuit ex noviter deductis in facto, recedendum eſſe à Deciſis ſub die 19. Novembris 1707. proindeque reſcripſit, quod dictus Frrater N. N. à N., aut deponat ſcrupulum, aut ſe abſtineat.

B. Card. Panciaticus Præfectus.
V. Petra Secretarius.

Ex Reg. 58. Congreg. præd. fol. 3. & 55.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Inſtantia reſtitutionis in integrum contra Profeſſionem à Fr. *Cajo* * emiſſam, ex motivo morbi Epileptici ante ingreſſum Religionis habiti, componitur.

* Nomen fictum.

Provinciæ Romanæ Capucinorum.

Nullitatis Profeſſionis.

QUæſtio, quæ inter Doctores agitatur, an valida ſit Profeſſio, emiſſa in Religione ab eo, qui morbo graviſſimo, puta Epileptico, laborat, & in qua affirmativa opinio de jure Decretalium eſt verior, ceſſat ſtatim, ac in Conſtitutionibus Religionis, ab Apoſtolica Sede confirmatis cavetur, ut Profeſſio in dictis terminis nulla ſit; in eo quippe rerum ſtatu communis opinio eſt, profeſſionem nullitatis vitio laborare; uti plenè proſequuntur *Rodriq. quæſt. Regul. tom. 3. part. 17. art. 9. Navar. conſil. 48. n. 2. lib. 3. tit. de Regular. Pignatel. conſult. 89. n. 3. tit. 1. Rota coram Ubald. dec. 38. num. 2. & ſeq. & dec. 394. num. 1. & ſeq. coram eodem.* (Seſs. 25. de Reg. & Monial. 19.)

Ad tramites eorum, quæ hucuſque dicta ſunt, cum in Conſtitutionibus Ordinis Capucinorum *cap. 2.* hæc habeantur: *qui elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagioſa afficitur, non recipiatur, & ſi quis talis receptus fuerit, eò quod interrogatus, talem infirmitatem manifeſtare noluerit, declaratur, Religionem ad eum retinendum minimè velle eſſe obligatam.*

Fr. *Cajus* contendit, Profeſſionem à ſe emiſſam anno 1709. in Religione Capucinorum, aſſumpto nomine dicto, nullam fuiſſe, & ſic ſe adversùs lapſum quinquennii impetrare poſſe reſtitutionem in integrum, cum morbo Epileptico laboret, eodemque laboraverit, dum erat in ſæculo, antequam Religionem ingrederetur: inquit enim, ex allegatis verbis Conſtitutionum inferri, non adeſſe conſenſum Religionis in admiſſione ad Profeſſionem ejus, qui morbo Epileptico laborat, & conſenſu deficiente, non eſſe dubitandum de Profeſſionis nullitate; uti relictis generalibus, in ſpecie Conſtitutionum Ordinis Capucinorum probat P. Bartholomæus de Vecchis in libro, cui titulus: *Praxis obſervanda in admittendis ad Religionis ſtatum Novitiis, diſp. 13. dub. 15. num. 4. & plurib. ſeq. & ſignanter num. 8.*

Auditus fuit ſuper hac inſtantia P. *Caji*, P. Procurator Generalis Ordinis, qui nullo verbo facto ſuper exiſtentia morbi Epileptici, vel tempore præſenti, vel ante emiſſam Profeſſionem ſubdit, nullitatem, de qua in ſuperioribus ſermo habitus eſt, inductam eſſe favore Religionis, & non Religioſi, & ſic Religione nullatenus validitati Profeſſionis contradicente, non poſſe à Profeſſo nullitatem allegari.

Addi poſſet, non irrationabile fortè futurum eſſe aſſertum, ſi quis diceret, validum fuiſſe in dictis terminis Profeſſionem; in

Conſtitutionibus etenim Ordinis non adeſt Decretum irritans, & ſimplex interdictum ſine Decreto irritante non efficit nullam Profeſſionem. *Fagn. in cap. qui Presbyterum n. 8. & ſeq. de pœnit. & remiſs: Portellus in dubiis Regular. in verb. Profeſſio nulla ex defectu ætatis num.* 54. *Bordon. in controv. moralibus controv.* 21. *de ætate Profeſſionis quæſt.* 9. *R. P. D. Petra ad Conſtit. Apoſtol. tom.* 2. *pag.* 525. *num.* 23. *& ſeq.* Et facultas, quam habet Religio, expellendi taliter Profeſſum, compatibilis eſt cum validitate Profeſſionis, cum Superior poſſit judicialiter procedere contra Profeſſum, ut Eum caſtiget propter peccatum, quod commiſit non aperiendo defectum, quem tenebatur in ingreſſu confiteri. & in pœnam peccati, eum expellere à Religione, & Habitu privare, uti in ſimili argumentatur *Navar. conſil.* 48. *num.* 3. *lib.* 3. *de Regul.*

Scriptura circumfertur, quocirca onus erit EE. VV. decernere, an ſit locus reſtitutioni in integrum, in caſu &c.

Ex Reg. S. Congr. 73. *f.* 383., *& in Theſ. Reſol. tom.* 2. *f.* 350.

N O T A.

CUm in S. Congregatione die 31. Julii 1723. aliàs determinato, cauſa non fuerit propoſita, fuit interim medio compoſitionis terminata, & auctoritate Emi Cardinalis Franciſci Barberini Protectoris, *res eò devenit, ut Superiores ſuum benignè dederint aſſenſum prædicto Fratri* Cajo, *ut ad ſæculum redire poſſet, & in eorum Decreto expreſſa fuit cauſa morbi Epileptici. . . . & geſta à Patribus Superioribus fuerunt à S. Congregatione confirmata*, prout in cauſa ſequenti legendum erit.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Similis inſtantia reſtitutionis in integrum ex eodem motivo à F. *Lucido*, * facta ad Emin. Card. Protectorem *juxta Mentem* S. Congregationis remittitur.

* *Fictum eſt pariter hoc nomen.*

Provinciæ Romanæ Capucinorum.
Nullitatis Profeſſionis.

CUM in Conſtitutionibus Ordinis Capucinorum cap. 2. à Sede Apoſtolica, in forma ſpecifica confirmatis, ita legatur, *qui Elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagioſa afficitur, non recipiatur. Et ſi quis talis receptus fuerit, eò quod interrogatus talem infirmitatem manifeſtare noluerit, declaratur, Religionem ad Eum retinendum minimè velle eſſe obligatam*, nonullæ hac de cauſa exoriuntur controverſiæ ſuper validitate nonnullarum Profeſſionum, in eodem Ordine emiſſarum, ſub obtentu, quod Profitentes morbo Epileptico laborabant.

Quidam Pater *Cajus* appellatus in ſæculo N. N. quæſtionem movit ſuper nullitate Profeſſionis, à ſe emiſſæ in Ordine Capucinorum, ex quo, dum eam emiſit, morbo Epileptico laborabat, auditaque informatione Procuratoris Generalis, & excitata oppoſitione, quod nullitas erat inducta favore Religionis, & non Religioſi, & quod in Conſtitutionibus Ordinis non aderat Decretum irritans, ſed ſimplex interdictum ſine Decreto irritante, quo deficiente poterat Religio expellere Profeſſum, abſque eo, quod Profeſſus invitâ Religione ad ſæculum redire poſſet, nulla fuit in hac Sacra Congregatione capta reſolutio, ſed dictum *die* 2. *Julii* 1723. quod cauſa iterum proponeretur.

Auctoritate Emin. D. mei Cardinalis Barberini, Protectoris Ordinis Capucinorum, cum de facultate Religionis, ejiciendi eum, qui Profeſſionem emiſit, dum morbo Epileptico laborabat, nulla eſſe poſſet controverſia, res eò devenit, ut Superiores ſuum benignè dederint aſſenſum prædicto B. *Cajo*, ut ad ſæculum redire poſſet, & in eorum Decreto expreſſa fuit cauſa morbi Epileptici, ne videretur, quòd ille ejectus fuiſſet à Religione tanquam incorrigibilis, & geſta à Patribus Superioribus fuerunt ab hac Sacra Congregatione confirmata.

Terminata modo prædicto lite inter Religionem, & memoratum *Cajum* alia conſimilis inſurrexit controverſia inter eandem Religionem, & Patrem *Lucidum de N.* contendentem, Profeſſionem à ſe emiſſam in Ordine Capucinorum anno 1714. eſſe nullam, ex eodem capite morbi Epileptici, quo laboravit uſque ab infantia, laboravit tempore proximo ſuſceptioni Habitûs Religioſi, laboravit paulò poſt emiſſam Profeſſionem, & actu etiam laborat, uti colligitur ex plurium teſtium, licèt formiter non examinatorum, atteſtatione, ita, ut dicatur, non eſſe dubitandum de morbi exiſtentia tempore Profeſſionis, cum in morbis habitualibus, probatis extremis, media præſumantur.

Antequam quidquam in cauſa perageretur, actum fuit cum P. Procuratore Generali, ut videretur, an Superiores Ordinis ſe gerere vellent erga P. *Lucidum*, ſicuti ſe geſſerunt erga P. *Cajum* ab eodem expreſsè diſſentiente, juxta morem dictum fuit, ut formiter audiretur, & ſuam exararet in ſcriptis informationem.

Paruit Procurator Generalis mandatis, reci-

citatiſque verbis ſuarum Conſtitutionum jam ſupra relatis, inquit, ex illis inferri, competere Religioni facultatem ejiciendi taliter Profeſſos, ſed volente Religione Profeſſionem ab eis emiſſam eſſe validam, & multò magis, cum in Capitulo Generali, habito anno 1633. propoſitum fuerit ſequens dubium: *utrum profitens cum taciturnitate morbi Neapolitani, aut alterius incurabilis contra Statuta Ordinis ſit verè Profeſſus*? fuerit reſponſum, *eſſe verum Profeſſum, quia noſtra Conſtitutio non irritat Profeſſionem.*

Pro P. *Lucido* Scriptura exhibetur R. P. D. mei de Lanfredinis, utriuſque Signaturæ Referendarii, & Pauperum in Civilibus doctiſſimi, & diligentiſſimi Advocati, in qua ſtrenuè probare contendit, Religioſam Profeſſionem involvere contractum correſpectivum, & ultro citroque obligatorium, ita, ut deficiente conſenſu ex parte Religionis, profeſſio debeat eſſe nulla, & irrita etiam ex parte Profeſſi.

Allegantur in eadem Scriptura punctuales auctoritates *Capon. diſcept.* 53. *n.* 33. *& ſeq. Patris Bartholomæi de Vechiis Capucini in libro, cui titulus praxis, obſervanda in admittendis ad Religionis ſtatum Novitiis diſput.* 13. *dub.* 15. *num.* 4. *& num.* 8. *& Patris Theſauri Romani, Capucini, in libro Romæ impreſſo, cui titulus, Expoſitio in Regulam Seraphici Patris S. Franciſci cap.* 2. qui in terminis Conſtitutionum Ordinis Capucinorum pugnant pro nullitate Profeſſionis, ab eo emiſſæ, qui morbo Epileptico laborabat.

Alia plura, tum ex Facto, tum ex jure petita legi poſſunt in eadem elaborata ſcriptura per manus circumferenda, quocirca onus erit EE. VV. decernere.

An conſtet de cauſis Reſtitutionis in integrum in caſu &c.

Ad quæ 8. Julii 1724. fuit deciſum.

Ad Eminentiſſimum Protectorem juxta mentem.

Quæ fuit, ut Superiores Ordinis aſſenſum darent egreſſui, prout etiam de facto dederunt.

C. Card. Origus Præf.

Proſp. de Lambertinis Secret.

In Secret. S. Congreg. Reg. 74. *f.* 188. *& in Theſauro reſolut. tom.* 3. *fol.* 44.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Inſtantia ſimilis rejicitur, & rejecta confirmatur.

Ordinis Capucinorum.

IN Conſtitutionibus Ordinis Capucinorum *cap.* 2. à Sede Apoſtolica confirmatis in forma ſpecifica ita legitur, *qui elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagioſa afficitur, non recipiatur, & ſi quis talis receptus fuerit, eò quod interrogatus talem infirmitatem manifeſtare noluerit, declaratur, Religionem ad eum retinendum minimè velle eſſe obligatam.* *Seſs.* 15. *de regul. c.* 19.

Quidam N. profeſſionem emiſerat in Religione Capucinorum, aſſumpto nomine *Caii*, promovit inſtantiam ſuper reſtitutione in integrum, ex quo laborabat morbo epileptico, antequam Religionem ingrederetur; ſed excipiente Procuratore Generali Ordinis, quod nullitas erat in Conſtitutionibus inducta non favore Religioſi, ſed Religionis, & ſic, quod tacente Religione, Orator non poterat inſtare pro nullitate ſuæ Profeſſionis, auctoritate Emin. Domini Cardinalis Barberini, Protectoris Ordinis Capucinorum, res ſic compoſita fuit, quod Superiores ſuum benignè dederunt aſſenſum, ut Orator ad Sæculum rediret, cum de facultate Religionis ejiciendi eum, qui profeſſionem emiſit, dum morbo epileptico laborabat, nulla poſſet eſſe controverſia.

Contigerunt hæc anno 1723. cumque anno ſequenti 1724. quidam Pater *Lucidus* conſimilem promoviſset inſtantiam, ex eodem capite morbi epileptici, quo ante Profeſſionem laboraverat, & exhibita fuiſset ſcriptura, in qua ſcribens, pluribus allegatis rationibus, & auctoritatibus, probare conatus eſt, Religioſam profeſſionem involvere contractum correſpectivum, & ultro citroque obligatorium, & ſic, quod deficiente conſenſu ex parte Religionis, Profeſſio debeat eſse nulla, & irrita etiam ex parte Profeſſi. Reſcriptum fuit die 8. Julii 1724. *ad Emin. Protectorem juxta Mentem*, quæ fuit, ut ſuperiores Ordinis aſsenſum darent egreſsui, prout etiam defacto dederunt.

Hæc quoad præteritas inſtantias, cumque in præſenti Pater *Serenus* * ſimiliter inſtet pro reſtitutione in integrum adversùs Profeſſionem, à ſe emiſsam in eadem Religione Capucinorum, ex quo ante profeſſionem, & ab infantia nephritico morbo taliter laborabat, ut non ſine gravi, acerboque dolore urinam guttatim emittere poſset, & ejus Scriptura, unà cum relatione P. Procuratoris Gene-

* *Nomen pariter fictum.*

Generalis circumferatur, onus erit EE. VV. decernere.

An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.? Deciſumque fuit die 6. Julii 1726. negativè.

Cum autem fuerit impetrata nova Audientia, & cauſa fuerit repropoſita in Sacra Congregatione ſub quæſtione, an ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis die 6. Jul. 1726. fuitque 26. April. 1727. reſolutum.

In deciſis, & non amplius, *ideſt, ſtandum eſſe in deciſis, & amplius cauſam non eſſe proponendam.*

C. *Origus Præfectus.*

Proſp. de Lambertinis Secret.

Reg. Decret. 76. fol. 292. & 342. & tom. 3. Theſauri reſolut. fol. 336. 342. & tom. IV. fol. 29. & 46.

D E C R E T O

S. Congregationis Epiſc., & Regularium.

Pro fundatione novæ Domûs Loci Caſtri veteris Fratribus Eccleſiam Ruralem S. Anatoliæ, cum contiguo terræ petio relinqui conceditur.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſup. in lat. rel. *FRater Joannes à Caſcia Miniſter Provincialis (l. i.) Provinciæ Romanæ humillimus EE. VV. Orator exponit, qualiter Communitas Caſtri Veteris, Terræ in Diœceſi Reatina ſituatæ, & Excellentiſſimo Principi Burgheſio ſubjectæ Reverendo Diſinitorio ſupplicaverit, quatenus Domum, ſeu Conventum Capucinorum in dicta Terra, pro ſpirituali ſuo ſolatio conſtruere non dedignetur, & in caſu, quo ipſius votis annueretur, Eccleſiam ruralem S. Anatoliæ nuncupatam, & ad ruinam fatiſcentem cum rubbio uno, & dimidio incirca Terreni, dictæ Eccleſiæ adjacentis ad talem finem aſſignaverit. Cum autem hoc pertineat ad beneficium ſimplex, Eccleſiæ Parochiali prædictæ Terræ incorporati, ejuſque valor juxta æſtimationem peritorum, ad ſummam 60. ſcutorum, prout ex annexa fide apparet, aſcendat. EE. VV. ſupplicatur pro facultate illud pro dictorum Religioſorum beneficio in clauſuram convertendi.*

Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot., & Conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Reatini, referente Eminentiſſimo Barberino, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore, benignè committit Eidem, ut veris exiſtentibus narratis, & ſervatis ſervandis, ac adimpletis adimplendis, petitam facultatem fundandi dictum novum Conventum, Oratori pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur; ac inſuper Reverendo Parocho Franciſco Mariæ Melonio facultatem concedendi ad effectum præfatum, enuntiatum petium terræ, & Eccleſiam ruralem S. Anatoliæ pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut jura Parochialia integra, & illæſa remaneant. Romæ 26. Novembris 1728.

Franciſcus Card. Barberinus Præf.

Xaverius Antonius Gentili Archiepiſcopus Petren. Secret.

N O T A.

Ceſsio Sitûs, & Eccleſiæ in Libello ſupplici enuntiata, & in Cancellaria Epiſcopali exhibita, fuit facta, ut ſequitur.

EGO ſubſcriptus Archipresbyter Eccleſiæ Parochialis SS. Joan. Evangeliſtæ, & Anatoliæ Caſtri Veteris, Diœceſis Reatinæ, per præſentes, ceu Inſtrumentum publicum, & juratum valituras do, cedo, & concedo titulo charitatis, dono titulo inter vivos irrevocabili, illam quantitatem Terreni æſtimati, & pro fabrica Conventûs menſurati, RR. PP. Capucinis, & ipſorum Religioni, ſumque contentus, ut in Eccleſia rurali, ſub invocatione S. Anatoliæ in hoc Caſtri Veteris Territorio, ſituata novus Conventus erigatur, & ædificetur, ad hunc effectum iis omnes, & ſingulas facultates neceſſarias, & opportunas impertiendo, eos ponendo &c., conſtituendo &c., & finaliter eos conſtituo tam prædictæ Eccleſiæ, quàm ſitus veros Patronos, non ſolùm hoc, ſed omni meliori modo &c. In fidem &c. Caſtri Veteris hoc 7. Septembris 1728.

Franc. Maria Melonius Archi-Presbyter manu propria.

Ita ad hæc, fabricam principiari Communitas urgebat, ut, dum conſenſus à Capitulo Provinciæ juxtà Conſtitutionum præſcriptum requiri nequibat, hunc Papa Benedictus XIII. S. M. suppleret Reſcripto, propria manu ad tergum Libelli ſupplicis exarato, & originaliter in Archivo Provinciæ reſervato.

Fabricâ inceptâ, à Domino Archi-Presbytero, & Communitate nonnullæ prætenſiones, producebantur, quas ad æquitatis trutinam appendi, & à S. Congregatione ad firmandum inter utramque partem, amicæ pacis munus, conciliari, à Fratribus ſupplicabatur, ſequenti Libello:

Emi.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſup. in lat. trad. *Cum novæ Domui, ſeu Conventui Caſtri veteris Diœc. Reatinæ innotuerit, quod nonnullæ Prætenſiones D. Archipresbyteri Franciſci Mariæ Melonii, S. Congregationi ad terminandas utriuſque partis moleſtias expoſitæ prodierint, pro parte Religioſorum, & præſertim P. Joannis à Poggio Mirteto, fabricæ aſſiſtentium ſupplicatur, ut EE. VV. Decretum, Inſtrumento in præſentia Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Reatenſis faciendo inſerendum interponere dignentur. Et Deus.*

Prætenſiones D. Archipresbyteri, & Communitatis ſunt ſequentes:

I. *Quod Patres acceptationem, primo Conſilio conformiter, & in obligatione confeſſiones excipiendi, & populo in ſuis ſpiritualibus neceſſitatibus ſubveniendi conſiſtentem, obſervare teneantur.*

II. *Quod D. Archipresbyter liberè ad Eccleſiam, S. Anatoliæ vocatam, non ſolùm in vigilia, & feſto dictæ Sanctæ cum ſuo populo Proceſſionem inſtituere, & inibi primas veſperas, ac in ipſo die feſto Miſſam Solemnem cantare; verùm etiam in aliis diebus ſolitis proceſſionaliter ad Eccleſiam, quæ à Patribus de novo conſtruitur, in perpetuum ire valeat, quin ſtolam, & ſuperpelliceum dimittat, aut Crucem ſeponat, ſed econtra jura ſua antiqua durante functione proſequatur, & exerceat.*

III. *Quod RR. Patres nundinas, quæ de vigilia uſque ad integrum diem feſti dictæ S. Anatoliæ protrahi ſolent, impedire nequeant.*

IV. *Quod RR. Patres Capucini Proceſſionibus Communitatis, id eſt, die S. Marci, feſto Corporis Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Gratiarum, diebus Rogationum, feſtis S. Anatoliæ, S. Rochi, aliiſque Proceſſionibus, quæ pro bono communi occurrere poſſunt, intervenire teneantur, cum conditione tamen, ut à Domino Archipresbytero hora tam dictis Religioſis, quàm populo opportuna, aſſignetur.*

V. *Ut in feſtis Popularibus principalibus, vel Jubilæis, RR. Patres, à Dño Archipresbytero requiſiti, in numero poſſibili ad confeſſiones excipiendas venire non graventur.*

Ad quæ Sacra Congregatio Emorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regular præpoſita, factâ relatione per Emum Dñum Cardinalem Barberinum, Ponentem, deſcriptorum Capitulorum, inter Archipresbyterum Franciſcum Mariam Melonium, & Patres Capucinos, pro fundatione Conventûs in Caſtro Veteri Diœceſis Reatinæ conventorum, benignè reſcripſit juxta votum ejuſdem Emi Ponentis, nempe:

Quoad Primum, pro approbatione.
Ad Secundum, ſemel in anno in die Titularis Eccleſiæ tantùm.
Ad Tertium, pro approbatione.
Ad Quartum, pro approbatione, addita clauſula, prout de jure.
Ad Quintum, pro approbatione, accedente facultate audiendi Confeſsiones.
Romæ die 22. Decembris 1730.

Card. Franciſcus Barberinus Præfectus.

Xaverius Antonius Gentili Archiepiſcopus Petren. Secret.

Cumque poſtea de aſſumpto annuatim pro Fratrum alimonia 30. ſcuta erogandi onere, Communitas gravaretur, illudque exequi ſub varia ratione tergiverſaretur, articulum deſuper editum obſervari, à Sacra Congregatione boni Regiminis, juſſa eſt ſubjunctâ epiſtolâ.

Foris. *Magnifico &c. Gubernatori Caſtri Veteris.*

In lat. trad. Intus. *Magnifice, & Amantiſſime. Committendum eſt à vobis, ut PP. Capucinis annua 30. Scutorum proviſio juxta articulum in tabella, ſeu Regeſto notatum, & non aliàs, pro illorum pietantiâ ſolvatur, cum Sacra Congregatio, auditis, quæ fuerunt expoſita, mentis, & ſenſûs ſit, ut ita ſequatur. Vobis &c. Romæ 11. Septembris.*

J. Renatus Card. Imperialis.

Bernardus Nari Secretarius.

Exemp. Auth. in Arch. Provinciæ.

Conſtitutionem Urbani Papæ VIII. de ſubjectione Provinciæ Patri Miniſtro Generali, & in ejus abſentia, Procuratori, & Commiſſario Generali confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum à fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore Noſtro, ad favorem tunc exiſtentium Miniſtri Generalis, & Procura-

toris, ac Commiſſarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, emanârunt literæ, in ſimili forma Brevis, tenoris, qui ſequitur, videlicèt: Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Injuncti nobis &c. *reliqua vide fol.* 72.

Cum autem, ſicut modernus Procurator, & Commiſſarius Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ipſe ad tollenda quæcunque impedimenta, & dubia, quæ ſuper præmiſſis oriri poſſent, præmiſſa, quò firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Procuratoris, & Commiſſarii Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertas Urbani Prædeceſſoris literas cum omnibus, & ſingulis, in eis contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illas ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quandocumque ſpectabit, exactè, & accuratè obſervari præcipimus, & mandamus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, præinſertis literis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ dictus Urbanus Prædeceſſor in illis conceſſit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Octobris MDCCXXX. Pontificatûs noſtri anno primo.

F. Card. Oliverius.

Auth. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg: menſ. & anni præd. fol. 6. & Breve form. in Arch. gen. Ord. Arm. Provincia Rom.

N O T A.

Confirmatione Apoſtolici Brevis prædicti, Provincia, prætenſo ſuæ Præcedentiæ juri derogari exiſtimavit, hinc & cauſam in Sacra Congregatione Epiſcop. & Regular. induxi: quæ etiam ſub 19. Januarii 1731. *præcedentiam PP. Miniſtro Provinciali, & Guardianis deberi* cenſuit.

Obtentâ autem à P. Commiſſario Generali novâ audientiâ, Decretum præfatum fuit revocatum, & præcedentiam Patri Commiſſario Generali deberi deciſum, ut ſequitur:

In cauſa Ordinis Capucinorum Præcedentiæ, vertente inter P. Commiſſarium Generalem ex una, & Patres Provincialem, & Guardianos Provinciæ Romanæ ex altera Partibus, propoſitum fuit infraſcriptum dubium, videlicet:

An Procuratori Generali, uti Commiſſario Generali, competat in Conventu Urbis, aliiſque totius Provinciæ Romanæ Præcedentia in choro, & alibi ſupra Provincialem, Definitores, & Guardianos, in caſu &c.

Sacra Emorum, ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultation. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Emo Zondadari Ponente, Partibus auditis, ac re maturè perpenſa decrevit, ac declaravit: Prævio receſſu à Deciſis ſub die 19. Januarii 1731. Præcedentiam deberi P. Commiſſario Generali. Romæ 15. Februarii 1732.

Franc. Card. Barberinus Præf.

Exempl. Auth. in Archivo Procuræ, & Ordinis &c.

Miſ-

Miſſas pro Animabus Julii Pazzaglia, & Fidelium de ejus Familia, in Eccleſia Fratrum Civit. Centum Cellarum celebrandas, tantùm iis ſuffragari debere concedit, ac ſi forent dictæ in Altari, privilegio liberandi Animam è Purgatorio decorato.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut dilectus filius Julius Pazzaglia Triremium noſtrarum Pontificiarum Aſſentiſta, Nobis nuper exponi fecit, ipſe novam Capellam, ubi Corpus S. Conſtantiæ nuncupat, ut piè creditur, requieſcit, in Eccleſia Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Centum Cellarum, Viterbienſis Diœceſis, ſuâ impensâ â fundamentis ædificari curavit, ipſe verò Julius Capellam præfatam, cœleſtium munerum, quorum diſpenſationem Fidei Noſtræ credidit Altiſſimus, elargitione â Nobis condecorari plurimum deſideret, Nos ejuſdem Julii votis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eundemque â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, â jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut, quandocunque Sacerdos aliquis, ſive Sæcularis, ſive Regularis, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ad præfatam Eccleſiam pro ipſius Julii, poſtquam viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, vel aliorum quorumcumque Chriſtifidelium de ejus Familia Pazzaglia exiſtentium Animabus, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, celebrabit, Miſſæ Sacrificium hujuſmodi Animæ, pro qua celebrabitur, perinde ſuffragetur, ac ſi ad Altare, Privilegio Apoſtolico, pro Chriſtifidelium Animabus, â pœnis purgatoriis liberandis decoratum, fuiſſet celebratum, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, non obſtante, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula, de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VII. Julii MDCCXXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Conventûs ibidem.

Monialibus Montis Quirinalis Indulgentias Scalæ Sanctæ ſexies per annum in perpetuum concedit.

CLEMENS PAPA XII.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterii Monialium Capucinarum nuncupatarum, in Monte Quirinali de Urbe, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam veſtram devotionem, & Animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris piâ charitate intenti, Vobis omnibus, & ſingulis, ac aliis in veſtro Monaſterio nunc, & pro tempore degentibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, quæ Scalam intra clauſtra veſtri Monaſterii ſitam, orationi tantùm deſtinatam ultra quatuor vices, nuper ſub die XXI. Januarii, proximè præteriti, â Nobis conceſſas, bis quolibet anno flexis genibus piè aſcenderitis, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderitis, quâ vice prædictarum id egeritis, ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequamini, quas conſequeremini, ſi Scalam Sanctam de eadem Urbe perſonaliter, & devotè, etiam flexis genibus aſcenderetis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus regula noſtra de non concedendis Indulgentiis adinſtar, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut dicta Scala aliis uſibus non inſerviat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXX. Martii MDCCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

F. Card. Oliverius.

Breve format. in Arch. Monaſterii Monialium dictarum, in quo reſervatur, & aliud ſub 21. Januarii datum, & in ſupra poſito Brevi memoratum.

NO-

NOTA.

FUêre poſtea Vivæ vocis Oraculo, de quo in Archivo Monialium authenticum aſſervatur Documentum, ab eodem Sanctiſsimo iis ſemel pro quolibet menſe, enuntiata pietatis opera peragentibus, 40. dierum Indulgentiæ pariter in perpetuum conceſſæ.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Altare Transfigurationis in Eccleſia Domûs de Urbe in ſubſidium privilegiatur.

Beatiſſime Pater.

Lib. Sup. in Lat. rel. CUM Miſſæ verè omnes, quas FF. Capucini Conventûs de Urbe, à Chriſtifidelibus accipiunt legendas, iis plerumque conſignentur cum onere, ut in Altari privilegiato celebrentur, & in eorum Eccleſia duo duntaxat reperiantur Altaria, quotidie privilegiata, nempe Altare majus, & Altare Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in quibus prædictarum Miſſarum oneri ſatisfacere, haud valent, Fr. Bonaventura â Ferraria ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, ad pedes Sanctitatis Veſtræ humillimè provolutus ſupplicat, quatenus benignè concedere dignetur, ut Miſſæ in Altari Transfigurationis, ſeu B. Seraphini à Monte Granario dicendæ, Animabus Defunctorum, quæ Deo charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, ſuffragari poſſint perinde, ac ſi in Altari Privilegiato celebrarentur. Et pro gratia &c.

A tergo: *SS. D. N. Clementi PP. XII.*

Reſcriptum. *Die 23. Sept.* 1737. *Sanctiſſimus annuit indulto explendi ad aliud Altare tantùm dictæ Eccleſiæ Miſſas, quæ ex elemoſynis piorum Benefactorum ad duo Altaria privilegiata expleri non poſſunt, ita, ut perinde ſuffragentur, ac ſi ad Altaria privilegiata celebratæ fuiſſent.*

F. Card. Oliverius.

L. S.

Autog. in Archivo Provinciæ.

NOTA.

Sunt huic Eccleſiæ ratione Miſſarum, & alia duo Pontificiis Reſcriptis conceſſa Privilegia, quorum Documenta hic apponi ſuadet eorum conſervandorum ſtudium, & quorum primo Miſſas in præfata Eccleſia, uſque ad horam poſt meridiem protrahi conceſſum fuit, ut ſequitur:

BEATISSIME PATER.

Lib. Sup. in Lat. rel. *GUardianus Capucinorum Domûs de Urbe, humillimus Sanctitatis Veſtræ Orator reverenter exponit, quod ad ipſorum Eccleſiam, tam in diebus ferialibus, quàm feſtivis copioſus concurrat populus; cumque ob ultimum, Mandato Sanctitatis Veſtræ publicatum Edictum, & Miſſalis Rubricas Miſſæ poſt meridiem celebrari non debeant, Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus Miſſas, uſque ad horam poſt meridiem in prædictâ Eccleſia protrahi concedat. Quam gratiam &c.*

A tergo: *Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Clementi XI.*

Reſcriptum primum: *Ad Illuſtriſſimum Dominum Viceſ-Gerentem, ut Sanctiſſimo deſuper loquatur.*

Reſcriptum ſecundum: *Ex audientia Sanctiſſimi die* 4. *Julii* 1704. *Sanctiſſimus annuit.*

Dominicus Epiſcopus Verulanus Viceſ-Gerens.

Autog. in Archivo Provinciæ.

Alio, & ſecundo Reſcripto autem omnia Eccleſiæ, & Capellarum Altaria pro toto Capituli Generalis tempore privilegiantur, qua pro gratia porrectus eſt Sanctiſsimo Libellus ſupplex ſequens, in Latinum traductus.

BEATISSIME PATER.

PRocurator Generalis Capucinorum ad Sanctitatis Veſtræ pedes humiliter proſtratus, Eidem exponit, quod Conventus de Urbe notabili Miſſarum numero gravatus exiſtat, quatenus earum elemoſynis, gravibus Capituli Generalis neceſſitatibus ſuccurrere poſſit; cumque potiori harum parti annexum ſit onus eas celebrandi in Altari privilegiato, idem Procurator Sanctitati Veſtræ pro ſua ſumma pietate ſupplicat, quatenus pro hac vice tantùm, & à die Aſcenſionis D. N. J. Chriſti uſque ad Solemnitatem Corporis Chriſti incluſivè omnia Eccleſiæ, & Capellarum privatarum Romani Conventûs Altaria, in quibus Miſſa dicitur, privilegiata declarare dignetur, quatenus non ſolùm prædictarum Miſſarum obligatio expleri poſſit, verùm etiam

Vocales Capituli tunc congregati cum omnibus aliis Conventûs Sacerdotibus, eo tempore, beneficio gaudeant, & cuilibet alii eorum oneri, & devotioni ad Defunctorum Suffragium ſatisfacere poſſint. Quam gratiam &c.

A tergo: *Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Benedicto XIII.*

RESCRIPTUM. Pro Procuratore Generali Capucinorum

Die 2. Maii 1726. Sanctiſſimus annuit, ut petitur.

L. S.

F. Cardinalis Oliverius.

Auth. in Arch. Provinciæ.

Unciam aquæ ex pubilco aquæ ductu Civitatis Vetulæ, Conventui ibidem concedi, committitur.

ANNIBAL MISERATIONE DIVINA

Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Albanus S. Clementis, S.R.C. Camerarius, ac aquæductûs Civitatis Vetulæ Protector.

CUM pro parte Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Capucinorum fuerit Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ Clementi XII. repræſentatum præjudicium, reſultans Venerabili Conventui Capucinorum Civitatis Vetulæ ob deficientiam in eo aquæ vivæ, & propterea fuerit eidem Sanctiſſimo ſupplicatum, ut eidem Conventui unciam unam aquæ ex illa aquæductus publici dictæ Civitatis, ad ſexaginta uncias aſcendentis concedere vellet, & dignaretur. Qui Sanctiſſimus cum precibus præfatis inclinatus, ſub die 17. currentis, auditis prius informatione & voto benignè annuerit, pro gratia conceſſionis unciæ unius aquæ præfati aquæductûs, & ad Nos, uti illius Protectorem, pro executione ejuſdem gratiæ, preces præfatas remiſerit, prout latius ex eiſdem precibus, ac Reſcripto, in actis, infraſcripto R.C. Apoſtolicæ Secretario originaliter exhibitis. Nos itaque ea, quæ Nobis, ut ſupra, injuncta fuêre, debitæ executioni, ut par eſt, demandare volentes, ideo vigore facultatum, in dicto Reſcripto Nobis per Sanctiſſimum, ut ſupra, conceſſarum, dicto Venerabili Conventui Capucinorum Civitatis Vetulæ, & pro eo Reverendiſſimo P. Generali præfati Ordinis unciam unam aquæ ex dicto publico aquæductu, Civitatis Vetulæ, in loco commodiori, & viciniore eidem Conventui deſumendam, & ad eundem Conventum pro illius, & RR. PP. Capucinorum, in eo pro tempore exiſtentium uſu, ſervitio, & commoditate aſportandam, nomine ejuſdem Sanctiſſimi gratioſè ac benignè perpetuò concedimus, iis omnibus non obſtantibus, quæ Sanctiſſimus ipſe in dicto ejus Reſcripto voluit non obſtare. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ hâc die xx. Januarii MDCCXL.

A. Epiſcopus Sabinenſis Card. S. Clementis Protector.

L. S.

Felix Antonius Paulettus R. C. A. Secret. & Camer.

Reg. lib. Diver. fol. 99. Original. in Arch. Provinciæ.

NOTA

IN eodem Archivo cuſtodiuntur Documenta authentica Italica relapsûs aquæ ex Fonte S. Liborii, ab Illuſtriſsima Communitate dictæ Urbis anno 1723. conceſsi, & à S. Congregatione Gubernii confirmati, per literas ab hujus Præfecto ad Gubernatorem datas, ſub tenore ſequente.

Illuſtriſ., ac Rev. Domine uti Frater. Approbat S. Congregatio reſolutionem à publico Senatu factam circa relapſum aquæ ex Fonte S. Liborii, PP. Capucinis pro noviter ædificati Conventûs commodo dandæ, cum conditione tamen, ut, quando Communitas Molendina, ſeu alia ædificia, ad quæ aquâ indigeret, facere deberet, dicti Patres aquam præfatam eidem recedere teneantur, reſervatâ pro ipſis ad Conventûs obſequia modicâ portione. Hocce modo Dom. Veſtra opportunam dabit licentiam, & Deus eam proſperam ſervet. Romæ 21. Auguſt. 1723.

Dominationis Veſtræ.

I. R. Card. Imperialis.

Bernardinus Nari Secretarius.

L. S.

A tergo *Illuſt. ac Ad. Rev. Domino uti Fratri, Gubernatori Civitatis Vetulæ.*

RE-

RESCRIPTO.

Privilegium Altaris de inferiore Capella Domûs Civit. Reatis ad Altare Majus Eccleſiæ transferri conceditur.

Beatiſſime Pater.

ECcleſia Capucinorum Reatis ex gratia, â S. M. Gregorio XIII. cuilibet Ordinis Provinciæ facta, gaudet privilegio quotidiano perpetuo, cuidam Capellæ inferiori addicto; cum autem ob Novitiatum in dicto Conventu defacto exiſtentem non parum oneroſum ſit, ad dictam Capellam, in quo ob Altaris privilegium omnes quaſi Miſſæ celebrantur, ad has audiendas, præſertim Novitiis, deſcendere, Fr. Carolus Maria â Caravaggio modernus Novitiorum Magiſter, & Conventûs Guardianus Sanct. Veſtræ humillimè ſupplicat, quatenus dictum privilegium ad Altare Majus transferre dignetur, utpote ad Miſſas à Novitiis audiendas magis commodum. Quam gratiam &c.

Die 12. Januari 1743.

Sanctiſs. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. privilegium, ex conceſſione S. M. Gregorii XIII. Capellæ ſeu Altari inferiori in præfata Eccleſia addictum, referente Me infraſcripto Sacræ Congregationis Indulg. ſacriſque Reliquiis præpoſitæ Secretario, ad Altare Majus ejuſdem Eccleſiæ transferendum eſſe benignè conceſſit.

L. S.

L. Card. Picus Præf.

A. M. Erba Proton. Apoſt. Secret.

Autograph. in Archivo Conv. prædicti.

Brevia Apoſtolica, Decreta &c. quæ ex Archivis Vaticanis, & Secretariis Curiæ Romanæ fuerunt extracta, Provinciam Romanam concernentia, & in præmiſsâ Serie non inveniuntur, conſervantur in Archivo Generali Ordinis Armario PROVINCIA ROMANA. *Quod idem reſpectivè quoad alias Provincias, & pro ſequentibus Tomis generatim notari debet.*

PROVINCIA S. P. FRANCISCI.

Quantumque Provinciæ Noſtri Ordinis nomenclaturam ſuam communiùs à Regione, in qua potiores illius Domus exiſtunt, haurire conſueverint, uti Generalis Provinciarum Tabula exhibet, Provincia tamen dicta, à Sancto Patre nominari amat, tam aliorum, in Umbria degentium Regularium exemplo, quàm devotâ ratione ducta, quod Seraphicus Pater diſtrictum illius, prodigio ſuorum Natalium clarificaverit, exemplo ſuæ ſanctitatis ædificaverit, & Sacri Corporis pignore glorificaverit.

Originem hujus Provinciæ, ſi à Domuum, ſeu Conventuum conſtructione metiamur, illam ad primos noſtræ Reformationis annos referre debemus, cum ædes S. Valentini Fulginei (jam dirutas) Romitæ, Civitatis Interamnæ, vulgò Terni, *S. Annæ, Spoleti, Portariæ, Montis Caſalis &c.; in primo Reformationis decennio, á Fratribus inhabitatas fuiſſe, Ordinis teſtentur tabulæ.*

Sicut Provincia hæc exacto pede viva, & à S. Patre preſſa virtutis veſtigia ſectari ſtudet, ita, & viros religioſæ perfectionis laude conſpicuos ſemper numeravit.

Inter hos Beatorum cenſui jam adſcriptus colitur B. Dei Confeſſor, Joſephus à Leoniſſa; & alii, quorum cauſæ, Sacræ Congregationis Rituum Limina jam intrârunt, extant Servi Dei Raynerius Biturgienſis, ſeu à Burgo S. Sepulchri Laicus, & Franciſcus à Præcepto, Sacerdos, cum Serva Dei Veronica de Julianis Moniali, de quibus in Operis ſupplemento æqua recurret virtutis memoria.

Ad Generale Ordinis Miniſterium fuère ex hac Provincia promoti,

Primò. Fr. Thomas à Tipherno, qui in Concilio Tridentino, omni bonorum poſſeſſioni palam renuntiavit, oblatam Noſtratum cum RR. PP. de Obſervantia reunionem, ceu nocivam rejecit, & delatâ ad dictum Concilium monogrammâ Habitûs Seraphici Patris figurâ, Florentiâ ſecum allatâ, ſacrum Conſeſſum de noſtri veſtitûs ratione reddidit inſtructum.

Secundò. Fr. Silveſter Aſſiſias, quem virum prudentiâ, & virtute clarum noſter Boverius tom. 2. Annal. fol. 753. celebrat.

Tertiò. Fr. Joſephus Maria ab Interamna, qui velut alter antiquæ Legis Joſeph, natus eſt homo, firmamentum plebis, Rector Fratrum &c. &c.; *ac pari cum juſtitiæ, & charitatis laude Legi Ordinis de ſpecula Romana invigilat.*

Conſtitutus eſt, & Apoſtolico Brevi Vicarius Ordinis Generalis Fr. Hieronymus Narnienſis, Sacri Palatii Concionator, cujus in Tomo primo Bullar. fol. 87., & 88. meminimus.

Generalem Ordinis Procuram adminiſtrârunt:

Frater Chriſtophorus Aſſiſias, pietate, morum gravitate, & rerum gerendarum uſu commendatus.

Frater Bonaventura à Monte Regali, qui velut alter Alexius Thalamum Sponſæ intactæ reliquit, & Spiritu Domini actus, Ordinis noſtri gremio ſe addixit, glor. mem. Sixto Papæ V. vitæ ſuæ occaſum cordatè annuntiavit, Eidemque Animam agenti aſtitit.

Et Frater Franciſcus à Peruſio, qui nobilitati Sanguinis, quem de Illuſtri Oddorum genere hauſit, ex virtute, & doctrina ſua non leve adjunxit decus.

Componitur impræſentiarum Provincia:

Ex Domibus Fratrum XLI.

Ex Hoſpitiis, & Aſylis V.

Ex Monaſteriis Monialium Capucinarum VIII.

Eccleſiam Ruralem S. Mariæ Montis Caſalis, apud quam S. P. Franciſcus, illiuſque Fratres habitabant, Fratribus noſtris conſignari committit.

A tergo. *Dilecto Filio Leonardo Tornabeno Electo Burgi Sancti Sepulchri.*

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Communitas Civitatis Burgi S. Sepulchri, quod aliàs dilectus filius Joannes Maria, Clericus dictæ Civitatis, Eccleſiam Ruralem, & ſine cura Sanctæ Mariæ Montis Caſalis præfatæ Civitatis Burgi Sancti Sepulchri Diœceſis obtinens, cum ipſi conſiderantes, quod juxta famam publicam S. Franciſcus, Fundator Ordinis Fratrum Minorum, in dicta Eccleſia, vel apud eam reſederat, ac inibi Fratres dicti Ordinis habitaverant, dictum Joannem requiſiviſſent, ut dictam Eccleſiam, ad effectum, ut Fratres ejuſdem Ordinis Congregationis Capucinorum, Regularis Obſervantiæ, inibi habitarent, reſignare vellet, id eis ſub Sedis Apoſtolicæ beneplacito facere promiſit. Quare pro parte Comunitatis aſſerentis, dictamEccleſiam ſine dote, ejuſque fructus nullos exiſtere, Nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut votis eorum in hac parte annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem noſtris potiſſimum temporibus totis viſceribus deſideramus, Tibi, ut, ſi ita ſit, & ita Tibi videatur faciendum, quod tuo arbitrio remittimus, reſignationem de dicta Eccleſia, per præfatum Joannem Mariam, ad effectum prædictum faciendam, admittendi, ipſam Eccleſiam, ſive, ut præmittitur, ſive aliàs quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus Collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad SedemApoſtolicam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ, ſpecialiter reſervata exiſtat, Fratribus Ordinis Minorum Congregrationis hujuſmodi, ita, quod ipſam Eccleſiam cum oneribus tamen ei forſan incumbentibus, & non aliàs, acceptare, & in Domo iis, per dictam Communitatem ad hujuſmodi effectum danda, perpetuò inhabitare valeant, concedendi, Apoſtolica Auctoritate licentiam, & facultatem concedimus per præſentes, Volentes, ut Eccleſia, & Domus hujuſmodi, ſi, & poſtquam Fratribus dictæ Congregationis, in unum præſenti uſu traditæ ſint, omnibus, & ſingulis Privilegiis, facultatibus, prærogativis, immunitatibus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, & gratiis, quibus aliæ quæcunque Domus dicti Ordinis, illarumque Eccleſiæ, Guardiani, Fratres, & Benefactores quicunque, quomodolibet in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, ac fundatione, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per quoſcumque Romanos Pontifices, Prædeceſſores Noſtros, & Nos, ac Sedem præfatam quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus illorum omnium, & quarumcunque ſcripturarum, occaſione præmiſſorum quomodolibet confectarum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, necnon modos, & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis, hac vice duntaxat illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die VIII. Martii MDXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Cæſ. Glorierius.

Autog. in Secreto Arch. Vatic. de quo exempl. in Arch. Gen. Ord. Armar. Provincia Sancti P. Franciſci.

NOTA.

EXpreſſus in Superiore Brevi locus Montis Caſalis præter habitationem, quâ Seraphicus Pater, tum antea, tum poſt Sacrorum ſtigmatum impreſſionem Eum Sanctificavit, fulget & ex pretioſis, quæ ibi pio cultu aſſervantur, Sacræ antiquitatis monumentis.

Conſpicitur ibi Saxeus lectus, in quo Sanctus Pater nocturnum carpſit ſomnum. Extant inibi duæ anguſtæ, ex viminibus, & calce conſtructæ Cellæ, in quarum una D. Bonaventura, & in altera S. Antonius Patavinus habitâſſe dicuntur. Exhibetur ibi & pixis, ſeu calix, in quo D. Bonaventura ad S. Aras Sanguinem Chriſti conſecravit. Imago Chriſti Crucifixi, quæ in Oratorio prædicto plurimis miraculis coruſcat, & imago Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ magnam Eccleſiæ Aram decorat, ſunt illæ ipſæ, quas è Caſtro Montis Caſalis, tunc diruto, Sanctum Patrem illuc tranſtuliſſe, fundata docet traditio. Viſuntur ibi & Capita duorum latronum, quos cœdibus inhiantes S. Pater ad pœnitentis, & ſanctitatis famâglorioſæ vitæ frugem perduxit. Fuit & hic Sacra probationis Arena, in qua S. Pater duorum Juvenum tentavit obedientiam, dum braſſicam inverſa radice ſeu ſtipite terræ inſerere præcepit. De quo utroque memoria digno Facto Chronica Ordinis cœteras referunt circumſtantias.

Mediato Vivæ vocis Oraculo.

Facta ex ſuaſu Fr. Bernardini à Collepetraceo erectio Montis *de Abundantia* nuncupati, in loco ejuſdem Colliſpetracei, & Turris Tuderti; ejus Capitula, & P. Guardiani Montis Scoppii ad nominationem Camerarii, Priorum &c. concurſus confirmantur.

HENRICUS MISERATIOME DIVINA

Tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis Caetanus S. R. E. Camerarius.

Dilectis Nobis in Chriſto Univerſitatibus, & Hominibus Caſtrorum Colpetrazzi & Turris Comitatûs Tuderti Salutem in Domino ſempiternam.

VEſtra erga Nos, Sedem, & Cameram Apoſtolicas fides, & devotio meritò Nos inducunt, ut petitionibus veſtris, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuamus. Exponi ſiquidem feciſtis nuper Nobis in Camera Apoſtolica Vos pro annona, & ſubventione dictorum Caſtrorum, piis ſuaſionibus Ven. Fratris Bernardini Ord. Capucinorum unum Montem, Abundantiæ nuncupatum, erexiſse, & pro illius felici regimine nonnullas ordinationes, & Capitula condidiſse, quorum Capitulorum tenor eſt, ut ſequitur, videlicet:

In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Reginæ Cæli Mariæ, ſemper Virginis, S. Patris Franciſci, & S. Joſephi Advocati Colliſpetracei.

Cum annis elapſis Civitates Colliſpetracei, & Turris Caſtri Tuderti ex ſuaſu, & exhortatione Patris Fr. Bernardini Capucini, nativi de Collepetraceo Montem frumenti pro Abundantia, & omni Indigenarum neceſſitate, ex ſuis propriis erexerint, dictæ Comunitates per Concilium Generale in Eccleſia Colliſpetracei ad hunc effectum congregatum, prout & ad omnia fuit rogatus D. Gallianus Scarlattinus ab Aquaſparta, de novo, & juramento confirmârunt infraſcripta Capitula in perpetuum obſervanda, & inter ſe ſtatuerunt, ut dictus Mons ſemper Mons Abundantiæ nuncupetur, erectus in finem, ut omnibus dictorum Caſtorum incolis provideatur, & ſuccurratur, & ut ſemper duret, & ſub præfatarum Communitatum dominio augeatur.

Ordinatur, ut quolibet triennio, primâ Dominicâ Septemb. ſex homines congregentur, & terminato ipſorum officio, ſex aliorum nomina per manus pueri è pixide extrahantur, qui per tres annos, quibus illorum officium durabit, in dicti Montis negotio memoratas duas Civitates repræſentent, habeantque plenam auctoritatem circa res Montis ea agendi, quæ ipſæ duæ agerent Civitates, prout per publicum, & Generale Concilium fuit deciſum, & per rogitum dicti Notarii ſcriptum.

Munus præfatorum ſex hominum, quatuor ſc. de Collepetraceo, & duorum de Turre, erit, ut quolibet anno primâ Dominicâ Septembris congregentur, poſtquam prius P. Guardiano Capucinorum S. Petri Montis Scoppii Aquam ſpartam interet Portariam, quatenus cum iis ad Eccleſiam S. Bernardini dicto die conveniat, inſtiterint. Et Miſsâ terminatâ legant. dicta Capitula, & computa Camerarii, & Priorum adminiſtrationis dicti fru-

frumenti revideant, eorumque arbitrio relictum ſit faciendi, & providendi de tanto frumento, quantum neceſſitas Montis exiget.

Poſt hæc cum prædicto P. Guardiano duos Priores, unum de Collepetraceo, & alium de Turre, & etiam Camerarium eligant, qui Camerarius per 3. annos continuos eligatur ſemper unus ex populo Colliſpetracei, ideſt unus pro anno: & tribus annis completis eligatur pro anno uno, unus ex hominibus Turris, cum Colliſpetracei ſit major populi numerus. Subinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut pro eorumdem præinſertorum Capitulorum firmiori ſubſiſtentia, robur Cameræ Apoſtolicæ adiicere dignaremur.

Nos itaque veſtris hujuſmodi, utpote juſtis ſupplicationibus inclinati, de Mandato Sanctiſſimi D. N. Papæ, vivæ vocis oraculo, ſuper hoc Nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatûs Officii, eadem præinſerta Capitula, & ordinationes, omniaque & ſingula, in eis contenta, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque plenariæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, illaque valida, & efficacia fore & eſſe, ac ſuos integros, & plenarios effectus ſortiri, nec non ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari volumus, & mandamus.

Quocirca R. Domino, Provinciæ Umbriæ Vice-Legato, nec non dictæ Civitatis Tuderti Gubernatori, ſeu Locum-tenenti, illiuſque Præfectis, Prioribus, ac aliis omnibus ad quos ſpectat, per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, vel unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis præinſerta Capitula, & contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte veſtra fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Vos, & quemblibet veſtrûm præmiſſis omnibus & ſingulis juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere, non permittentes, Vos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel impediri: Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die ultima Menſis Octobris MDXLII. Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia PP. octavi Anno primo.

Ex lib. Originali Conventûs Montis Scoppii.

N O T A.

IPſum vitæ principium in Bernardino præmemorato fuit mirabilium, quæ Deus in illo operari decreverat, fatidicus prologus, nam ſigno ſtolæ in Crucis modum tranſversæ, ex Matris comparuit utero. Capto quoque in Ephebis ingenii cultu, Scholam Crucis, & Religionis apud Patres de Obſervantia eſt ingreſſus: crebreſcente autem noſtræ Reformationis famâ, ad noſtrates, rigidioris vitæ ſtudio migravit. In nova palæſtra, granum corporis ſui mirâ calcavis auſteritate, & animum econtra omnigenæ virtutis flore adornavit. Latebras quidem quæſivit, latere tamen, qui in omnium fulſit oculis, haud potuit, curam enim Tyronum, ſeu Novitiorum, Domuum, & ipſius Provinciæ aſſumere debuit. Acherontici hoſtis præſtigias, quibus Clericum, ementitâ Chriſti Domini formâ, ad lapſum ſæpius tentavit, detexit. Præter Montem pietatis, ex illius conſilio erectum, patrium populum Opere, & Sermone multifariam adjuvit: Sylveſtro Aſſiſiati, Ordinis Generalatum, Cardinali Nicolao Sfondrato, poſtea Gregorio XIII. ſummum Eccleſiæ Sacerdotium, & diem ſuæ prædixit mortis, quam in loco Portariæ, ſeu Aquæ ſpartæ cum Regii Vatis verbis: *quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me &c.* oppetiit.

Dux Aquæ ſpartæ, qui merita Bernardini pio ſemper cultu æſtimaverat, Corpus ejus Sarcophago incluſum in ſua Montis Scoppii Eccleſia humari, ad replicatas obtinuit inſtantias. Fatetur & P. Zacharias Boverius, qui ejus vitam tom. 2. fol. mihi 530. prolixè deſcribit, à ſe plura acta, ex Hiſtoria Congregationis noſtræ, à P. Bernardino conſcriptâ, fuiſſe excerpta. Meminit & illius P. Dionyſius Genuens in Bibliot. Script. Ord. fol. mihi 82. & 83.

Capel-

Capellam B. Angeli cum Domibus, & terris contiguis Fratribus Terræ Gualdi pro annuo Canone Candelæ, valoris unius bononeni, alienari concedit.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem votis illis gratum præſtare aſſenſum, per quæ Eccleſia debitis frequentetur honoribus, &, ut faciliùs ſubſequi poſſit, ea, quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, cum à Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire.

Exponi ſanè Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Angelus de Fulgineo, Guardianus, & Juſtinus de Peruſio, Fratres Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupat. qualiter Dilectus Filius noſter Joannes Antonius Tit. Beatæ Mariæ, & omnium Angelorum in Thermis Diocletianis Presbyter Cardin. S. Georgii nuncupatus, attendens, Dilectos Filios, Communitatem Terræ Gualdi Nucerin. Dioec. ad laudem Omnipotentis Dei, emiſſe agrum à Dilecto Filio Thoma de Nobilibus de Salina Regia, ſitum in Territorio dictæ Terræ, juxta ſuos confines, ad uſum Religionis dicti Ordinis, & in eo Eremitorium, & Conventum dictæ Religionis conſtruxiſſe, & ad locum hujuſmodi aditum, iter, & viam non patere, nec terras contiguas pro horto, & ſylvis plantandis, neceſſariis ad uſum Fratrum hujuſmodi habere, niſi Capella Beati Angeli, quæ ſub juriſdictione Monaſterii S. Benedicti ejuſdem Terræ, quod idem Joannes Antonius Cardinalis ex conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica obtinet, exiſtit, ad perpetuum illorum uſum concedatur, certâ dilectione & charitate motus, plenum, & integrum uſum dictæ Capellæ Angelo, & Juſtino prædictis, cum domibus ruinoſis, vineâ incultâ, terris arenoſis, ſterilibus, ſodivis, & buſcatis, menſuræ Mediolorum noveni, ſtadiorum ſex, Stabulorum ſeptem, & pedum quinquaginta ſex in dicto Territorio juxta ſuos confines hactenus concedi ſolitis &c. pro annuo Canone unius candelæ, valoris unius bononeni ad habendum, tenendum, & utendum perpetuis futuris temporibus, & quidquid dicto Guardiano, & Fratribus, eorumque ſucceſſoribus in eo, quoad uſum tantùm placuerit, perpetuò faciendum, ac aliàs ſub certis modo, & forma conceſſit, pacto tamen adjecto, & cauſa præcedente, quod dictus Angelus, & Juſtinus eidem Joanni Antonio Cardinali promiſerunt pro eo, & Succeſſoribus prædictis tenere, & conſervare proprietatem, & dominium dictæ Capellæ, domoſque ruinoſas demoliri, & ex ea materia Capellam B. Angeli prædictam ampliare, & in majorem formam reducere de eleemoſynis, ac Eccleſiæ noviter conſtructæ nomen S. Angeli imponere, in Capellaque antiqua officia celebrare divina, & in ea ſæpiùs, quam conſueverunt, Miſſas, & divina officia celebrare, aliaque facere, prout in Inſtrumento deſuper confecto pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, firmiora ſint ea, quibus Sedis Apoſtolicæ intercedit auctoritas, & propterea Angelus, & Juſtinus prædicti cupientes præmiſſa omnia etiam Apoſtolico munimine roborari, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos, qui honeſtis Fidelium quorumcumque votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, eoſdem Angelum, & Juſtinum, eorumque quemlibet, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; necnon dicti inſtrumenti, ac aliarum ſcripturarum deſuper forſan confectarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Inſtrumentum prædictum, ac omnia, & ſingula in illo contenta, & inde ſequuta quæcumque, licita tamen, & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem ſupplemus, illaque omnia ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter obſervari debere, ſicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, judicari debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Fulginaten. & Aſſiſien. Epiſcopis, ſive eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ac Dilecto Filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quantùm opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Angeli, & Juſtini fue-

fuerint requiſiti, ſolemniter publicari, eiſque in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos, & eorum quemlibet præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos per quoſcumque indebitè moleſtari: Contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, nec non legitimis, ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, & iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis; non obſtantibus fel. record. Bonifacii VIII. Prædeceſſoris noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Satutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerti forent, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIIII. Novembris MDLXIIII. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Intus plicam. Jo. Alf. Naldus.

Extra plicam. Jo: de Leoni.

Breve formatum in Arch. Conventûs prædicti.

N O T A.

Et lege Inſtrumentum in ſuperiore Brevi Apoſtolico citatum, & ſub tenore, qui ſequitur, formatum.

IN Dei Nomine. Amen. Anno Domini 1569. Indictione XII. Pontificatus Summi Patris, & D. N. D. Pii Divina Providentia Papæ Quinti, anno quarto, die verò trigeſima menſis Maji.

Cum ad introducendam in ejus Territorium Religionem S. Franciſci nuncupatam Capucinorum Communitas Terræ Gualdi, ad laudem Omnipotentis Dei emerit agrum à Thoma de Nobilibus de Salina Regia, ſitum in Territorio dictæ Terræ Parochiæ S. Benedicti, & vocabulo S. Angeli, juxta bona Capellæ B. Angeli ab Oriente, Ponente, & Meridie, & in eo Eremitorium, & Conventum cum Eccleſia conſtruxerit, & nonnulla alia bona ſtabilia contigua versùs Septentrionem emerit, ad uſum Religionis præmiſſæ, & ad locum, & Eccleſiam conſtructam aditus, iter, via, & acceſſus non pateat, nec terras contiguas pro Horto, & ſylvis plantandis habeat, neceſſarias ad uſum vitæ Fratrum in eo habitantium, niſi Capella præmiſſa B. Angeli cum pertinentiis ſuis ad perpetuum uſum concedatur. Idcirco Reverendiſs. & Illuſtriſs. D. Joannes Antonius Sorbellonus, Miſeratione Divina Tituli B. Mariæ, & Omnium Angelorum in Thermis Diocletianis S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Georgii nuncupatus, Abbatiæ, ſive Monaſterii S. Benedicti de eadem Terra perpetuus Adminiſtrator, ad honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, Religionis S. Franciſci exaltationem, & augmentum, ſpiritualem ædificationem, animarumque Populi ſalutem attendendo, ac exemplari vita, morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis, quibus Congregatio præmiſſa Capucinorum dignoſcitur inſignita, ac precibus dictæ Communitatis, non vi, dolo, metu, fraude, aut aliqua machinatione ſeductus, quin imò ex libero, & ſpontaneo ſuæ voluntatis arbitrio, maturâ deliberatione ſuper hoc præhabita, certa dilectione, & charitate motus, per ſe, & ſucceſſores ſuos in dicta Abbatia dedit, ceſſit, conceſſit, & tranſtulit purè, ſimpliciter, & liberè, omnibus melioribus modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus meliùs, validiùs, & efficaciùs potuit, Reverendis Fratri Angelo de Fulgineo Guardiano ad præſens, & Fratri Juſtino de Perusio, Fratri dicti Conventûs noviter conſtructi, præſentibus, conſentientibus, acceptantibus &c. plenum, & liberum, ac integrum uſum Capellæ præmiſſæ B. Angeli, cum Domibus ruinoſis, Vineâ incultâ, terris arenoſis, ſterilibus, proclivibus, ſodivis, & buſcatis, ad menſuram Mediolorum novem, ſtadiorum ſex, Tabularum ſeptem, & pedum quinquaginta, ſitis in dicto Territorio, Parochia, & Vocabulo juxta bona empta à Thoma prædicto, pro loco conſtructo præmiſſo, bona Pilli, Angeli Joannellæ, bona Hæredum Antonii Saraceni, bona olim Jacobi de Moronibus, & nunc ad uſum Capucinorum, bona Communitatis Gualdi, vias publicas, & alia latera hactenus ſolita conſerri, pro annuo cenſu unius Candelæ valoris unius bononeni, ad habendum, tenendum, & utendum perpetuis futuris temporibus, & quidquid dicto Guardiano, Confratribus, & ſucceſſoribus in eo, quoad uſum tantùm placuerit, perpetuò faciendum, cum omnibus, & ſingulis, quæ habent in ſe &c. conſtituens ſe tenere, & poſſidere pro dictis Confratribus &c. donec acceperint poſſeſſionem corporalem &c. quam accipiendi &c. reſervato tamen dominio, & etiam uſu dictorum locorum prædicto Reverendiſs. & Illuſtriſſimo Adminiſtratori, & Succeſſoribus in dicta Abbatia. Et hoc ideo dictus Reverendiſſ. & Illuſtriſs. D. Cardinalis perpetuus Adminiſtra-

tor dictæ Abbatiæ fecit, quia ſic bene, ac cauſis præmiſſis ſibi placuit, ac etiam, quia prædicti Guardianus, & Fr. Juſtinus pro ſe ipſis, & ſucceſſoribus in eo promiſerunt, eidem Reverendiſs. & Illuſtriſs. D. perpetuo Adminiſtratori præſenti, ſtipulanti, &c. proprietatem, & dominium dictæ Capellæ B. Angeli, & bonorum prædicto perpetuo Adminiſtratori, & Succeſſoribus in dicta Abbatia tenere, & conſervare, & Domos ruinoſas demolire, & ex ea materia Capellam B. Angeli prædicti ampliare, & in majorem formam reducere dictis eleemoſynis, ac Eccleſiæ noviter conſtructæ præmiſſæ nomen S. Angeli imponere, Capellamque præmiſſam antiquam officiare, ac in ea ſæpius, quam conſueverunt, Miſſas, & divina officia celebrare, ut devotio fidelium magis augeatur, boniſque, ut ſupra, conceſſis arbitrio boni Viri uti, videlicet pro aditu, via, itinere, & acceſſu, vinea; & reliquis terris pro Horto, & ſylvis denuò plantandis, & buſcatis ſublevandis, arboreſque virides radicitùs non, ſed inutiles, & aridas, & ramos pro eorum quotidiano uſu cædere, & ea bona conſervare, & manutenere, prout, & ſicut bono Vſuario competit, reſervatis Dominio, & etiam uſu ipſi perpetuo Adminiſtratori, & ſucceſſoribus, ut ſupra: & ſuper omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis, auctoritas, conſenſus, & licentia Sedis Apoſtolicæ reſervata ſit, & pro reſervata haberi voluerunt.

Quæ omnia, & ſingula dictæ Partes perpetuò attendere promiſerunt &c. obligaverunt &c. renuntiaverunt &c. Juravit prædictus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus in pectore more Prælatorum, & prædicti Guardianus, & Fr. Juſtinus promiſerunt (ex quò dixerunt ſe non habere licentiam jurandi) prædicta omnia attendere, & rogaverunt me Notarium &c. dederuntque mihi licentiam extendendi &c.

Actum Gualdi in ædibus ſupradictæ Abbatiæ, ſitæ in Quarterio Portæ S. Facundini, juxta vias publicas &c. præſentibus &c.

Originale in Arch. Conventûs.

Sorori ſuæ, ſecundùm carnem Germanæ, Monaſterium Monialium in Civitate Peruſina ædificandi facultatem tribuit, hocque à juriſdictione Ordinarii exemptum, Fratrum noſtrorum curæ, quoad ſpiritualia ſubjicit, gubernio temporali Confraternitati, de Juſtitia nuncupatæ, relicto.

A Tergo. *Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobili Mulieri Jacobæ de Monte, Domicellæ Peruſin.*

JULIUS PAPA III.

Dilecta in Chriſto Filia Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut accepimus, aliàs Tu, piâ devotione ductâ, deſiderans terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & unum Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ, in Civitate noſtra Peruſin. ad Dei laudem, & Religionis augmentum, de bonis, Tibi à Deo collatis, conſtrui, & fabricari facere, & locum aptum in eadem Civitate ad hoc laudabile opus perficiendum quærens; dilecti Filii Confratres Confraternitatis, de Juſtitia nuncupatæ, in Eccleſia, ſeu Oratorio SS. Andreæ, & Bernardini Peruſin. Canonicè inſtitutæ, ad quos regimen, & gubernium ipſius Eccleſiæ, ſeu Oratorii, & illius Bonorum legitimè ſpectabant, ſeu conceſſa erant, Eccleſiam, ſeu Oratorium hujuſmodi, ad dictum Monaſterium conſtruendum Tibi conceſſerint, Tuque in loco Eccleſiæ, ſeu Oratorii hujuſmodi, quam, ſeu quod, ad hunc finem demoliri feciſti, unum Monaſterium Monialium pro una Abbatiſſa, & Monialibus dicti Ordinis conſtrui facere inciperes, & illud perficere intendas, cupiaſque Monaſterium prædictum ex nunc prout ex tunc, & econtra, poſtquam conſtructum fuerit, ac illius Abbatiſſam, & Moniales pro tempore exiſtentes pro illorum felici directione curæ Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum in ſpiritualibus, in temporalibus verò gubernio, ſeu curæ pro tempore exiſten. Prioris, & Fratrum dictæ Confraternitatis ſupponi, & ſubmitti. Nos igitur, qui Regularium locorum, & præſertim Monaſteriorum Monialium propagationem, & divini cultûs augmentum, necnon Animarum ſalutem noſtris potiſſimùm temporibus, ſinceris exoptamus affectibus, Te, quæ ſecundùm carnem Soror noſtra Germana exiſtis, in hoc laudabili propoſito confovere, ac animæ tuæ quieti in præmiſſis opportunè conſulere volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibuſvis quomodolibet innodata exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, motu proprio noſtro, non ad tuam, vel alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ſcientia noſtris, conceſſionem, demolitionem, ac ſingula per te incepta, & fieri cepta, ac præpoſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, Tibique in Eccleſia, ſeu Oratorio hujuſmodi unum Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ

ctæ Claræ in clauſtro, cellis, campanellis, & ædificiis neceſſariis pro una Abbatiſſa, & Monialibus ejuſdem Ordinis inibi introducendis, conſtrui, & ædificari faciendi &, ſi Tibi videbitur, à primæva illius erectione Abbatiſſam, & Moniales per Te, ſeu Fratres Ordinis Minorum Capucinorum in dicta Civitate commorantes, eligendas, ac introducendas inibi recipiendi, plenam, ac liberam auctoritatem, & tenore præſentium, concedimus facultatem, ac locum Eccleſiæ, ſeu Oratorii hujuſmodi, & circum circa, prout deſignatus eſt, & ad dictam Confraternitatem ſpectabat, eidem Monaſterio erigendo perpetuò applicamus; ipſumque Monaſterium, & pro tempore exiſtentes illius Abbatiſſam, & Moniales, quoad omnia, & ſingula, ſpiritualitatem concernentia, curæ, gubernio, viſitationi, correctioni eorundem Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum prædictorum, pro tempore in Civitate prædicta, ſeu Diœceſi Peruſin. degentium, qui ſtatuta, & ordinationes circa hujuſmodi ſpiritualitatem, & gubernium ſpirituale facere, condere, & ordinare, ac alia immutare, corrigere, variare, & addere poſſint, & valeant, prout eis meliùs videbitur, & placebit, quæ ex nunc, prout ex tunc, & econtra, cum facta fuerint, dicta auctoritate, approbata eſſe cenſeantur, Quò verò ad temporalia, & bona, ac gubernium temporale ipſius Monaſterii concernentia dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſten. Prioribus, & Confratribus dictæ Confraternitatis, reſpectivè ſupponimus, & ſubmittimus, mandantes in virtute S. Obedientiæ eiſdem Fratribus, & Superioribus illorum, quatenus hoc onus, & curam hujuſmodi ſpiritualem ſuſcipiant, in ſeque ſuſcipere debeant, ipſiſque Abbatiſſæ, & Monialibus, poſtquam in dicto Monaſterio introductæ fuerint, ut omnibus, & ſingulis indulgentiis, Privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria de jure, privilegio, conceſſione, & indulto, ac aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, concedimus, & indulgemus: nec non dictum Monaſterium, illiuſque Abbatiſſam, & Moniales pro tempore exiſten. hujuſmodi, ab omni ſuperioritate, viſitatione, correctione, juriſdictione, & punitione, & quavis ſuperioritate modernorum, & pro tempore exiſten. Epiſcopi, & Legatorum Peruſin. & illorum Officialium quorumcumque penitus, & omnino eximimus, & totaliter liberamus, liberumque, & liberas facimus, ac fore, & eſſe, & ita per quoſcunque Judices, quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die XV. Decembris MDLIII. Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

Breve format. in Arch. Conventûs Monialium.

N O T A.

Redundat in gloriam hujus Partenonis non modicam, quod ex illo Moniales ad inſtituenda alia Capucinarum Monaſteria fuerint ſelectæ. Habuit hanc ſortem primò Monaſterium Recinetenſe, cuius Inſtitutrices Moniales Peruſinas fuiſſe, ſequens Sacræ Congregationis Epiſc., & Regul, comprobat epiſtola, Epiſcopo Peruſino inſcripta, & in latinum traducta.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine uti Frater. Cum in Civitate Recinetenſi Monaſterium Capucinarum ſit erectum, duas Moniales Monaſterii Peruſini ejuſdem Ordinis illuc ablegari ſancitum eſt, quatenus novam illam Plantam, in exacta Regulæ obſervantia Moniales inſtruendo, regant & gubernent, uſque dum inter has Perſonæ, ad Officia principaliora habiles reperiantur. Sataget proin Amplit. Tua duas capaces, & conſentientes eligere Moniales, & de modo, & tempore earum translationis cum Epiſcopo Recinetenſi convenire. Advertatur autem, ut illarum diſceſſus tempeſtivè, & ſub honeſta Societate Parentum, aut in horum defectu, Perſonarum piarum ſequatur, & non ad Hoſpitia, ſed ad ædes, ante iter deſignandas divertant. Ita &c. Romæ 2. Martii 1594.

Ex Reg. Secret. S. Cong. anni, & menſ. præd. fol. 57.

Debet & eidem Peruſino Monaſterio Regularis ſuæ vitæ rudimenta celebre S. Praxedis Cœnobium Mediolani, à S. Carolo Borromæo inſtitutum, ad quod informandum 4. Moniales vigore ſequentis Apoſtolici Brevis ablegatæ fuêre.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

AD inſtituendam in Monaſteriis Monialium, nunc primùm ad Omnipotentis Dei laudem erectis, regularem diſciplinam apprime intenti, perſonas illis præficere ſtudemus idoneas; unde, cum acceperimus in Civitate Mediolanenſi à Dilecto Filio noſtro Carolo, tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali, ejuſdem Civitatis ex diſpenſatione Apoſtolica Præſule, Monaſterium Monialium Ordinis primæ Regulæ S. Claræ Capucinarum nuncupatarum inſtitutum fuiſſe, & ad illud feliciter regendum, & informandum regularibus inſtitutis Perſonas ætate provectas, vitæ ac morum ſanctitate præditas neceſſariò introducendas eſſe, Dilectis in Chriſto Filiabus quatuor Monialibus Monaſterii Capucinarum Civitatis Noſtræ Peruſii, quas Ordinarius uti idoneas ad hoc elegit, licentiam damus, ut ejuſdem Ordinarii conſenſu, de eodem Monaſterio Capucinarum, in quo nunc degunt, ac profeſſæ ſunt, ad dictum Monaſterium Mediolanen. aliquibus propinquioribus earumdem, vel aliis honeſtis perſonis, ab eodem Ordinario deputandis, ad concomitandum eas in itinere aſſumptis, quamprimum ſe transferre poſſint, eleemoſinis nihilominus Monaſterio, in quo profeſſæ ſunt, tempore illarum profeſſionis elargitis, remanentibus, ac, poſtquam illæ ſic translatæ fuerint, ut petitur, in ſuperiores ſeu Officiales dicti novi Monaſterii juxta providam diſpoſitionem prædicti Caroli Cardinalis, & Archiepiſcopi deputari permittimus, ac quò honeſtius eædem Moniales in itinere ex Civitate Peruſina ad Civitatem Mediolanen. hoſpitio excipiantur, univerſis & ſingulis Abbatiſſis, & Monialibus Monaſteriorum Civitatum, Terrarum, & locorum ejuſdem, & eo deficiente, alterius cujuſvis Ordinis ab ipſis aſſociantibus eligendorum, per quæ eaſdem Moniales iter facere, ac hoſpitari contigerit, in virtute ſanctæ Obedientiæ per præſentes mandamus, quatenus viſis præſentibus, nulloque alio ab earum Superioribus, vel à Nobis expectato mandato, vel licentia, aut conſenſu eaſdem quatuor Moniales intra ſepta, & clauſtra Monaſteriorum earumdem benigno hoſpitio excipiant, ſinceraque in Domino charitate tractent. Injungentes ejuſdem Monaſterii Mediolanen. Monialibus, tum ſingulis, tum in univerſum, & aliis ſubditis, & perſonis quibuſcumque. ut eiſdem, poſtquam in Officiales fuerint electæ, in his, quæ officium earum concernunt, ac animarum ſalutem, regulariſque diſciplinæ obſervandæ rationem reſpiciunt, promptè, ac humiliter pareant & obediant, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, eiſdem Monaſteriis, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, in contrarium forſan quomodolibet conceſſis approbatis & innovatis. Quibus omnibus, eorumque tenores, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1578. Pontificatus Noſtro Anno ſeptimo.

Inductâ poſtea regulari diſciplinâ, duabus Monialibus Peruſium reverſuris, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi nonnullas Sacras Reliquias conſignari, Sixtus Papa V. ſequentibus literis ratihabuit.

A tergo. *Dilectis in Chriſto Filiabus Euphroſinæ, & Chriſtinæ de Vghis Monialibus Monaſterii Capucinarum nuncupat. Peruſin. Ordinis S. Claræ.*

SIXTUS PAPA V.

Dilectæ in Chriſto Filiæ Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRO parte veſtra dilectus Filius Cæſar de Vghis, Frater Germanus veſter, Nobis expoſuit, quod Vobis ad Monaſterium veſtrum Peruſin., ex quo ad Monaſterium Sanctæ Praxedis, pariter Capucinarum nuncupatarum in Civitate Mediolanen. à bonæ Memoriæ Carolo Cardinali Sanctæ Praxedis erectum, ut in eo regularem diſciplinam introduceretis, de Anno 1578. translatæ fuiſtis, de licentia noſtra reverti parantibus Venerabilis Frater Gaſpar Archiepiſcopus Mediolan. nonnullas Sanctorum Reliquias dono dare, ad prædictum veſtrum Monaſterium deferendas, obtulit, ſi noſtra ad id accedat licentia. Nos ſpirituali veſtræ conſolationi, & dicti Archiepiſcopi gratitudini favere cupientes, veſtris ſupplicationibus inclinati, dicto Archiepiſcopo Reliquias prædictas vobis dandi, & vobis illas accipiendi, ac ad Monaſterium veſtrum Peruſin. in ejus Eccleſia collocandas, & reverenter aſſervandas deferendi, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus, Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 19. Julii 1586. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Thomas Gualterutius.

Breve formatum in Arch. Conventus Monial. Peruſii.

Ita floruit in hoc Peruſino Monaſterio Spiritus Paupertatis, ut, quantumque numerus Monialium ad 36. ſe extenderet, Dotes tamen à Puellis, non reciperentur, quod & S. Congregatio Epiſc. & Reg. approbavit, literis ad Epiſcopum inibi datis, ut ſequitur.

Illuſtris, & A. R. Domine uti Frater.

QVandoquidem Amplit. Tua illarum Monialium Capucinarum morem circa Dotes, à Puellis Monachandis non recipiendas approbat, ac de præterito illas, ſe cum ſolis eleemoſinis per Sorores, quæ exeunt, quæſitis manutenuiſſe ſignificat, viſum eſt Sacræ Congregationi ita continuari & deinceps obſervari poſſe,

ita

ita tamen, ut & numerus præfigatur, & habitantes intra Monaſterium numerum 36. nunquam excedant, & aliæ, quæ foris ſunt, plures, quam octo non ſint, prout impræſentiarum ſunt, cum ſupernumerarias ratione duplicatæ Dotis, jam ceſſante, in hoc Monaſterio teneri non conveniat. Ita executioni dari Amplit. Tua diſponet, vigore præſentium, & Decreti ſui particularis numerum determinando. Romæ. 25. Octob. 1602.

Ex Reg. Secret. S. Cong. menſ. & anni præd. fol. 69. à tergo.

Non obſtante, quod Fratres jam in fundationis limine à curâ ſpirituali, in Apoſtolico Brevi expreſsâ, ſeſe exemerint, conceſſi tamen fuerant dictis Monialibus aliquando Confeſſarii Extraordinarii ex Ordine: cum autem Fratres & curam hanc à tempore reliquerint, Decreta deſuper edita hîc apponi, ſupervacaneum cenſetur.

Invenientur tamen in Arch. Gen. Ord. Armario *Provincia S. P. Franciſci*, ſi caſus emergens illorum inſpectionem requirat.

Moniales Monaſterii de Bono Jeſu Eugubii, Profeſſionem ſuam in manibus Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris Ordinis, pro tempore exiſtentis, aut alterius, ab Eo ſpecialiter deputati, emittere indulget, eaſque, ac illarum bona hujus regimini, & ſuperioritati ſubjicit.

PIUS PAPA V.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRudentium Virginum, quæ ſpreto mortalis viri thoro, & mundanis abjectis illecebris Sponſo ſuo Jeſu Chriſto accenſis lampadibus obviam ire ſtudent, pia vota libenter amplectimur, & ea, quo pro earum pace, & quiete providè facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuò, & illibata perſiſtant, libenter, cum à Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, & aliàs deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod Vos antea in Monaſterio, de Bono Jeſu nuncupato, Eugubin. in unum congregatæ, in eodem Monaſterio, ſub debita clauſura, ac regulari obſervantia, Ordinis Sanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, S. Franciſci, ac ſub Habitu Fratrum Capucinorum, necnon ſuavi Religionis & contemplationis jugo, abſque tamen ulla profeſſionis Regularis emiſſione, â novem annis citra laudabiliter viventes, nuper, ſeu aliàs apud Nos, ſeu alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros procuraveritis, ut Curæ, regimini, viſitationi, & correctioni eorundem Fratrum ſubiiceremini, ac in eorum, ſeu illorum Generalis manibus Regularem profeſſionem, per illos Fratres emitti ſolitam, emittere poſſetis, id tamen inſolitum onus, ipſis Fratribus, illorumque Ordini, ex certis rationabilibus cauſis, committere viſum non fuerit, idque onus ipſi Fratres ſuſcipere recuſaverint, neque dilecti Filii Univerſitas Civitatis Eugub., Vos regimini alterius Religionis, quàm dictorum Capucinorum ſubjici voluerint, neque minùs volueritis, & poſtquam curæ, & regimini eorundem Fratrum, qui hujuſmodi onus tanquam iis inſolitum, ut aſſeritis, abhorrent, ſubjici non poteratis, tandem Vos curæ, & regimini moderni, & pro tempore exiſtentis Protectoris eorundem Fratrum ſubjici, & in illius manibus profeſſionem regularem, per ipſos Fratres emitti ſolitam, emittere ſummopere exoptantes, regularem profeſſionem hujuſmodi, in manibus Venerabilis Fratris noſtri Mariani Epiſcopi Eugub., â dilecto Filio noſtro Julio tit. S. Petri ad vincula presbytero Cardinali, de Urbino nuncupato, moderno eorundem Fratrum Protectore, ad hoc ſpecialiter delegati ſponte emiſiſtis, Ipſeque Marianus Epiſcopus nomine, & vice dicti Julii Cardinalis Vos ad profeſſionem hujuſmodi admiſit, Voſque velavit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Vos curæ, & regimini dicti Julii Cardinalis, pro tempore exiſtentis Ordinis eorundem Fratrum Protectoris perpetuò ſubjici, ac ſub regulari Habitu, & profeſſione hujuſmodi Altiſſimo perpetuò famulari cupiatis, ſupplicari Nobis feciſtis humiliter, quatenus emiſſionem Profeſſionis per Vos factam, ut præfertur, Apoſtolicâ Auctoritate confirmare, & approbare, Vobiſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Vos in hujuſmodi laudabili propoſito confovere, ac Vobis ſpecialem gratiam facere volentes, Voſque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtitis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, emiſſionem Profeſſionis per Vos factam, ut præfertur, omniaque, & ſingula præmiſſa, Apoſtolica Auctoritate præfata, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere, omneſque, & ſingulas Moniales, decætero in dicto Monaſterio recipiendas, in alterius quàm ipſius Julii

Julii

lii Cardinalis, ac pro tempore exiſtentis Ordinis Fratrum Capucinorum hujuſmodi Protectoris, ſeu ab eo ad id ſpecialiter deputati manibus, profeſſionem hujuſmodi emittere, aut Habitum ſuſcipere, minimè teneri, neque ad id cogi, aut compelli poſſe, auctoritate, & tenore præſentium dictis decernimus, & declaramus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in præmiſſis ſupplemus, & nihilominus dictum Monaſterium, illiuſque res, & bona quæcunque, necnon Vos, & pro tempore exiſtentes Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii, curæ, regimini, viſitationi correctioni, ſuperioritati, dominio, & poteſtati dicti Julii Cardinalis, ac pro tempore exiſtentis Ordinis Capucinorum hujuſmodi Protectoris, eiſdem auctoritate, & tenore ſubjicimus, Eumque etiam Monaſterii, & Conventûs hujuſmodi Superiorem conſtituimus, & deputamus, ſibique dictum Monaſterium, ac illius Conventum hujuſmodi viſitandi, & corrigendi, omniaque, & ſingula alia, quæ ad ſuperioris officium quomodolibet pertinent, faciendi, & exercendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus, Decernentes præſentes de ſurreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, & impugnari, aut revocari non poſſe, ſed perpetuò validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, ac ſub quibuſvis revocationibus, & ſuſpenſionibus, etiam motu proprio, pro tempore factis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & cenſeri, ac quoties ſub eis comprehendi videretur, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas exiſtere, ſicque per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, ac etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & interpretari debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Eugub., & Peruſin. Epiſcopis, ſive eorum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, & dilecto Filio, curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, ac pro tempore exiſtentis Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Conventûs dicti Monaſterii deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, Vobiſq; in præmiſſis efficaciis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari: Ac ſingulos, quos ipſæ præſentes concernunt, illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes Vos deſuper per quoſcunque contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis, ſuper illis habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII., etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium, ad Judicium non trahatur, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus ac Monaſterii, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, Monaſterio, & Ordini Fratrum Capucinorum hujuſmodi, illorumque Superioribus, & perſonis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio conceſſis, & approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus, etſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus comuniter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede Indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas non facientes, plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die xxx. Junii MDCLXVIII. Pontificatus noſtri Anno tertio.

M. Angelus Sparta.

Breve form. in Arch. Conventûs Monialium prædictarum.

NO-

N O T A.

Celebre privilegium, quo Moniales Cardinali Protectori Ordinis privativè ſubjectæ erant, devênit ſucceſſu temporis in deſuetudinem, fueruntque illæ juriſdictioni Epiſcopi ſuppoſitæ, Epiſtolâ S. Congregationis Epiſ., & Reg. ſequente, & in Lat. relata.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine uti Frater.

CUM Sanctitas ſua perceperit, quod Monaſterium Capucinarum illius Civitatis, quas clar. memoriæ Cardinalis S. Severinæ peculiari protectione proſequi ſolebat, de facto ſine cura reperiantur, FF. Capucinis huic ſe immiſcere nolentibus, Eadem Sanctitas Sua Amplit. Tuæ ſcribi mandavit, quatenus hujuſmodi guberniam in ſe ſuſcipiat, quod, & virtute præſentium, & Ordine Sanctiſſimi expreſſo, ad Amplit. Tuam transfertur, ita, ut deinceps eas viſitare, corrigere, reformare, iis Confeſſarios aſſignare, Monaſterium æquè, ac Moniales, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, ea ipſa facultate, & auctoritate, quam circa alia ſuæ juriſdictioni ſubjecta Monaſteria habet, regere, & gubernare teneatur. Sit tamen tale gubernium conforme inſtituto illarum, æquè charitate, & dexteritate, quæ in hujuſmodi cura requiritur, tractentur, præſertim cum timoratas Dei ſervas eſſe, fama doceat. Ita exequi ſtudebit juxta mentem Sanctiſſimi &c. Romæ 9. Julii 1602.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater Cardinalis Florentiæ.

A tergo: *Illuſtriſſimo, & Adm. Rev. Domino uti Fratri Epiſcopo Eugubino.*

Gaudent nihilominus beneficio Confeſſarii extraordinarii ex Ordine, quem ipſis tribus vicibus annuatim concedi, Cardinalis Montaltus juxta ſequens documentum obtinuit.

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine.

REperitur in Civitate Eugubina Monialium Capucinarum Monaſterium, in quo Regularis obſervantia apprimè viget: Hæc ut validiùs conſervetur, Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ ſupplicatur, quatenus â Sanctiſſimo gratiam impetrare velit, ut Epiſcopus Fratres Capucinos, qui prædictarum Monialium Confeſſiones tribus, vel quatuor vicibus annuatim (prout & Monialibus Capucinis Peruſii conceſſum eſt) excipiant, deſtinet. Quam gratiam &c. *Lib. ſup. in lat. Rel.*

Sanctiſſimus Dominus noſter hodie, in Conſiſtorio habito, requirentibus Nobis ſupradictam gratiam conceſſit pro tribus vicibus ſingulo anno. dummodo tamen ad id RR. PP. Capucinorum conſenſus accedat. In quorum fidem &c. Datum in Cancellaria Apoſtolica die 9. Decembris 1623.

Alex. Cardinalis Montaltus.

Exempl. auth. in Arch. Generali Ordinis, & Monialium præd.

Inter reliqua, & varia Decreta, quæ de Secretariis Curiæ Romanæ fuère excerpta, & quorum exempla unita aſſervantur *in Archivo Generali Ord. Armario* PROVINCIA S. P. FRANCISCI, eſt peculiaris notæ dignum, quod ſequitur, & quo Moniales ſupradictæ â teſtamentario onere celebrandi Officium pro quond. Ubaldo Tamburrino liberantur &c.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

CUM Moniales Capucinæ Eugubii per teſtamentum quondam Ubaldi Tamburrini, hæredes totius ſuæ ſubſtantiæ ad valorem ſcut. 250. aſcendentis fuerint inſtitutæ, cum onere quotannis Officium pro ejus anima celebrari faciendi, cumque evenerit caſus ſubſtitutionis, & Oratrices ob votum paupertatis ex una parte non ſint capaces, & ex altera earum Monaſterium ſummis prematur neceſſitatibus, ſupplicant, quatenus Sacerdoti pro aſſumpto prædicto onere, competentem rei hæreditariæ portionem aſſignare, reſiduum vendere, & pecunias inde redactas, pro prædictis Monaſterii neceſſitatibus applicare valeant. Quam gratiam &c. *Lib. ſup. Card. por rectus.*

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentis narratis, ac audita relatione Epiſcopi Eugub. Sanctiſs. Domino noſtro annuente, committendum cenſuit, prout præſenti Decreto committit eidem Epiſcopo, ut conſtito ſibi, ſervatis ſervandis, de veritate expoſitorum, ac de aſſertis neceſſitatibus Monaſterii, prævià aſſignatione tot bonorum hæreditatis præfatæ, alicui Congregationi, vel Capitulo ſeu Conventui Regularium, prout ſibi melius viſum fuerit in Domino expedire faciendum, quot ad adjuncti oneris ſatisfactionem æquè ſufficere poſſint, reliqua vendendi, licentiam & facultatem pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat, ita tamen, ut præmiſsâ edictorum affixione ſeu publicatione Oblator utilior præferatur, & pretium inde reſiduum non niſi in prænarratas Monaſterii neceſſitates erogetur. Romæ 20. Mart. 1659.

Ex reg. Secret. Cong. & anni præd. fol. 120.

Alta-

Altare Majus in Fratrum Eccleſia Domûs Beatæ Mariæ de Pace Peruſii, in perpetuum privilegiat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna Charitate intenti, inter tam multa Pietatis officia, quæ Nos pro munere noſtro convenit exercere, ſacra interdum loca ſpeciali privilegio inſignimus, ut inde Fidelium Defunctorum ſaluti amplius conſulatur; quocirca, ut Eccleſia Domûs B. Mariæ de Pace, Peruſin. Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, ſimili uſque adhuc privilegio minimè decorata, ac in ea Altare Majus, hoc ſpeciali illuſtretur, auctoritate noſtra, Nobis à Domino tradita, concedimus, ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro Anima cujuſcunque Fidelis; quæ Deo in charitate conjuncta, de hac luce migraverit, ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Menſe Septembris Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. Datarius.

Bulla form. in Arch. Provinciæ.

Cæſar Glorierius.

Eccleſiam S. Martini Interamnæ cum Terris, & Horto adjacentibus, & ad Menſam Epiſcopalem ſpectantibus, pro conſtructione novæ Domûs ibidem Fratribus concedi ſignatur.

Licentia concedendi Eccleſiã cum Terris adjacentibus ad effectum cõſtruendi Domum Capucinorum.

INTERAMNENSIS.

Beatiſſime Pater.

CUM in Civitate Interamnen. illiuſque diſtrictu nulla Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Domus huc uſque inſtituta reperiatur; hincque fiat, ut ipſius Ordinis Fratres, dum ex una ad aliam Domum & Capitula Generalia dicti Ordinis, illac, qua plures ipſorum tranſire convenit, proficiſcuntur, ac redeunt, non habent s, in quo dicti Ordinis Loco recipi poſſint, ad Cauponas, & Hoſpitalia, in quibus multa turpia, & inhoneſta, ut plurimum committuntur, divertere, & ibi pernoctare cogantur, variaque etiam ſubeant incommoda, & propterea devoti S. V. Oratores Communitas, & Homines Civitatis reputantes indignum tantæ Religionis, ac Sanctitatis Viros ſimilia loca adire coactos eſſe, ac cupientes pro ſingulari devotionis affectu, quem erga illos, & illorum laudabile Inſtitutum gerunt, de aliquo in ipſa Civitate, vel extra eam convenienti loco eisdem provideri, tandem poſt factam per eos diligentem perquiſitionem quandam ſine cura Eccleſiam ſub invocatione Sancti Martini extra eamdem Civitatem, quæ Menſæ Epiſcopali Interamnen. unita perpetuò exiſtit, ſeu aliàs ad eam ſpectat, cum Horto, & Terris adjacentibus ad conſtruendam unam dicti Ordinis Domum, opportunam invenerunt, ſupplicatoque per eos devotæ Creaturæ veſtræ Hieronymo Epiſcopo Interamnen. ut eamdem Eccleſiam cum congrua portione Horti, & Terrarum, ac aliarum commoditatum adjacentium, ad effectum inibi conſtruendi dictam Domum, concedere vellet, illum ad hoc, dummodo ipſi æquivalentem, & convenientem dictæ Menſæ recompenſam aſſignarent, & à S. V. licentiam deſuper obtinerent, promptum invenerunt, ſupplicant humiliter S. V. tam Creatura, quàm Oratores præfati, quatenus in præmiſſis opportunè providere, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequendo præfatæ Creaturæ dictam Eccleſiam Sancti Martini cum congrua Horti portione, ac Terrarum, aliarumque commoditatum adjacentium, ad effectum Domûs præfatæ conſtruendæ, datâ, & aſſignatâ ſibi, & ſuæ Menſæ Epiſcopali præfatæ per eoſdem Oratores æquivalenti, ſeu aliàs idoneâ recompensâ, concedendi, & aſſignandi, aliaque etiam deſuper facien. & exequen. in præmiſſis neceſſaria, opportunam licentiam, & facultatem concedere, & impartiri dignemini de gratia ſpeciali, non obſtan. quatenus opus ſit, felicis recordationis Pauli Papæ II. S. V. Prædeceſſoris, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Interamnen. etiam juramento &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque cum clauſulis opportunis.

Fiat, ut petitur F.

Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum &c. & quod Eccleſia Sancti Martini, ac

ac Terrarum adjacentium, aliorumque præmiſſorum, & Judicum exequutorum quorumcumque veriores tenores habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis, & de licentia, conceſſione, aliiſque præmiſſis, ut ſupra, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum, etiam in-

Fiat, *F.* vocat. denominat. annex. qualiter nuncupat. aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit, in literis per Breve S. V. ſeu officium minoris gratiæ expedien.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum duodecimo Kalendas Januarii Anno Tertio.

Correctio. PATER SANCTE. Quia in diſtrictu Civitatis Interamnen. una quidem Domus Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, illa tamen ab itinere, quod ad Urbem tendit, nimium remota exiſtit, dictique Fratres in præfata Civitate ad Cauponas, & Hoſpitalia, prout in ſuperius præinſerta, errore expreſſum eſt, divertere: ſed inibi Domum, ut illac tranſeuntes hoſpitio excipi poſſint, tenere cogantur. Dignetur propterea S. V. literas ſuper dicta præinſerta conficiendas, ſublata expreſſione, quod in diſtrictu, nulla Domus dictorum Fratrum exiſtit, quodque iidem Fratres ad Cauponas, & Hoſpitalia divertere coguntur, in reliquis verò juxta ejuſdem præinſertæ continentiam, & tenorem expediri mandare: præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in ipſa præinſerta conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque in contrarium facien. nequaquam obſtan.

Orig. in Arch. gen. Ord. Armario Provincia S. P. Franciſci.

N O T A.

CUM Bulla, quæ circa Eccleſiam S. Martini Interamnæ cum Terris adjacentibus pro nova Domo ibi conſtruenda conceſſam, fuit expedita, adhibitâ quacumque diligentiâ inveniri non potuerit, in illius vices ſupplicationem, deſuper præſentatam, & ab ipſo Summo Pontifice ſubſcriptam, in illius vices ſubſtituere volui.

In hac vides ſchema, & formulam hujuſmodi Supplicationum, cauſamque, quod hæ ab ipſa Papæ manu ſignentur, exhibet tibi Iſagoges Tomi primi, fol. XVII.

Nota in hac formula lateralem Supplicationis ſynopſin incipientem: *Licentia concedendi Eccleſiam &c.* quæ olim ideo ſupplicationibus præponi ſolebat, ne Papa totam hujus ambagem legere teneretur, & econtra primo quaſi intuitu integram rei ſeriem penetraret.

Nota pariter verba: *Fiat ut petitur F.* Hæc propriâ Papæ manu ſunt exarata, ſignificatque adjuncta iis litera *F.* Nomen, quod Papa ſubſcribens, ceu Cardinalis gerebat: & recordando Sixtum V. ceu Religioſum, & Cardinalem vocatum fuiſſe Felicem, ſupradictam ſupplicationem ab ipſo quoque fuiſſe ſignatam conclude. Replicatur in alia laterali ſupplicationis parte *Fiat F.* ut materiam, quam afficit, expreſsè quoque confirmari, vel ampliari pateat.

Nota denique correctionem, calci ſupplicationis adjunctam, cum enim motivum ex nullo Interamnæ conſiſtente Capucinorum Conventu adductum, haud ſubſiſteret, debuit error, pro gratiæ valore corrigi. De hac Domo vide infra *fol.* 117.

Situm cum Eccleſia, Oratorio, ac aliis Officinis ad Confraternitatem S. Antonii Aſſiſii ſpectantem, Fratribus pro nova Domo ibi conſtruenda dari, & in hujus compenſationem dictæ Confraternitati Monaſterium, & Eccleſiam S. Catharinæ concedi, Ordinario Loci committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Aſſiſien. ſeu Dilecto Filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte Dilectorum Filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Noſtræ Aſſiſien. quod ipſi cupientes novum Monaſterium Fratrum Capucinorum veteri, quod nunc habent, commodius, & Civitati prædictæ propinquius, pro Civium ſpirituali conſolatione erigere, ſitum quemdam muris circumdatum cum Eccleſia, Oratorio, & aliis officinis ad Confraternitatem Sancti Antonii Aſſiſien. ſpectantem per dictam Confraternitatem, ipſis Fratribus concedi curârunt, & in compenſationem ipſi Confraternitati Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Aſſiſien. quamdam eorum Eccleſiam ſub invocatione Sanctæ Catharinæ, & dicti Communitas, & Homines Monaſterium dictæ Eccleſiæ Sanctæ Catharinæ contiguum, unde nonnullæ Moniales ibi degentes ad alia Civitatis prædictæ Monaſteria, auctoritate Apoſtolica translatæ fuerunt, ſub Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito conceſſerunt. Cum autem tam Communitas, & Homines, quàm etiam Dilectus Filius Procurator Generalis dicti Ordinis Capucinorum cupientes con-

conceſſionem hujuſmodi ſuum quamprimùm ſortiri effectum, Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut illis robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos, qui in his Apoſtolicæ auctoritatis firmitatem libenter apponimus, quæ ad Religionis augmentum tendere dignoſcuntur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut Te de præmiſſis diligenter informes, & ſi ea veritate niti, nullique his præjudicium provenire compereris, tam ſitûs prædictæ Confraternitatis cum Eccleſia, Oratorio, & aliis officinis in eo comprehenſis, prædictis Fratribus Capucinis, quàm Eccleſiæ Sanctæ Catharinæ, & Monaſterii prædictorum, dictæ Confraternitati reſpectivè factas conceſſiones, quarum tenores, necnon ſituationes, confines, qualitates, vocabula, & veros valores, ſitus Eccleſiæ, & Monaſterii prædictorum, aliaque neceſſaria pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolica Auctoritate confirmes, & approbes, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ confirmationis robur adjicias, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper intervenerint, ſuppleas, necnon Fratribus Capucinis, ut ſitum prædictum cum Eccleſia, Oratorio, & aliis Officinis prædictis recipere, & ibi eorum Conventum erigere valeant, eadem auctoritate concedas. Non obſtan. Bonifacii VIII. qua cavetur, ne Fratres Mendicantes novas Domos ad inhabitandum recipere valeant, ac Nicolai III. necnon Clementis V. Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xx. Martii MDXCV. Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſ. Mart. 1595. f. 152.

Literas ſuas, quibus locô Salmæ frumenti, Fratribus Civitatis Peruſinæ, â Theſeo Americo cum onere Miſſarum per teſtamentum prius relictæ, & poſtea Eccleſiæ S. Mariæ Villæ Piccioni applicatæ, in ſubſidium fabricæ Domûs Aſſiſienſis elemoſynam unâ tantum vice erogari, conceſſerat, non obſtantibus quibuſcunque confirmat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs à Nobis emanârunt literæ tenoris ſequentis videlicet. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Americus Laicus Peruſinus, quod aliàs quondam Theſeus ejus Frater germanus, in illius ultimo teſtamento, in quo dictum Franciſcum hæredem ſuum inſtituit, inter alia dicto Franciſco hæredi mandavit, ut quotannis unam ſalmam frumenti Fratribus Capucinis dictæ Civitatis, ut pro ſalute Animæ ipſius Teſtatoris Miſſas Defunctorum, quas dicunt Sancti Gregorii, celebrarent, pro eleemoſyna dare teneretur, ipſeque Franciſcus ſpatio ſex annorum præfatam ſalmam frumenti dictis Fratribus Capucinis, qui illam receperunt, & in fabricam eorum Monaſterii converterunt, conſignavit; poſtea verò, cum ab ipſis Fratribus, tamquam hujuſmodi legati incapacibus, ceſſante forſan neceſſitate dictæ fabricæ, eadem ſalma recuſaretur, ipſo Franciſco ſupplicante, loci Ordinarius ſalmam hujuſmodi frumenti Eccleſiæ S. Mariæ Villæ Piccioni Peruſin. Diœceſis, ut illius Rector Miſſas prædictas celebraret, applicavit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, modernus Rector præfatæ Eccleſiæ, quia domicilium prope dictam Eccleſiam non habet, Miſſas hujuſmodi celebrare non valeat, cumque in Civitate Aſſiſienſi, unum novum Monaſterium pro Fratribus Capucinis conſtruatur, cujus fabrica piorum Chriſtifidelium ope indiget, cupit dictus Franciſcus in ſubventionem dictæ fabricæ ſcuta quadraginta quinque unica vice loco dictæ annuæ ſalmæ frumenti erogare, cum hoc tamen, ut dicti Fratres loco Miſſarum præfatarum in eorum precibus pro Anima dicti Teſtatoris rogare teneantur, & ideo Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictæ fabricæ ſubventioni proſpicere cupientes, ac teſtamenti dicti Theſei, necnon applicationis dictæ ſalmæ frumenti, à prædicto Epiſcopo dictæ Eccleſiæ S. Mariæ, ut præfertur, factæ, tenores præſentibus, pro expreſſis habentes, ac eumdem Franciſcum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure,

vel

vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, applicationem, à prædicto Epiſcopo dictæ Eccleſiæ S. Mariæ factam, perpetuò revocantes, & annullantes, eidem Franciſco, ut unicâ ſolutione ſcuta quadraginta quinque prædictæ fabricæ Monaſterii Capucinorum Aſſiſienſi erogare valeat, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, & indulgemus, & facta ſolutione illum hujuſmodi ab onere dictæ ſalmæ annuæ frumenti perpetuò eximimus, & liberamus, ac Fratribus prædictis, ſeu dictæ fabricæ Deputatis, ut ſcuta quadraginta quinque prædicta recipere, & in prædictam fabricam convertere licitè poſſint, dummodo tamen loco Miſſarum prædictarum Deum pro Anima dicti Teſtatoris in ſuis precibus rogare teneantur, auctoritate & tenore prædictis, concedimus, & indulgemus; & ad hunc effectum dicti Teſtatoris voluntatem commutamus. Non obſtantibus voluntate prædicta, aliiſque præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVII. Martii MDXCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto. Cum autem, ſicut nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum dicti Conventûs Aſſiſienſis, Nobis expoſitum fuit, quia in prædictis literis expreſſum non fuit, Ordinarium Peruſinum, ad inſtantiam dilecti Filii de Americis, prædicti Theſei Teſtatoris germani fratris, & hæredis univerſalis, voluntatem dicti Teſtatoris, ut in præinſertis literis expreſſum eſt, commutando ſalmam frumenti ſupradictam prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ Villæ Piccioni applicaſſe: & præterea in eiſdem literis dictum fuit, Rectorem Eccleſiæ S. Mariæ Villæ Piccioni ſupradictæ, cui loci Ordinarius ſalmam frumenti à prædicto Theſeo Teſtatore Conventui Capucinorum Peruſin. jure legati relictam, ut ſupra dictum eſt, cum onere celebrandi Miſſas S. Gregorii applicaverat, domicilium prope dictam Eccleſiam non habere, ac propterea prædictas Miſſas celebrare non poſſe; cum tamen prædictus Rector, etiamſi hujuſmodi domicilium prope dictam Eccleſiam non habeat, Miſſas prædictas celebrare non recuſet, à nonnullis, & forſan à Venerabili Fratre, moderno Epiſcopo Peruſino aſſeratur, ſeu dubitetur literas ipſas ſubreptitias, & invalidas cenſeri, ac tam ipſos Guardianum, & Fratres, quam prænominatum Franciſcum Americum moleſtari poſſe tempore procedente, & forſan jam moleſtari cœperit. Propterea pro parte dictorum Guardiani, & Fratrum Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut eorum indemnitati in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes Legatum prædictum, à prædicto Theſeo Teſtatore Fratribus Capucinis, non prædicto Rectori, relictum fuiſſe, ac propterea illius voluntati magis ſatisfactum eſſe exiſtimantes, quod in Fratrum Capucinorum commodum converſum fuerit, & præterea dictum loci Ordinarium, ipſius Theſei voluntatem, ordinaria auctoritate commutare non potuiſſe, & nihilominus Guardianum, & Fratres prædictos amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertas literas noſtras, ac inde ſecuta quæcunque perinde valere, ac ſuum effectum ſortiri volumus, & decernimus, ac ſi in eiſdem literis, quod prædictus Epiſcopus voluntatem dicti Theſei ad prædicti Franciſci hæredis inſtantiam commutaverat, quodque præfatus Rector præfatas Miſſas celebrare poſſet, & non re uſaret, expreſſum fuiſſet, ipſoſque Guardianum, & Conventum, ac Franciſcum Americum ſuper præmiſſis à prædictis loci Ordinario, & Rectore, & etiam à fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ad quam vigore privilegiorum, illi per Sedem Apoſtolicam conceſſorum, prædictum Legatum devolutum cenſeri poſſet, ejuſque Commiſſariis nullatenus inquietari, perturbari, vel moleſtari poſſe: ſicque, & non aliter, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem fabricæ, ac illius Deputatis, & Commiſſariis, ſeu quibuſvis aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac approbatis, ac omnibus illis, quæ in præinſertis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIV. Auguſti MDC. Pontificatus Noſtri Anno nono.

M. Veſtrius Barbianus,

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 375.

Venditionem nonnullarum Ædium pro melioranda Monaſterii Monialium Tuderti conditione, approbari, ac confirmari, Epiſcopo, ac Archidiacono Tudertinis, committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Tudertino, & Dilecto Filio Archidiacono Eccleſiæ Tudertin.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialium Capucinarum nuncupatarum, Monaſterii S. Claræ Tudertin. ejuſdem S. Claræ, vel alterius Ordinis, quod aliàs ipſæ earum Monaſterii conditionem meliorem efficere deſiderantes, tres quartas partes unius Domûs, & Caſaleni in Caſtro Montis Caſtrillorum Tudertin. Dioec. juxta bona hæredum quondam Sileni de Aptis, & Ægidii Antonii Joannis Bernardini, ac alios ſuos notiſſimos fines ſitæ, nec non ad dictum Monaſterium, & Dilectos Filios Aſtulphum, & Fratres de dicto Caſtro, pro reliqua quarta parte communitèr, & pro indiviſo legitimè ſpectan. ex quibus hactenus unus Ducatus auri de Camerâ cum dimidio, vel circa percipiebatur, dilectæ in Chriſto Filiæ Ortenſiæ Petti, Mulieri Tudertin. Hieronymi Coloni Uxori, pro quodam Cenſu perpetuo centum Scutorum in ſorte principali, ſuper bonis Joſephi de Alvis impoſito, ac dictæ Ortenſiæ debito, tuto, & ſecuro, ex quo Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, & Moniales prædictæ ſex Ducatos auri ſimiles annuatim percipient, necnon pro viginti ſcutis, quæ ipſæ Abbatiſſa, & Moniales, unà cum ſorte principali dicti Cenſûs, ſi quando reſtituatur, in emptionem aliorum bonorum ſtabilium pro dicto Monaſterio convertere intendunt, & tenebantur, ſervato noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplàcito, perpetuò vendiderunt, & alienârunt, prout in publico deſuper confecto Inſtrumento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, venditio, & alienatio hujuſmodi in evidentem dicti Monaſterii utilitatem ceſſerint, & cedant, cupiunt propterea dictæ Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, & Moniales, ac Ortenſia illas per Nos confirmari, & approbari. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Domûs, & Caſaleni, ac bonorum, ſuper quibus dictus Cenſus impoſitus exiſtit, ſituationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates, dictique Inſtrumenti tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, ac eaſdem Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, ac Moniales, & Ortenſiam à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, certamque de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis per præſentes committimus, & mandamus, ut conjunctim procedentes, de præmiſſis Vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi, venditionem, & alienationem hujuſmodi in evidentem dicti Monaſterii utilitatem ceſſiſſe, & cedere reperiatis, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, illas, auctoritate noſtra Apoſtolica confirmetis, & approbetis, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſuppleatis. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſterii, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum die 11. Septembris MDCII. Pontificatûs noſtri anno undecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 47.

NOTA.

Decurſu temporis Moniales ſupra enuntiatæ, ſiniſtris caſibus, & egeſtate ita fuerunt oppreſſæ, ut, dum aliud opportunæ proviſionis remedium non aderat, Monaſterium ſuppreſſum, & Moniales aliis viciniæ Cœnobiis fuerint aggregatæ, Ordine, & Epiſtola Sacræ Congregationis ſequente:

Illuſtris, & A. Rev. D. uti Frater.

AUditis iis, quæ ab Amplitudine Tua circa miſerabilem ſtatum, in quo Monaſterium Capucinarum ibi reperitur, fuerunt expoſita, à Sacra Congregatione conſilium, illud ſupprimendi, & Religioſas reſi-

reſiduas aliis Monaſteriis incorporandi, ab Eadem propoſitum, fuit approbatum; hinc EE. DD. mei arbitrio, & prudentiæ Amplitudinis Tuæ hujus executionem remittunt, tribuendo vigore præſentium Eidem omnem facultatem neceſſariam, ita tamen, ut tam Sorores prædictæ, quàm aliæ Monaſteriorum, ad quæ transferri debebunt, capitulariter conſentiant, translatio cum debita decentia, honeſtarum Matronarum ſocietate, & inſuper minore, quo fieri poterit, populi confluxu, per vias rectas, abſque ulla cunctatione, aut declivio, ac cum vultu velato fiat; &, ut Monaſteria, quæ Eaſdem recipient, ejuſdem, ſaltem quoad eſſentialia, ſint regulæ, iiſque publico inſtrumento bona Monaſterii ſupprimendi, pro rata numeri Monialium, quas quodlibet recipiet, aſſignentur, & omnes cautelæ, quæ Paſtorali Amplitudinis Tuæ vigilantiæ videbuntur neceſſariæ, adhibeantur. Romæ 23. Julii 1660.

Ex Reg. Decret. Cong. anni, & menſ. præd. fol. 156.

Legatum centum ſcutorum Fratribus Interamnæ à Belidiſſima Picciocchi ſub onere Officii Defunctorum menſtruatim dicendi relictum, in neceſſitates Conventûs ibidem, & onus prædictum in 500. Miſſas ſemel celebrandas converti, Ordinario Loci committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Interamnen. ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domûs Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Interamnen. quod aliàs quondam Belidiſſima Picciocchi Mulier, in ſuo ultimo, quod condidit, teſtamento, ſub cujus diſpoſitione deceſſit ab humanis, centum ſcuta monetæ illarum partium Domui præfatæ legavit, cum onere, ut Guardianus, & Fratres prædicti officium Defunctorum ſingulis menſibus ſemel pro ipſius Belidiſſimæ animæ refrigerio celebrare teneantur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Guardianus, & Fratres prædicti, legati hujuſmodi, juxta Regularia eorum Inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata, incapaces exiſtant, Domus verò prædicta aliquo ſubventionis auxilio maximopere indigeat, & Dilecta in Chriſto Filia Fidelia, prædictæ Belidiſſimæ Germana Soror, & Hæres, in prædicti oneris commutationem, ut infra, conſentiat; Nobis propterea Guardianus, & Fratres prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Guardianum, & Fratres prædictos ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Fr. Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut, veris exiſtentibus narratis, onus celebrandi, & recitandi ſingulis menſibus ſemel officium Defunctorum, ut ſupra, appoſitum, in quingentarum Miſſarum celebrationem, per Fratres dictæ Domûs ſemel facien. auctoritate Noſtra commutes, ac per celebrationem quingentarum Miſſarum hujuſmodi, voluntati dictæ Belidiſſimæ ſatisfactum eſſe, & fore decernas, eamdemque voluntatem in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutes. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon Ordinis, & Domûs prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXIX. Januarii MDCXV. Pontificatûs noſtri anno decimo.

Scipio Cobellutius.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & ann. præd. fol. 175.

Dotem Puellarum ad Monaſterium Monialium Leoniſſæ recipiendarum ad 100. ſcuta duntaxat reducit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs nomine dilectorum Filiorum Univerſitatis, & Hominum Terræ Leoniſſæ Reatinæ Diœc. Nobis expoſito, quod quondam Julius Falconius, dum vixit, Laicus dictæ Terræ, ſtatui pauperum Puellarum dictæ Terræ, pro charitatis zelo, & affectu conſulere cupiens, ſuum ultimum condens teſtamentum, ſub cujus diſpoſitione deceſſit ab humanis, voluerat, & ordinaverat, quod Univerſitas, & Homines prædicti, quos ultimæ

timæ ſuæ voluntatis hujuſmodi executores conſtituit, & deputavit, infra ſex annos, à die obitûs ſui inchoandos, unum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, ſub regula Sanctæ Claræ cum una Eccleſia intus dictam Terram conſtrui, & ædificari facerent, adjectis conditionibus, quod Moniales Monaſterii hujuſmodi plures, quàm viginti quinque, aut ad ſummum triginta eſſe non poſſent, quodque ſex Puellæ de ſuo genere, & parentela, quæ inibi profiteri vellent, in Moniales ipſius Monaſterii gratis, & abſque dotis præſtatione in perpetuum recipi deberent, aliæ verò Puellæ approbandæ prius juxta formam teſtamenti, quæ dictum Monaſterium ingredi, ibique profiteri cuperent, pro earum dote non minus, quàm centum ſcuta monetæ ſolvere deberent, pro congrua dicti Monaſterii dote, & Monialium in eo pro tempore degentium ſuſtentatione, omnia bona ſua tam in territorio dictæ Terræ, quàm alias ubicunque locorum exiſtentia, cujuſcunque qualitatis, & quantitatis exiſterent, prædicto Monaſterio, ſic erigendo, jure inſtitutionis, & amore Dei reliquerat, prout in dicto Teſtamento pleniùs dicebatur contineri. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod, ſi Monaſterium juxta prædicti Teſtatoris voluntatem, tunc forſan conſtructum, ſeu conſtruendum erigeretur, & inſtitueretur, illique ſic erecto, & inſtituto bona per ipſum Tullium, uti præfertur, relicta pro ipſius dote, ac Monialium in eo pro tempore exiſtentium ſuſtentatione applicarentur, & appropriarentur, aliaque infraſcripta fierent, procul dubio ex ea ratione Spirituali commodo dictæ Terræ, divinique cultûs, & piorum operum augmento, ac dicti Ordinis propagationi non mediocriter conſuleretur.

Nos ſupplicationibus Univerſitatis, & Hominum prædictorum, Nobis tunc humiliter porrectis inclinati, negotio hujuſmodi in Congregatione Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum examinato, & approbato, Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Reatini in ſpiritualibus Generali, per noſtras, ſub plumbo deſuper expeditas literas dedimus in mandatis, quatenus Monaſterium conſtructum ſeu conſtruendum hujuſmodi, ſi, & poſtquam debita clauſura munitum foret, in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupandarum Ordinis S. Claræ pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, ac tredecim Monialium, quæ ſemper numerariæ exiſterent, & quarum quælibet pro elemoſyna dotali ſaltem ducenta ſcuta Monetæ Romanæ eidem Monaſterio dare deberet, & teneretur, inter quas tredecim Moniales, ſex ex linea, & parentela dicti Tullii ſemper, & perpetuò gratis recipi, & admitti deberent, ita, ut una moriente, alia duntaxat in ejus locum ſufficeretur, aliæ verò, quæ ſupra dictum numerum de cœtero reciperentur, ſupernumerariæ cenſerentur, duplicatamque dotem perſolvere, ac ſolitam licentiam à dicta Congregatione obtinere tenerentur, auctoritate noſtra ſine alicujus præjudicio erigeret, & inſtitueret, aliaque faceret, prout in dictis literis, quarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut Univerſitas & Homines prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ne pauperes puellæ dictæ Terræ, quæ ſummam ducentorum ſcutorum hujuſmodi pro dote perſolvendam non habent, ab ejuſdem Monaſterii ingreſſu prohiberentur, dotem prædictam ad centum ſcuta ſimilia, juxta piam dicti Teſtatoris diſpoſitionem, reduci ſummoperè deſiderent, Nos illos amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, quod tredecim Moniales, in prædictum Monaſterium pro tempore introducendæ, cum dote centum ſcutorum monetæ, in dicta Terra curſum habentis, recipi, & admitti poſſint, & debeant, nec illas ad aliam ſolutionem teneri, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, non obſtantibus literis noſtris prædictis, nec non omnibus illis, quæ in iiſdem voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Septembris MDCXVIII. Pontificatus Noſtri Anno decimo quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Arch. Monialium.

Monaſterium Monialium in Civitate Biturgienſi, ſeu Burgi S. Sepulchri inſtitui, in eo 12. Moniales collocari, ex redditibus Confraternitatis S. Crucis iis ſubveniri, ac clauſuram ab illis,

ſub

ſub jurifdictione Ordinarii loci ſervari, Vicario Generali committit.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris Epiſcopi Burgi S. Sepulchri in Spiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis Officii Nobis ex alto commiſſi requirit, & Nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quæ Monaſteria, & alia regularia loca propagari, ac in eis prudentes Virgines, ſpretis hujus infelicis ſæculi illecebris, ſub ſuavi Religionis jugo, & debita clauſura Altiſſimo famulari, æternamque beatitudinem promereri valeant, libenter intendimus, & in his ejuſdem Officii noſtri partes favorabiliter interponi mandamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Sanè dilecta in Chriſto Filia Nobilis Mulier Chriſtina à Lotaringia, b. m. Ferdinandi, dum vixit, Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis Vidua, & Beatrix de Crivellaris, Tertii Ordinis S. Franciſci, in ſæculo vivens, Nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs quidam Chriſtifidelis Civitatis Burgi S. Sepulchri cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna bona felici commercio commutare, in teſtamento per Eum condito, ſub cujus diſpoſitione deceſſit ab humanis, quemdam ſitum cum ædibus, & hortis in dicta Civitate poſitum, ad effectnm ibi unum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, conſtruendi reliquit, & opus hoc pium dictæ Chriſtinæ, Magnæ Duciſſæ, commendavit, prout in dicto teſtamento plenius contineri dicitur, dicta verò Chriſtina curam fundationis prædicti Monaſterii, pro ea, quâ eſt, pietate libenter ſuſcipiéns, prædictam Beatricem pro negotio fundationis hujuſmodi inchoando, & promovendo deſtinavit, ipſaque Beatrix illuc profecta in ſitu, & ædibus, ac hortis, & adjacentibus prædictis ipſum Monaſterium ex piis tam ipſius Chriſtinæ, quàm aliorum Chriſtifidelium elemoſynis inchoari, ac Eccleſiam, Refectorium, & Dormitorium, multaſque præterea officinas, & clauſuram pro magna illius parte exſtrui fecit, ipſumque Monaſterium ad eum ſtatum reduxit, ut in eo non incommodè habitari poſſit, jamque in illud ſeptem Virgines ſæculares, præpotenti Deo ſub ſuavi Religionis jugo famulari deſiderantes, introductæ ſunt, & ibi ſub cura, & gubernio dictæ Beatricis cum multo exemplo, multaque populi dictæ Civitatis ædificatione hactenus vivere perſtiterunt, & quamplures aliæ Puellæ, pari Religionis zelo ductæ, ibi admitti inſtantiſſimè petunt, elemoſynæ autem & aliæ piorum Chriſtifidelium elargitiones dicto Monaſterio, & illius Puellis in magna copia quotidie erogari ſolent, & Nobilis quidam, peculiari charitatis affectu ductus, mille ſcuta monetæ in ſumptus fabricæ dicti Monaſterii expendenda, opportuna liberalitate, & quædam alia perſona pia aliam ſimilem, vel etiam majorem ſummam, quæ in emptionem bonorum ſtabilium pro ipſo Monaſterio erogari debeat, donarunt; hincque futurum eſt, ut ex elemoſynis, & elargitionibus piis hujuſmodi omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria Monialibus ipſius Monaſterii, pro tempore exiſtentibus, abundè ſemper ſuppeditentur, & caſu, quo illas aliqua neceſſitate quandoque premi contingat, Dilecti Filii moderni Confratres Confraternitatis S. Crucis, dictæ Civitatis, in quibuſcunque earumdem Monialium neceſſitatibus, ex redditibus, & proventibus prædictæ Confraternitatis, qui ſatis uberes exiſtunt, & ad id, ac ad ſolita ejuſdem Confraternitatis munia, & onera adimplenda ſufficiunt, ſubvenire, ad idque ſeſe, & ſucceſſores ſuos, ejuſdem Confraternitatis Confratres, pro tempore exiſtentes, validè obligare parati ſunt. Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi dictum Monaſterium ex nunc, prout ex tunc, poſtquam debitâ, & convenienti clauſura munitum, omnibuſque aliis partibus ſuis abſolutum fuerit, in Monaſterium Monialium Ordinis Capucinarum per Nos erigeretur, & inſtitueretur, ac alia, quæ ſequuntur, fierent, & decernerentur, procul dubio ſtatui, & deſiderio quamplurium ingenuarum, & piarum Puellarum dictæ Civitatis, illiuſque decori, & prædicti Ordinis propagationi, ac divini cultûs, & piorum operum augmento conſuleretur.

Quare Chriſtina, & Beatrix prædictæ, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus earum, & aliorum fidelium prædictorum piis deſideriis annuere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Fidelium quorumlibet vota, ad piorum operum incrementa tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, Chriſtinam, & Beatricem prædictas, earumque quamlibet â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus

nibus inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Epiſc., & Regul. præpoſitorum, quibus negotium hujuſmodi maturè examinandum, & diſcutiendum commiſimus, conſilio, Diſcretioni Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus de præmiſſis Te diligenter informes, &, ſi per informationem eandem ita eſſe repereris, dictum Monaſterium ex nunc, prout ex tunc, & econtra, poſtquam debita & convenienti clauſurâ omnino munitum, ac omnibus aliis partibus ſuis abſolutum fuerit, ſi nondum ſit, dictique Confratres, illius futuris Monialibus, pro tempore exiſtentibus, quotquot fuerint, & quotieſcunque earum neceſſitas exegerit, & opus fuerit, ex redditibus, & proventibus dictæ Confraternitatis perpetuis futuris temporibus ſubvenire promiſerint, ac ad id ſeſe, & Confratres ipſius Confraternitatis pro tempore exiſtentes, in forma juris valida, realiter, & cum effectu in manibus tuis, ſe efficaciter obligaverint, in Monaſterium Monialium prædicti Ordinis Capucinarum, pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & ſaltem undecim aliarum Monialium, quæ ſemper numerariæ cenſeantur, ita, ut aliæ, quæ ſupra dictum numerum de cætero recipientur, ſupranumerariæ exiſtant, atque duplicatam dotalem elemoſynam ſolvere, ac ſolitam licentiam â Sede Apoſtolica obtinere teneantur, omneſque earum Habitum per Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis geſtari ſolitum, ſuſcipere, & profeſſionem, per eaſdem emitti conſuetam, elapſo probationis tempore, expoſt. emitttere regulares, necnon perpetuam clauſuram, &, quoad fieri poterit, ritus, mores, conſuetudines, & regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſervare, Diviniſque Officiis, & laudibus inſiſtere, ac ſub obedientia, viſitatione, correctione, ſubjectione, & omnimoda ſuperioritate, ac juriſdictione Ordinarii loci, nunc, & pro tempore exiſtentis, vivere, ac ſubjacere, ac quælibet earum ſaltem ducenta ſcuta monetæ illarum partium pro elemoſyna dotali dare, ac perſolvere debeant, ac etiam teneantur, auctoritate noſtra perpetuò, ſine tamen alicujus præjudicio erigas, & inſtituas, illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, ac commodâ Abbatiſſæ, & Monialium hujuſmodi ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione omnia, & ſingula bona, proprietates, cenſus, redditus, jura, obventiones, & emolumenta, tam per dictum Teſtatorem, ut præfertur, relicta, donata, & aſſignata, quàm ex pretio mille ſcutorum, ſeu alterius majoris ſummæ, ut præfertur, emenda, & inpoſterum per quoſcunque alios Chriſtifideles in perpetuum, vel ad tempus, ac ſimul, vel ſucceſſivè pro augmento, & beneficio Monaſterii ſic erigendi, illiuſque, ac Abbatiſſæ, & Monialium particularium, ſeu alicujus earum intuitu, vel contemplatione per viam teſtamenti, Codicillorum, donationis, & inter vivos, & causâ mortis, ſeu alterius cujuſcunque diſpoſitionis, ac etiam in elemoſynam, vel aliàs quomodocunque, & qualitercunque donanda, aſſignanda, & eroganda ex nunc, prout poſtquam donata, aſſignata, & erogata fuerint, ita, quod liceat Abbatiſſæ, & Monialibus prædictis corporalem realem, & actualem illorum omnium, ac jurium, & pertinentiarum ſuarum quarumcumque poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios earum, & Monaſterii ſic erigendi nomine, propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex eis provenientia quæcunque percipere, exigere, levare, recuperare, regere, adminiſtrare, locare, & arrendare, ac in communes Monaſterii ſic erigendi uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, & perpetuò applices & appropries, eidemque Monaſterio ſic erigendo, illiuſque Abbatiſſæ, & Monialibus, aliiſque perſonis pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, cæteriſque gratiis univerſis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibuſvis aliis Monaſteriis Monialium Capucinarum nuncupatarum prædicti Ordinis, illorumque Abbatiſſis, Monialibus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, ac pro tempore concedendis, ac quibus illa, & illæ de jure, uſu, privilegio, conſuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen ſint in uſu, neque ſub ullis revocationibus comprehenſa fuerint, ac Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel Decretis Concilii Tridentini non repugnent, ſimiliter, & pariformiter abſque ulla prorſus differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, perpetuò concedas: necnon Chriſtinæ, & Beatrici prædictis quæcunque ſtatuta, ordinationes, capitula, & decreta ad Monaſterii ſic erigendi hujuſmodi, illiuſque perſonarum, & rerum curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, victum, amictum, inſtructionem, & diſciplinam pertinentia, ac aliàs utilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Decretis ejuſ-

dem

dem Concilii, & inſtitutis regularibus Ordinis hujuſmodi non contraria, ab Ordinario loci, pro tempore exiſtente, examinandâ, & approbanda, faciendi, & edendi, ac quoties pro temporum, & rerum qualitate, ſeu aliàs expediens videbitur, cum interventu, ſeu prævio examine, & approbatione ejuſdem Ordinarii illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi, licentiam & facultatem dicta auctoritate noſtra, & concedas, & impartiaris. Nos etiam Tibi, ſi erectionem, & alia præmiſſa per Te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, pro Monialium in Monaſterium ſic erigendum introducendarum proſpera directione, ac in ritu, moribus, & regularibus inſtitutis inſtructione, duas Moniales, ad id voluntarias ex aliis Monaſteriis Monialium ejuſdem, ſi fieri poterit, vel alterius Ordinis, per Te eligendas, hac prima vice duntaxat de Superiorum ſuorum licentia, ſervatâque infraſcripta formâ, videlicet, quod Moniales ſic transferendæ per earum Conſanguineas, graveſque Matronas comitari, & aſſociari, ac ab uno Monaſterio ad aliud abſque diverticulo rectâ tendere debeant, ac nullibi, niſi causâ hoſpitii, ac nonniſi apud honeſtas perſonas pernoctare poſſint, aſſumendi, & ad Monaſterium per præſentes erigendum hujuſmodi transferendi, ita ut ipſæ, poſtquam ad illud translatæ fuerint, ritibus, & inſtitutis, aliiſque omnibus, & ſingulis obligationibus primodicti Ordinis ſe conformare, ac ibi perpetuò, vel ad tempus Tibi beneviſum, ita, ut interim ab omni, & quacunque obſervantia prioris earum regulæ penitus, & omnino liberæ, & abſolutæ ſint, permanere poſſint, & debeant, eiſque Abbatiſſæ. . . . .

. . . .

. . . . . & licentiam concedimus, Tibique pariter permittimus.

Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, nullo unquam tempore ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, & per Nos, & Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, vel confundi, ſed ab illis ſemper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, & ſub quacunque poſteriori Data, per Abbatiſſam, & Moniales Monaſterii, per præſentes erigendi hujuſmodi pro tempore exiſtentes, quandocunque eligenda conceſſas eſſe, & fore; ſicque, & non aliter, per quoſcunque Judices Commiſſarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, â quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac Noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, de gratiis, & indulgentiis adinſtar non concedendis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, ut præfertur, erigendi, & Ordinis hujuſmodi, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XVI. Octob. MDCXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimoquarto.

Breve formatum in Archivo Monialium.

Confraternitatem dictam ab onere Monialibus ſubveniendi liberari; â Profeſſuris deinceps pro elemoſyna dotali 200. ſcuta perſolvi; numerum Monialium ultra 25. nunquam augeri; duas Moniales Peruſio ad inſtituendum Monaſterium vocari; ac Beatricem Confundatricem in Habitu ſæculari modeſto in eo morari poſſe, per commiſſionem Ordinarii ſancit.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Aliàs â fel. rec. Paulo Papa V. Prædeceſſore noſtro emânârunt literæ, tenoris ſequentis videlicet: Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Epiſcopi Burgi S. Sepulchri in ſpiritualibus Generali. Paulus Papa V. Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictio-

ctionem. Debitum Paſtoralis officii. *Reſiduum, ut ſupra.*

Cum autem, ſicut Chriſtina, & Beatrix prædictæ Nobis nuper exponi fecerunt, dicti Confraternitatis Confratres aliis piorum legatorum oneribus ita gravati exiſtant, ut ad earumdem Monialium neceſſitatibus ſubveniendum ſeſe amplius validè obligari non poſſint, dictarumque Monialium elemoſynæ dotales, in prædicta Civitate, quæ annonæ copia abundat, ſatis graves reperiantur, cum aliorum quatuor ejuſdem Civitatis Monaſteriorum, non ita ſtrictæ obſervantiæ Monialium elemoſynæ dotales ſummam ducentorum ſcutorum hujuſmodi non excedant, ac primodictum Monaſterium redditus annuos, uſque ad ſummam ducentorum, & ſexaginta, vel circiter ſcutorum hujuſmodi ex Piorum Chriſtifidelium elemoſynis poſſideat, in eodemque Monaſterio duodecim ad præſens Moniales reperiantur, Nobis propterea Chriſtina, & Beatrix prædictæ humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis earundem Chriſtinæ, & Beatricis deſideriis in præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, benignè annuere, ipſaſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum quamlibet à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, Confratres prædictos ab obligatione de ſubveniendo Monialium novi hujuſmodi Monaſterii neceſſitatibus, auctoritate noſtra abſolvás, & liberes, eoſque ad hujuſmodi ſubventionem de cætero minimè teneri, eadem auctoritate decernas, & declares. Inſuper novi hujuſmodi Monaſterii Monialium numerum ad 25. duntaxat, quarum quælibet, quæ de cætero dictum Monaſterium ingredi, & in eo Ordinem prædictum profiteri voluerit, ducenta ſcuta hujuſmodi pro elemoſyna dotali dare, & perſolvere debeat, & cum hoc, ut in dicto Monaſterio nulla Monialis, niſi eveniente obitu alicujus ex vigintiquinque Monialibus hujuſmodi recipi poſſit, auctoritate prædicta augeas, dictumque vigintiquinque Monialium numerum in eodem Monaſterio conſtituas, necnon pro novi Monaſterii hujuſmodi, ejuſque Monialium proſpera directione, & felici regimine, duas ex Monialibus Monaſterii Peruſiæ ejuſdem Ordinis, ſervatâ aliâs prædictarum literarum formâ extrahas, & ad novum hujuſmodi Monaſterium transferas. Præterea eidem Beatrici, ut, quoad vixerit, in prædicto Monaſterio in habitu ſæculari permanendi licentiam, auctoritate prædicta concedas, his videlicet legibus, quod dicta Beatrix habitu cultuque utatur modeſto, locutorii, & clauſuræ leges inſtar Monialium ſervet, & ſi ſemel è dicto Monaſterio exierit, in illud amplius reverti non poſſit, niſi ubi Habitum monachalem ſuſcipere voluerit. Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in præinſertis literis hujuſmodi conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xxv. Maij MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum in Archivo Monialium.

Capellam S. Severini in loco Hiſpelli, ſuppreſsâ Sæcularis Eccleſiæ eſſentiâ, & titulo, Fratribus cum Sacra ſupellectile, & adjacentibus Domunculis pro nova eorum habitatione conſignari; ac beneficium ſimplex, Capellæ annexum, ad Altare SS. Hieronymi, & Joſephi in Eccleſia Collegiata, S. Mariæ Majoris nuncupata, cum oneribus, & fructibus transferri, Vicario Generali Spoletano committit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Spoletani, in Spiritualibus, & temporalibus Generali. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio votis illis, per quæ Regularium locorum quorumlibet, ac Perſonarum in illis, ſub Regularis Obſervantiæ diſciplina Altiſſimo famulantium proſpero ſtatui, ac opportunæ ſubventioni, cum Divini cultûs augmento, ac Chriſtifidelium ſpirituali conſolatione valeant ſalubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam, tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni Noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cum

Cum itaque poſtmodum Eccleſia, ſeu Cappella S. Severini, Oppidi, ſeu loci Hiſpelli Spoletanæ Diœceſis per liberam reſignationem Dilecti Filii Julii Venantii, nuper ipſius Eccleſiæ, ſeu Cappellæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus Noſtris ſpontè factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa, præter Nos, hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis: Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum, moderni Provincialis Provinciæ Umbriæ, ac Religioſorum Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum petitio continebat: quod Provincialis, & Religioſi prædicti nuper in eorum Generali Capitulo pro diverſis eorum negotiis pertractandis habito, quamdam Domum Regularem *S. Honuphrii* ejuſdem Ordinis prope, & extra Oppidum, ſeu locum prædictum, ad præſens exiſtentem, nonnullis legitimis, tunc in eorum Capitulo expoſitis cauſis, relinquere, & illam intra prædictum Oppidum, ſeu locum pro neceſſitate, & commoditate Domûs Regularis hujuſmodi, ac Fratrum in ea exiſtentium, necnon dilectorum filiorum Incolarum ejuſdem Oppidi, ſeu loci ſpirituali conſolatione transferendam eſſe judicaverint. Et ſi dicta Eccleſia, vel Cappella, quæ ab ipſorum Incolarum habitationibus ſatis remota exiſtit, & in qua unica Miſſa tantùm per annum celebrari conſuevit, ob idque Divina Officia in ea, ut par eſt, raRò peraguntur, & hoc pacto Divinus Cultus in ea negligi videtur, cum nonnullis domunculis circum circa adjacentibus, nullius fere valoris, ac ob vetuſtatem temporis ruinam undique minantibus, prædicto Ordini cum onere unam ejuſdem Ordinis Domum Regularem in ea, ac ejus ambitu pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dictæ Domûs Regularis concederetur, & aſſignaretur, ac de illius fructibus, redditibus, & proventibus perpetuum ſimplex beneficium Eccleſiaſticum, ut infra, erigeretur, & inſtitueretur; & uti profectò Ordinem ipſum exemplari eorundem Religioſorum vita, Sacris Concionibus, & crebra Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, ſpiritualibus exercitiis in Vinea Domini non mediocriter proficere, ac Incolas ipſos introductione dictorum Religioſorum, qui eorum laboribus piis ad crebram Sacramentorum hujuſmodi ſuſceptionem, aliaque ſpiritualia exercitia ferventiùs excitari debere ſperandum ſit; Quare pro parte Provincialis, & Religioſorum, ac Julii prædictorum aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ, ſeu Cappellæ quadraginta ducatorum auri de Camera, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Eccleſiam, ſeu Capellam prædictam dicto Ordini concedere, & aſſignare, ac unum perpetuum ſimplex beneficium Eccleſiaſticum ut infra, erigere, & inſtituere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini Cultûs augmentum, & propagationem ſinceris optamus affectibus, ipſoſque Provincialem, & Julium, eorumque, & dictorum Religioſorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, in dicta Eccleſia, ſeu Capella, quæ ſine cura eſt, & perſonalem reſidentiam non requirit, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Julii, vel cujuſcunque alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam, non tamen per obitum vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranenſis Statuta Concilii, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia, ſeu Cappella diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lîs, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, Nomen, & Titulum, & denominationem Eccleſiæ, ſeu Cappellæ *S. Severini*, ac Eſſentiam ſecularis Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, illiuſque Rectoris, auctoritate Noſtra, perpetuò ſupprimas, & extinguas, ac illam cum omnibus, & ſingulis Paramentis, ornamentis, Calicibus, Crucibus, candelabris, campanis, libris, vaſibus, univerſaque alia ſupellectili tam ſacrâ, quàm prophanâ ex auro, & argento, & aliis rebus quibuſcumque in dicta Eccleſia, ſeu Cappella ad præſens exiſtentibus, & ad illius uſum comparatis, ex nunc, prout, poſtquam in Domum Regularem, ſeu Conventum dicti Ordinis extructa fuerit; Et præfatis Fratribus, ita, quod liceat eis poſſeſſionem Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ac Paramentorum, & ornamentorum, Calicûm, Crucium, candelabrorum, campanarum, librorum, vaſorum, & ſupellectilis, & aliarum rerum hujuſmodi per ſe, vel per alium, ſeu alios eorum, & Domus, Regularis hujuſmodi nomine Dioece-

ceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, propria auctoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, nec non in ea, & illius ambitu unam Domum Regularem una cum Eccleſia, Campanili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, cellis, aliiſque officinis, & membris neceſſariis, & conſuetis ad inſtar aliarum Domorum Regularium ejuſdem Ordinis pro perpetuis uſu, & habitatione competentis numeri, ad minus duodecim Fratrum dicti Ordinis, qui in ea ritus, mores, & conſuetudines, nec non inſtituta ipſius Ordinis ſervare, Diviniſque laudibus inſiſtere debeant, & teneantur, dicta auctoritate, licentiam perpetuò concedas, & aſſignes. Inſuper perpetuum ſimplex, & perſonalem reſidentiam non requirens beneficium Eccleſiaſticum ad Altare *Sanctorum Hieronymi*, *&* *Joſephi*, in Seculari, & Collegiata Eccleſia, *Sanctæ Mariæ Majoris* nuncupata dicti Oppidi, ſeu loci, pro uno Clerico, ſeu Presbytero futuro, ad dictum Altare perpetuò beneficiato, qui Miſſas in ſupradicta ſine Cura Eccleſia, ſeu Cappella celebrari ſolitas, & debitas, per ſe, vel per alium, ſeu alios celebrare; vel celebrari facere, aliaque onera illi incumbentia ſupportare teneatur, eadem auctoritate Noſtra, ſine alicujus præjudicio ſimiliter perpetuò erigas, & inſtituas, illique ſic erecto, & inſtituto pro congrua ejus dote, ac illius pro tempore obtinentis ſubſtentatione, omnia, & ſingula dictæ ſine cura Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ac illi annexorum quorumcunque bona, & jura, in quibuſcunque rebus conſiſtentia, & undecumque provenientia, proprietatem, prædia, domos, Canones, cenſus, reſponſiones, aliaque quomodolibet, & quovis modo nuncupata, ita quod liceat beneficium per Te, vigore præſentium, ut præfertur, erigendum pro tempore quomodolibet obtinenti, illorum omnium, exceptis tamen prædictis domunculis, ac ſitu circumcirca ſine cura Eccleſiam, ſeu Cappellam, ut præfertur, exiſtentibus, quæ ſub applicatione, & appropriatione infraſcriptis comprehendi, aut venire non debeant, nec etiam cenſeantur, prævia eorum fructuum, reddituum, proventuum, emolumentorum quorumcumque, quatenus opus ſit, diſmembratione, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, ac dicti beneficii nomine per Te, vigore præſentium, erigendi hujuſmodi, propria auctoritate apprehendere, & apprehenſa perpetuò retinere, necnon fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujuſmodi percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, ac in ſuos uſus & utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ minimè requiſitâ, dicta auctoritate Noſtra itidem perpetuò applices, & appropries; ac eaſdem præſentes ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, Sedemque prædictam ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi, vel confundi: Sed ab illis ſemper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, ac validiſſimum ſtatum reſtitutas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori Data, per Religioſos prædictos quomodolibet eligenda, conceſſas eſſe, & fore. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales judicari, ac definiri debere, dicta auctoritate noſtra decernas: Et nihilominus, ſi conceſſionem, aſſignationem, ſuppreſſionem, erectionem, inſtitutionem, applicationem, appropriationem, aliaque præmiſſa per Te, vigore præſentium, fieri contigerit, ut præfertur, & ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, per diligentem examinationem prædictum Julium, qui, ut aſſerit, alterum perpetuum ſimplex, & perſonalem reſidentiam non requirens beneficium Eccleſiaſticum ad dictum Altare, quod de jurepatronatus laicorum, videlicet Familiæ Dilectorum Filiorum illorum de Venantiis, ex fundatione, vel dotatione exiſtit, ac cujus vigintiquatuor, necnon Parochialem Eccleſiam *S. Mariæ* Caſtri Montis Carocti Æſineæ Diœceſis, cujus ducentorum quadraginta Ducatorum auri de Camera, fructus, redditus, & proventus, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, obtinet, ad hoc idoneum eſſe repereris, Beneficium, per Te, vigore præſentium erigendum hujuſmodi, cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & Proventus quadraginta Ducatorum parium, ſecundùm eamdem æſtimationem, valorem annuum, ut idem Julius ſimiliter aſſerit, non excedunt, ex nunc, prout ex tunc, & econtra poſtquam erectum fuerit, ac primæva illius erectione, & inſtitutione hujuſmodi vacans, cum omnibus annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Julio, dicta auctoritate Noſtra conferas, & aſsignes, inducens per Te, vel alium, ſeu alios eumdem

dem Julium, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſsionem Beneficii, vigore præſentium erigendi hujuſmodi, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictarum, ac defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, ſeu aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus literas impetrarent, etſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum; Quibus omnibus eumdem Julium in aſſecutione Beneficii erigendi hujuſmodi volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſequutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu, ſi Venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Spoletano, & Dilectis Filiis Capitulo dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint, quodque de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, vel quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat provideri per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totalem non inſertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, ac de qua cujuſvis toto tenore habenda ſit in Noſtris mentio ſpecialis, ſeu, ſi dictus Julius præſens non fuerit ad præſtandum de obſervandis ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ Collegiatæ Eccleſiæ ſolitum juramentum, dummodo in abſentia ſua per Procuratorem idoneum, & cum ad dictam Eccleſiam acceſſerit, corporaliter illud præſtet. Nos enim cum eodem Julio, ut unà cum dicto Beneficio erigendo hujuſmodi, ſi illud Ipſi per Te earumdem præſentium vigore conferri, & aſſignari contigerit, ut præfertur, Beneficium per eum obtentum, quoad vixerit, retinere liberè, & licitè, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica earumdem tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus; proviſo, quod Beneficia prædicta debitis propterea non fraudentur obſequiis, ſed eorum congruè ſupportentur onera conſueta: & inſuper, ſi dictus Julius ad hoc repertus fuerit idoneus, ut præfertur, ex nunc proinde irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: ac ſi die Datæ earumdem præſentium, prædicto Julio ad id reperto idoneo, de Beneficio erigendo prædicto cum interpoſitione Decreti hujuſmodi mandavimus provideri. Per præſentes autem non intendimus dictum Juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Tertiodecimo Kalendas Junii Pontificatûs noſtri Anno tertio.

D. Nicolaus.

Loco Plumbi.

N O T A.

Præſentatas pro more haſce Literas Apoſtolicas, Vicarius Generalis Spoletanus illicò executioni mandavit, confecto deſuper Inſtrumento, quod ſequitur.

Hieronymus Pariſianus Prothonotarius Apoſtolicus Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Laurentii Caſtrucii Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Spoletani Vicarius in Spiritualibus, & Temporalibus Generalis, & in hac parte Literarum Apoſtolicarum Commiſſarius, & exequutor ſpecialiter deputatus.

UNiverſis, & ſingulis, ad quem, vel ad quos præſentes Literæ noſtræ pervenerint, quoſque præſens tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, ſalutem, & noſtris hujuſmodi, immo veriùs Apoſtolicis, fidem indubiam adhibendo, firmiter obedire mandatis. Literas ſiquidem Apoſtolicas fel. rec. Gregorii XV. Pontificis, Sigillo Officii Plumbi pendenti ad filum Canapis albi coloris bullatas, & aliàs more Romanæ Curiæ expeditas, ſanas quidem, & integras, omnique ſuſpicionis vitio penitus carentes, & ut in eis prima facie apparebat, Nobis directas, & pro parte Venerabilium Provincialis Provinciæ Umbriæ, ac Religioſorum Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum principalium, in eiſdem literis Apoſtolicis principaliter nominatorum præſentatas, & per Nos reverenter admiſſas fuiſſe noverint, tenoris ſupraſcripti Gregorius Epiſcopus, ſervus &c. *uti ſupra.*

Poſt quam quidem literarum Apoſtolicarum præſentationem, & admiſſionem Nobis, & per Nos, ut præmittitur, factas, debita cum inſtantia pro parte eorundem Admodum RR. PP. Provincialis, & Religio-

ſorum

ſorum Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum requiſiti fuimus, ut ad illarum executionem juxta Nobis per earundem traditum, & directum modum, & formam procedere deberemus. Nos verò Hieronymus Pariſianus Vicarius, Commiſſarius, & exequutor præfatus commiſſionem, & mandatum hujuſmodi Apoſtolicum, obedientes, ut tenemur, exequi volentes, Nomen, Titulum, & Denominationem ſupradictæ Eccleſiæ, ſeu Capellæ Sancti Severini, ac eſſentiam ſecularis Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, illiuſque Rectoris, Authoritate Apoſtolica, Nobis in hac parte conceſſa, & attributa, perpetuò ſupprimendam, & extinguendam duximus, prout eadem authoritate ſupprimimus, & extinguimus, ac illam cum omnibus, & ſingulis paramentis, Calicibus, Crucibus, Candelabris, Campanis, Libris, Vaſis, univerſaque alia ſuppellectili, tam ſacra, quàm prophana ex auro, & Argento, & aliis rebus quibuſcunque, in dicta Eccleſia, ſeu Capella ad præſens exiſtentibus, & ad illius uſum comparatis ex nunc, prout poſtquam in Domum Regularem, ſeu Conventum, dicti Ordinis erecta fuerit, præfatis Fratribus, ita, quod liceat poſſeſſionem Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ac Paramentorum, Ornamentorum, Calicum, Crucium, Candelabrorum, Campanarum, Librorum, Vaſorum, ac Supellectilis, & aliarum rerum hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, & Domûs Regularis hujuſmodi nomine, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius authoritate minimè requiſita, propria authoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, nec non in ea, & ejus ambitu unam Domum Regularem cum Eccleſia, Campanili, Campanis, Clauſtro, Refectorio, Dormitorio, hortis, hortaliciis, Cellis, aliiſque Officinis, & membris neceſſariis, & conſuetis ad inſtar aliarum Domorum Regularium ejuſdem Ordinis pro pepetuis uſu, & habitatione competentis numeri, ad minus duodecim Fratrum dicti Ordinis, qui in ea ritus, mores, & conſuetudines, necnon inſtituta ipſius Ordinis ſervare, Diviniſque laudibus inſiſtere debeant, & teneantur, dicta authoritate Apoſtolica etiam perpetuò concedimus. Et inſuper dictum perpetuum ſimplex, & perſonalem reſidentiam non requirens Beneficium Eceleſtaſticum S. Severini cum Eccleſia ad Altare SS. Hieronymi, & Joſephi in ſeculari, & Collegiata Eccleſia S. Mariæ Majoris nuncupata dictæ Terræ Hiſpelli, quod pro uno Clerico, ſeu Presbytero ad dictum Altare perpetuò beneficiato, qui Miſſas in ſupradicta ſine Cura Eccleſia, ſeu Capella celebrari ſolitas, ac debitas per ſe, vel alium, ſeu alios celebrare, ſeu celebrari facere, aliaque onera ſibi incumbentia ſupportar teneatur, eadem Authoritate Apoſtolica, ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus, illique ſic erecto, & inſtituto, pro congrua ejus dote, ac illud prò tempore obtinentis ſubſtentatione omnia, & ſingula dictæ ſine cura Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, & illi annexoxorum quorumcunque proprietates, Prædia, Domos, Canones, Cenſus, Reſponſiones, aliaque bona, & jura univerſa in quibuſcunque rebus conſiſtentia, ac undecunque provenientia, ac quomodolibet, & quovis modo nuncupata; ita quod liceat Beneficium hujuſmodi, per Nos Authoritate Apoſtolica erectum, pro tempore quomodolibet obtinenti illorum omnium, exceptis tamen prædictis domunculis. & ſitu circa ſine cura Eccleſiam, ſeu Capellam, ut præfertur, exiſtentibus, quæ ſub applicatione & appropriatione infraſcriptis comprehendi, aut venire non debeant, nec etiam cenſeantur, prævia eorum fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum quorumcunque; quatenus opus ſit, ab eadem ſine cura Eccleſia, ſeu Capella diſmembratione, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios ejus, & dicti Beneficii nomine, propria authoritate apprehendere, & apprehenſa perpetuò retinere, nec non fructus, redditus, jura, obventiones, & emolumenta hujuſmodi percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, & in ſuos uſus, & utilitatem convertere, etiam Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ minimè requiſita, dicta Authoritate Apoſtolica itidem perpetuò applicamus, & appropriamus; ac eaſdem Literas Apoſtolicas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, neque ſub quovis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, & derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, Sedemque Apoſtolicam ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus, & formis, aut cum quibuſvis clauſulis, & Decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi, vel confundi, ſed ab illis ſemper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, eadem Auctoritate Apoſtolica reſtituimus, & plenariè reintegramus, ac de novo etiam, ſub quacumque poſteriori Data, per Religioſos prædictos quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore: ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere, dicta Auctoritate Apoſtolica decernimus: non obſtantibus omnibus, quæ in dictis Literis Apoſtolicis præfatus Sanctiſſimus D. N. obſtare noluit. Quibus peractis acceſſimus ad Collegiatam, & ſecularem Eccleſiam S. Mariæ Majoris dicti Oppidi, in qua maxima populi multitudo convenerat, & ibidem in Altare Majori Miſſâ ſolemni celebratâ, Crucem ligneam magnam ibidem præparatam, cum aſperſione aquæ benedictæ, & incenſo, intervenientibus omnibus ſolemnitatibus, & ritibus opportunis, & ipſis obſervatis, Chriſti Nomine invocato, benediximus, quæ poſtea præcedentibus Confratribus Societatum laicorum dicti Oppidi, ac Fratribus Ordinis Minorum Conventualium, & Obſervantiæ, atque Capucinorum, unâ cum toto Clero, & Capitulis utriuſque Collegiatæ fuit ferè per totum dictum Oppidum proceſſionaliter, & ſolemniter aſportata. Demum pervento ad dictam Eccleſiam, ſeu Cappellam S. Severini, in facie ejuſdem Eccleſiæ elevata, & plantata fuit: Poſtea ante fores ejuſdem Eccleſiæ, adſtante ſimiliter fidelium copioſa multitudine, ſacris veſtibus induti, cum aſperſione ſimiliter aquæ benedictæ, & incenſo, intervenientibus omnibus, & quibuſcumque ſolemnitatibus, & ritibus opportunis, ipſiſque obſervatis, denuo Chriſti Nomine invocato, ad honorem Omnipotentis Dei, ejuſque Glorioſiſſimæ Matris Virginis Mariæ Crucem fiximus, & primum lapidem in fundamento Eccleſiæ, & Domûs Regularis ædificandæ, ſub invocatione, & titulo ejuſdem S. Severini poſuimus. In quorum omnium præmiſſorum Fidem, & Teſtimonium præſentes Noſtras Literas exinde fieri, & per infraſcriptum Curiæ Epiſcopalis Notarium, & Cancellarium, de eis rogatum ſubſcribi, ſigillique præfati Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Laurentii Caſtrucii Epiſcopi, quo in ſimilibus utitur, appenſione munire juſſimus, & fecimus. Datum in dicto Oppido Hiſpelli Spoletanæ Diœceſis Anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, die verò tertia Novembris, Pontificatûs SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. Urbani Papæ. Anno primo.

Autog. in Arch. Conventus.

Syn-

Syndicum pro vendendis antiquæ Domûs ejuſdem loci Hiſpelli bonis electum confirmat.

Dilecto Filio Joanni Franciſco Marho Canonico ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Spelli Spoletan. Diœc.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilecti Filii Guardianus & Fratres Domûs S. Honuphrii Terræ Spelli Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Spoletan. Diœc. Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi, quò facilius fabricam novæ eorum Domûs Regularis ejuſdem Terræ ad debitum finem perducere valeant, Te in primodictæ Domûs Syndicum ad ſylvas, & alia ipſius primodictæDomûs bona vendenda,& eorum pretium in conſtructionem dictæ novæ Domûs Regularis tantùm convertendum elegerint & deputaverint, pro electionis verò, & deputationis hujuſmodi firmiori ſubſiſtentia, & validitate, illas Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, plurimùm deſiderent. Nos Guardiani, & Fratrum prædictorum votis hujuſmodi annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas â quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine &c. inclinati, electionem, & deputationem de Perſona tua in Syndicum primodictæ Domûs hujuſmodi, ut præfertur, factas Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Dantes Tibi ad hunc effectum plenam & amplam facultatem, ſylvas ac alia omnia, & ſingula ipſius primodictæ Domûs bona quæcumque, quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendendi, ac pecunias inde provenientes in fabricæ novæ Domûs prædictæ perfectionem tantùm convertendi, aliaque omnia, & ſingula faciendi & exequendi, quæ in præmiſſis neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs, & Ordinis prædictorum etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX. Julii MDCXXVI., Pontificatus Noſtri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. & anni præd. fol. 55.

Bona Fr. Seraphino Narnienſi per teſtamentum relicta, per ejus Religionis ingreſſum, ac Profeſſionis emiſſionem ad Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ ibidem, ac Domum Sanctæ Mariæ Tertii Ordinis S. P. Franciſci non devoluta eſſe, ſed eorum fructus, olim pauperibus Fr. Seraphini Parentibus â Paulo Papa V. conceſſos, etiam â Natis Fratris Germani uſque ad obitum Fr. Seraphini gauderi poſſe, per Epiſcopum Narnienſem, ſeu ejus Vicarium declarat.

Venerabili Fratri Epiſcopo Narnienſi, ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs fel. rec. Paulo Papæ V. Prædeceſſori noſtro, pro parte Dilecti Filii Seraphini Lucii, Clerici Narnien. Diœceſis expoſito, quod aliàs quondam Jacobus Pacca, incola dum vixit Terræ Collis Scipionis, dictæ Diœceſis, in ſuo ultimo per eum condito teſtamento, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit,ſequuto obitu ejus Uxoris, prædictum Seraphinum omnium ſuorum bonorum, ad ſummam mille ſcutorum, vel circa aſcendentium hæredem Univerſalem, ita tamen, quod ipſe Seraphinus Presbyter eſſe deberet, ac duas miſſas qualibet hebdomada, & quaſdam exequias pro animæ ſuæ refrigerio celebrari faceret, inſtituit, ac voluit, quod decedente prædicto Seraphino ipſa bona partim ad dilectos Filios Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ, ac Domum Sanctæ Mariæ dictæ Terræ Tertii Ordinis S. Franciſci devolverentur, prout in dicto Teſtamento dicebatur contineri: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod dictus Seraphinus Religionis zelo, & ob melioris vitæ frugem Ordinem Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ingredi, ac profeſſionem inibi emittere intenbebat

debat Regularem, quia vero Patrem & Matrem ſenes habebat, qui difficilè abſque ipſius Seraphini ſubſidio vivere poterant, dubitabat in ſecundo dicto Ordine quietè, & pacificè remanere poſſe, niſi prius eiſdem Parentibus de aliquo ſubventionis auxilio per eumdem Paulum Prædeceſſorem provideretur. Idem Paulus Prædeceſſor ſupplicationibus dicti Seraphini ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc exiſtenti Vicario Narnienſi per ſuas literas commiſit, & mandavit, quatenus conſtito ei legitime de præmiſſis, prædicto Seraphino, ut, poſtquam Religionem ingreſſus fuiſſet, ac Profeſſionem hujuſmodi emiſiſſet, ſatisfactis tamen prius, oneribus Miſſarum, & exequiarum, ipſa bona dictæ hæreditatis à Parentibus dicti Seraphini, quamdiu ipſe ſupervixiſſet, amoveri nequirent, ſed dicti Parentes ad ipſius Seraphini vitam tantùm dictorum bonorum fructibus frui, & gaudere liberè, & licitè poſſent, & valerent, Auctoritatem Apoſtolicam concederet, & indulgeret, & aliàs prout in dicti Pauli Prædeceſſoris literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut dictus Seraphinus Nobis nuper exponi fecit, ejus Genitor ab humanis deceſſerit, ejus verò Genitrix moribunda, ac una ejuſdem Seraphini ſoror germana infirma, cui nihil hæreditatis relinquere poteſt, quæ apud Natos Fratris dicti Seraphini degit, gravata exiſtat, & propterea dictus Seraphinus per Nos in præmiſſis opportunè provideri, ſummopere deſideret. Nos dictum Seraphinum ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine &c. inclinati, Fraternitati Tuæ, per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus præmiſſis, quod ſatisfactis prius Miſſarum, & Exequiarum oneribus hujuſmodi, prædictæ hæreditatis bona ab eiſdem Natis Fratris germani dicti Seraphini amoveri nequeant, ſed dicti Nati, quoad ipſe Seraphinus vixerit dumtaxat, dictorum bonorum fructibus frui, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas, eos denique Natos in locum dicti Seraphini quoad bona prædicta gratiosè ſubſtituas, & ſubroges, ac per religionis ingreſſum, & profeſſionis emiſſionem hujuſmodi, dicta bona ad Capitulum, & Domum prædictos minimè devoluta exiſtere, minuſque dictos Natos â prædictis Capitulis, & Superioribus dictæ Domûs, vel quibuſvis aliis, vitâ ipſius Seraphini durante, deſuper moleſtari, perturbari, inquietari, aut quomodolibet impediri ullatenus poſſe, atque ita, & non aliter, per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac quidquid ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane dicta auctoritate decernas, & quatenus opus ſit, voluntatem dicti Teſtatoris quoad hoc duntaxat commutes. Non obſtan. præmiſſis ac omnibus illis, quæ in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Auguſti MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 246.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

Circa præcedentiam in Proceſſionibus inter RR.PP. Carmelitas Collabucciæ, & Fratres noſtros Terræ Leoniſſæ Decretum Vicarii Foranei, & Conſtitutionem Gregorii Papæ XIII. ſervari ſtatuitur.

Spoletana.

FRatres Capucini narrantes ſe habere in Terra Leoniſſæ Monaſterium à multis annis, & Carmelitanos, qui habent duntaxat Domum quandam abſque clauſura in Villa Collabucciæ, prætendere præcedentiam in Proceſſionibus, à qua cum fuerint excluſi à Vicario Foraneo illius loci, ſupplicaverunt provideri in futurum, ne ſcandala oriantur.

Et Sacra Rit. Congregatio approbavit Decretum dicti Vicarii, & mandavit ſervari Conſtitutionem Gregorii XIII. Die 6. Februarii 1627.

Joan. Bapt. Card. Detus.

L. S.

J. Theſſalonicen. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ., anni præd. fol. 184.

NO-

N O T A.

Decretum Vicarii Foranei proviſionale fuit tenoris ſequentis.

R Everendiſſimus D. Joannes Benedictus Vicarius Foraneus Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Spoletani, viſis & auditis differentiis, vertentibus inter Fratres Capucinos, & Carmelitanos ſuper præcedentiis in Proceſſionibus, ſtante brevitate temporis, & quod ſumus in vigilia Sanctiſſimi Sacramenti hora 22. ad tollendas diſſenſiones, & diſcordias ſine præjudicio ambarum partium dixit, & decrevit, nihil innovari, *& quod illi, qui præceſſerunt in aliis temporibus in Proceſſionibus, illi præcedant cras de manè in proceſſione, & ita dixit, & declaravit &c. omni meliori modo &c. præſentibus ipſis Partibus, & audientibus &c.*

Benedictus Petronius Vicarius.

Lectum, Latum &c. præſentibus Partibus in contradictorio judicio auditis, ac D. Franciſco Sebaſtiane, Rudolpho Paulino, Erminio de Sinibaldis teſtibus &c.

Jo. Franciſcus Sinibaldus Notarius.

Exempl. in Arch. Ord. Armar. Prov. S. P. Franciſci.

Donationem Librorum Domui Nucerinæ ab Epiſcopo Virgilio Florentio, Peruſino, factam commendat, & confirmat.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Nucerino.*

URBANUS PAPA VIII.

Intus: *Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

EGregia Fraternitatis tuæ in Nos, & hanc Sanctam Sedem Fidei, & devotionis merita poſcunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut nobis nuper exponi feciſti, Tu pio erga Domum FF. Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nucerinen. affectu ductus, omnes, & ſingulos tuos Sacræ Scripturæ quadrageſimalium, & Decretorum libros eidem Domui donatione irrevocabili, quæ dicitur fieri inter vivos, ita tamen, ut vita Tibi comite illis uti poſſis, donare, & propterea Tibi per Nos de opportuna ad hoc licentia provideri, ſummopere deſideres. Nos ſpecialem Tibi gratiam facere volentes, Teque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut libros tuos prædictos, facto tamen illorum inventario, inſtrumento donationis per Te, ut infra, vigore præſentium faciendo, inſerendo dictæ Domui donatione irrevocabili, quæ dicitur fieri inter vivos ex nunc, ita, ut interim Tu quoad vixeris, libris hujuſmodi uti poſſis, donare, & largiri liberè, & licitè valeas, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Martii MDCXXX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Exemp. in Arch. Gen. Ord. Armar. Provincia S. Patris Franciſci.

Ad Conventum Spoletanum muris aptè cingendum duo terræ petia permutari, Epiſcopo loci mandat.

Foris: *Venerabili Fratri Epiſcopo Spoletano.*

URBANUS PAPA VIII.

Intus: *Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Guardianus Domûs FF. Minorum S. Franciſci

ciſci Capucinorum nuncupat. Spoletan., quod, ut Domus prædicta mœnibus aptè, minorique cum impenſa cingi poſſit, unum ex una, & alterum terræ petia, ad quemdam dictæ Domûs Vicinum, qui, ut dictus Guardianus aſſerit, ea ad effectum præmiſſum, cum hoc, ut tantundem terræ dictæ Domûs ſibi concedatur, dare, & concedere paratus eſt, ſpectantia ex altera partibus neceſſaria ſunt. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictæ Domûs neceſſitatibus in præmiſſis conſulere, ac ejuſdem Domûs Guardianum, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut Oeconomo dictæ Domûs duo petia terræ prædictæ, ad effectum præmiſſum ab eodem Vicino recipere, ipſique Vicino tantundem terræ ejuſdem Domûs dare, & concedere liberè, & licitè valeat, licentiam auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ concedas, & impartiaris. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXV. Februarii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 1435. *de quo exemp. in Arch. gen. Ord. Arm.* Prov. S. P. Franciſci.

EPISTOLA

Sac. Congreg. Epiſc., & Regul.

Ab Eremitis Montis Aſſiſii Habitum, ab Habitu Fratrum omnino diſtinctum geſtari, Epiſcopo ibidem committitur.

Illuſtris, ac Adm. Reverende Domine uti Frater.

Quantumvis Sacra Congregatio jam aliis vicibus ordinaverit, ut nonnulli Eremitæ Montis illius Civitatis abſtineant à portando Habitu ſimili illi FF. Capucinorum, nihilominus fuit relatum, quod illi adhuc geſtent Habitum ejuſdem coloris cum pallio, corda, ſoleis, prout illum portant FF. Capucini. Hinc noviter mihi commiſit, ut Amplitudini Tuæ ſeriò injungerem, quatenus dictis Eremitis ſupradictum veſtiendi modum inhibeat, faciatque, ut Habitum in omnibus, & per omnia ab illo Capucinorum diſtinctum portent, & in caſu inobedientiæ contra eos etiam cum pœna carceris, aliiſque ad ſuum arbitrium procedat. Studeat proin, ut mens S. Congregationis exactæ detur executioni, ita, ut hujuſmodi novæ querelæ audiri non debeant; Deus Eam conſervet.

Romæ 7. Januarii 1633.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater Cardinalis S. Onuphrii

A. Torniellus.

Ex Reg. Secret. Cong. Præd.

A Miniſtro Provinciali pro tempore &c. erectum in Civitate Aſſiſien. Montem Pietatis cum duobus Civibus gubernari, & adminiſtrari confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui fideles ſuos ad pietatis, & chriſtianæ charitatis opera, in pauperes, & egenos miſericorditer exercenda plurimùm hortatus eſt, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ad ea, per quæ iſtorum pauperum, & egenorum neceſſitatibus conſulitur, paternâ, quâ tenemur, charitate, libenter intendimus, & iis, quæ propterea, præſertim per S. R. E. Cardinales facta fuiſſe comperimus, ut optatum ſortiantur effectum, perpetuaque roboris firmitate ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robur, libentur adjicimus, aliàſque deſuper diſponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Sanè, ſicut accepimus, Dilectus Filius noſter Antonius tit. S. Honuphrii Presbyter Cardinalis, noſter ſecundùm carnem Frater Germanus, qui aliàs in minoribus conſtitutus FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Religionem expreſsè profeſſus eſt, Pauperum

rum, & Egenorum Civitatis, & Diœc. Aſſiſien. ſtatui, & indigentiis pio charitatis affectu compatiens, & intendens ad ſublevandam inopiam, egeſtatemque pauperum præfatorum, ex bonis à Deo ſibi collatis, erigere Montem, Barberinum nuncupandum, ab omni Ordinarii, & Metropolitani, ac Sedis Apoſtolicæ Legatorum juriſdictione, ſuperioritate, viſitatione, correctione, computorum, & expenſarum, aliorum quorumcunque reviſione exemptum, & omnino liberum, & cum reſervatione omnimoda Juriſpatronatûs Dilecto Filio noſtro Antonio Barberino, Diacono Cardinali, noſtro ſecundùm carnem ex Fratre germano Nepoti, & poſt ejus obitum, Dilecto Filio noſtro Franciſco Barberino, Diacono Cardinali, pariter noſtro ſecundùm carnem ex Fratre Germano Nepoti, ſi illi ſupervixerit, & quatenus non ſupervixerit, ac etiam poſt illius obitum Dilecto Filio, Nobili Viro Thadæo Barberino, Almæ Urbis noſtræ Præfecto, Principi Præneſtino, ſimiliter noſtro ſecundùm carnem ex Fratre Germano Nepoti, ac illius ſucceſſoribus modo, & forma, prout infra in Capitulis inſertis diſponitur, in eadem Civitate Aſſiſien. ſub gubernio, regimine, & adminiſtratione duorum Civium ejuſdem Civitatis Aſſiſien. unius videlicet Eccleſiaſtici, & alterius Sæcularis, nec non Provincialis, pro tempore exiſtentis, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Umbriæ, quando in Domo Regulari S. Antonii dictæ Civitatis Aſſiſien. ſeu extra dictam Civitatem in loco dicto *le Carcerelle*, commorabitur; ſin minus, alterius Profeſſi Sacerdotis ejuſdem Religionis in dictis Domibus commorantis, & à præfato Provinciali in ſui loco pro tempore ſuæ abſentiæ deputandi.

Idcirco pro ejuſdem Montis erectione idem primò dictus Cardinalis Antonius emit unam Domum in eadem Civitate, juxta ſua notiſſima confinia ſitam, à Dilecto Filio Noſtro Joan. Baptiſta Cioffo, quondam Antonii Cioffi Aſſiſien. prout in inſtrumento deſuper ſub die 27. Novemb. *1633.* celebrato, pleniùs dicitur contineri, Domumque hujuſmodi cum omnibus pertinentiis ſuis, ad effectum præfatæ erectionis, multis impenſis accomodatam, deſtinavit, deputavit, & aſſignavit, operiſque ſeu Montis antedicti Gubernatores, Rectores, & Adminiſtratores (ultra Provincialem, ſeu alium, ab eodem Provinciale deputandum in caſu.) ad triennium proximum duraturos, Dilectos Filios Gabrielem Confidatum, Priorem Eccleſiæ Aſſiſien., & Antonium Angelinum Civem Aſſiſien. deputavit, nominavit, & creavit cum infraſcriptis pactis, & Capitulis, & non aliàs, aliter, nec alio modo.

Pro Dote verò hujus operis ſeu Montis dedit, donavit, largitus eſt, & in effectu aſſignavit rubea ducenta frumenti, quæ rubea ducenta eiſdem Gubernatoribus, Rectoribus, & Adminiſtratoribus, ut ſupra deputatis, fuerant conſignata, & propterea tam dicta rubea ducenta elargita, quàm aliàs quoquo modo per ipſummet Cardinalem, ac dicti Montis pro tempore Patronum, impoſterum elargienda, aut pecuniarum aſſignationem faciendam, ejuſdem Cardinalis mandato cuſtodiri in præfata Domo empta, & ad dictum uſum accomodata deberent modo & forma, quibus in infraſcriptis Capitulis diſponitur:

Articuli Omittuntur.

Nos inviolabili præmiſſorum firmitati, & ſubſiſtentiæ, perpetuæque obſervantiæ, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & maturâ deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Capitula præinſerta hujuſmodi, aliaque omnia, & ſingula per eumdem Antonium Cardinalem pro dicto Monte ſtabiliendo, & ejus conſervatione, feliciique gubernio, ut ſupra, acta, & ordinata quæcunque . . . . . tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum quarumcunque de jure, uſu, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, & neceſſariarum, & omiſſarum, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut intervenire dici, vel prætendi poſſint, etiamſi tales ſint vel fuerint, ut quoad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimendi eſſent, ſupplemus, ſanamus, tollimus, & abrogamus.

Et nihilominus pro potiori cautela Montem Pietatis hujuſmodi in dicta Civitate, ab omni Ordinarii Metropolitani, ac Sedis Apoſtolicæ Legatorum juriſdictione, ſuperioritate, viſitatione, computorum, & expenſarum, ac aliorum quorumcunque reviſione exemptum, & omnino liberum, & cum reſervatione Juriſpatronatus, juxta diſpoſitionem à dicto Antonio Cardinale, ut præfertur, factam, cum omnibus, & ſingulis Capitulis præfatis erigimus, & propterea Monti hujuſmodi, illiuſque bonorum, rerum, & jurium quorumcunque conſervationi, nec non illorum, ac Deputatorum, & Officialium ipſius Montis pro tempore exiſtentium proſpero, feliciique regimini, & gubernio opportunè conſulere volentes, S. R. E. Cardinalem, ex Familia noſtra Barberina, ſi pro tempore aderit, in ejus verò defectu Prælatum ejuſdem Familiæ, ac eo etiam deficiente, unum ex ejuſ-

ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, à Patrono ipſius Montis pro tempore exiſtente nominandum, in dicti Montis, illiuſque Miniſtrorum & Officialium, nec non bonorum, rerum & jurium præfatorum Protectorem, & Defenſorem, qui in omnibus, & quibuſcunque cauſis, & negotiis prædicti Montis prius, ſive quoad quoſcunque alios Judices, etiam Romanæ Curiæ, alioſque Superiores, etiam Sedis Apoſtolicæ de latere Legatos, tam activè, quàm paſſivè juriſdictionem habeat; ac aliàs cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus, privilegiis, gratiis, & indultis, ſimilibus Protectoribus, & Defenſoribus de jure, uſu, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus, & competituris, ac cum facultate unum, vel plures Judices in Civitate Aſſiſien. commorantes toties, quoties opus fuerit, ſubdelegandi, deputandi, & eligendi, auctoritate prædicta, & tenore præſentium eligimus, & deputamus. Decernentes præfata omnia, & ſingula, & præſentes literas, ſemper, perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, atque â modernis, & pro tempore exiſtentibus prædicti Montis Gubernatoribus, Rectoribus, & Adminiſtratoribus, cœteriſque Officialibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, pœna, â qua non niſi per Sedem Apoſtolicam, præterquam in articulo mortis, abſolvi poſſint, firmiter & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, nec non ab illis ullo unquam tempore reſiliri poſſe, ſicque etiam aliàs ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, alioſve quoslibet, quacunque auctoritate fungentes, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Civitatis, & quibuſvis aliis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, ac aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Aprilis MDCXXXIII. Pontificatûs Noſtri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Cancellaria Epiſc. Aſſiſ. de quo exemp. in Archivo Conv. ibidem.

Antiquum Monaſterium Monialium S. Mariæ Orphanarum Peruſii, tam ob illius anguſtiam, quàm ob ſubjectionem ad contiguas Secularium ædes, cum omnibus pertinentiis vendi, pretium inde redactum, ad emptionem novi ſitûs, & fabricam novi Monaſterii converti, ac Scripturas deſuper conficiendas, Apoſtolicâ auctoritate approbari, Vicario Generali Peruſino committit.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Peruſini in ſpiritualibus Generali Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis Officii Nobis Divina diſpenſatione commiſſi requirit, ut ad ea, per quæ Monaſteria, & alia Regularia Loca, in ſuis ſtructuris, & ædificiis anguſta ampliari, & ad perfectam clauſuram reduci, ac à Dominio Perſonarum Secularium eximi queant, Virginumque in eis Religionis Habitu aſſumpto, uni Sponſo Jeſu Chriſto Virginitatem præſtantium, commoditatibus conſulatur, & incommodis, quibus propterea obnoxiæ ſunt, occurratur, propenſis ſtudiis intendamus, & in his ejuſdem Officii Noſtri Miniſterium, etiam per dictorum Monaſteriorum venditionem, & in prophanos uſus reductionem interponamus, prout locorum, & temporum circumſtantiis, & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriam conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem

dem Nobis nuper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum, modernæ Abbatiſſæ, & Conventûs Monaſterii Monialium S. Mariæ Orphanarum nuncupatarum Peruſin. ſub regula ſecunda Sanctæ Claræ, ejusdem Sanctæ Claræ, ſeu alterius Ordinis petitio continebat. Cùm aliàs quondam Joannes Baptiſta Pontanus, pio devotionis zelo ductus, unam Domum in Civitate Peruſina, ad effectum in ea unum Monaſterium Monialium, ſub invocatione ejuſdem S. Mariæ Orphanarum nuncupatæ, ſub regula hujuſmodi fundandi, prout poſtea canonicè fundatum, & inſtitutum fuit, ſuis pecuniis emit, & in ipſum Monaſterium ſic fundatum, numerus unius, & viginti Monialium, prædicto Joanne Baptiſta adhuc tunc vivente, introductus extitit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta domus in ſuis ſtructuris, & ædificiis valdè anguſta exiſtat, & tum ob ejus anguſtiam hujuſmodi, tum etiam, quia aliis Domibus per ſeculares perſonas inhabitatis, ita cohæret, & illarum Dominio ſubjecta eſt, ut ad perpetuam clauſuram hactenus reduci non potuerit, nec eam inpoſterum reduci poſſe ſperetur, im quod non parùm clauſuræ obſtare, & ipſum fortaſſe omninò deformare poſſet, ipſum, inter alia incommoda, quibus ipſum Monaſterium obnoxium eſt, in illud ex contiguis Domibus præfatis ingreſſus per tecta facilè aperiri poſſit, Abbatiſſa, & Conventus, in dicta Civitate ſitum, ad unius Monaſterii exſtructionem amplum, & commodum, & ad clauſuram perficiendam aptum, in promptu venalem repererint, verùm ipſæ modum, & facultatem dictum novum Monaſterium conſtruendi, niſi eis dictum antiquum Monaſterium vendere licitum ſit, non habeant, & ſi eis præſens emendi, & quam etiam in promptu habent antiquum Monaſterium hujuſmodi vendendi, oblata occaſio tolleretur, alter ſitus ad fabricam Monaſterii aptus, & prædicti antiqui Monaſterii Emptor, quem jam invenerunt, haud facilè inpoſterum reperiretur. Et proinde dicta Abbatiſſa, & Conventus præfatum vetus Monaſterium meliori, qua fieri poterit, conditione vendere, ac ſitum prædictum, unà cum ædificiis, in eo forſan erectis, ad effectum in eo novum fabricandi Monaſterium emere, necnon pretium ex venditione hujuſmodi redigendum, in ſolutionem ſitûs emendi, & ſumptus fabricæ novi Monaſterii hujuſmodi convertere propoſuerint. Verùm id facere poſſe dubitent, Sede Apoſtolicâ deſuper inconſultâ. Quare pro parte earumdem Abbatiſſæ, & Conventûs Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum deſideriis hujuſmodi annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Chriſtifidelium quorumlibet, præſertim Sanctimonialium vota, ad Divini cultûs augmentum tendentia, ſpecialibus favoribus, & gratiis libenter confovemus, prædictam Abbatiſſam, & Conventûs hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ac fundationis dicti veteris Monaſterii, tenores, etiam veriores, ac datis præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, conſtito Tibi prius legitimè de præmiſſis, eiſdem Abbatiſſæ, & Conventui, ut in prædicto ſitu emendo unum Monaſterium Monialium, cum Eccleſia, ſeu Cappella, campanili, campanis, refectorio, dormitorio, clauſtris, hortis, hortalitiis, cellis, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, & opportunis, pro perpetuis earum, & aliarum Monialium, pro tempore recipiendarum uſu, & habitatione conſtrui, ſeu ædificia in eo conſtructa ad formam Monaſterii hujuſmodi cum ſupradictis omnibus reduci facere, & ad illud, poſtquam ſic conſtructum, vel reductum, ac debita, & convenienti Clauſura munitum fuerit, ſub dicta Regula fundandi, prout illud poſtea canonicè fundatum, & inſtitutum fuerat, ſuis propriis pecuniis emerat, & in ipſum Monaſterium ſic fundatum numerus viginti unius Monialium, ipſo Joanne Baptiſta adhuc tunc ſuperſtite, introductus exſtiterat, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod dicta Domus in ſuis ſtructuris, & ædificiis valde anguſta erat, & tum ob illius anguſtiam hujuſmodi, tum etiam, quia aliis Domibus per ſeculares perſonas inhabitatis ita cohærebat, & illarum dominio ſubjecta erat, ut ad perfectam clauſuram eatenus reduci non poſſe ſperaretur, imò quod non parum clauſuræ obſtare, & ipſam forſan deformare poſſet, inter alia incommoda, quibus ipſum Monaſterium obnoxium erat, in illud ex contiguis Domibus præfatis ingreſſus per tecta facilè aperiri poſſet; Abbatiſſa verò & Conventus prædictus unum ſitum in dicta Civitate ad unius Monaſterii exſtructionem amplum, & commodum, ac ad Clauſuram conficiendam aptum in promptu venalem repererant; verùm modum, & facultatem dictam novum Monaſterium conſtruendi,

non

non habeant, niſi eis dictum antiquum Monaſterium vendere liceret, & ſi eis tunc præſens emendi, & quam in promptu habent antiquum Monaſterium hujuſmodi vendendi occaſio tolleretur, alter ſitus ad fabricam Monaſterii aptus, & prædicti antiqui Monaſterii Emptor, quem jam invenerant, haud facilè in poſterum reperiretur; & propterea Abbatiſſa, & Conventus prædictus, dictum Monaſterium vetus meliori, qua fieri poteſt conditione vendere, & ſitum prædictum una cum ædificiis, in eo forſan erectis, ad effectum in eo unum Monaſterium fabricandi emere, pretiumque ex venditione hujuſmodi redigendum in ſolutionem ſitûs emendi, & ſumptus fabricæ novi Monaſterii hujuſmodi convertere propoſuerant, id tamen facere poſſe dubitabant, Sede Apoſtolicâ deſuper inconſultâ, & pro parte modernæ Abbatiſſæ, & Conventûs prædictum Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſupplicationibus hujuſmodi annuentes, ex voto Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, tunc exiſtenti Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Peruſini in ſpiritualibus Generali, per alias noſtras litteras dedimus in mandatis, quatenus conſtito ſibi legitimè de præmiſſis, eiſdem Abbatiſſæ, & Conventui, ut in prædicto ſitu emendo unum Monaſterium Monialium cum Eccleſia, ſeu Capella, Campanis, Refectorio, Clauſtris, Dormitorio, Hortis, Hortalitiis, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, & oportunis pro perpetuis earum, & aliarum Monialium pro tempore recipiendarum uſu, & habitatione conſtrui, ſeu ædificia in eo extructa ad formam Monaſterii hujuſmodi cum ſupradictis omnibus reduci facere, & ad illud, poſtquam ſic conſtructum, & reductum, ac debita, & convenienti Clauſura munitum foret, unà cum omnibus rebus, bonis, & pertinentiis ſuis, ac oneribus dicto veteri Monaſterio, quomodolibet incumbentibus, ac ſacra, & profana ſuppellectile, ſe ſe, ſervatis ſervandis transferre, dictum autem vetus Monaſterium Monialium unà cum illius Eccleſia, ſeu Capella, ac omnibus conſtructuris, ædificiis, & pertinentibus ſuis quibuſcunque, præviâ Eccleſiæ, ſeu Capellæ hujuſmodi, & quantum opus eſſet, dicti veteris Monaſterii ad profanos, non tamen ſordidos uſus reductione, necnon oſſibus mortuorum, unà etiam cum ſuperficie terræ alibi collocatis, perſonæ, ſeu perſonis illud emere volenti, ſeu volentibus, quæ poſſeſſionem eorum antea non adipiſceretur, ſeu adipiſcerentur, quàm novum Monaſterium hujuſmodi conſtructum, ac omnibus ſuis numeris abſolutum foret, meliori, qua fieri poſſet, conditione unâ, vel pluribus vicibus vendere & pretium inde redigendum in emptionem ſitûs emendi, ac ſumptus fabricæ dicti Monaſterii novi convertere, liberè, & licitè valerent, licentiam, & facultatem Apoſtolica Auctoritate concederet, & impertiretur. Volentes inter cætera, quod dominium, & Poſſeſſio veteris Monaſterii, ut petitur, vendendi in Emptorem, ſeu Emptores antea non transferretur, quàm novum Monaſterium hujuſmodi omnibus ſuis numeris abſolutum, & in illud Abbatiſſa, & Moniales realiter, & cum effectu translatæ reſpectivè forent, ſed interim Abbatiſſa, & Moniales in dicto veteri Monaſterio ſub clauſura remanerent, ut prius, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum modernæ Abbatiſſæ, & Conventûs dicti antiqui monaſterii petitio continebat, earum Monaſterium prædictum jam â biennio circiter, pretio octingentorum ſcutorum inter eas, & illius Emptorem convento, vendere tractarint, dictumque pretium unà cum quibuſdam aliis pecuniis, quas ad eum effectum in promptu habent, in emptionem dicti ſitûs, ac fabricam dicti novi Monaſterii convertere deliberarint, dictum verò negotium, ſtante conditione, & decreto ſuſpenſum fuerit, unà cum omnibus rebus, bonis, & pertinentiis ſuis, ac oneribus dicto Monaſterio, quomodolibet incumbentibus, ac ſacra, & prophana ſupellectile, ſeſe, ſervatis ſervandis transferre, dictum autem vetus Monaſterium, unà cum Eccleſia, ſeu Capella, ac omnibus ſtructuris, ædificiis, & pertinentiis ſuis quibuſcunque, præviâ Eccleſiæ, ſeu Cappellæ hujuſmodi, & quatenus opus ſit, dicti veteris Monaſterii ad profanos, non tamen ſordidos uſus reductione, necnon oſſibus mortuorum unà cum ſuperficie terræ alibi collocatis perſonæ, ſeu perſonis illud emere volenti, ſeu volentibus, quæ poſſeſſionem eorum antea non adipiſcatur, ſeu adipiſcantur, quàm novum Monaſterium hujuſmodi conſtructum, & omnibus ſuis numeris abſolutum fuerit, meliori, qua fieri poterit, conditione, unâ, vel pluribus vicibus vendere, & pretium inde redigendum in emptionem ſitus emendi, ac ſumptus fabricæ novi Monaſterii hujuſmodi convertere: Ac tam ipſis Abbatiſſæ, & Conventui, quàm quibuſvis aliis perſonis, cum quibus ſuper venditione hujuſmodi concordatum fuerit, ut quaſcunque ſcripturas publicas, & privatas deſuper neceſſarias, & opportunas, cum omnibus & ſingulis pactis, obligationibus, hipothecis, decretis, declarationibus, aliiſque clauſulis, & cautelis neceſſariis, & opportunis, licitis tamen, & honeſtis, de quibus inter eos conven-

ventum fuerit, confici facere, liberè, & licitè valeant, auctoritate Noſtra, ſine tamen alicujus præjudicio, licentiam concedas, & impartiaris, necnon, quatenus opus ſit, vetus Monaſterium, illiuſque ædes, & ædificia hujuſmodi ab omni, & quacunque vendendi prohibitione, aliiſque oneribus, & vinculis, quibus forſan per dictum Joannem Baptiſtam, aut aliàs quomodolibet ſubjecta, & ſuppoſita extiterunt, & forſan exiſtunt, ad effectum validitatis venditionis hujuſmodi penitus, & omnino perpetuò, dicta auctoritate eximas, & liberes, illaſque, & illa in novum Monaſterium hujuſmodi transferas. Denique pro potiori cautela venditionem veteris Monaſterii, illiuſque ſtructurarum, & ædificiorum prædictorum ex nunc, prout poſtquam facta fuerit, ac deſuper conficiendas ſcripturas, & in eis apponenda quæcunque, licita tamen, & honeſta cum omnibus, & ſingulis inde legitimè ſequutis quibuſcunque, eadem auctoritate etiam perpetuò approbes, & confirmes, illiſque perpetuæ, & irrevocabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum quarumcunque quomodolibet neceſſariarum defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, in eiſdem ſuppleas, necnon venditionem, & ſcripturas prædictas ex nunc, prout poſtquam factæ fuerint, ſemper & perpetuò validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tam ab ipſis Abbatiſsâ, & Conventu, ac Emptore, ſeu Emptoribus præfatis, omnibuſque eorum reſpectivè ſucceſſoribus, quàm aliis, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectabit pro tempore, perpetuò, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, ab iliiſque reſiliri, aut recedi, nullatenus unquam poſſe, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac quidquid ſecus ſuper his à quocunque, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, dicta Auctoritate Noſtra decernas; Non obſtantibus voluntate prædicti Joannis Baptiſtæ, quatenus in aliquo obſtet, aliiſque præmiſſis, ac fel. record. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon Sinodalibus, Provincialibus, univerſalibuſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac veteris Monaſterii, & Ordinis hujuſmodi juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, quod Dominium, & poſſeſſio veteris Monaſterii, ut præfertur, vendendi in Emptorem, ſeu Emptores antea non transferantur, quàm novum Monaſterium hujuſmodi omnibus ſuis numeris abſolutum, & in illud Abbatiſſa, & Moniales prædictæ realiter, & cum effectu translatæ reſpectivè fuerint, ſed interim eadem Abbatiſſa, & Moniales in veteri Monaſterio prædicto ſub Clauſura remaneant, ut prius. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Inncarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio Idus Julii, Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Bulla formata in Arch. Conventûs Monial.

Domum, & Eccleſiam Loci Amatricis aliò transferri, & pretium ex cæmentis &c. redactum, per Syndicum in novæ fabricæ opus converti concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilecti Filii, moderni Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Umbriæ Nobis expoſitum fuit, quod in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ, gravibus de cauſis Domum Regularem dicti Ordinis, Terræ, ſeu Loci Amatricis, Aſculanæ Diœceſis, ab eo loco, in quo ad præſens exiſtit, ad alium conferri debere determinatum eſt; quare dictus modernus Provincialis, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Provinciali Domum Regularem præfatam, ejuſque Eccleſiam facta eorum per Ordinarium loci, ſervatis aliàs ſervandis, prophanatione demoliri curandi: Syndico verò dictæ Domûs, & Eccleſiæ hujuſmodi, quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendendi, & alienandi, necnon pretio inde proveniente, & cæmentis Domûs, & Eccleſiæ prædictarum ad opus fabricæ novæ Domûs, & Eccleſiæ hujuſmodi utendi, licentiam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordi-

di-

dinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs Ordinis prædictorum, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die II. Februarii MDXXXIV. Pontificatûs Noſtri anno undecimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 17. de quo Breve format. in Arch. Gen. Armar. Prov. S. Franciſci.

Demolitionem antiquæ Domûs Eugubii, ſitûs alienationem, & rerum è Domo antiqua ad novam translationem confirmat.

A Tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Eugubino. ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario, in ſpiritualibus Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilecti Filii Procuratoris Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſitum fuit, quod eiſdem Fratribus Eugubinis pro complemento eorum Domûs Regularis, quæ ad præſens conſtruitur, maximè neceſſarium eſt, ut ad illam omnes, & ſingulæ res eorum antiquæ Domûs Regularis, quæ unà cum ſitu dominii Sedis Apoſtolicæ exiſtunt, transferantur. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Procuratorem, dictoſque Fratres Eugubinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, vel Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus eiſdem Fratribus Eugubinis, ſeu illorum Syndico, quod nedum dicta Domus Regularis antiqua demoliri, illius ſitus vendi, necnon omnes, & ſingulæ res prædictæ in uſus, & beneficium dictæ novæ Domûs Regularis hujuſmodi tranſferri, ſed etiam ipſa Domus Regularis antiqua demoliri, ſeu prophanari, & ad prophanos, non tamen ſordidos uſus, monumentis tamen, & oſſibus mortuorum unà cum ſuperficie terræ alibi collocatis, reduci liberè, & licitè poſſint, & valeant, reſpectivè licentiam auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. recordat. Pauli PP. II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die VII. Sept. MDCXXXIX. Pontificatûs noſtri anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 45. de quo Brev. form. in Arch. Conventûs.

NOTA.

Pro ejuſdem novæ fabricæ beneficio, conceſſa ſunt Fratribus rudera putei, in poſſeſſione ad S. Donati Beneficium ſpectantis, Decreto S. Congregationis Concilii ſequente:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſup. in Lat. relat. *IN quadam poſſeſſione extra Civitatem Eugubii, ſpectante ad S. Donati beneficium, quo de facto gaudet Illuſtriſſimus Dominus Maſſani, reperitur puteus, & muri deſtructi, qui dictæ poſſeſſioni non ſolùm non conducunt, ſed econtra damnum cauſant, utpote culturam ſitûs impedientes.*

Cumque FF. Capucini in dicta Civitate Conventum ædificent, Illuſtriſſimus dictus iis lapides putei, & rudera murorum concedit, dummodo illa expenſis ſuis effodiant, & tranferant, cum per hoc poſſeſſio melioretur, & reddatur fertilior. Supplicatur proin EE. VV. Rmis à Patre Provinciale pro licentia, quatenus opus ſit. Et totum &c.

Dic

Die 4. Decembris 1638. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi tributâ, remiſit petitionem hanc ad Vicarium Eugubinum, qui pro ſuo arbitrio gratiam petitam Oratoribus concedat gratis.

F. Card. Veroſpius.

Franc. Paulutius S. C. C. Secret.

Ex Rg. ſeu Lib. 16. Decret. Congreg. præd 16. fol. 117.

Cumque venditio ſitûs Vineæ, qui Fabricæ prædictæ neceſſarius videbatur, impediretur, eam, contradictione non obſtante, à S. Congreg. Epiſcop & Regular. Vicario Capitulari Eugubii perfici commiſſum fuit, epiſtolâ ita Ei inſcriptâ;

A Tergo. *R. Dño Vicario Capitulari Eugubii.*

Reverende Domine. Venditio Vineæ, quam Domini Billi FF. Capucinis facere intendunt, controvertitur à Joan. Bernardino Butelli; cumque primi in propoſito dictam alienationem in Capucinorum favorem faciendi perſiſtant, quatenus fabricam Conventûs jam principiatam terminare poſſint, Dom. Tua cum auctoritate, per præſentes Eidem conceſſa, pro valore contractûs ſuum Decretum interponat, ſimulque efficiat, ut ſatisfactio alterius, ſi in ſui ſenſûs rigore perduret, concurrat. Valeat proſpere.

Romæ 25. Februarii 1639.

Ad placitum veſtrum

Card. S. Onuphrii.

C. Facchinettus Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

Teſtamentum Joannis Antonii Fuccioli, in utraque Signatura Referendarii, de Monaſterio Capucinarum in Civitate Caſtelli conſtruendo commendat: Puellas in id conſtructum, juxta articulum præſcriptum induci, Vicario Generali loci committit: Profeſſas cum Monaſterii bonis, Juriſdictioni Ordinarii ſubjicit: Eas augmenta bonorum recipere, & omnibus privilegiis, & gratiis Ordini ſuo, ceu ſibi ſpecialiter conceſſis gaudere indulget: in earum ingreſſu, ac die Profeſſionis, necnon tam iis, quàm earum Miniſtris, Defenſoribus &c. in articulo mortis, ac omnibus Chriſtifidelibus in Feſto S. Claræ, earum Eccleſiam Viſitantibus, Indulgentiam plenariam in perpetuum largitur.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Civitatis Caſtelli, in ſpiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter univerſa Religionis opera, divinæ placita pietati, fundationem, & dotationem Monaſteriorum Sanctimonialium, in quibus ab ipſis divinis laudibus glorificatur Altiſſimus, & Eædem per innocentis vitæ ſuæ merita, æternæ Beatitudinis gloriam conſequuntur, munus non minimum reputavimus, propter quod pias Teſtatorum voluntates, qui & in Deum Pietate, ac in Concives, & Patriam amore ducti, Cœnobia hujuſmodi propriis ſumptibus, & expenſis fundari, ac pro illorum, & in eis degentium opportuna manutentione ſufficientem propriorum bonorum partem applicari diſpoſuêre, adimpleri curamus, ac piis deſideriis, quæ ad id tendunt, Nos favorabiles exhibemus, & benignos, prout, rerum & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino, ſalubriter expedire. Exhibita quidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Puellarum Piarum Virginum petitio continebat: Cum aliàs magnificus Joannes Antonius Fucciolus, in utraque Signatura noſtra Referendarius, cupiens caduca, & terrena cum cœleſtibus, & æternis felicitatibus commutare, ac, ut Animæ ſuæ conſuleret, & inſignis pietatis opus propriæ Patriæ præſtaret, quo bonæ indolis, & honeſtæ Conditionis Puellæ, uti æternæ Beatitudinis amatrices, ſub ſuavi Religionis jugo uni Sponſo Jeſu Chriſto, qui ſpecioſus eſt præ Filiis hominum, ſe celebri voto deſponſare, ac etiam tanquam prudentium illarum Virginum veræ ſectatrices, accenſis lampadibus eidem Sponſo, ad hoc, ut exinde flores honoris, & honeſtatis fructus, ac Regularis Diſciplinæ propagatio proveniant, obviam ire ſatagunt, eiſdem facultatibus adjutæ, votivum effectum ſortiri valerent, in ſuo ultimo

per eum condito, & ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, Scipione ejus Nepote hærede inſtituto, voluit, quod ipſo abſque liberis decedente, tertia pars omnium ſuorum bonorum, ex quibus haberi poſſint, & habeantur annua ſcuta ſexcenta monetæ, in redditibus, pro erectione infraſcripti Monaſterii, ex dictis redditibus, eò interim, & quantò citiùs in Civitate Caſtelli, ejus Patria, ac loco magis apto, & bene viſo pro tempore exiſtenti Epiſcopo, & Generali Societatis Jeſu, ſeu Guardiano Conventûs Capucinorum dictæ Civitatis, ſub infraſcriptis conditionibus conſtruendi, & erigendi, ita, ut infra biennium à die obitûs dicti Scipionis, ſi fieri poſſit, conſtrui, & erigi deberet, aſſignaretur, & applicaretur, ac aliàs diſpoſuit, prout in dicto teſtamento, ac ſcripturis deſuper confectis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſo Scipione abſque Liberis de Anno Domini 1628. ſeu alio veriori tempore vitâ functo, ac voluntati Teſtatoris hujuſmodi loco facto, ad id Deputati in prædicta Civitate, & loco ad id apprimè apto, & accomodato, ac Epiſcopo, & Guardiano prædictis bene viſo, ex redditibus dictæ tertiæ partis quemdam ſitum pro commoda habitatione infraſcriptarum Monialium ad debitam Monaſterii formam redegerint, ac omnibus ſuis numeris, & partibus abſolverint, & debita clauſura muniverint, ac adſint dictæ piæ Virgines, illud ad debitam Monaſteriis perfectionem ex animo expectantes. Quare pro parte dictarum Virginum Nobis humiliter ſupplicatum fuit, quatenus piis votis hujuſmodi, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pro incumbente noſtri Paſtoralis Officii adimplenda cura, & ſollicitudine, pia, & ſalubria, ac ad Divinum Cultum, Eccleſiæ exaltationem, proximiq;, & Puellarum Virginum ſubventionem, Animarumque ſalutem tendentia opera procurare, & promovere tenemur, ipſas Virgines, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exſtiterint, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ, ex voto Ven: Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Monaſterium prædictum, jam, ut præfertur, omnibus ſuis numeris, ac partibus abſolutum, ac ſufficienter dotatum, ac omnibus aliis neceſſariis competenter proviſum, in Cœnobium Monialium Ordinis S. Claræ Capucinarum cum interiori, & exteriori Eccleſia ſub invocatione, Epiſcopo bene viſâ, ſacra, & profanâ ſuppellectile decenter ornata, cum campanili humili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, collocutorio, cœmeterio, cellis, hortis, hortalitiis, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, ſeu ſuperioriſſæ de triennio in triennium, per Conventum dicti Monaſterii per vota ſecreta, aut aliàs, juxta tamen Concilii Tridentini Decreta, ac Conſtitutionem fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris Noſtri, deſuper editam, aliaſqueCanonicas ſanctiones eligendæ, pro aliarum quindecim Monialium numero, ita, ut ex nunc computatâ Abbatiſsâ, & Converſis, Moniales ſint tantùm numero ſexdecim, ſi ex redditibus prædictis experientia conſtet majorem numerum Monialium ſuſtentari, & manuteneri poſſe, augeatur ultra ſexdecim ad quantitatem, quæ ex dictis redditibus ali, & manuteneri poterit, & ſi aliquæ puellæ ex Conſanguineis, vel affinibus dicti Teſtatoris, vel ejus hæredum adſint, quæ inſpirante Domino velint Deo famulari, & effici Moniales in dicto Monaſterio, habentes debita requiſita, ad Habitum hujuſmodi in dicto Monaſterio ſuſcipiendum, & in eo profitendum, omnino debeant in eo recipi, quacunque oppoſitione penitus, & omnino ceſſante: & ex iſtis omnibus Monialibus hac prima vice duæ per Ven: Fr. noſtrum Epiſcopum, duæ per Capitulum, & Canonicos, ac quinque per Guardianum Capucinorum, ac duæ per Rectorem Collegii Societatis Jeſu, dilectos Filios, & duæ per Conſilium Regiminis dictæ Civitatis, & reliquæ per Moniales, in dicto Monaſterio jam admiſſas, & acceptatas eligantur, ſucceſſivè verò completo numero Monialium in dicto Monaſterio retinendarum, aliæ Puellæ poſt primam vicem, ut ſuprà, electæ, eligi debeant per Moniales ipſas in eo exiſtentes, quod fieri debeat ab eis per vota ſecreta: & Electores hujuſmodi memores eſſe debeant, ſe per dictum Teſtatorem rogatos, ut velint in electione hujuſmodi Deum pro oculis habere, ita, ut poſtpoſitâ omni humanâ conſideratione eligant, & proferant illas Puellas, de quarum qualitatibus, bonitate, & fama habeant majus teſtimonium ab earum Parocho, & duabus aliis perſonis, Deum timentibus, ſcientes reddituros eſſe rationem in extremo Dei Judicio de electione ab eis facta: & quæ Moniales abſque dote, & dotis ſubſidio admittantur, ipſæque officium Sanctiſſimæ Virginis Mariæ qualibet die pro Teſtatoris, & ejus Parentum, & Conſanguineorum Animarum refrigerio, recitare teneantur, enixè D. N. Jeſum Chriſtum ſupplicantes, ut eidem per merita ſuæ Paſſionis omnium peccatorum veniam con-

concedere dignetur : ac ritus, mores, & conſuetudines regulares prædicti Ordinis ſub dicta Regula inſtitutas, ac conſtitutiones ſervare, nec non divinis officiis, & laudibus inſiſtere, & tàm ipſæ, quàm prædicti Monaſterii proprietates, res, jura, actiones, & bona omnia, tam mobilia, & ſe moventia, quàm immobilia, præſentia, & futura cujuſcunque quantitatis, qualitatis, generis, & ſpeciei exiſtentia, ſub Ordinarii loci ſuperioritate, viſitatione, & correctione vivere, & ſubjacere debeant, Auctoritate noſtra, ſine tamen alicujus præjudicio perpetuò erigas, & inſtituas, ac Monaſterio ſic erecto, & inſtituto pro illius Abbatiſſæ, ſeu alterius ſuperiotiſſæ, ac Monialium prædictarum, aliorumque Officialium ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, tam bona per dictum Teſtatorem aſſignata, & applicata, quàm omnia alia, & quæcunque jura, cenſus, redditus, obventiones, per quoſcunque alios Chriſtifideles in poſterum, ac in perpetuum, vel ad tempus, ſimul, vel ſucceſſivè, pro augmento bonorum ejuſdem Monaſterii, illiuſque Abbatiſſæ vel Superioriſſæ, aliorumque Officialium, & Monialium, ac Converſarum prædictarum, ſeu alicujus earum intuitu, & contemplatione, per viam teſtamenti, codicilli, donationis inter vivos, vel causâ mortis, ſeu alterius cujuſcunque diſpoſitionis, ac etiam titulo Elemoſynæ, vel aliàs, licitè tamen donata, elargita, relicta, erogata, & aſſignata, ac in poſterum danda, donanda, elargienda, relinquenda, eroganda, & aſſignanda ex nunc, prout ex tunc, & poſtquam donata, elargita, data, erogata, relicta, & aſſignata, & acquiſita fuerint, ita, quod liceat Abbatiſſæ, vel Superioriſſæ, Monialibus, ac Miniſtris dicti Monaſterii nunc & pro tunc exiſtentibus, illorum omnium, & ſingulorum veram, realem, & corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios earum, ac dicti Monaſterii nomine, propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſa perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ex eis provenientia quæcunque percipere, exigere, levare, recuperare, arrendare, locare, diſlocare, regere, adminiſtrare, & in ſuos communes, & dicti Monaſterii, illiuſque Eccleſiæ, & Sacriſtiæ, ac Miniſtrorum uſus, & utilitatem convertere liberè, & licitè, Diœceſani loci, vel alterius cujuſcunque licentiâ deſuper minimè requiſitâ, eadem auctoritate, & perpetuò applices, concedas, & appropries. Inſuper eidem Monaſterio, illiuſque Abbatiſſæ, ſeu Superioriſſæ, Officialibus, & Monialibus, Converſis, ac, ut ſupra, Deputandis, & aliis perſonis inſervientibus Monaſterio hujuſmodi, ut omnibus, & ſingulis in-dultis, Privilegiis, facultatibus, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, honoribus, favoribus, gratiis, & aliis quomodolibet tam ſpiritualibus, quàm temporalibus Mulierum Monaſteriis, Domibus, & Conventibus Ordinis hujuſmodi, eorum Abbatiſſis, ſeu Superioriſſis, & Prioriſſis, Monialibus, & Domibus, & Conventibus hujuſmodi, illorumque Monialibus, Superioriſſis, & aliis Officialibus, in ſpecie, vel in genere, & per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet tam Apoſtolicâ, quàm Ordinariâ Auctoritate conceſſis, & imposterum concedendis, ac quibus illa, & illæ de jure, uſu, & conſuetudine, privilegio, indulto, ſtatuto, aut aliàs quomodolibet, quomodocunque, quandocunque utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodò ſint in uſu, & non revocata, nec ſub aliqua revocatione comprehenſa, & Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, inſtitutiſque Regularibus Ordinis, & Regulæ hujuſmodi minimè contraria, ſimiliter uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed etiam pariformiter, & æquè principaliter, atque abſque ulla prorſus differentia in omnibus, & per omnia, & quoad omnia, perinde, ac ſi illa dicto novo Monaſterio, illiuſque Eccleſiæ, Abbatiſſæ, ſeu alteri Superioriſſæ, & Monialibus, ac aliis perſonis prædictis principaliter, & ſpecialiter, & expreſsè conceſſa fuiſſent, in omnibus, per omnia, & quoad omnia, etiam perpetuò concedas, & indulgeas. Nos enim pro Monialium, in dicto Monaſterio introducendarum, ac aliarum ſpirituali conſolatione, & ad augendam Chriſtifidelium devotionem, & animarum ſaluti conſulendum, ſingulis Monialibus in dicto Monaſterio erigendo, tam hac prima vice, quàm perpetuis, & futuris temporibus die ſingularum, & ipſarum ingreſsûs, vel ſtabilimenti, & emiſſionis Profeſſionis, ac tam illarum Officialibus, Miniſtris, & inſervientibus, Converſis, & Procuratoribus, Advocatis, Judicibus, & Defenſoribus bonorum, & Jura dicti Monaſterii protegentibus quibuſvis, in eorum mortis articulo, nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocantibus, & qui verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ipſiſque omnibus, & ſingulis prædictis, ac quibuſvis Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & Confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Monaſterii hujuſmodi in feſtivitate Sanctæ Claræ à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi devotè viſitaverint, & ibi pro Sanctæ Ma-

Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum exſtirpatione, & inter Chriſtianos Principes ſervanda pace, & Romani Pontificis ſalute pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino ſimiliter perpetuò concedimus, & elargimur, & quidquid à quoquam ſuper his quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis de gratiis & indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac Monaſterii, & Ordinis hujuſmodi, etiam Juramento vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, decimo octavo Januarii Pontificatus Noſtri Anno vigeſimo.

Bulla formata in Arch. Monialium.

N O T A.

Licuit de præmiſſo Monaſterio plura reperire Apoſtolica Decreta, quæ tamen, cum potiſſimum vel Domuum locationes, vel bonorum alienationes, ab annis 1674. 1676. 1679. & 1684. factas concernant, ſtudio omittuntur. Poſſident autem Moniales, in eo exiſtentes, bona in communi, cum ſint, & vocentur Moniales Capucinæ Urbaniſtæ, id eſt regulam S. Claræ cum moderatione, ab Urbano Papa IV. deſuper facta profitentes. Capucinas enim ſtrictè tales, & ex puris eleemoſynis ad morem Capucinorum viventes, Sancta Sedes non amplius aut difficulter admittet, cum ex vago illarum quæſtu, qui in caſu penuriæ evitari nequit, varia naſci inconvenientia, neceſſum ſit. Hinc S. Congregatio Epiſcop. & Regul. Moniales Capucinas Bergomi clauſurari, epiſtolâ ad Epiſcopum ibidem anno 1609. datâ, & in dictæ Sacræ Congregationis Secretaria fol. 70. prædicti anni regiſtratâ inhibuit, uſque dum vel Perſona dives, vel aliàs pius locus ſe ad illas in perpetuum alendas obligaret.

Ubi autem Perſona vel locus hujuſmodi non reperitur, regulam S. Claræ juxta moderationem prædictam eas profiteri plerumque convenit. Retinent tamen ex æquo Capucinarum nomen, vel ob Habitum, quem noſtro ſimilem portant, vel ob Conſtitutiones, quas ex noſtris extractas ſervant, & aliquoties noſtro quoque ſubſint ſpirituali gubernio.

Reddunt Monaſterium prædictum celebre non ſolùm evulgata jam ubique, & miraculorum gloriâ illuſtris virtus, qua Ven. Dei Serva Veronica de Julianis in eo, Sacræ profeſſionis ligamine ſe Deo mancipavit hoſtiam viventem, ſanctam, & placentem, verùm etiam regularis; quæ in eo ſemper floruit, Diſciplina, ita, ut ex ipſo Moniales ad alia Monialium Monaſteria reformanda fuerint ſelectæ, prout in ſpecie patet ex epiſtola Sacræ Congregationis prædictæ, Epiſcopo loci inſcripta, ut ſequitur.

Illuſtris, & admodum R. Domine, uti Frater.

Sacra Congregatio, approbante Sanctiſſimo ordinavit, ut ad Monaſterium S. Luciæ Civitatis Plebis Soror Gertrudis, Monaſterii Capucinarum Caſtelli Superioriſſa cum alia Moniale, ab ipsâ Gertrude eligenda ad reſtabiliendam in illo Regul. Diſciplinam transferatur. Inde Emin. Domini mei Amplit. Tuæ inculcari juſſerunt, ut ſolita ſua prudentia dictas Religioſas ad munus, ad quod à Sacra Congregatione pro majore Dei cultu deſtinantur, aſſumendum diſponat. Quem in finem, & Epiſcopo Civitatis Plebis ſcribitur, ut ratione translationis, & Societatis cum Amplit. Tua conveniat. Se ſenſibus Emin. Dominorum meorum conformare ſatagat, & Deus Eam proſperet. Romæ 7. Decemb. 1697.

G. Card. Carpineus.

M. Archiep. Athen. Secret.

Ex Cancell. Epiſc. Caſtell. Vide, & alia infra fol. 143.

Fratribus Peruſii licentiam, in Capella S. Antonii Abbatis Miſſam celebrandi concedi, Epiſcopo Peruſino committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Peruſino.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii moderni Guardianus, & Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Civitatis Peruſinæ, quod ipſi in quadam Cappella ſub invocatione S. Antonii Abbatis prope, & extra eorum Domum Regularem fabricanda, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſe ſummopere deſiderant; Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut opportunam ad hoc licentiam concedere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictorum Guardiani & FF. votis in primis, quantum cum Domino poſſumus, benignè annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, &c. ad effectum præſentium duntaxat conſequendum,

dum, harum ſerie abſolventes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut, ſi Cappellæ hujuſmodi porta, viæ publicæ adjacet, & in ea nulla alia porta, quæ ad aliquam Domum ducat, & quatenus exiſtat, illa omnino claudatur, atque ita à privatis domibus ſeparata ſit, ut per illas ad eam acceſſus, aut proſpectus nemini pateat, Cappellam hujuſmodi ſub inhibitione fel. rec. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, de non celebrando in privatis Oratoriis publicata, minimè comprehenſam declares: & ubi capax, & decenter ornata exiſtat, neque aliquid eorum, quæ ad Sacrum in ea faciendum neceſſaria ſunt, deſideretur, ac demum ſine quorumcunque Jurium Parochialium præjudicio, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi per quemcunque Sacerdotem, à Te approbatum, ſecularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia, Regularem, celebrare, authoritate Noſtra permittas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII. Octobris MDCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno primo.

M. A. Maraldus.

Excmp. in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia S. P. Franciſci.

Rudera Monaſterii à Monialibus Ordinis S. Benedicti olim derelicti, Monialibus Peruſii ad fabricam Cellarum concedi, Vicario Capitulari ibidem committit.

Dilecto Filio Vicario Capitulari Eccleſiæ Peruſin. illius Sede Epiſcopali vacante legitimè deputato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales Capucinæ nùncupatæ Conventus Peruſſin. Ordinis S. Claræ, quod ipſæ, quæ (ut aſſerunt) ſub prima ejuſdem Ordinis regula ex ſolis eleemoſynis vivunt, nec quidquam proprii in communi habent, cellas ſeparatas pro ipſarum exponentium ſingulis conſtruere hactenus nequiverunt; unde in uno Dormitorio, tentoriis ex tela, ſtoreiſque tantùm diſtincto, dormire ſolitæ ſunt, non ſine maxima earum incommoditate. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, quidam Conventus pene dirutus prope, & extra mænia iſtius Civitatis Peruſin. reperiatur, quem dilectæ pariter in Chriſto filiæ Moniales Ordinis S. Benedicti ab anno MDCXLIV. quo tempore inde in alium Conventum, in quo ad præſens degunt, intra eamdem Civitatem ex cauſa belli translatæ fuerunt, citra pro derelicto habuerunt, & in libera Sedis Apoſtolicæ diſpoſitione reliquerunt; Conventûſque derelicti hujuſmodi ruina, temporum injuriâ, perverſorumque hominum, qui illum lignis, ferramentiſque ſpoliârunt, furtis in dies creſcat; prædictæ verò Exponentes cellas ſeparatas in ſupradicto earum Conventu conſtrui facere intendant, ſibique propterea dictum Conventum derelictum, ad effectum inde ſumendi rudera, aliaque ad fabricam Cellarum hujuſmodi utilia, â Nobis concedi plurimùm deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & earum ſingulares perſonas â quibuſvis &c. cenſen. ſupplicationibus earum nomine Nobis &c. inclinati, Diſcretioni Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de narratis, prædictum Conventum derelictum memoratis Exponentibus, ad effectum inde ſumendi rudera, & alia ad fabricam cellarum ſeparatarum in dicto earum Conventu, ſicut præmittitur, conſtruendarum utilia, ſine cujuſquam præjudicio, Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dictorum Ordinum, & Conventuum, ac aliis quibuſvis, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Februarii MDCLIX. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

G. Gualterius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 27.

NO-

EPISTOLA

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Duas Inſtitutrices ad noviter erectum Monaſterium Monialium Montis Caſtrillorum transferri, Epiſcopo loci committitur.

Illuſtris & A. R. Domine uti Frater.

SI novum Monaſterium Terræ Montis Caſtrillorum illius Dioec. ad perfectam Clauſuram redactum, eidemque de redditibus, ac neceſſaria ſupellectile fuerit proviſum, Emin. Domini mei indulgent, ut Amplit. Tua duas inſtitutrices de Monaſterio Montis Chriſti illuc transferat, ita tamen, ut hæc translatio in rheda, vel cum facie velata, ſub Parentum, ſeu aliarum gravium, & honeſtarum Matronarum Societate, rectà, ſine diverſione, vel alia pernoctatione, quàm ex cauſa neceſſarii hoſpitii, perficiatur.

Moniales tranferendæ ſint maturæ ætatis, ad inſtructionem idoneæ, & illicò, ac ibi appulerint, in Monaſterium inducantur, in eoque per ſex annos proximos cunctentur, exercentes alternatim per tres annos officia Abbatiſſæ, & Magiſtræ Novitiorum. Sique tempore hujuſmodi elapſo, ad totius vitæ ſuæ curſum ibi remanere vellent, ad hoc S. Sedis conſenſum requirant.

Circa inſtantias, ab Amplit. Tua factas, ut in Monaſterio Montis Chriſti Puellas in novo Monaſterio Monacandas, ſub titulo educandarum collocare valeat, uſque dum prædicta ſequatur translatio, id arbitrio Amplit. Tuæ remittitur, ſi tamen dicto Monaſterio nec ratione habitationis, vel alimentationis, vel alterius casûs incommodum ſequatur. Quod ex Mandato Emin. D. D. meorum, Amplit. Tuæ ſignifico, quam Deus incolumem ſervet Romæ 20. Julii 1663.

Amplit. Tuæ

Uti Frater.

M. Card. Ginettus Præfectus.

Ex Reg. Secret. Cong. præd.

Ex Cancellaria Epiſc. Tudertina.

NOTA.

ET alias, quæ harum Monialium, Capucinarum nuncupatarum fundationem, & erectionem concernunt, circumſtantias collige ex inſcriptione lapidea ad dexterum latus in pedibus Monaſterii poſita:

D. O. M.

Sacrarum huic Virginum Cœnobio, quod in ſuæ monumentum pietatis Cynthius Accurſius, Nobilis Tudertinus, fato conceſſurus erigendum curavit.

Primum jecit Lapidem.

Joannes Baptiſta S. R. E. Cardinalis de Alteriis, Epiſcopus Tudertinus, qui Chriſti Gynæceum, dum cœpit ædificare, terrena ejus Domus diſſolvitur.

Domûs non manufactæ Incola futurus.

Ea propter ne piæ eorundem fama munificentiæ, ac paſtoralis ſollicitudinis,

Lapide obſtruatur Sepulchrali.

Petrus Maria Bichius, ex Olivetana Familia, ejuſdem muneris ſucceſſor, Alexandri VII. ter Optimi Maximi ex Sorore Nepos.

Tunc temporis Chriſtianum Orbem moderantis.

Idem Monaſterium vix è ſolo exſurgens, toto ambitu conſumavit, Moniales induxit, morum inſtituta Apoſtolica Auctoritate præſcripſit, Eccleſiamque D. D. Franciſco, ad Teſtatoris mentem, Virginique Claræ, & Monialium devotioni D.
Anno reparatæ Salutis MDCLXIII. VIII. Idus Novembris.

DECRETO

S.Congregationis &c. Super Statu Regul.

Reaſſumptio duorum Conventuum, videlicet S. Annæ Spoleti, & S. Crucis Narniæ, cum gratia, ut quatuor Sacerdotes duntaxat ibi degere poſſint, conceditur.

Beatiſſime Pater.

Lib. ſup. in lat. rel. PRocurator Generalis Capucinorum, humillimus Orator, ad S. V. pedes ſupplex exponit, quod cum Religioni duo loca, videlicèt, illud S. Annæ Spoleti, & aliud S. Crucis Narniæ, poſtquam per aliquot annos fuerant ſuppreſſa, à Sacra Congregatione ſuper Statu Regularium, cum Sanctitatis Veſtræ beneplacito fuerint reſtituta, gratiâ conceſsâ ob adjectam conditionem, ut in quolibet eorum loco ſex Sacerdotes degant, gaudere nequeat, cum conditio hæc ob ipſorum locorum incapacitatem adimpleri nequeat, hinc humillimè Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus ordinare dignetur, ut dicta conditio tollatur, & præfati Conventûs modo, quo ante ſuppreſſionem fuerant, reaſſumantur. Quam &c.

P.S. Quando Fratres ibi de Familia degebant, in quolibet dictorum Conventuum tres ad minùs Sacerdotes cum Clerico, pro ſervitio Chori, & aliquoties quatuor Sacerdotes ſuerant.

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium, attentis narratis, petitioni Oratoris benignè annuit pro quatuor Sacerdotibus, & uno Clerico in quolibet Conventu.

Datum Romæ die 4. Julii *1669*.

G. Card. Carpineus.

L. S.

P. Fagnanus Secret.

Exempl. Authent. in Arch. Provinciæ.

Corpus Terrarum, Primogenituræ Familiæ à Monte ſuppoſitum, Monialibus Civitatis Caſtelli ſine caducitatis pœna concedi, & in vices alia bona ſtabilia ſubrogari, Epiſcopo ibidem committit,

Venerabili Fratri Epiſcopo Civitatis Caſtelli.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Marchio Joannes Baptiſta del Monte, quod quondam Joannes Baptiſta Marchio del Monte Senior, in ſuo ultimo teſtamento pinguem hæreditatem ſuam valoris quadringentorum, & amplius millium Scutorum monetæ, Primogenituræ ſuppoſuit, ac bona, ad hæreditatem hujuſmodi ſpectantia, eorumve partem ab Hærede, pro tempore exiſtente, ex quacumque cauſa vendi, permutari, pignorari, obligari, vel hypothecari quovis modo prohibuit, ita, ut in caſum cujuſcumque alienationis hujuſmodi, dominium in acquirentem minimè translatum intelligeretur, ſed Hæres alienans caderet ab hæreditate prædicta, quæ primogenito proximè, per ejus diſpoſitionem vocato deferretur, & aliàs, prout in dicto teſtamento uberiùs dicitur, contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in dicta hæreditate reperiatur quoddam corpus Terrarum in Territorio iſtius Civitatis Caſtelli, juxta ſuos notos fines poſitum, valoris in proprietate mille, & quingentorum Scutorum dictæ monetæ, quod bonis Monaſterii Monialium Capucinarum dictæ Civitatis pro tertia parte ex hæreditate Fundatoris ejuſdem Monaſterii, ad ipſum Monaſterium ſpectantibus adjacet, ſi verò dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales dicti Monaſterii corpus terrarum hujuſmodi emerent, & acquirerent, id magnam eis, & Monaſterio prædicto utilitatem, atque commoditatem præſtaret; &, ut acquiſitio hujuſmodi ad favorem dictarum Monialium ſine damno, quin imò cum utilitate hæreditatis prædictæ fieri poſſit, Dilecta in Chriſto Filia Marchioniſſa Joanna del Monte, uxor dicti Marchionis Joannis Baptiſtæ Exponentis, qui eamdem hæreditatem, tamquam vocatus ad primogenituram prædictam, de præſenti poſſidet, quædam bona ſtabilia majoris valoris in proprietate, majoriſque etiam annui redditûs, quam prædictum Corpus terrarum, in eodem Territorio Civitatis Caſtelli, juxta ſuos pariter notos fines ſita, & ad ſe legitimè, & liberè ſpectantia, nec ulli fideicommiſſo, Canoni, vel devolutioni obnoxia, primogenituræ prædictæ, ejuſque vinculis, in locum corporis terrarum hujuſmodi ſupponere, & ſubrogare parata ſit: Nobis propterea tam prædictus Marchio Joannes Baptiſta Exponens, quàm dictæ Moniales, humiliter

ſup.

ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Marchionem Joannem Baptiſtam Exponentem, & Moniales ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ac prædicti teſtamenti tenorem, & alia quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de narratis, & factâ prius dictorum bonorum ſtabilium, quæ majoris valoris, majoriſque redditûs, & omnino libera ſint, ſuppoſitione, & ſubrogatione hujuſmodi, eidem March. Jo: Baptiſtæ Exponenti, ut ipſe ſupradictum corpus terrarum memoratis Monialibus, earumque Monaſterio vendere, & alienare liberè, licitè, & validè, ac abſque caducitatis, privationis, devolutionis, amiſſionis, aliarumve pœnarum quarumvis in dicto teſtamento quomodolibet appoſitarum, applicatarum, & comminatarum incurſu poſſit, & valeat, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & impartiaris; ac idem corpus terrarum, ad effectum liberæ, & validæ illius venditionis, & alienationis hujuſmodi à dicta Primogenitura, ac vendendi, permutandi, obligandi, & hypothecandi, ſeu quovis modo alienandi, aliiſque prohibitionibus, pœnis, ceteriſque vinculis quibuſcumque, illi quomodolibet adjectis, dicta auctoritate perpetuò eximas, & totaliter liberes, necnon primogenituram, prohibitiones, pœnas, ceteraque vincula hujuſmodi in bona, ſicut præmittitur, ſubroganda, itidem perpetuò, eadem auctoritate, transferas, & tranſportes: Nos enim quamcumque neceſſariam, & opportunam ad præmiſſa facultatem Tibi harum ſerie, auctoritate prædicta tribuimus, & impertimur. Non obſtantibus ſupradicti Marchionis Jo: Baptiſtæ Senioris, etiam ultima voluntate, quam, quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſsè commutamus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, legibus quoque, etiam Imperialibus, & municipalibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Maji MDCLXXI. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

J. G. Sluſius.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 119.

Vide fundationem hujus Monaſterii ſupra fol. 137.

D E C R E T O

S. Congregationis Epiſc. & Regul.

A' Fratribus Fulginei licitè in Capella Eccleſiæ Conventûs Statuam S. Antonii Abbatis teneri, hujus Feſtum ab illis celebrari, ac oblationes recipi poſſe declaratur.

IN Cauſa Fulginatenſi, vertente inter Patres Capucinos ex una, & Religionem S. Antonii Ordinis S. Auguſtini Viennen. partibus ex altera.

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſult. Epiſc. & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Fulginatenſis, Partibus informantibus, referente Emo S. Cæciliæ, cenſuit licuiſſe, & licere Patribus Capucinis Fulginei retinere in Capella propriæ Eccleſiæ Statuam S. Antonii Abbatis, illius feſtum celebrare, & oblationes à ſponte dantibus recipere.

Romæ 25. Maji 1685.

G. Card. Carpineus.

L. S.

Copia auth. cum Scripturis ab utraque parte productis in Arch. gen. Ord. Armar. Provincia S. P. Franciſci. *Vide infra hac de re Cauſam Tudertinam fol.* 147. *& Spoletanam fol.* 156.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul.

Fratres juris nominandi Puellas ad Dotem incapaces cenſentur.

S P O L E T I.

SAcra Congregatio Emorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita, audita relatione Epiſcopi Spoletani, cenſuit, Capucinos eſſe incapaces, & Jus nominandi ſpectare ad Epiſcopum.

Romæ 31. Januarii 1687.

G. Card. Carpineus.

NO-

N O T A.

PRæbuit anſam hujus Decreti condendi Teſtamentum, quo Fabius Amici à Sillano annuam nominationem Puellæ ad 100. ſcutorum Dotem, Guardiano illius loci reliquerat: videtur autem id emanatum, vel Fratribus noſtris ſæculari curâ implicari nolentibus, vel aliàs juri ultro, & pro pacis amore cedentibus. Ne tamen ex hoc casûs particularis exemplo, Religio præjudicium patiatur, reflectendum eſt, quod huic Decreto fuerit derogatum per Decretum, ſeu Reſolutionem Sacræ Congregationis Concilii in Cauſa Papienſi, quam per extenſum videre eſt Tomo primo, fol. 187. quæ eò majorem habet vigorem, quod in circumſtantiis litis formalis, & juribus ex utraque parte deductis, ac diſcuſſis emanaverit. Cumque per hanc Capucinos juris nominandi &c. capaces eſſe generaliter fuerit definitum, eidem eoipſo, quod poſterior ſit, inhærendum eſt, uti in puncto obſervat Fagnanus (*a*), & conſonum eſt tam regulis Canonicis, quàm Civilibus, concorditer ſtatuentibus, quod poſteriora derogent prioribus (*b*). Si autem ipſam Legem, & Canonem afficiat hæc regula, ex majoritate rationis inferendum eſt, quod illa magis afficiat Decreta, & Reſolutiones Sacrarum Congregationum, cum hæ nec Lege, nec Canone majores ſint, ſed vim Legis, & Canonis duntaxat habeant, uti notat Lauræa (*c*), Anacletus Reiffenſtuel (*d*) &c.

Nec requiritur, quod Decreta poſteriora expreſſam faciant mentionem de revocandis, aut revocatis antecedentibus, ſed ſufficit haberi reſolutionem poſteriorem, anteriori contrariam, hæc enim operatur, ut ſtatim inducta cenſeatur revocatio Decreti prioris, ſicuti de Lege, & Canone, ex communi ſententia dicitur, quod ſtatim ac emanavit Lex, ſeu Canon poſterior, anteriori directè contrarius, prævalere debeat, uti videre eſt apud Lauræam (*e*), & paſſim apud alios.

Unde concludendum eſt, quod Decretum, poſterius editum in dicta Cauſa Papienſi, omnino pro regula attendi, & prævalere debeat Decreto Spoletano. Verum quidem eſt, quod & illud in caſu particulari, prout & ſupra de Spoletano dictum eſt, emanaverit, cum tamen rationes ejus ſint generales, omnes quoque caſus generaliter comprehendit, juxtà ea, quæ adducit Fagnanus (*f*).

Laudabiliter proin exercent jus ſuum, & Religionis, Provinciæ illæ, quæ ſepoſito inutilis curæ ſcrupulo, vel pacis turbandæ timore ad Seminaria, Dotes &c. nominant, vel ad electionem Officialium Montium *Pietatis*, concurrunt, vel etiam horum adminiſtrationem, & gubernium cum aliis ſuſcipiunt, prout horum primum in loco Collis Petracci, juxta Diploma ſupra fol. 102. poſitum, & ſecundum in Civitate Aſſiſienſi, juxta Breve Apoſtolicum fol. 130. videndum, Provinciæ S. P. Franciſci, expreſsè conceſſum eſt.

Imò ſi Doctrina, à Conſultiſſimo J. U. D. & Advocato Fargna, olim in Curia Romana propugnata, & in ſuo Commentario de Jurepatronatus fusè (*g*) deducta admittatur, Capucinos Jurispatronatus Gentilitii, ſeu Juris nominandi Rectorem Eccleſiæ capaces eſſe, conſectarium eſt. Pro quo fatus Fargna ſupponit caſum, quo Patronus Eccleſiæ, cui jure hæreditario, vel jure ſanguinis præſentatio Rectoris hujuſmodi competit, noſtram ingrediatur Religionem, & in ea ſolemnem emittat profeſſionem; fulcitque mentem ſuam partim in eo, quod Capucini Legatorum vini pro S. Miſſa, frumenti pro hoſtiis &c. &c. ſint capaces, ex ratione, quod res hujuſmodi non pertineant ad noſtram alimoniam, iiſque non obſtantibus, juxta ſenſa Doctorum, quos cumulatè ibidem citat, à divina duntaxat Providentia dependeamus, partim in illo, quod Capucini, juxta verbum S. Regulæ, & textum expreſſum in *Caput Exiit*. §. *Inſuper & Clement. Exivi*. §. *Demum*, & §. *in deſtitutione*. *de verb. ſignif.* ſunt capaces juris nominandi, eligendi Generales, Provinciales, hos deponendi &c. ex hoc potiſſimum capite, quod hujuſmodi actus puritatem Regulæ non infringant, nec noſtræ contrarientur paupertati, & mendicitati.

Ex quo duplici fundamento, juri recipiendi res præfatas, & eligendi Superiores æquiparat jus præſentandi Rectorem Eccleſiæ, cum hoc nec de curâ divinæ Providentiæ nos eximat, nec (altiſſimæ licet) noſtræ adverſetur Paupertati. Duplicis enim generis jura dari, doctè ibidem advertit Fargna, alia videlicet, quæ ſunt temporalia, pretio æſtimabilia, & Religioſorum commoda pro victu, & veſtitu concernentia, & alia, quæ ſunt ſpiritualia, aut ſpiritualitati annexa, pretio non æſtimabilia, nec utile Religioſorum reſpicientia; dumque Capucinum primorum nec in communi, nec in particulari capacem aſſerit, ſecundorum econtra illum capaciſſimum in exemplo abſolvendi, diſpenſandi &c. &c. coacervato Juriſconſultorum Syllabo demonſtrat: & eoipſo, quod jus præſentandi prædictum, vel purè ſpirituale, & ſpiritualitati annexum, ex conſenſu Canoniſtarum teneat, Capucinos hujus capaces eſſe, valido contendit nervo. Pari quoque criterio refutat, quæ doctrinæ ſuæ obſtare videntur, argumenta. Non enim, ait, Capucinus exinde acquireret jura, Patrono Eccleſiæ, aliàs competentia, & econtra ſtatui Capucinorum è diametro oppoſita, quæ potiſſimum ſunt: proprietas Eccleſiæ, & jus alimentationis. Cum enim res omnes, Conventus, & Eccleſiæ Capucinorum ad Papam ſpectare, illarumque uſum facti, ab uſu juris diſtinctum, Nobis duntaxat conceſſum eſſe, ex Pontificiis Declarationibus ſat clarè liqueat, etiam in noſtra hypotheſi Capucinus ob Patronatum nonniſi uſum dumtaxat Eccleſiæ naneiſceretur, proprietate prædictâ penitùs eliminatâ &c. Quoad jus alimentationis reflectendum eſt, quod hoc Patrono Eccleſiæ ob inopiam non voluntariam, ſed involuntariam deberi, Sacri Canones dictent, inde, cum Capucinus Patronus ſuâ ſponte ſuave Paupertatis jugum in ſe ſuſcepiſſe ſupponatur, cadit quoque ſuapte prætenſione juris ad alimenta, ab Eccleſia Patronata ſibi ſubminiſtranda, eò magis, quod, ſub quacumque ratione hujuſmodi Religioſus conſideretur, jus præfatum ei competere nequeat; vel enim conſideratur reſpectu ſingulorum Religioſorum Monaſterii? & his non debetur jus quæſtionis, cum ſinguli non ſint Patroni. Vel conſideratur reſpectu Monaſterii? & nec huic competit actio, cum nec os, nec corpus habeat, & ideo in hujuſmodi caſu comparari deberet Collegio, vel Communitati, juſpatronatus habenti, & quod ac quæ eo ipſo, quod ſit tantùm corpus fictum, & mixtum, alimentorum incapax, à Lambertino (*h*), Surdo (*i*) &c. cenſetur.

Doctrinâ ita poſitivè, & negativè vallatâ, Fargna Capucinos juris præſentandi Rectores Eccleſiæ capaces eſſe audacter concludit, additque, quod jus hujuſmodi durante vitâ Profeſſi tantùm Religioni, ſeu Mona-

(a) *In cap. Quoniam. n. 56. de Conſtit. fol. mihi 137. col. 1.*

(b) *L. Sed & poſteriores. C. de leg. c. 1. de Conſtit. in 6.*

(c) *In Decr. l. 1. quæſt. prælim. 24. n. 1.*

(d) *In Decr. l. 1. in Proœmio. §. 8. n. 129. & ſeq. fol. mihi 18.*

(e) *In lib. 1. Decr. tit. 2. q. 242.*

(f) *In dicto C. Quoniam num. 66. & 67. de Conſtit. fol. mihi 138. col. 2.*

(g) *Part. 1. Can. V. Caſu 3. fol. mihi 141.*

(h) *De Jurepat. l. 3. q. 4. a. 3. n. 2.*

(i) *De alim. tit. 5. q. 2. n. 1. & ſeq.*

naſterio competat, & ab hoc, ſeu illius Superiore in caſu facienda ſit præſentatio, cum Religioſus per Sacram Profeſſionem omnia bona, cujus Religio capax eſt, in eam transferat.

Quantumvis doctrina hæc nova, & ideò ſtudio hìc per ſynopſin inſerta ſit, firmat nihilominus non obiter noſtram nominandi, adminiſtrandi, & præſentandi capacitatem, de qua alia ſpecifica exempla ſuis in locis dabuntur, ſuccinctè videnda in Indice generali operis verbo: *Jus nominandi &c.*

Legatum pium pro Fabrica Domûs Montis Malbè, â quondam Cynthio Lucini relictum, & ad expenſas Beatificationis, & Canonizationis Fr. Joſephi à Leoniſſa applicari, Epiſcopo committit.

A Tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Peruſino.*

ALEXANDER PAPA VIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Miniſter Provincialis Provinciæ Umbriæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs, nempe anno MDCXLIX. quondam Cinthius Lucini Peruſin. in ſuo ultimo teſtamento, jure legati, ſcuta quingenta viginti quinque monetæ, ea lege reliquit, ut Depoſitario Fratrum prædictorum Conventûs Malbi nuncupatorum Peruſinæ Diœceſis conſignari, & in fabricam dicti Conventûs erogari deberent, & aliàs, prout in dicto Teſtamento uberiùs dicitur contineri. Porrò dicta Scuta quingenta viginti quinque, licèt idem Teſtamentum anno MDCLXIV. apertum fuerit, quia tamen Fratres Conventûs prædicti nullum habebant Depoſitarium, qui illa recipere poſſet, non niſi anno MDCLXXXII. de mandato, tunc exiſtentis Commiſſarii Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, in Apotheca, ſeu Banco Dilecti Filii cognominati de Barnabeis, ad Fratrum prædictorum diſpoſitionem realiter, & cum effectu depoſitata fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Conventus ſupradictus novâ fabricâ non indigeat, quinimò iidem Fratres antiquam, ac ſimplicem illius ſtructuram immutari minimè patiantur, ac proinde dictus Miniſter Provincialis prædicta quingenta viginti quinque ſcuta in expenſas neceſſarias Cauſæ, quæ de præſenti agitur, Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Joſephi à Leoniſſa, dum vixit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum Profeſſoris, applicari poſſe plurimùm deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Miniſtri Provincialis votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac prædicti Teſtamenti tenorem, & alia quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac auditâ ſuper præmiſſis Dilecti Filii noſtri Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris relatione, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, ut conſtito Tibi de narratis, præfata ſcuta quingenta viginti quinque, quæ in fabricam memorati Conventûs, juxta tenorem dicti Teſtamenti, ſicut præfertur, erogari deberent, in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis prædictarum applicari, ac impendi, & converti liberè, & licitè poſſint, & valeant; Ita, ut per hoc diſpoſitioni dicti Teſtamenti ſatisfiat, & ſatisfactum eſſe intelligatur in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi dicta ſcuta quingenta viginti quinque in fabricam ejuſdem Conventûs, juxta tenorem dicti Teſtamenti, erogarentur, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & impartiaris. Non obſtante præfati Cinthii Teſtatoris, etiam ultima voluntate, quàm quoad præmiſſa, ſufficienter, & expreſsè commutamus, ac, quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Conventûs, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè,

&

& ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris di XXVII. Maji MDCXC. Pontificatus Noſtri Anno primo.

I. F. Card. Albanus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſ. & anni præd. fol. 40.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Fratres loci Montis Scopii, non teneri accedere Proceſſiones, quæ occaſione Solemnitatis Corporis Chriſti in Terra Portariæ fiunt, declaratur.

IN cauſa Spoletana vertente inter Communitatem Aquæ ſpartæ ex una, & Communitatem Portariæ partibus ex altera, de, & ſuper acceſſu Patrum Capucinorum S. Franciſci Conventûs Sancti Petri Montis Scoppii ad Proceſſiones, quæ occaſione ſolemnitatis Corporis Chriſti fiunt in Terra Portariæ.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis relationibus Eminentiſſimi Epiſcopi Spoletani, & Epiſcopi Tu*dertini, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Petruccio, cenſuit ac decrevit dictos Patres Capucinos non teneri accedere ad præfatas Proceſſiones, quæ habentur in prædicta Terra Portariæ, ſed remanere debere in ſua libertate. Romæ* 12. *Junii* 1693.

G. Card. Carpineus Præf.

Exemp. auth. in Arch. Provinciæ.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Viſitationem Altaris Majoris ab Officiacialibus Epiſcopi in Eccleſia ejuſdem Conventûs Montis Scoppii factam, non ſuſtineri declaratur.

Spoletana Viſitationis.

GUardianus Capucinorum Montis Scoppii conquerens, quod Officiales Eminentiſſimi Duratii de facto, & contra Privilegia eis aſſiſtentia, viſitaverint Altare majus eorum Eccleſiæ, nunquam prius viſitatum, & ſupplicat prædictam Viſitationem declarari nullam.

Epiſcopus ex actorum revolutione comperit Altaria Eccleſiæ Capucinorum nunquam fuiſſe viſitata, ſolùmque Officiales Deputatos ab Eminentiſſimo Duratio majus Altare viſitâſſe, unde cenſet in poſterum in hujuſmodi viſitatione cautè procedendum, nedum ob non juſtificatam aliquam viſitandi conſuetudinem, ſed attentis etiam Capucinorum privilegiis, â ſimilibus actibus eorum Eccleſiam eximentibus, & hujus Sacræ Congregationis reſolutionibus, juxta quarum tenorem Epiſcopis quidem permittitur, cognoſcere quoad bonam, vel malam adminiſtrationem Confraternitatum, & Capellarum, intra Regularium Eccleſias, etiam non curatas exiſtentium, non autem ita de facili viſitare ipſas Capellas, Altaria &c.

Die 6. Auguſti 1695. *Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum audita relatione Epiſcopi Spoletani cenſuit prædictam viſitationem non ſubſiſteri.*

G. Card. Mareſcottus Propræfectus.

L. S.

R. Pall. Secret.

Ex Reg. ſeu lib. 45. *Secret. Congreg. menſis & anni præd. fol.* 451.

DECRETO

S. Congregationis Epiſc. & Regul.

A Fratribus Civitatis Tudertinæ Eleemoſynas in feſto S. Antonii Abbatis, non obſtantibus privilegiis Patrum S. Antonii Viennen. liberè recipi poſſe, ſancitur.

IN Cauſa Tudertina vertente inter Patres S. Antonii Viennenſis, & Societatem S. Antonii dictæ Civitatis ex una, ac Patres Ordinis Capucinorum S. Franciſci ejuſdem Civitatis partibus ex altera, de, & ſuper receptione eleemoſynarum iu feſtivitate S. Antonii Abbatis.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Car-

Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſc. & Regular. præpoſita Partibus ipſis auditis, referente Emin. Carpineo, ejuſdem Sacræ Congregationis Præfecto, cenſuit, ac decrevit ſuper præmiſsis ſervandum eſſe ſolitum, prout præſentis Decreti vigore ſervari mandat. Romæ die 18. *Novemb.* 1695.

C. Card. Carpineus.

Exemp. Aut. in Arch. Ord., & Provinciæ.

L. S.

M. Archiep. Athen. Secret.

N O T A.

SOlitum, quod vigore hujus Decreti ſervari mandatur, fuit & eſt, ut elemoſynæ in feſto prædicto liberè recipiantur, prout ex Scripturis deſuper pendente lite confectis, & in Arch. Generali Ord. Armar. *Provincia S. P. Franciſci* reſervatis conſtat.

Vide ſupra fol. 144. *Cauſam Fulginatenſem, & infra fol.* 151. *Spoletanam.*

D E C R E T O.

Sacra Congreg. Epiſc., & Regul.

Fratribus loci, *Abbatia* nuncupati, tempore æſtivo, in loco S. Malliani dicto, per modum Hoſpitii morari poſſe indulgetur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. Sup. in Lat. rel. PRovincialis, & Diffinitores Capucinorum Provinciæ S. Franciſci, vel aliàs Umbriæ, humillimi EE. VV. Oratores reverenter exponunt, quod in ipſorum Provincia ſub Dominio Ducis Cibo habeant Conventum, Abbatià nuncupatum, ubi, cum aer tempore æſtivo ſit minus ſalubris, Fratres ſæpius infirmantur: ex quo ſequitur, quod Obſervantia regularis non poſſit conſervari, & cultus Dei cum quadam negligentia peragatur. Inde ad removenda hujuſmodi inconvenientia, & ad regularem obſervantiam manutenendam, Oratores prædicti intendunt ſumere pro tempore æſtatis intra eundem, Ducis Cibo Statum territorialem, alium aeris melioris ſitum, *S. Maigliano* nuncupatum Diœceſis Nullius, per modum Hoſpitii (ſi EE. VV. id ratihabeant) qui eſt Eremitorium Reverendiſſimi Capituli S. Joannis Lateranenſis, à quo licentia jam benignè fuit obtenta, prout Oratores, caſu quo deſuper requirantur, EE. VV. exhibebunt. Et cum juxta Ordinis Conſtitutiones locum abſque Sacræ Sedis licentia ſumere prohibitum ſit, ſupplicant EE. VV. Oratores, quatenus facultatem ſumendi prædictum locum *Sancti Malliani* iis impertiri dignentur.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Interamnenſis, referente Eminentiſſimo S. Clementis cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore benignè committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & accedente conſenſu Capituli S. Joannis Lateranenſis, petitam facultatem, pro tempore æſtivo tantùm, pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur. Romæ 28. *Julii* 1702.

G. Cardinalis Carpineus.

L. S.

N. Grimaldus Secretarius.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ. & anni præd.

D E C R E T O.

Sacra Congreg. Epiſc. & Regul.

Habitatio, ad Montem Pietatis in Terra Caſſiæ ſpectans, Fratribus ibidem pro Hoſpitio conceditur.

Emin. ac Rev. Domini, Domini.

GUardianus Capucinorum Terræ Caſſiæ Provinciæ S. P. Franciſci humiliſſimus *Lib. Sup. in Lat. trad.* EE. VV. Orator reverenter exponit, quod Hoſpitium ſui Conventûs in prædicta Terra ſitum, & FF. quæſtuantibus pro aſylo, & commodo neceſſarium, terræmotibus fuerit deſtructum, cumque ab illa Communitate ad memoratum finem alia manſio ad Montem Pietatis, præfatæ Terræ ſpectans, fuerit oblata, & ideo pro hac, ceu loco Pio, EE. VV. licentia requiratur, pro illa humillimè ſupplicat.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſ., & Reverendiſſ. S. R. Eccleſiæ Cardinalium negot. & conſultat. Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Spoletani, Eidem benignè conceſſit, & committit, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus expedire cenſuerit, petitam

titam facultatem pro ſuo arbitrio & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut uſus tantùm manſionis pro ſimplici Hoſpitio concedatur, reſervato jure Monti Pietatis toties quoties videbitur, eidem recuperandi &c. Romæ 12. *Novembris* 1706.

G. Cardinalis Carpineus Præf.

Ferdinandus Archiepiſcopus Nicenus Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Clerico contra ſuam, ante 18. ætatis annum expletum factam Profeſſionem reclamanti, Reſtitutio in integrum denegatur.

Peruſina Reſtitutionis in integrum.

INter plura requiſita, quibus præditi eſſe debent recipiendi ad Novitiatum in Ordine PP. Capucinorum, illud recenſetur in Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis c. 2. pag. 20. num. 9., *qui pro Clerico recipi cupit, communiter* 17. *annos finitos habeat. Et ſi quis PP. Miniſtrorum Provincialium quemdam Novitium contra prædictos Ordines receperit, volumus, ut in ſequente Capitulo in Refectorio faciat Diſciplinam, ultra pœnas, in Conſtitutionibus Apoſtolicis contentas, in quas incurriſſe intelligantur, ſi quem contra formam in Conſtitutionibus expreſſam receperint.*

Cum autem N. N. natus ſub die 13. Septembris 1684. percuperet præfatæ Religioni ſeſe in Clericum Choriſtam addicere, cumque ſibi deeſſet legitima ætas decimi ſeptimi anni expleti, ad peragendum probationis annum, juxta præſignatam formam dictarum Conſtitutionum, diſpenſationem deſuper obtinuit à Sacra Congregatione ſuper Diſciplina Regulari, adjecta conditione: dummodo ante legitimam ætatem Regularem Profeſſionem non emittat, & in reliquis ſerventur ea, quæ continentur in Decreto, de Mandato S. Mem. Alexandri VII. edito 2. Maii 1655.

Sicque ſub die 5. Septembris Anni 1700. eodem Sæculari nomine retento, Regularem Habitum aſſumpſit in Conventu Montis Malbi ſito in Agro Peruſino ejuſdem Religionis, ac ſucceſſivè, ſub die 5. pariter Menſis Septembris ſubſequentis anni 1701. inibi ſolemnem profeſſionem emiſit, & Subdiaconatûs Ordinem ſuſcepit.

Advertens autem Orator, quod profeſſionem emiſerit, adhuc non exacto ætatis anno 17. cum in anno 18. expleto debuiſſet illam perficere, humiliter ſupplicavit pro gratia reſtitutionis in integrum, ob quinquennii lapſum.

Epiſcopus, qui in præmiſſis informare fuit juſſus, eadem confirmando, Oratorem fore exaudiendum cenſet ex eodem mox enunciato motivo, quod profeſſionem fecerit ante completum annum 18., quodque clauſula appoſita in ſupramemorata diſpenſatione: *dummodo ante ætatem legitimam Regularem Profeſſionem non emittat*; ſit intelligenda de ætate præſcripta ab iiſdem Conſtitutionibus, non autem à S. C. Tridentino, quod quidem depromi contendit Informans ex Decreto Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium, lato pro Novitiis admittendis ad Habitum Capucinorum ſub die 6. Decembris 169.. in Summario exhibendo, in quo, poſtquam eadem S. Congregatio ad primum dubium reſpondit, validas fuiſſe Profeſſiones, uſque tunc factas ad formam Sac. Con. Trid., Conſtitutionibus ipſius Religionis non obſtantibus, ſubinde ad tertium declaravit, in Novitiis recipiendis ſervandas eſſe Conſtitutiones Religionis, & annum decimumſeptimum in Clericis, & decimum nonum in Converſis debere inpoſterum eſſe completum, impoſitâ Superioribus contravenientibus pœnâ privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio Sacræ Congregationis, prout latiùs in relatione in eodem ſummario danda. Quibus omnibus impugnatis per Religionem, ſignanter ex defectu Decreti irritantis, non gravabuntur EE. VV. ex juribus hinc inde circumferendis definire.

An ſit locus reſtitutioni in integrum in Caſu? &c.

Die 15. *Januarii* 1708. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit negativè, & hujuſmodi Cauſam ampliùs non proponi mandavit.*

B. Card. Panciaticus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Petra Secret.

Ex Regeſto, ſeu lib. 58. *Secret. Congreg. menſis, & anni præd. fol.* 21.

DE-

D E C R E T O.

S. Congreg. Epiſcoporum, & Regul.

Cauſa quæſtuationis inter Provincias, Umbriæ, & Marchiæ vertens, ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem pro deciſione remittitur, & ab hoc plenè terminatur.

IN cauſa vertente inter Fratres Provinciæ Marchiæ ex una, & Fratres Provinciæ Umbriæ Ordinis Capucinorum S. Franciſci Partibus ex altera de, & ſuper quæſtuatione eleemoſynarum in confiniis eorum Conventuum.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis relationibus Epiſcoporum S. Angeli in Vado, & Urbaniæ, Camerinenſis, & Peruſini, & viſa relatione P. Procuratoris Generalis, Partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo S. Clementis cenſuit, ac decrevit, hujuſmodi Controverſiæ deciſionem remittendam eſſe ad Eminentiſſimum Acciajolum, dicti Ordinis apud S. Sedem Protectorem cum facultatibus ejuſdem Sacræ Congregationis, prout præſentis Decreti vigore benignè remittit. Romæ 3. *Februarii* 1708.

G. Card. Carpineus.

L. S.

F. Archiep. Nicen. Secret.

Autograph. in Archivo Gen. Ord. Arm. Provincia S. P. Franciſci.

N O T A.

CUM poſtea ex Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris Ordine, & pacis zelo Patres ex utraque Provincia anno 1709. Romæ tempore Capituli Generalis conveniſſent, ac inſtrumentum de modo deinceps tenendo, ſeu quædam concordata unito conſilio confeciſſent, in Archivo Generali Armario dicto, originaliter reſervata, ac tunc Rmæ Definitioni Generali 6. Junii ad reviſionem præſentata, Hæc ea in omnibus, & per omnia approbando, Eminentiſſimo Cardinali Protectori illa pro confirmatione remiſit, qui & ea auctoritate ſibi à S. Congregatione ſpecialiter attributa, ſequenti confirmavit Decreto.

Nos Nicolaus Divina miſeratione Epiſcopus Portuenſis, S. R. E. Cardinalis Acciajolus, & apud S. Sedem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Protector.

Cum in cauſa vertente inter PP. Capucinos Provinciæ S. Franciſci in Umbria ex una, & PP. Provinciæ Marchiæ ex altera Partibus, exagitata in S. Congregatione Epiſc., & Regul. de, & ſuper locis quæſtuationum hinc inde prætenſis, placuerit ipſi S. Congregationi ipſam cauſam noſtro arbitrio committere cognoſcendam, & reſolvendam, per ſuum Decretum ſub die 3. *Februarii* 1708., *& virtute talis Decreti Nos mandaverimus per acceſſum perſonalem dictorum Patrum, ad hoc Deputatorum, ad loca hinc inde prætenſa; & per eorum viſitationem & inſpectionem ocularem de talis cauſæ meritis cognoſci, aliaque egerimus, quibus tandem Partes ipſæ, præviâ diligenti omnium diſcuſſione habitâ, de Mandato noſtro coram P. Generali, & Definitoribus Generalibus in Capitulo congregatis, tandem ipſæ Partes convenerunt ſponte in concordato, ſeu concordatis, in Superioribus actis, vel tranſactionibus expreſſis, acceptatis, & ſubſcriptis â Partibus, & debitè ſtipulatis coram definitione Generali, ut patet in ipſis.*

Cumque à P. Generali cum Diffinitorio Generali per eorum ſupplicem Libellum Nobis humiliter ſupplicatum fuerit, ut tali concordato Noſtræ Auctoritatis, à prædicta Sacra Congregatione Nobis in hac cauſa attributæ robur conferre dignaremur, & pro inviolabili præmiſſorum obſervantia pœnas ſtatuere contra tranſgreſſores, in Libello ſupplici prædicto expreſſas. Nos harum ſerie, & tenore confirmamus, approbamus concordata, ut ſupra, & firmiter mandamus Partibus hinc inde inviolabiliter obſervari ſub pœnis in dicto Libello ſupplici taxatis, aliiſque Noſtro arbitrio infligendis, ſi opus fuerit.

Quas pœnas auctoritate noſtra confirmantes volumus omnino executioni mandari ad hoc, ut Pax, & Charitas impoſterùm inter prædictas Provincias ſemper conſervetur.

Sic dicimus, confirmamus, mandamus, & decernimus, hoc & omni meliori modo &c. Datum Romæ in Noſtro Palatio, Die 10. *Julii* 1709.

N. Epiſcopus Portuenſis Card. Acciajolus Protector.

Loco ✠ Sigilli.

Autograph. cum omnibus aliis Documentis, & ipſis concordatis in loco Archivi Generalis ſupra citato.

DE-

DECRETO.

S. Congregat. Epiſc. & Regularium.

Fratres Spoleti in poſſeſſione celebrandi feſtum S. Antonii Abbatis, & equos benedicendi manutenentur.

IN cauſa Spoletana. Feſtivitatis Sancti Antonii Abbatis, vertente inter Fratres Minores Obſervantes S. Franciſci, & Capucinos ejuſdem Civitatis de, & ſuper prætenſione dictorum Patrum Obſervantium, contendentium, quod Feſtivitas prædicta, & benedictio Equorum, & aliorum animalium fieri debeat in eorum Eccleſia, privativè ad Capucinos, & iſti è converſo allegantes pro ſe immemorabilem conſuetudinem, illam celebrandi, & reſpectivè benedicendi in eorum parva Eccleſia.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſa relatione prædefuncti Epiſcopi Spoletani, ac documentis, unà cum juribus diſtributis, maturè perpenſis; referente Eminentiſſimo D. Cardinali Zondadario, cenſuit, & decrevit, ſervandum eſſe ſolitum; prout præſentis decreti vigore ſervari mandat, & præcipit. Romæ 7. Februari 1727.

Card. Franciſcus Barberinus.

Loco ✠ Sigilli.

A. Archiep. Lariſſæ Secret.

Ex Reg. Secret. Cong. menſis, & anni præd. de quo exempl. Authentic. in Arch. Provinciæ.

NOTA.

Monumentum, quo ſupradicta Eccleſia nobis fuit conceſſa, & allegata à nobis poſſeſſio benedicendi firmata, eſt tenoris ſequentis.

IN Nomine Domini Amen: Die 21. *Menſis Februarii* 1714. *in mei &c. præſens & perſonaliter conſtitutus Joſeph Filius quondam Reſtanii à Spoleto, ætatis ſuæ annorum* 85. *circiter Teſtis per me &c. ad perpetuam rei memoriam, pro veritate examinatus pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimæ Dominæ Comitiſſæ, Barbaræ Ricciæ de Benedictis à Spoleto, qui delato ſibi per me &c. juramento veritatis dicendæ, prout tactis &c. juravit, & depoſuit, prout infra videlicet:*

Dico, & atteſtor pro veritate, qualiter quondam Reſtanius Pater meus, in vivis & uſque ad mortem inter alia bona habuit, tenuit, gaviſus eſt, & poſſedit petium terræ laborativæ, vitibuſque fœcundæ cum Domo parùm ab hac Civitate Spoletana diſſita, in via Romana Summam versùs tendente, cum vocabulo S. Antoniuccio, *ad pedem Montis, in quo Conventus, & locus novus Capucinorum versùs dictam viam Romanam ſitus eſt. Ante dictum terræ petium autem versùs viam Romanam reperitur Capella, ſeu Eccleſia cum Imagine S. Antonii Abbatis, & habitaculo, ſeu ſtantia, memoratæ Eccleſiæ unita, ad ligna in ea conſervanda opportunâ.*

Quam Eccleſiam, ſeu Capellam cum Stantia, dicto petio terræ duntaxat à parte poſteriore & lateribus unitam, & cum portis viam Romanam reſpicientem, poſt præfati mei Patris mortem ego poſſedi, uſque dum illam cum aliis bonis Annæ Cæciliæ, Filiæ Petri Mathiæ Santini ante 5. *vel* 6. *annos in dotem dedi.*

Teſtor pariter pro veritate, qualiter præmiſſa Capella, & Eccleſia S. Antonii cum contigua ſtantia, ſemper à Capucinis Conventûs novi prædicti, ibi S. Miſſam, præſertim in feſto S. Antonii Abb. celebrantibus, omneſque alias functiones & benedictionem Animalium peragentibus fuit poſſeſſa, & officiata.

Quod ipſum & tempore Patris mei factum eſſe, probè recordor, qui omnem facultatem in dictam Eccleſiam, & ſtantiam ſibi competentem, ſe Capucinis conceſſiſſe aſſeruerat, cum onere, ut pro commodò itinerantium quolibet Sabbatho Miſſam ibi celebrarent: dictos enim Patres ligno egere, iiſque, ceu Mendicantibus, faciendæ proviſionis media deeſſe, & econtra, habentibus iis præfatæ Eccleſiæ poſſeſſionem à quolibet cum animalibus onuſtis tranſeunte fruſtum ligni illis relictum eſſe, & relinqui in eleemoſynam, ab experientia noſcebat.

Hinc, & ego piam Patris mei intentionem proſecuturus, & ab eo, de omnibus, quæ depoſui, plenè informatus, dictis Patribus fatam Eccleſiam, & Stantiam liberè reliqui, haud aliter, ac illa iis à dicto meo Patre fuit relicta, ſeu conſignata, nec unquam prætendi, nec prætendo ullum jus, nec unquam piam intentionem, & charitatem Patris mei erga PP. Capucinos impedire volùi, & in actu, quo dictum terræ petium dictæ Annæ Cæciliæ pro dote dedi, prædictam Capellam, & Stantiam ceu dictorum Patrum propriam, & iis ex memorati Reſtanii Patris mei charitate conſignatam, comprehendi nolui: cum, uti dixi, Patres memorati tam tempore mei Patris, quàm meo, uſque ad præſens liberè, & pacificè eâ fruantur, & in illa efficient. Indubitatum quoque eſt, quod abſque illa PP. Capucini ob lignorum penuriam in prædicto novi Conventûs loco diu habitare nequirent, dum econtra attentâ eleemoſyna, quæ eorum intuitu in dicta Eccleſia offertur, ſeu relinquitur, ſufficiens iis obtingat lignorum proviſio.

Et hoc ſcio, cum id pluribus, & diverſis vicibus à Patre meo dici audiverim, illudque ab ipſo practicari viderim, & ego ipſe quoque poſt ejus obitum practicaverim. Cumque ſit res publica, notoria & manifeſta, ſuper &c. me &c.

Actum &c. Spoleti in Palatio dictæ Illuſtriſſimæ Dominæ Comitiſſæ Barbaræ ſito &c., penes &c. ibidem præſentibus &c. Et ego &c.

Autog. in Arch. Conventus, de quo exemp. auth. in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia S. P. Franciſci.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſc., & Regul.

Ad inſtantias Communitatis Subluci, Hoſpitium S. Bernardini nuncupatum, Fratribus Romitæ conceditur, dominio ejuſdem S. Sedi reſervato.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. Sup. in Lat. rel.

COmmunitas Subluci humillima EE. VV. Oratrix exponit, quod haud procul â prædicta Terra extra habitationes intra muros reperiatur Hoſpitium, S. Bernardini nuncupatum, cumque ſucceſſu temporis certæ ruinæ foret obnoxium, menſe Sept. anni elapſi in publico Conſilio illud Capucinis relinquere decrevit, quatenus illo uterentur euntes mendicatum, & pro omni alio caſu, facerentque ibi Feſta, & illud â ruina cuſtodirent. Quem in finem Communitas prædicta, Sacræ Congregationi Regiminis libellum ſupplicem cum adjuncta Decreti à Concilio facti copia porrexit, autumans, dictam Congregationem eſſe competens dandæ Licentiæ Tribunal, quæ ſumpta à Gubernatore locali, & ſucceſſivè ab illuſtriſſimo D. Epiſcopo Interamnæ informatione, in omnibus, & per omnia favorabili, Communitati Oratrici in ultima Congregatione benignam, dicti Hoſpitii uſumfructûs PP. Capucinis dandi, conceſſit licentiam, dummodo deſuper à Communitate obtineretur EE. VV. Oraculum. Hinc Eadem ad EE. VV. ſuppliciter recurrit, quatenus hujuſmodi licentiam pro Communitatis memoratæ, & PP. Capucinorum conſolatione impertiri dignentur.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione P. Proc. Generalis, benignè commiſit Epiſcopo Interamnenſi, ut veris exiſtentibus narratis præfatum Hoſpitium Patribus Capucinis concedat, ita tamen, ut illius Dominium non eiſdem Fratribus, ſed Sanctæ Sedi reſervatum intelligatur, formam ſimplicis Hoſpitii non excedat, & in reliquis omnia â Conſtitutionibus Ordinis præſcripta Religioſè ſerventur. Romæ 24. April. 1733.

Card. Franc. Barberinus.

I. Archiep. Corint. Secret.

Exemp. Auth. in Arch. Conventus Interamnæ.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Idem Hoſpitium â juriſdictione Ordinarii eximitur.

ANtequam hoc decerneretur, fuit â Sacra Congregatione expetitum Illuſtriſs. D. Ordinarii votum, quod datum fuit ſub tenore ſequenti:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Ad expoſitionem P. Provincialis Capucinorum in Libello ſupplici, EE. VV. porrecto, & ad me remiſſo pro informatione, quod â S. Congregatione habuerit aſſenſum acceptandi Hoſpitium cum Eccleſia annexa intra terram Subluci, ſuppono, quod EE. VV. legerint informationem, â me S. Congregationi Regiminis circa Libellum ſupplicem, quo Communitas â dicta Congregatione aſſenſum, dictis Patribus præfatum Hoſpitium, ceu jus ſuum honorificum concedendi petiit, datam. Inde id, quod in ea fuit expoſitum, repetere nolo, ſed ad id ſolùm me reſtringo quod efflagitant, videlicet, ut EE. VV. Decreto adjungatur, quod dicta Eccleſia cum Hoſpitio â Viſitatione Ordinarii maneat exempta. Ad quod, ſi aliud præter meum aſſenſum non requiratur, hunc libenter præbeo, reflectens, quod Eccleſia â dictis Patribus cum decore ſit cuſtodienda, nec ita facilè lapſura ad ruinam, prout laberetur, ſi â Communitatis curâ dependeret: foret enim ſub tali aſylus malè viventium, & aliarum Perſonarum miſerabilium. Requiro tamen, ut fiat ingreſſus.... ne debeat tranſiri per Eccleſiam, & ut exhibeatur in Cancellaria Inventarium rerum illarum, quæ ibi reperiuntur. Et cum profundiſſima reverentia.

Theodorus Pungellus Epiſc. Interam.

Attenta conditione faciendi ingreſsûs, ab Illuſtriſſimo D. Ordinario requiſita, P. Provincialis de hujus executione Sacram Congregationem reddidit certiorem, ſequente Libello ſupplici.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Provincialis Capucinorum Umbriæ EE. VV. humillimè exponit, quod, poſtquam ipſis â Communitate Subluci uſus Hoſpitii in vicinia illius Terræ ſituati, accedente etiam EE. VV. beneplacito, & permiſſione (uti ex Decreto 24. Aprilis anni currentis 1733. emanato conſtat) fuit conceſſus, & ab Oratore ſupplicatum

ut

ut Hoſpitium prædictum à viſitatione, & juriſdictione Ordinarii foret liberum, Hic à Sacra Congregatione deſuper fuerit requiſitus, qui relatione ſua inſtantiis acceſſit, ſolùmque indecens ipſi fuit viſum, quod debeat tranſiri per Eccleſiam ad ..... &c. Nihilominus, ne hoc gratiam, pro qua ſupplicatur, impediat, Orator aliam portam juxta D. Ordinarii beneplacitum fieri curabit, quatenus acceſſus ad Hoſpitium ſine tranſitu per Eccleſiam pateat, ſi ab EE. VV. ipſi deſuper detur facultas.
Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Cardinalium, negotiis, & Conſultationibus Epiſc., & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Interamnenſis, eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus enarratis, & quatenus ſibi conſtiterit de adimplemento conditionum, ab Ipſo requiſitarum, ad declarationem exemptionis præfati Hoſpitii à viſitatione, & juriſdictione Ordinarii pro ſuo arbitrio, & conſcientia deveniat. Romæ 22. Auguſti 1733.

Card. Franciſcus Barberinus.

Joſ. Arch. Corin. Secret.

Exempl. Auth. in Archivo ſupradicto.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

Ven. Corpus B. Joſephi â Leoniſſa recognoſci, ac ad Eccleſiam SS. Suffragii Leoniſſæ transferri committitur, ac inſignes Reliquias ab eodem diſtrahi &c. ſub excommunicatione, Sanctæ Sedi reſervatâ, prohibetur.

A tergo: Reverendiſſimis Dominis, uti Fratribus, Epiſcopis Spoletano, & Reatino.

Intus verò: Reatina, & Spoletana.

Translationis Corporis B. Joſephi à Leoniſſa Sacerdotis, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum.

AD humillimas preces Civitatis, & Populi Leoniſſæ, necnon Reverendiſſimi P. Generalis Ordinis Minorum Capucinorum, nomine etiam totius ſuæ Religionis inſtantias, Sacræ Rituum Congregationi porrectas, pro extractione Corporis dicti B. Joſephi â Sepulchro, ubi ad præſens reconditum eſt, ac illius translatione ad Altare majus Venerabilis Eccleſiæ Sanctiſſimi Suffragii ejuſdem Civitatis, Sacra eadem Congregatio extractionem, & translationem petitam, juxta inſtructionem R. P. D. Ludovici de Valentibus, Fidei Promotoris, fieri poſſe cenſuit, inhibendo ſub pœnâ excommunicationis, S. Sedi reſervatæ, ipſo facto incurrendæ, quibuſcunque in quavis Eccleſiaſtica, ac etiam Epiſcopali dignitate conſtitutis, ſibi attribuere, vel aliis donare, aut diſtribuere Reliquias inſignes ejuſdem Beati, ſi SS. Domino Noſtro viſum fuerit, die 31. Auguſti 1737.

Et facta per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, prædictumque Decretum ipſius Sacræ Congregationis approbavit, die 6. Septembris ejuſdem Anni 1737.

A. F. Cardinalis Zondadarius Præf.

T. Patriarcha Hieroſol. Secret.

NOTA.

CUM Corpora Fratrum noſtrorum, qui in mundo converſati, fulſerunt juſti, & poſt mortem tanquam ſcintillæ in arundineto Divinæ Viſionis diſcurrere creduntur, recognoſci, & ad Sacri honoris primitias transferri non rarò contingat, moduſque, quo deſuper procedi debet, ad manus plerumque non habeatur, proceſſum in recognoſcendo &c. B. Joſephi Corpore, cum omnibus formalitatibus confectum, pro norma, & regula hic ſupponi, conſultum, & operoſum fuit judicatum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

,, Die 25. Septembris Anni 1737. pro Illuſtriſsima Communitate Civitatis Leoniſſæ, Spoletanæ,
,, & Reatinæ promiſcuæ Diœceſis, ac Venerabili Religione Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucino-
,, rum = contra quoſcunque ſuper translatione Corporis B. Joſephi à Leoniſſa Sacerdotis ejuſdem Ordinis, co-
,, ram Illmo, & Rmo D. Petro Carolo de Benedictis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Spoletano
,, Pontificii Solii Aſsiſtente = Comparuit R. D. Petrus Paulus Sinibaldi à Leoniſſa, Spoleti Incola, Procura-
,, tor ad hoc ſpecialiter conſtitutus ab Illma Civitate Leoniſſæ, præſentibus Civibus Illuſtriſsimis DD. Priori-
,, bus Reſidentibus, prout ex Chirographo Mandati Procuræ, quod mihi Cancellario conſignavit, ad effectum hic
,, allegandi tenoris, necnon intervenien. pro Venerabili Religione Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum,
,, & humillimè expoſuit, atque narravit, in cauſa Beatificationis B. Joſephi à Leoniſſa prædicti, Sacerdo-

„ tis, & Concionatoris ejuſdem Ordinis, per Sacram Rituum Congregationem, ad preces dictorum Domi„ norum, ſuorum Principalium, fuiſſe conceſſam facultatem transferendi â Sepulchro, ubi de præſenti re„ conditum reperitur, Corpus ejuſdem B. Joſephi ad Altare Majus Ven. Eccleſiæ SS. Suffragii antedictæ Ci„ vitatis, hujuſmodique extractionem & translationem extitiſſe commiſſam Dom. Suæ Illmæ, & Rmæ, „ ac Illmo, & Rmo D. Epiſcopo Reatino, prout ex literis ipſius S. Congregationis, quas unà cum pre„ cibus eorumdem Dominorum, ſuorum Principalium exhibuit, & præſentavit Dom. Suæ Illmæ, & Rmæ „ petens ad illarum executionem deveniri, prout melius placuerit, & expediens videbitur Dom. Suæ Illmæ, „ & Rmæ implorans &c. offerens &c. â ſe tamen &c. ſalvo jure, ſalvis &c. Qui Illmus, & Rmus D. Epi„ ſcopus Spoletanus ſedens &c. eâ, quâ decet, reverentiâ, dictas literas recepit, aperuit, & perlegit, & „ mihi Cancellario infraſcripto ad effectum faciendi de actis, unà cum exhibitis precibus conſignavit &c. „ ſuperius expoſita, & narrata admiſit, ſi = & in quantum, & ex parte ſua obtulit ſe promptum, & pa„ ratum ad earumdem Litterarum executionem devenire, & pro effectu hujuſmodi, attentis aliis negotiis ſui „ Epiſcopalis muneris, in ejus locum, & vicem ſubdelegavit Reverendiſſimum D. Abbatem Jacobum Phi„ lippum Conſoli, ejus Vicarium Generalem, necnon deputavit in Promotorem Fiſcalem loco Domini ſub„ Promotoris Fidei, R. D. Chriſpolitum Battaglia, Beneficiatum Eccleſiæ Cathedralis Spoleti, ac D. Cri„ ſpinum Staffa Notarium, & Cancellarium Curiæ Eccleſiaſticæ Reatinæ, & me Notarium, & Cancellarium „ infraſcriptum, in Connotarios, pro compilatione actorum faciendorum cum omnibus facultatibus neceſſariis, „ & opportunis, & ita &c. omni &c.

P. C. Epiſcopus Spoletanus Judex Delegatus.

Simon Carolus Statera Notarius, & Cancellarius Curiæ Epiſcopalis Spoleti.

Tenor prædicti Chirographi eſt ſequens, videlicet:

„ IN NOMINE DOMINI Amen. Cunctis ubique pateat, qualiter Nos Illuſtriſsimi Domini Fran„ ciſcus Raucus, Petrus Paulus Coccia, Simon Palla, & Jacobus de Stephano, omnes Priores Reſidentes, & „ legitimi Adminiſtratores Univerſitatis, & Regiminis hujus Civitatis Leoniſſæ, non valentes ad infraſcri„ pta omnia perſonaliter intervenire, non vi &c. ſed ſpontè &c. omnique meliori modo &c. facimus, & „ conſtituimus noſtrum, & dictæ noſtræ Univerſitatis Procuratorem actorum &c. R. Dominum Petrum Pau„ lum Sinibaldi, noſtrum Concivem abſentem, tanquam præſentem ad vices, & nomine noſtro, & dictæ „ noſtræ Univerſitatis, & pro Nobis comparendum coram Illuſtriſsimis, & Reverendiſsimis Dominis Epi„ ſcopis Spoletano, & Reatino, eorum, & cujuslibet ipſorum Subdelegatis, & Deputatis, ſive Subdele„ gandis, & deputandis, ad porrigendum, & præſentandum Decretum facultativum Sacræ Congregationis Ri„ tuum ſuper translatione Corporis B. Joſephi à Leoniſſa Ord. Min. S. Franciſci Capucinorum, inſtandum „ & agendum, quidquid opus fuerit, juxta illius ſeriem, continentiam, & tenorem, ita, & taliter, quod „ ſuum debitum ſortiatur effectum, omniaque alia agenda, quæ in præmiſsis, & circa ea quomodolibet neceſ„ ſaria, & opportuna ſunt, Mandatumque magis ſpeciale, quàm præſentibus expreſſum requirunt, & quæ Noſ„ metipſi Illmi D. Conſtituentes faceremus, aut facere poſſemus, ſi præſentes, & perſonaliter adeſſemus, „ etiamſi talia forent, quæ noſtram præſentiam, & aſsiſtentiam requirerent, cum plena, libera, & omni„ modâ facultate & auctoritate, etiam ad ſic, & ſic, & cum facultate ſubſtituendi in forma, &c. unum „ vel plures Procuratorem, vel Procuratores, & quacunque alia facultate ad effectum prædictum neceſ„ ſaria, & opportuna &c. & promittimus habere ratum &c. quidquid &c. per dictum D. Noſtrum Procu„ ratorem, actum, & geſtum fuerit, & relevare indemnem &c. Sub obligatione omnium noſtrorum, & „ dictæ Univerſitatis bonorum, & ſic juramus in manibus infraſcripti Notarii. Et, ut de prædictis omni„ bus plena fides adhibeatur in judicio, & extra, hoc præſens Procuratoris Mandatum ſcribere fecimus „ manu infraſcripti Notarii publici, quod ſubſcripſimus noſtris propriis manibus, & ſolito Sigillo Univer„ ſitatis roboravimus, & munivimus ad præſentiam infraſcriptorum Teſtium.

„ Et ego Joſephus de Felicibus, publica regia auctoritate Notarius, hoc præſens Procuratoris Mandatum „ de Ordine dictorum Illuſtriſſimorum D. D. Conſtituentium ſcripſi, ſubſcripſi, publicavi, & ſolito meo „ ſigno ſignavi rogatus, & regiſt. Leoniſſæ hac die vigeſima ſecunda menſis Sept. milleſimi ſeptingenteſimi „ trigeſimi ſeptimi. Laus Deo &c.

Franciſcus Raucus Prior, conſtituo, ut ſupra.
Petrus Paulus Coccia, Prior, conſtituto ut ſupra.
Simeon Palla, Prior, conſtituo ut ſupra.
Jacobus de Stephanis, Prior, conſtituo ut ſupra.

= *Paulo Pulcini* Teſte.
= *Joan. Philippo Sebaſtiani* Teſte.

L. ✠ S. Prædictæ Univerſitatis Leoniſſæ.

L. Signi dicti Notarii.

Tenor Litterarum Sacræ Congregationis, eſt ſequens, videlicet:

Reatina, & Spoletana =

„ Translationis Corporis B. Joſephi à Leoniſſa, Sacerdotis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucino„ rum ad humillimas preces: *Uti ſupra ante Notam*,

Tenor

Tenor autem dictarum precum eſt ſequens, videlicet.

Illuſtriſſimi, & Rmi Domini.

„ Prior, & Populus Civitatis Leoniſſæ humillimi Oratores DD. VV. Illuſt. obſequioſiſſimè exponunt „ qualiter poſt curſum ultra ſæculum, â Sacra Congregatione Rituum, Decretum Beatificationis Beati „ Joſephi â Leoniſſa Ordinis Capucinorum, & conſectariò cum illo Delegationem, ſeu facultatem recogno- „ ſcendi, & extrahendi Corpus prædicti Beati, in Sepulchro Ven. Eccleſiæ Sanctiſsimi Suffragii Leoniſſæ „ conſervatum, ad effectum illud in Altari Majore dictæ Eccleſiæ collocandi, obtinuerint, directam, ſeu „ inſcriptam Dom. VV. Illuſtriſsimis cum poteſtate ſubdelegandi, ac deputandi Miniſtros pro dicta extra- „ ctione, & recognitione neceſſarios. Quapropter Dom. VV. Illuſtriſsimis reverenter ſupplicant, „ quatenus tenorem dictæ Delegationis uſque ad ultimum complementum exequi dignentur.

„ Quam gratiam &c.

Franciſcus Raucus Prior.
Petrus Paulus Coccia Prior.
Simeon Palla Prior.
Joan. Philippus Carettus Prior.
Iacobus de Stephanis Prior.

L. S. Civit. Leoniſſæ præd. &c.

Tenor dictarum precum pro parte Religionis Capucinorum eſt ſequens.

Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

„ Religio Capucinorum, & pro parte illius, infraſcripti, ad hunc effectum â Reverendiſſimo Patre Ge- „ nerali dicti Ordinis Deputati, humillimi Oratores Dom. VV. Illuſtriſſimis obſequioſiſſimè exponunt: „ *Reſiduum uti in Libello ſupplici Civitatis uſque ad verba* exequi dignentur, *incluſivè*, *quibus ad-* „ *juncta fuit clauſula*, dummodo rationibus Religioni competentibus non præjudicetur.

Fr. Joſephus Maria ab Interamna Capucinus Deputatus,
Fr. Fidelis â Vallo Capucinus Deputatus.
Fr. Dominicus â Nurſia Guardianus, Capucinus Deputatus.

L. S. Dictæ Religionis.

Die 28. *Septembris* 1737.

„ Pro Illma Civitate Leoniſſæ, ejuſque Illmis DD. Prioribus, ac Ven. Religione Capucinorum = Con- „ tra quoſcunque = coram Illuſtriſsimo, & Reverendiſsimo D. Fr. Antonio Seraphino Camarda, Ordinis Præ- „ dicatorum, Solii Pontificii Aſſiſtente, Epiſcopo Reatino = comparuerunt Illuſtriſſimi DD. Franciſcus Rau- „ cus, & Petrus Paulus Coccia Priores, tam nomine proprio, quàm vice, & nomine aliorum Domino- „ rum Priorum, & Populi Leoniſſæ, necnon A. R. P. Joſephus Maria ab Interamna, Ex - Provincialis, „ Definitor, ac Guardianus Conventûs Capucinorum Heremitæ, & A. R. P. Fidelis â Vallo, Ex-Definitor „ S. Theologiæ Lector, & Cuſtos in Eccleſia Capucinorum Fulginaten., & A. R. P. Dominicus â Nur- „ ſia Concionator, & Guardianus hujus Conventûs Sanctæ Mariæ Lauretanæ Capucinorum Leoniſſæ, „ Deputati â Reverendiſſimo Patre Generali ejuſdem Religionis, prout in eorum deputatione, quam „ Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino exhibuerunt, animo reportandi ad effectum in ulteriori proceſ- „ ſu allegand. prout reportàrunt &c. & expoſuerunt Dom. Suæ Illuſtriſsimæ, & Reverendiſsimæ obten- „ tum fuiſſe Decretum â S. Rituum Congregatione ſuper extractione, & recognitione Corporis B. Joſephi „ â Leoniſſa, Ord. Capucinorum è ſepulchro, ubi ad præſens reconditum eſt, illiuſque tranſlatione ad „ Altare Majus Ven. Eccleſiæ Sanctiſsimi Suffragii, prout ex Delegatione Dom. Suæ Illuſtriſsimæ, & Re- „ verendiſsimæ, ac Illuſtriſsimo, & Reverendiſsimo Domino Epiſcopo Spoletano directa, ſub Datum 31. Au- „ guſti proximè præteriti, quam in publica copia exhibuerunt &c. & ad hoc, ut omnia in eodem Decre- „ to exequantur contenta, preces Dom. Suis Illuſtriſsimis, & Reverendiſsimis exhibuerunt, & humil- „ limè inſteterunt fieri, & exequi, prout in eis &c. omni &c.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Epiſcopus Reatinus ſupradictus, viſo Decreto Delegationis „ Sacræ Congregationis Rituum, illud eâ, quâ decet, reverentia recepit, & obtulit ſe promptum, „ & paratum, fieri, & exequi, prout in eo, & precibus inhærendo, benigniter annuit, omni &c. Et „ inſuper ad hoc, ut in præſenti Cauſa Delegationis, ſervatis ſervandis, procedi poſſit, elegit in „ Promotorem Fiſcalem loco Sub-Promotoris Fidei R. D. Criſpolitum Battaglia, ac in Notarios Eccle- „ ſiaſticos D. Simonem Carolum Stateram Notarium, Cancellarium Curiæ Epiſcopalis Spoletanæ, & „ me Criſpinum Staffam, Notarium, Cancellarium Generalem Curiæ Epiſcopalis Reatis, inhærendo electioni ſimi-

„ liter factæ ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Spoletano, cum omnibus facultatibus neceſ-
„ ſariis, & opportunis, omni &c.

F. A. Epiſcopus Reatinus.

Criſpinus Staffa Notarius, & Cancellarius Generalis.

„ Die 29. Menſis Septembris 1737. Pro Venerabili Religione Ordinis Capucinorum = contra quoſ-
„ cumque = comparuerunt coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Reatino, Delegato Apo-
„ ſtolico, ac Reverendiſſimo D. Vicario Generali Epiſcopatûs Spoleti, Sub-Delegato Apoſtolico, prout
„ in actis &c. Nobiſque Con-Notariis A. RR. PP. Joſephus Maria ab Interamna ex-Provincialis, ex-
„ Definitor, ac Guardianus Venerabilis Conventûs Heremitæ Interamnæ, ac Fidelis à Vallo, ex-Defi-
„ nitor, S. Theologiæ Lector, & Cuſtos Venerabilis Conventûs Capucinorum Fulginatenſis, & ad ef-
„ fectum, ut in actis faciendis ſuper extractione, & translatione Corporis Beati Joſephi à Leoniſſa, ejuſ-
„ dem Ordinis, ſemper conſtet de eorum Deputatione, tam in eorum Perſonis, quàm in illa A. R. P.
„ Dominici à Nurſia Prædicatoris, & Guardiani Conventûs hujus Civitatis Leoniſſæ, exhibuerunt Literas
„ eorum Reverendiſſimi P. Generalis directas ipſis RR. Comparentibus, ſub Datum Romæ 14. menſis
„ Septembris proximè præteriti, prout in duobus foliis &c. petentes, & inſtantes recipi, & admitti, &
„ in actis allegari, & ita &c. omni &c.

„ Qui Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſſimus D. Vicarius Ge-
„ neralis Spoletanus, Judices, Delegatus, & Sub-delegatus, prout in actis &c. prædicta admiſerunt, ſi,
„ & in quantum, & in actis allegari mandârunt, omni &c.

Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.
Simon Carolus Statera Con-Notarius Deputatus.

Tenor dictarum Literarum.

Foris, *Reverendo, ac in Chriſto Obſ. Patri P. Joſepho Mariæ ab Interamna, ex-Provinciali, Definitori, & Guardiano Capucinorum Interamnæ Heremitæ.*

Intus verò. *Reverende, ac in Chriſto Obſer. Pater.*

in lat. trad. „ Cum tandem differentiæ circa Corpus noſtri B. Joſephi, cum Illuſtriſſimis Dominis Leoniſſæ exortæ
„ mediante Eminentiſſimo Domino Cardinale Barberino, noſtri Ordinis Protectore ſint compoſitæ, & inter
„ articulos concordatos reperiatur & iſte, ut P. Generalis aliquot Patres pro ſuo beneplacito, qui reco-
„ gnitioni, & translationi præfati S. Corporis aſſiſtant, deputet, opportunum cenſui ſeligere pro hujuſ-
„ modi functione R. P. V., hinc virtute præſentium quantocyus Leoniſſam ſe conferet, quatenus in tem-
„ pore commiſſionem pro parte mea, & Religionis, injunctam exercere queat, cum à Dominis prædictis
„ dictam ſolemnitatem ad diem 20. menſis currentis fixam eſſe informer.

„ R. P. Provinciali, & P. Guardiano Leoniſſæ tertio Deputato, copiam authenticam compoſitionis
„ factæ, & utrinque acceptatæ tranſmitto, hinc & Eamdem pro illius cognitione ad dictum P. Guar-
„ dianum remitto. Ex prudentia R. P. V. dum de bono ſui muneris exitu perſuadeor, Eamdem de-
„ votè ſaluto &c.

R. P. V.

Romæ 14. Septembris 1737.

Affectuoſiſſimus in Domino Servus
Fr. Bonaventura Miniſter Generalis. L. I.

Foris. *Reverendo, ac in Chriſto Obſervand. Patri Fideli à Vallo, ex-Definitori, ac Lectori Capucino. Fulginei.*

Intus verò. *Reverende, ac in Chriſto Obſervand. Pater.*

„ Cum inter articulos Conventionis, mediante Eminentiſſimo D. Cardinale Barberino, noſtri Ordinis
in lat. trad. „ Protectore, cum Illuſtriſſimis Dominis Leoniſſæ, circa Corpus Noſtri B. Joſephi factæ reperiatur &
„ iſte, ut Generalis Religionis, aliquot Patres, qui recognitioni, & translationi præfati S. Corporis, ad 20.
„ hujus (uti refertur) fixæ aſſiſtant, ad ſuum placitum deputet, opportunum cenſui ſeligere, pro hujuſmodi
„ functione R. P. Veſtram: hinc virtute præſentium, quantocyus Leoniſſam ſe conferet, quatenus in tem-
„ pore commiſſionem, pro parte mea, & Religionis, ipſi injunctam, exercere valeat, de qua PP. Joſe-
„ phus Maria Interamnenſis, & P. Guardianus Leoniſſæ, alii duo mei Delegati, jam ſunt inſtructi.
„ Perſuaſus de felici ſui muneris ſucceſſu &c. ſacris me commendo, & confirmo.

P. V. R.

Romæ 14. Septembris 1737.

Affectuoſiſſimum in Domino Servum.
Fr. Bonaventuram Miniſtrum Generalem. L. I.

Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, Delegato Apoſtolico, & Reverendiſſimo Domino Vicario Generali Epiſcopatûs Spoleti, Sub-Delegato Apoſtolico, prout in Actis.

Citetur = Perilluſtris, & Admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis,
„ loco Sub-Promotoris Fidei deputatus, prout in Actis ex Adverſo Principalis, ac aliàs omni &c. ad
„ com-

„ comparendum legitimè coram Dominis, & videndum mandari, extrahi ex ejus Sepulchro, ſeu loco
„ Corpus Beati Joſephi à Leoniſſa Sacerdotis Capucini in Eccleſia Sanctiſſimi Suffragii Leoniſſæ præfa-
„ ta, & ſuper præmiſſis Decretum quodcumque fieri, & interponi, aliaque &c. ad diem craſtinam,
„ hora 20. Inſtantibus Illuſtriſſimis Dominis Prioribus, & Civitate Leoniſſæ, ac Venerabili Religione
„ Capucinorum, Principalibus, ſive =

Simon Carolus Statera, &)
Criſpinus Staſſa.) *Connotarii Deputati.*

„ Dominicus Alberti publicus Curſor hujus Civitatis Leoniſſæ retulit mihi &c. Copiam conſimilem
„ ſupradictæ citationis præſentâſſe Reverendo Domino Criſpolito Battaglia, Promotori Fiſcali, ad In-
„ ſtantiam ſupradictorum, illumque citâſſe, aliaque feciſſe, prout habuit in commiſſis,
Leoniſſæ hac die 29. Septembris 1737.

Criſpinus Staſſa Connotarius Deputatus.

Die 30. Septembris 1737. hora 21. jam pulſata.

„ Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino Vi-
„ cario Generali Spoletano, Judicibus, Deputato, & reſpectivè Sub-Delegato, Apoſtolicis, prout in
„ actis, comparuerunt in ædibus Reſidentiæ Illuſtriſſimorum Dominorum Judicum, ſolitæ in hac Civitate
„ Leoniſſæ, Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, Procurator Deputatus à retroſcriptis Domi-
„ nis Prioribus, necnon Admodum Reverendus Pater Joſeph Maria ab Interamna, Ex-Provincialis, De-
„ finitor, ac Guardianus Venerabilis Conventûs Capucinorum Heremitæ Interamnæ = Admodum Re-
„ verendus Pater Fidelis à Vallo, Ex-Definitor, Sacræ Theologiæ Lector, & Cuſtos Capucinorum
„ Fulginaten. = & Admodum Reverendus Pater Dominicus à Nurſia Concionator, & Guardianus Ve-
„ nerabilis Conventûs Sanctæ Mariæ Lauretanæ Leoniſſæ, Deputati, ſpecialiterque ſelecti à Reverendiſ-
„ ſimo eorum Patre Generali, pro Religione Capucinorum, prout in actis &c. qui prævia confirmatio-
„ ne, & ratificatione alterius comparationis, etiam nomine eorum Religionis factæ, per antedictum Re-
„ verendum Dominum Petrum Paulum Sinibaldi, coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epi-
„ ſcopo Spoletano, Delegato Apoſtolico, prout in actis &c. & repetitis omnibus Juribus in eiſdem actis
„ exhibitis, aliiſque favorabilibus &c. reproduxerunt retroſcriptam Citationem legitimè exequutam, ac
„ petierunt, & obſequenter inſteterunt deveniri ad extractionem Corporis Beati Joſephi à Leoniſſa
„ in Venerabili Eccleſia Sanctiſſimi Suffragii ejuſdem Civitatis exiſtentis, cum ipſi Reverendi Compa-
„ rentes, quatenus opus ſit, ſint prompti exhibere acta geſta in ultima recognitione, & viſitatione
„ ejuſdem Beati Corporis, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna fieri mandari, & Decretum &c.
„ implorantes &c. offerentes &c.
„ Ex adverſo comparuit Perilluſtris, & Admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Pro-
„ motor Fiſcalis, & contra ex adverſo petita, & inſtata, dixit, nihil fieri, niſi ſervatis ſervandis, ve-
„ rificatis verificandis, & probatis probandis, & juris ordine ſervato, aliàs de nullitate, & Decre-
„ tum &c. omni &c.
„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, Delegatus Apoſtolicus, & Reveren-
„ diſſimus Dominus Vicarius Generalis Spoletanus Subdelegatus præfati &c. & mandaverunt fieri exhi-
„ bitionem actorum, & deinde procedi ad extractionem Beati Corporis, ſervatis ſervandis, omni &c

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.
Ita eſt, Criſpinus Staſſa Connotarius Deputatus.

„ Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Delegato Apoſtolico, & Reverendiſſimo Domino
„ Vicario Generali Epiſcopatus Spoletani, Subdelegato Apoſtolico, prout in actis &c.

Citetur = Perilluſtris, & admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis,
„ loco Subpromotoris Fidei Deputatus, ex adverſo principalis, ac aliàs omni &c. ad comparendum le-
„ gitimè coram Dominis, & in exequutionem Decreti, de quo in actis &c. videndum fieri exhibitionem
„ actorum geſtorum in ultima recognitione, & viſitatione Corporis Beati Joſephi à Leoniſſa, illaque
„ admitti, & quatenus &c. dicendum contra, & deſtinari diem, & horam pro acceſſu ad Sepulchrum,
„ ſeu locum, ubi repoſitum eſt dictum Beatum Corpus, ad effectum faciendi illius extractionem, alia-
„ que fieri &c. & Decretum, &c. ad diem ſequentem, quæ erit prima Octobris hora 15.
„ Inſtantibus Illuſtriſſimis Dominis Prioribus, & Civitate Leoniſſæ, ac Venerabili Religione Capuci-
„ norum Principalibus, ſive &c.

Criſpinus Staſſa, &)
Simon Carolus Statera) *Notarii Deputati.*

„ Dominicus Alberti publicus Curſor hujus Civitatis Leoniſſæ retulit mihi &c. copiam conſimilem ſu-
„ pradictæ Citationis, præſentâſſe Reverendo Domino Criſpolito Battaglia, Promotori Fiſcali, illumque
„ citaſſe, aliaque feciſſe retulit, prout habuit in commiſſis. Leoniſſæ hac die 30. Septembris 1737.

Criſpinus Staſſa Connotarius Deputatus.

Die prima Octobris 1737. hora 16. jam pulſata.

„ Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino
„ Vicario Generali Judicibus Apoſtolicis Delegato, & ſubdelegato exiſtentibus in ædibus eorum ſolitæ Reſi-
den-

„ dentiæ comparuerunt iidem Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, Procurator Dominorum Priorum Leoniſſæ, ac admodum Reverendi Patres Joſeph Maria ab Interamna = Fidelis â Vallo, & Dominicus â Nurſia, Ordinis Capucinorum Deputati pro eorum Religione, & prævia reproductione ſupradictæ Citationis, legitimè exequutæ, parendo Decreto Illuſtriſſimorum Dominorum Delegatorum Apoſtolicorum facto per compulſum, & in parte tamen, & partibus favorabilibus tantùm, & non alias &c. præſentibus Dominis Joſepho Ciavarroni = Andrea Boccacci = Ludovico Alferi = & Philippo de Judicibus, omnibus ad hunc præciſum effectum habitis, & vocatis exhibuerunt, & produxerunt dictis Illuſtriſſimis Dominis Judicibus Delegatis acta facta in ultima recognitione, & viſitatione Corporis Beati Joſephi â Leoniſſa Ordinis Capucinorum de Anno 1690. per bonæ memoriæ Franciſcum Berardi, alterum ſubdelegatum Apoſtolicum, per acta quondam Joannis Felicis Maſtrozzi, Notarii Leoniſſani in publicam, & authenticam formam tenoris, prout in eis &c. per manus tamen eorumdem Reverendiſſimorum Patrum Capucinorum, ut in actis, Deputatorum, & unanimiter petierunt, & inſteterunt, prout in dicta Citatione, deſtinari diem, & horam pro acceſſu ad locum Sepulchri, pro facienda dicta extractione Beati Corporis in Eccleſia Sanctiſſimi Suffragii exiſtentis, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna fieri, & exequi mandari, & decretum &c. omni &c.

„ Ex adverſo comparuit perilluſtris, & admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis, & denuo dixit nihil fieri, niſi ſervatis ſervandis, verificatis verificandis, & probatis probandis, ac Juris ordine ſervato, aliàs &c. & Decretum &c.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, Delegatus Apoſtolicus, & Reverendiſsimus Dominus Abbas Conſoli, Vicarius Generalis Spoletanus, & ſubdelegatus Apoſtolicus, viſis actis ſuperius exhibitis, illiſque maturè perpenſis, & conſideratis, declaraverunt illa eſſe authentica, & in forma valida, & propterea eſſe admittenda, prout admiſerunt, & mandaverunt conſignari Nobis Connotariis Deputatis, ad effectum ferendi in acceſſu, & recognitione ac extractione facienda Beati Corporis, facta etiam per Nos recepta, & obligatione de reſtituendo quatenus, &c. deſtinando interim diem craſtinam, quæ erit Mercurii ſecunda Octobris currentis hora vigeſima pro acceſſu præfato, vocatis tamen Domino Procuratore Communitatis, & Deputatis pro Religione, ac Dominis Teſtibus, ut ſupra, adhibitis, nec non duobus Fabris murariis, videlicet Nicolao, & Urbano Biſini, pro remotione Lapidis Sepulchralis, & muri quatenus &c. & prævia intimatione Domino Promotori Fiſcali facienda omni &c. *Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus = Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.*

„ Tenor dictorum actorum eſt ſequens, videlicet = In Nomine Domini Amen. Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo Indictione decimatertia, die vero ſeptima Menſis Junii, Regnante quondam Dominante &c. Leoniſſæ & propriè in Eccleſia Sanctiſſimi Suffragii poſita in via recta juxta ſuos fines &c. Nos Joannes Joſephus Raucus, de Terra Leoniſſæ Opizio Judex ad contractus ad vitam, Nicolaus Felix Mâſtrotius de eadem Terra, publicus Apoſtolica regiaque auctoritate Notarius, & infraſcripti Teſtes, videlicet, utriuſque Juris Doctor Alexander Mongallus, Dominus Joannes de Aptis, & Conceptius Pulcinus, omnes de Leoniſſa, ad hæc ſpecialiter habiti, pro univerſis &c. declaramus &c. quod die, & loco præfatis &c. Hæc eſt ſeries actorum in translatione Corporis Servi Dei Joſephi de Leoniſſa, Ordinis Capucinorum è Capſa antiqua, & veteri in aliam novam, & ejuſdem Corporis humatione, & depoſitione in loco minus humiditati ſubjecto, facta auctoritate ſacræ Rituum Congregationis, commiſſa Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Opizio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Pallavicino Epiſcopo Spoletano, & ab ipſo ſubdelegata Perilluſtri, & Reverendo Domino Franciſco Berardo, Juris utriuſque Doctoris, Promotori Apoſtolico, & Vicario foraneo Leoniſſæ Reatinæ Diœceſis, & Archipresbytero Collis Sicci. Perilluſtris, & Reverendus Dominus Dominicus Franciſcus Berardus utriuſque Juris doctor, Prothonotarius Apoſtolicus & Vicarius Foraneus Leoniſſæ, Reatinæ Diœceſis, & Archipresbyter Collis Sicci Diœceſis ejuſdem, habita die 6. Junii currentis anni 1690. Ad quam notitiam; quod ſibi ab Eminentiſſimo, & Reverendiſsimo Domino Opizio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinale Pallavicino, Epiſcopo Spoleti commiſſa eſſet aſsiſtentia ad translationem privatam, & ſecretam Corporis Servi Dei, Joſephi de Leoniſſa, Ordinis Capucinorum, uti obſequioſiſsimus Eminentiæ ſuæ nutibus ſtatim â Colleſicco Leoniſſam ſe contulit, & ad Conventum Fratrum Capucinorum de dicto Oppido perrexit, ibique coram ipſo, aſsiſtentibus etiam Perilluſtribus Dominis Dominico de Rubeis, pro Sereniſsimo Duce Parmæ, ejuſdem Oppidi Gubernatore, Alexandro Mongallo, utriuſque juris Doctore, & Joanne de Aptis, dictæ Terræ Concivibus, comparuit admodum Reverendus Pater Angelus â Burgimanerio Capucinus Procurator, ut aſſerit, Cauſę Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei, & illi præſentavit Litteras Patentales, & dimiſſoriales præfati Eminentiſsimi, tenoris infraſcripti, & pro illarum acceptatione, & executione &c. præfatuſque Reverendus Dominus Franciſcus Berardus dictas literas Patentales, reverentiâ, qua decet, præ manibus accepit, attentè, ac intelligibili voce coram ſupradictis Dominis Aſsiſtentibus perlegit, illaſque acceptavit, & ad illarum exequutionem ſe promptum & paratum exhibuit, & penes ſe retinuit, ad effectum tranſmittendi &c.

Tenor Litterarum Patentialium, & Commiſſionis.

„ Opitius miſeratione Divina Tituli Sancti Martini in Montibus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Pallavicinus, Epiſcopus Spoleti, & Sacræ Rituum Congregationis ad infraſcripta ſpecialiter Delegatus.

„ Dilectis Nobis in Chriſto admodum Reverendis Dominis Franciſco Berardo, Vicario Foraneo Collis Sicci, Reatinæ Diœceſis, Joanni Azzono Terrę Viſsi, & Sereno de Serenis, Montis Leonis, Spoletinæ Diœceſis Vicariis Foraneis, & Prothonotariis Apoſtolicis, & cuilibet eorum diviſim, & in ſolidum &c. Salutem &c. Noveritis, quod, cum fuerit ſupplicatum in Sacra Rituum Congregatione pro licentia transferendi Corpus Servi Dei Joſephi de Leoniſſa Ordinis Capucinorum humatum in Eccleſia Suffragii dictæ Terræ Leoniſſæ Spoletanæ Diœceſis, & exiſtens in quadam Capſa lignea, ex eo, quod dictum Corpus extet in loco ſubterraneo valde humiditati ſubiecto, & transferendi in alium locum intra ſpatium dictæ Eccleſiæ, minus obnoxium humiditati, mutatâ etiam Capsâ, dicta Sacra Congregatio benignum præbuit aſſenſum, & quod propterea â dicta Sacra Congregatione Nobis demandatum fuit, per literas, datas 11. Februarii proximè prę-

„ riti,

„ riti; quatenus præfatam tranſlationem ſecretò fieri mandaremus, & abſque ulla pompa, & aſſiſtentia Po-
„ puli, præſentibus Nobis, vel noſtro Vicario Generali, vel alia Perſona, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitu-
„ ta, Nobis beneviſa, ipſumque Corpus cum nova Capſa in loco profundo ſubterraneo, eo modo, quo nunc ja-
„ cet, reponi curaremus, ne ullo umquam, quamvis longiſsimi temporis curſu, exinde inferri, aut induci
„ poſsit veneratio, vel venerationis fama, aut opinio, & ne quidquam ejus exiſtimationi adjungi valeat,
„ vel eadem aliquo modo comprobari. Et cum Nos, & Vicarius noſter Generalis præfatus aliis aſsiduis offi-
„ ciis & negociis impediti ire ad dictum Oppidum non valeamus, de veſtra fide, prudentia, & integritate
„ plurimùm in Domino confiſi, ſperantes, quod ea, quæ Vobis duximus committenda, juxta deſuper præfata
„ à dicta Sacra Congregatione attentè, diligenter, & ſedulò ſitis expleturi, ideo Vos præfatos, ſeu po-
„ tius unum ex Vobis, & diviſim, & in ſolidum ad hunc effectum ſubdelegamus, & Vobis vices noſtras, imo
„ à Sacra Congregatione Nobis attributas, committimus, ac inſuper injungimus, & mandamus, ut eâdem
„ præfata Auctoritate dictæ Sacræ Congregationis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto
„ incurrendæ, à qua non niſi à Romano Pontifice quis poſſit abſolvi, præcipiatis, & mandetis, ne occaſione
„ dictæ tranſlationis quiſpiam, cujuſcumque fuerit ſtatûs, dignitatis, gradûs, vel conditionis, audeat, ſeu
„ præſumat, de ſepulchro, ſeu tumba, vel Capſa dicti Servi Dei, aliquid etiam, ex devotione ſubtrahere,
„ auferre, vel ſubjicere, & ita per Vosmetipſos ſub eadem pœna ſervari mandamus, & propterea injungi-
„ mus, ut diligenter animadvertere debeatis, quod omnia, quæ in veteri Capſa reperta fuerint, in novam
„ reponantur, & eadem Capſa in loco ſubterraneo in eadem Eccleſia, ut ſupra, locetur, & alia omnia, &
„ ſingula, deſuper præpoſita, à dicta Sacra Congregatione, omni majori ſtudio, exactâ diligentia, & accuratè in
„ omnibus, & per omnia adimplere ſtudeatis; Et præfatis omnibus, & ſingulis documentum, rogito publi-
„ ci Notarii confici curetis, in forma ſolita, illudque per Vos etiam ſubſcriptum, unà cum hac noſtræ ſubdele-
„ gationis cedula, in authentica forma ad noſtras manus clauſum, & veſtris obſignatum ſigillis, quam citò
„ pervenire curetis; In fidem &c. Datum ſpoleti ex noſtro Epiſcopali Palatio hac die trigeſima prima Maji
„ 1690. *Opitius Cardinalis Pallavicinus Epiſcopus Spoletanus, & Delegatus.*

Loco ✠ Sigilli.

Caſſius Capucinus Cancellarius.

„ Die verò ſeptima ejuſdem Menſis, & Anni præfatus Dominus Berardus Subdelegatus, volens injuncto
„ muneri ſatisfacere, electo ſibi in Notarium Actuarium Domino Nicolao Felice Maſtrotio prædicto, &
„ in Judicem ad contractus, ut in hoc Regno Neapolitano moris eſt, Domino Joanne Joſepho Rava, hora
„ circiter vigeſima prima ſe contulit ad Eccleſiam Suffragii pro recognitione tumuli, & Capſæ, in quibus aſ-
„ ſerebatur conſervari Corpus præfati Servi Dei, cum aſſiſtentia Perilluſtris, & admodum Reverendi Do-
„ mini Bartolomæi Fornarii, Vicarii Foranei ejuſdem Terræ Leoniſſæ, Spoletanæ Diœceſis, ac Illuſtriſſimi Do-
„ mini Joannis Dominici de Rubeis, Gubernatoris, utriuſque Juris Doctoris, Caroli Cartotii, utriuſque Ju-
„ ris Doctoris, Ioſephi Cenci, Cintii Antonelli, & Scipionis Recalati Priorum Reſidentium dictę Terræ Leo-
„ niſſæ, & admodum Reverendi Patris Angeli à Burgimanetio, Capucini, Procuratoris Cauſæ cum ſuo ſo-
„ cio, advocatis etiam in Teſtes admodum Reverendo Domino Thoma de Dioniſiis, & Perilluſtribus Do-
„ minis Alexandro Mongallo, & Joanne de Aptis, & Joanne Baptiſta Buccanigra, Fabro Ferrario ad ne-
„ ceſſaria peragendum, & Janüis Eccleſiæ clauſis, alta & intelligibili voce præcepit, & mandavit, auctori-
„ tate Sacræ Rituum Congregationis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, à
„ qua non niſi à Romano Pontifice quis poſſit abſolvi, ne occaſione imminentis Tranſlationis quiſquam, cujuſ-
„ cumque fuerit ſtatûs, dignitatis, gradûs, vel conditionis audeat, ſeu pręſumat à Sepulchro, ſeu Tum-
„ ba, vel Capſa dicti Servi Dei, aliquid etiam ex devotione ſubtrahere, auferre, vel ſubjicere, ſubinde
„ mandavit os tumbæ, ſeu ſepulchri aperire, ſubmotoque Lapide, quatuor ferreis vectibus deſuper firmato,
„ quo tegebatur, immiſſaque lignea ſcala, viſum, & repertum fuit ſuper cetera omnia adeſſe Capſulam
„ parvulam ligneam longitudinis palmorum circiter duorum, altitudinis verò, & latitudinis circiter unius
„ palmi, ipſaque de Mandato Reverendiſſimi Subdelegati extracta, & in Sacriſtiam dictæ Eccleſię delata,
„ & remotis quibuſdam aſſeribus, quibus Capſa principalis ad conſervationem circumdata fuerat, de Man-
„ dato ejuſdem Domini Subdelegati Capſa ipſa principalis diligenter pannis involuta, & funibus circumli-
„ gata extracta fuit, & delata pariter in Sacriſtiam ejuſdem Eccleſiæ, ac aſſiſtentibus omnibus ſupradictis,
„ & præſertim Judice ad contractus, Notario actuario, & Teſtibus, ad hæc ſpecialiter vocatis, viſum,
„ & repertum fuit hujuſmodi Capſam eſſe longitudinis palmorum circiter octo, latitudinis palmorum duo-
„ rum, & altitudinis itidem palmorum duorum, & eſſe clauſam Sera ferrea, cum alio inſuper ferramine
„ pro alia ſera, & circumcirca pluribus clavis ferreis firmatam, ſed ob temporis diuturnitatem, & loci
„ humiditatem fere per totum, & præſertim per medietatem, ex parte ſcilicet directi ſubjecta ori ſepulchri
„ valde labefactatam, & quaſi putrefactam, extractiſque per vim à Fabro Ferrario clavis, & vecte ferreo ſe-
„ ræ, & aperta Capſa, viſum fuit, & repertum oſſa Corporis Servi Dei eſſe Carnibus penitus denudata,
„ Caput integrum, mentum tamen à capite ſejunctum, oſſa Crurium, Coxenticum, & Brachia integra
„ ſic, & per plures coſtulas, & alia ejuſdem Corporis oſſa, carnem verò, & Habitum eſſe in pulverem reda-
„ cta, & Capſam intus circumtectam panno holoſerico viridis coloris, auro contexto, & ſub ipſo alio
„ panno lineo albo; ſed in pluribus partibus ex eiſdem cauſis labefactatis, nullumque alterius ſeræ
„ ferreæ ſignum intrinſecum adeſſe, præter ſupradictum ſimplex foramen, ad clavem adaptatum, in uſum
„ tamen nullatenus redactum. Volens tandem idem R. D. B. Subdelegatus recognoſcere capſulam par-
„ vam, de qua ſupra, viſum, & repertum fuit, eſſe circumcirca pluribus clavis ferreis firmatam, ſed
„ ex humiditate labefactatam, & putreſcentem, quibus per vim extractis, amotoque operculo, inven-
„ tæ fuerunt in ipſa pulveres (ut creditur) ex Servi Dei inteſtinis, quæ ex antiqua traditione in dicta
„ Capſa fuerunt reſerata, & unà cum alia capſa majori ſepulta, & inter ipſas pulveres admixta parvula
„ quædam ſegmina, ut conjecturari poteſt, Hyſopi, vel conſimilium fructicum, ſeu herbarum, quibus
„ Cadavera pauperum condiri ſolent. Quibus peractis, Sacriſtiam Sera, & vecte ferreo ab extra clauſit,
„ & cera hiſpanica rubea, ſigillo ſuo obſignavit, ac fores Eccleſiæ tribus diverſis clavibus clauſit, qua-

„ rum

,, rum unam ſecum detulit, alteram Dominis Prioribus Leoniſſæ, & tertiam Sacriſtæ dictæ Eccleſiæ tra-
,, didit, & conſignavit, donec &c.

Frenciſcus Berardus, Judex Subdelegatus.
Nicolaus Felix Maſtrotius, Notarius Deputatus.

,, In Nomine Domini. Amen. Die autem decima dicti anni, & menſis, conſtructâ novâ capsâ ex ,, Pino, longitudinis quatuor circiter palmorum, altitudinis, & latitudinis ſex, quæ intus ad decen- ,, tiam, & oſſium conſervationem circumtecta fuit panno laneo rubeo, præfatus Reverendiſſimus Dominus ,, Subdelegatus unà cum ſupradictis Aſſiſtentibus ſe iterum contulit ad eamdem Eccleſiam Suffragii, aper- ,, tiſque foribus Eccleſiæ, & Sacriſtiæ, recognitis prius ſigillis ejuſdem Sacriſtiæ, & poſt ipſorum in- ,, greſſum iterum clausâ Eccleſiæ januâ, de Mandato ipſius Oſſa omnia dicti Servi Dei, vittis ſericis ,, rubeis opportunè colligata, in dicta Capſa collocata fuerunt, appoſito etiam inter ipſam, & oſſa ad ,, majorem eorum conſervationem Poſſipto, pulveres in capſa veteri repertas, juſſit recondi in Vaſe ,, Terreo exterius picto, vulgò *di majolica*, & eadem pictura ſignato A. *Fumus Terræ* deſuper obte- ,, cto panno laneo rubeo, & in eadem capſa nova reponi. Pulveres autem capſæ parvulæ, de qua ,, ſupra, recludi juſſit in alio conſimili vaſe, exterius pictura ſignato A. *Acetoſa*, panno pariter laneo ,, rubeo, deſuper tecto, & ſuper eaſdem pulveres interpoſito . . . . reſiduum pulverum Capſæ majoris, ,, & quædam ſegmina Habitus dicti Servi Dei putrefacta, & hoc itidem vas in eamdem Capſam reſerari. ,, Pannum tandem holoſericum, auro contextum, de quo ſuper, in quadam Scaptula repoſitum, in ipſamet ,, Capſa nova reconditum fuit. Quibus omnibus ita diſpoſitis, Capſa circumcirca clavis ferreis firmata, ,, & duabus laminis ferreis circumdata, & ſigillata ſigillo ejuſdem Reverendiſſimi Domini Subdelegati ,, in octo locis cera hiſpanica rubea, & cooperta ad conſervationem laminâ ſtamneâ in antiquo ſepul- ,, chro, ſeu Tumba fuit collocata, amotis cauſis noxiæ humiditatis, videlicet longè ab ore ipſius ſe- ,, pulchri, & os ipſum ſub ſolito lapide clauſum, donec &c.

Franciſcus Berardus, Judex Subdelegatus.
Nicolaus Felix Maſtrotius, Notarius Deputatus.

,, IN NOMINE DOMINI Amen. Anno Domini 1690. Indictione decimatertia; die verò quarta men- ,, ſis Julii Regnante &c. Dominante &c. Leoniſſæ; & propriè in ipſa Eccleſia Sanctiſsimi Suffragii poſita in ,, via recta, ut ſupra &c. juxta ſuos fines &c.

,, Inſtante Domino, Servi Dei Procuratore, Capſa nova in ſepulchro jam collocata, intra aliam Capſam ,, plumbeam ad tutiorem cuſtodiam, in majorem conſervationem præſentibus, & aſsiſtentibus iiſdem Do- ,, minis Gubernatore, & Prioribus Terræ Leoniſſæ, Judice ad contractus, & Teſtibus repoſita fuit, & os ,, tumbæ lapide appoſito, & quatuor laminis, ſeu vectis ferreis, plumbo ſecundum artem firmatis, fuit ite- ,, rum obſerratum.

Franciſcus Berardus, Judex Subdelegatus manu propria.
Nicolaus Felix Maſtrotius, Notarius deputatus.

,, Ego Nicolaus Felix Maſtro tius â Leoniſſa, Reatinæ Diœceſis, publicus, Apoſtolica Regiaque Auctorita- ,, te Notarius, & in præſenti Cauſa deputatus &c. & in fidem me ſubſcripſi, & publicavi, ac meo ſolito, ,, & conſueto ſigno ſignavi.

Laus Deo, ſignum mei Nicolai Felicis Maſtrotii Notarii præfati.

Loco ✝ dicti Signi.

,, Nos infraſcripti à Reverendiſsimo P. Noſtro Generali ad aſsiſtendum recognitioni, & translationi ,, S. Corporis B. Joſephi â Leoniſſa, Capucini, Deputati, à Domino Simone Carolo Statera, & D. Criſpino ,, Staffa dicti Actûs Connotariis recepimus præſentis copiæ originale. In fidem &c. hoc die 8. Octobris 1737.

Fr. Joſephus Maria ab Interamna, Capucinus, Deputatus manu propria.
Fr. Fidelis â Vallo, Capucinus, Deputatus manu propria.
Fr. Dominicus â Nurſia, Guardianus Leoniſſæ, Deputatus manu propria.

De mandato Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Domini Epiſcopi Reatini, ac Reverendiſsimi Domini Vi- ,, carii Generalis Spoletani Judicum Delegati, & Subdelegati Apoſtolicorum &c. = *Intimetur.*

,, Perilluſtri, & admodum Reverendo D. Criſpolito Battaglia, Promotori Fiſcali, loco Subpromo- ,, toris Fidei Deputato, qualiter die craſtina hora 20. fiet acceſſus juxta formam Decreti, de quo in actis, ,, ad Sepulchrum Corporis Beati Joſephi à Leoniſſa, & devenietur ad illius extractionem. Ideo notifi- ,, catur eidem, ut adſiſtere poſſit, quatenus velit, & ne ignorantiam &c. hac die prima Octobris 1737.

,, Inſtantibus Illuſtriſſimis Dominis Prioribus, & Civitate Leoniſſæ, ac Venerabili Religione Ordi- ,, nis Capucinorum, Principalibus &c.

Criſpinus Staffa, & } *Connotarii Deputati.*
Simon Carolus Statera }

,, Dominicus Alberti, publicus Curſor hujus Civitatis Leoniſſæ, retulit mihi &c. copiam conſimilem ,, ſupradictæ Intimationis præſentaſſe Reverendo Domino Criſpolito Battaglia, Promotori Fiſcali, loco ,, Subpromotoris Fidei, aliaque feciſſe retulit, prout habuit in commmiſſis.

,, Leoniſſæ hac die prima Octobris 1737.

Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.

Die

Die 2. Octobris 1737. hora, ut ſupra, intimata.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, ac Reverendiſſimus Dominus Vicarius Generalis Epiſcopatûs Spoletani, Judices, Delegatus, & Subdelegatus, prout in actis, unà cum eorum reſpectivè Familia, ac Nobis Connotariis Deputatis, ac ſupranominatis Teſtibus Dominis Joſepho Ciavarroni = Andrea Boccacci = Ludovico Alfieri = & Philippo de Judicibus = ac Nicolao, & Urbano Biſini, Fabris Murariis, atque Reverendo Domino Petro Paulo Sinibaldi, Procuratore Dominorum Priorum, & admodum Reverendis Patribus Joſepho Maria = Fideli, & Dominico, Capucinis ſupradictis, pro eorum Religione Deputatis, acceſſerunt ad Venerabilem Eccleſiam Sanctiſſimi Suffragii hujus Civitatis Leoniſſæ, & effuſis prius precibus ad Deum Omnipotentem, conſederunt in ſedibus ibi præparatis, & coram præfatis Illuſtriſſimis Dominis Delegatis Apoſtolicis, comparuerunt tam idem Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, ut ſupra, quàm antedicti Reverendi Patres Capucini Deputati, & inſteterunt in primis & ante omnia per Nos Connotarios, alta, & intelligibili voce perlegi acta, jam exhibita ſuper ultima recognitione Corporis Beati Joſephi à Leoniſſa, ad effectum recognoſcendi, an Locus, Capſa, & Signa reſpondeant cum illis, in recenſitis actis expreſſis, & ad omnem alium finem, & effectum implorantes &c. Decretum, &c. omni &c.

„ Ex adverſo Perilluſtris, & Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis, repetiit proteſtationem, nihil fieri, niſi ſervatis ſervandis &c. alias &c.

„ Ex tunc Illuſtriſſimi Domini Judices Delegati præfata admiſerunt, ſi, & in quantum, & mandaverunt Nobis Connotariis legi acta, juxta petita, omni &c.

„ Prout ego Simon Carolus Statera Connotarius, præfata acta, alta, & intelligibili voce, coram omnibus ſupradictis perlegi &c.

„ Succeſſivè verò fuit injunctum Dominis Fabris Murariis, ut removerent lapidem Sepulchri, quod fuit inventum à manu ſiniſtra præſentis januæ majoris, exiſtentis in via, nuncupata *Recta*, & procul à pariete nuncupato *Pilaſtro* dictæ Eccleſiæ, circa palmos decem Romanos, quo lapide jàm fixo quatuor vittis, ſeu laminis ferreis, plumbo ad uſum artis firmatis, remoto, mediante ſcala lignea, à dictis Fabris murariis deſcenſum fuit ad dictum Sepulchrum, in quo nihil fuit repertum, ſed deinde devaſtato muro verſùs parietem, ſeu pilaſtrum prædictum, in cujus parte, ut aſſertum fuit, erat erectum Altare Sancti Philippi, reperta fuit quædam manſiuncula cum ſua fornice, in qua exiſtebat Capſa plumbo contexta, & quamplurimæ partes tabularum, jam etiam minutatim tabefactæ, quas à præfatis Teſtibus fuit aſſertum, fuiſſe de veteri Capſa, ſcilicet de illa ante annum 1690. ejuſdem Beati, in ultima recognitione ibi reiicta, dictiſque tabulis è præfata manſiuncula extractis, deinde fuit extracta quoque prædicta Capſa, quæ, mediante menſuratione de ea facta, inventa fuit longitudinis palmorum quatuor circiter, & altitudinis, & latitudinis ſexque palmi, ſcilicet palmi unius cum dimidio circiter in qualibet ex quatuor faciebus, ſive partibus Capſæ prædictæ, & ab eadem remotis laminis plumbeis, fuit ſupradicta Capſa reperta ex tabulis ligneis compacta, clavis confixa, & circumcirca laminis, ſeu vittis ferreis circumdata, & clavis pariter firmatis, & confixis, ut ſupra, dictis laminis ferreis, & duobus aliis in locis obſignata octo in locis ſigillo ſupradicti quondam Reverendi Domini Franciſci Berardi Subdelegati Apoſtolici, de anno 1690. laminis ex ferro ſtanneo coopertis, quæ ſigilla, quamvis in majori numero, & parte ex cauſa humiditatis labefactata reperta fuerint, attamen duo ex eis bene recognita fuerunt, media confrontatione Stemmatis impreſſi ejuſdem Domini Berardi, antedictis Illuſtriſſimis Dominis Judicibus Delegatis, ex parte dicti Domini Procuratoris Dominorum Priorum exhibiti.

„ Proindeque tum præfatus Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, ut ſupra, Procurator, tum memorati Reverendi Patres Capucini, pro eorum Religione Deputati, ſtantibus ſupra adnotatis, rectè confrontantibus cum actis ultimò dictæ recognitionis, humiliter petierunt, & inſteterunt per præfatos Illuſtriſſimos Dominos Delegatos Apoſtolicos decerni, declarari, & pronunciari, conſtare de identitate Loci, Capſæ, & aliorum ſignorum, ad effectum procedendi ad ulteriora, in Tranſlatione Beati Corporis implorantes &c. offerentes &c. & Decretum &c.

„ Ex Adverſo Perilluſtris, & Admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis, repetiit proteſtationem, & inſtantias aliàs factas &c. aliàs &c.

„ Qui Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſſimus Dominus Vicarius Generalis Epiſcopatûs Spoletani, Judices, Delegatus, & Subdelegatus, prout in actis &c. præfata &c. & attentis ſuperiùs repertis, deſcriptis, & adnotatis, declaraverunt, & pronunciaverunt, conſtare de identitate loci, Capſæ, & aliorum Signorum, & mandaverunt tam Capſam præfatam, quam lignamina, ſeu tabulas alterius Capſæ veteris aſportari, & claudi in altera manſione, ibi verſus Turrim Campanariam præparatam, & decenter ornatam omni &c.

„ Prout ſucceſſivè, & incontinenti accenſis intortitiis ceræ albæ, mediante opera quatuor Perſonarum, ſcilicet Admodum Reverendi Domini Procuratoris Generalis, & prædictorum admodum Reverend. Patrum Joſephi Mariæ, Fidelis, & Dominici Capucin. Deputatorum pro eorum Religione, fuit Capſa præfata delata ad dictam manſionem, & ad illam aſportatæ etiam præfatæ tabulæ, ſub cantu pſalmorum, & ibi ſacrum Depoſitum, accenſa lampade relictum, clauſâ non ſolum clavibus, conſignatis laudatis Illuſtriſſimis Dominis Delegatis, januâ dictæ manſionis, verùm quoque obſignatâ ſigillis, eorumdem in cera rubea hiſpanica, coram, & præſentibus, quibus ſupra, omnibus &c.

„ Hiſque expletis, prælaudati Illuſtriſſimi Domini Delegati Apoſtolici, ad eorum reſpectivè Reſidentiam unà cum eorum reſpectivè Familia ſeſe receperunt &c.

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.
Ita eſt, Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.

„ Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino Vicario Generali Spoletano, Judicibus, Delegato, & Subdelegato, prout in actis &c. = *Citetur* = Perilluſtris, & admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis, loco Domini Sub-

„ promotoris Fidei, Deputatus, ex adverſo principalis, ac aliàs omni &c. ad comparendum legitimè
„ coram Dominis, & videndum deſtinari diem, & horam pro acceſſu faciendo ad manſionem, de qua
„ in actis, ubi relicta, & clauſa fuit Capſa Beati Joſephi à Leoniſſa, ad effectum recognoſcendi præ-
„ fatum Beatum Corpus, & cuncta alia neceſſaria, & opportuna pro tranſlatione faciendi, decernendi,
„ & determinandi, aliaque &c. & Decretum &c. ad diem craſtinam, hora 12 = Inſtantibus Illuſtriſſimis
„ Dominis Prioribus, & Civitate Leoniſſæ, ac Venerabili Religione Ordinis Capucinorum, Prin-
„ cipalibus &c.

Simon Carolus Statera, &) Connotarii Deputati.
Criſpinus Staffa.)

„ Dominicus Alberti publicus Curſor Civitatis Leoniſſæ retulit mihi ſupradictam Citationem, ejuſ-
„ que copiam præſentaſſe Reverendo Domino Criſpolito Battaglia, Promotori Fiſcali, aliaque feciſſe
„ retulit, prout habuit in commiſſis. Die 2. Octobris 1737.

Criſpinus Staffa Connotarius Epiſcopalis.

Die 3. Octobris 1737. horâ 13. jam pulſatâ.

„ Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino Vi-
„ cario Generali Spoletano, Judicibus, Delegato, & Subdelegato, ut in actis, comparuerunt in ædi-
„ bus eorum ſolitæ Reſidentiæ Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, Procurator Dominorum
„ Priorum, & antedicti Admodum Reverendi Patres, Joſeph Maria ab Interamna, Fidelis à Vallo,
„ & Dominicus à Nurſia, pro eorum Religione Deputati, & prævia reproductione Citationis legitimè
„ exequutæ contra Dominum Promotorem Fiſcalem petierunt, & inſteterunt per præfatos Illuſtriſſimos
„ Dominos Delegatos Apoſtolicos accedi ad manſionem, in qua clauſum fuit Corpus, ſive Capſa Beati
„ Joſephi à Leoniſſa, Sacerdotis, Capucini, ad effectum deveniendi ad aperitionem ejuſdem Capſæ, &
„ recognitionem prædicti Corporis Beati, & omnia alia neceſſaria, & opportuna explendi, decernen-
„ di pro accomodatione, & aptatione Beati Corporis, & illius translatione ad Altare majus imploran-
„ tes &c. offerentes ſeſe &c. & Decretum &c.

„ Ex Adverſo Perilluſtris, & Admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fi-
„ ſcalis, & dixit non eſſe locum ex adverſo petitis, niſi ſervatis omnibus de ſtilo, conſuetudine, &
„ de jure ſervandis, aliâs &c. & Decretum &c.

„ Qui Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſſimus Dominus
„ Vicarius Generalis Spoletanus, Judices, Delegatus, & Subdelegatus, prout in actis &c. præfata &c.
„ & deſtinaverunt acceſſum petitum, pro effectu, de quo agitur pro nunc, & pro hac manemet ho-
„ ra 15. & deputaverunt in Peritum pro accomodatione, & aptatione Beati Corporis Dominum An-
„ tonium Falconi Spoletanum, nunc in hac Civitate ſe reperientem, & pro hujuſmodi effectu vocavi
„ Teſtes, & intimavi Domino Promotori Fiſcali, aliiſque intereſſe habentibus, omni &c.

„ Et ſucceſſivè, & incontinenti, Ego Connotarius infraſcriptus, tam dicto Domino Procuratori Ci-
„ vitatis Leoniſſæ, quàm Admodum Reverendis Patribus Capucinis Deputatis, ac Domino Promotori
„ Fiſcali, ibidem adhuc præſentibus, & intelligentibus notificavi, & intimavi, horam dicti acceſſus,
„ ut ſupra, decreti, & deſtinati, & vocavi Teſtes ſuperius adhibitos, omni &c. in fidem &c.

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius &c.

Die dictâ, Horâ, qua ſupra, notificatâ adventâ.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſs. D. Vicarius Generalis
„ Epiſcopatûs Spoleti, Judices Apoſtolici, Delegatus, & Subdelegatus, prout in actis &c. unà cum
„ eorum reſpectivè Familiaribus, Nobiſque Connotariis ſeſe contulerunt, & acceſſerunt ad Eccleſiam
„ præfatam Sanctiſſimi Suffragii, illamque ingreſſi, relictis foris dictis eorum Familiaribus, ibique in-
„ ventis Domino Promotore Fiſcali, ac Domino Procuratore Communitatis, atque Reverendis Patri-
„ bus Capucinis, prout in actis, pro eorum Religione Deputatis, necnon vocatis, quibus ſupra, Te-
„ ſtibus, Dominis Joſepho Ciavarroni, Andrea Boccacci, Ludovico Alfieri, & Philippo de Judicibus
„ & facta brevi oratione conſederunt in ſedibus, ibi appoſitis, atque præparatis.

„ Primitùs, & ante omnia, coram eiſdem Teſtibus, recognita fuerunt ſigilla appoſita ſub heſterna die
„ ad valvas manſionis, in qua depoſita fuit Capſa Corporis Beati Joſephi, illaque inventa integra, &
„ illæſa, illiſque remotis, cum clavibus exiſtentibus penes eoſdem Illuſtriſſimos Dominos Delegatos Apo-
„ ſtolicos, Nobis Connotariis, ad hunc effectum traditis, aperta extitit janua manſionis prædictæ, & attento,
„ quod eadem manſio eſſet valde anguſta, & obſcura, & aptior intus dicta Eccleſia haberi minimè po-
„ tuerit, reportata fuit in eademmet Eccleſia Capſa præfata, januis tamen illius obcluſis, & ſubinde de
„ Mandato ipſorum Illuſtriſſimorum Dominorum Delegatorum Apoſtolicorum, omnibus, & ſingulis ibi-
„ dem præſentibus, & bene intelligentibus materno ſermone, Ego Simon Carolus Statera Connotarius
„ intimavi, & ſtrictè notificavi excommunicationem, ipſo facto incurrendam, & Sanctiſſimo Domino
„ Noſtro Papæ reſervatam, contra omnes, & ſingulos, cujuſcumque ſtatûs, & conditionis ſint, qui
„ quovis titulo, & colore, etiam prætextu devotionis, auderent tollere, accipere, & auferre, etiam
„ minimas particulas ex oſſibus, veſtibus, ſive Capſa ejuſdem Beati Corporis.

„ Succeſſivè verò vocato Joſepho Labella à Leoniſſa, Fabro Ferrario, fuit eidem injunctum, ut re-
„ moveret duas vectes, ſeu laminas ferreas, Capſam præfatam circumdantes, prout ſtatim per vim re-
„ movit, & quoque operculum ejuſdem Capſæ, quæ in parte anteriori fuit inventa cooperta panno
„ laneo rubeo, ex injuria tamen humiditatis, & temporis corrupto, & pene putrefacto, necnon intus
plu-

„ plurima oſſa inter ſeſe colligata vittis ſericis rubeis, ſed ex cauſa præfata decoloratis, & debilita-
„ tis = Duo vaſa terrea depicta ad uſum Aromatariæ, & parva Capſula, vulgò Scatola formæ ro-
„ tundæ = Quibus omnibus, & ſingulis, uti admuſſim confrontantibus cum actis ultimæ recognitionis,
„ & ſtantibus, iidem Dominus Procurator Communitatis, & Reverendi Patres Capucini Deputati,
„ coram præfatis Illuſtriſſimis Dominis Judicibus Delegatis Apoſtolicis, petierunt, & inſteterunt per
„ eoſdem declarari, & pronunciari omnia omnibus rectè correſpondere, & mandari procedi ad ulteriora
„ in recognitione Beati Corporis, implorantes &c. & Decretum &c. = Qui Illuſtriſsimi Domini Judices
„ Delegatus, & Subdelegatus præfata admiſerunt, ſi, & in quantum, & declaraverunt omnia omnibus
„ bene reſpondere, proindeque ad ulteriora in recognitione Beati Corporis procedi mandarunt omni &c.

„ In exequtionem igitur præfati Decreti coram, & præſentibus omnibus, quibus ſupra, reverenter
„ extracta fuerunt dicta Beata oſſa cum denominatione eorumdem deſcriptorum, mediante perſona Do-
„ mini Joannis Baptiſtæ Cajetani Chirurgi conducti, nempe Cranium cum tribus dentibus = Mandibu-
„ la, ſeu Mentum inferius cum decem dentibus, & oſſe Joide, ac cartilagine = Vertebræ numero vigin-
„ tiquatuor = Os ſacrum = Maxilla dextera cum .... = Similiter ſiniſtra = Fœmur ſiniſtrum, & dex-
„ trum cum ſibia, & fibula = Os biſſiforme = Internexus manus inter et pedes quadraginta = coxenticum
„ cum utraque Scapula, = & cartilagine ſcutiformi = Utraque clavicula =. Coſtæ novendecim cum dua-
„ bus rotulis crurium :

„ In vaſe terreo depicto, cum litterà pariter depicta *A fumus terræ* ſignato, & ad os panno rubeo
„ laneo, qui per totam oris rotunditatem deficiebat, cooperto, & in alio vaſe conſimili *A Acetoſa*, uti
„ ſupra, depicto, & ad os ſuum fracido, & ſine panno, pulveres, ob humiditatem in maſſam redactæ.

„ In Scatula rotunda pannus ex holoſerico auro contexto vulgò *Brocatello*, in quo aurum vix am-
„ plius diſtingui poterat. Et dicta oſſa beata fuerunt reverenter, ut ſupra, extracta, Strophiolis, aliiſ-
„ que albis telis, & goſſipio ab humiditate mundata, ac ſupra mundam mappam extenſa, & deinde repo-
„ ſita intus eamdem Capſam, quæ bene clauſa vitta ſerica rubea colligata octo in locis, ſigillis præfato-
„ rum Illuſtriſſimorum Dominorum Delegatorum Apoſtolicorum, coram eiſdem Teſtibus obſignata, fuit
„ immediatè reportata ad eamdem manſionem, de qua ſupra, & relicta lampade accenſa clauſa Janua cum
„ clavibus, conſignatis eiſdem Illuſtriſſimis Dominis Delegatis Apoſtolicis, à præfata Eccleſia diſceſſerunt,
„ tam iidem Illuſtriſſimi Domini Delegati quàm ceteri alii &c. = Quæ omnia, & ſingula; uti ſupra, coram
„ quibus ſupra, Nos Connotarii vidimus, reperimus, deſcripſimus, & adnotavimus in fidem &c.

Ita eſt Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.
Ita eſt Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.

„ Eadem die &c. = comparuerunt coram Illuſtriſſimis Dominis Delegatis Apoſtolicis Dominus Procura-
„ tor Communitatis = Reverendi Patres Capucini pro eorum Religione Deputati, & ad præſentiam Do-
„ mini Promotoris Fiſcalis dixerunt, expoſuerunt, quod die craſtina feſto Sancti Franciſci de Aſſiſio Inſtitu-
„ toris Religionis Capucinorum, ſaltem de Sero, valde optarent ad ſatisfaciendum etiam devotioni, & pie-
„ tati Chriſtifidelium transferre Corpus dicti Beati Joſephi, ideoque, ut dictus Antonius Falconi Peritus
„ deputatus habere poſſit congruum tempus pro aptatione, & accomodatione Beati Corporis, obſequenter pe-
„ tierunt, & inſteterunt hodiemet concedi eidem Perito hìc præſenti facultatem, & commoditatem pro effe-
„ ctu præfato &c. Implorantes &c.

„ Præſente Perilluſtri & admodum Reverendo Domino Criſpolito Battaglia Promotore Fiſcali, &
„ repetente proteſtationem, alià factam nihil fieri, niſi ſervatis ſervandis, aliàs &c. & Decretum &c. = Illu-
„ ſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, Delegatus Apoſtolicus, & Reverendiſſimus
„ Dominus Vicarius Generalis Spoletanus Subdelegatus præfati, impertiti fuerunt licentiam dicto Peri-
„ to accomodandi, & aptandi dictum Beatum Corpus, cui interim hìc præſenti, & bene audienti prohibue-
„ runt, & interdixerunt quamcumque diſtractionem, etiam minimæ partis de Corpore, veſtibus, ſive Capſa
„ ejuſdem Beati ſub pœna excommunicationis, Sânctiſſimo Domino Noſtro Papæ reſervatæ, & ipſo facto in-
„ currendæ, aliiſque arbitrio &c. & obtulerunt ſeſe promptos pro hodie hora 21. conſignare claves manſionis
„ de qua ſupra omni &c. = Et eadem die circa horam vigeſimam primam = Anredicti Illuſtriſſimi Domini
„ Delegati Apoſtolici in exequtionem præfati eorum Decreti iterum acceſſerunt ad ſæpedictam Eccleſiam
„ Sanctiſſimi Suffragii, unà cum Nobis Connotariis, & vocatis prius adhibitis Teſtibus ſuperius, peractâ-
„ que brevi oratione, & aperta mediantibus clavibus ſupradicta manſione, & recognitis per dictos Teſtes
„ Sigillis hac mane appoſitis in dicta Capſa, illiſque integris, & illæſis repertis, & ſucceſſivè amotis, fuit
„ relictus in dicta manſione præfatus Dominus Antonius Falconi Peritus, & eidem conſignatæ claves ejuſdem
„ manſionis, & præfati Illuſtriſſimi Domini Delegati Apoſtolici, è præfata manſione, & Eccleſia diſceſſe-
„ runt, ſuper quibus &c. Nos &c.

Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.
Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.

„ Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino Vicario
„ Generali Spoletano, Judicibus Apoſtolicis, Delegato, & Subdelegato, prout in actis &c. = *Citetur* = Per-
„ illuſtris, & admodum Reverendus Dominus Criſpolitus Battaglia, Promotor Fiſcalis loco ſubpromoto-
„ ris Fidei Deputatus, prout in actis &c. ex adverſo Principalis, ac aliàs omni &c. ad comparendum legiti-
„ mè coram Dominis, & deſtinari videndum diem, & horam pro acceſſu ad Eccleſiam Sanctiſſimi Suffragii
„ Leoniſſæ ad effectum transferendi Corpus Beati Joſephi de Leoniſſa è manſione, in qua depoſitum fuit pro
„ illius aptatione, & accomodatione ad altare majus dictæ Eccleſiæ, & in decenti urna collocandi, aliaque
„ neceſſaria gerendi &c. ad diem craſtinam hora 16. = Inſtantibus Illuſtriſſimis Dominis Prioribus, & Com-
„ munitate Leoniſſæ, & Venerabili Religione Capucinorum Principalibus, ſive &c.

Criſpinus Staffa, & Simon Carolus Statera Connotarii Deputati.

Die 3. Octobris 1737.

„ Dominicus Alberti publicus Curſor Leoniſſæ retulit mihi &c. præfatam citationem perſonaliter præ-
„ ſentâſſe Reverendo Domino Criſpolito Battaglia, aliaque feciſſe, prout habuit in commiſſis, in fidem &c.

Simon Carolus Statera Connotarius.

Die 4. Octobris 1737. Horâ 17. pulſatâ.

„ Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Reatino, & Reverendiſſimo Domino Vi-
„ cario Generali Spoletano, Judicibus Apoſtolicis, Delegato, & Subdelegato, prout in actis &c. comparue-
„ runt in ædibus eorum ſolitæ Reſidentiæ Reverendus Dominus Petrus Paulus Sinibaldi, Procurator Illuſtriſ-
„ ſimorum Dominorum Priorum hujus Civitatis Leoniſſæ, ac Reverendi Patres Joſeph. Maria ab Interamna,
„ Fidelis â Vallo, & Dominicus â Nurſia Capucini pro eorum Religione Deputati, & in termino &c. &
„ produxerunt retroſcriptam Citationem legitimè exequutam, & humiliter petierunt; & inſteterunt, prout
„ in ea, implorantes &c. offerentes &c. ſeſe promptos in omnibus, & per omnia parere Mandatis eorumdem
„ Illuſtriſſimorum Dominorum Delegatorum Apoſtolicorum, & ſuper præmiſſis Decretum quodcumque &c.
„ Qui Illuſtriſſimus, & Reverendiſsimus Dominus Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſſimus Dominus
„ Vicarius Generalis Epiſcopatûs Spoleti, Judices Apoſtolici, ut ſupra, Delegatus, & Subdelegatus deſtinave-
„ runt acceſſum ad effectum, de quo ſupra, hodiemet hora vigeſima quarta ad effectum, ut translatio, & col-
„ locatio magis ſecreta ſequatur, & Domino Promotori Fiſcali intimari mandârunt, vocatis pro dicta hora
„ Teſtibus ſupra adhibitis &c. omni &c. = ſucceſſivè, & incontinenti = Ego Connotarius infraſcriptus inti-
„ mavi, & notificavi antedicto Domino Promotori Fiſcali præſenti, & bene audienti acceſſum, ut ſupra deſti-
„ natum, illiuſque horam præmiſſam &c. in fidem &c.

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius.

IN NOMINE DOMINI Amen. = *Die 4. Octobris 1737. hora prima noctis jam elapsâ.*

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Camarda Epiſcopus Reatinus, Delegatus Apoſtolicus,
„ & Reverendiſſimus Dominus Abbas Jacobus Philippus Conſoli, Vicarius Generalis Spoletanus, Subdelega-
„ tus, prout in actis, in exequtionem Decreti ſuperius facti acceſſerunt perſonaliter unâ cum Nobis Conno-
„ tariis ad Venerabilem Eccleſiam Sanctiſſimi Suffragii hujus Civitatis Leoniſſæ, & facta Oratione ante
„ Januam manſionis, in qua Depoſitum adeſt Corpus Beati Joſephi â Leoniſſa Sacerdotis, & Concionatoris
„ Capucini, præſentibus, & adſiſtentibus Domino Promotore Fiſcali, ac Domino Procuratore Communita-
„ tis, ac Reverendis Patribus Joſepho Maria ab Interamna = Fideli â Vallo, & Dominico â Nurſia Guar-
„ diano, Capucinis, pro eorum Religione Deputatis, & vocatis teſtibus, quibus ſupra, adhibitis, ſcilicet Domi-
„ nis Joſepho Ciavarroni, Andrea Boccacci, Ludovico Alfieri, & Philippo de Judicibus, ibidem pariter
„ præſentibus mandaverunt Corpus ejuſdem Beati reponi, collocari, & claudi in Urna ibi parata, prout
„ aperta Janua memoratæ manſionis, & clauſis prius nonnullis parvis oſſibus, & fragmentis, quæ ſuperfue-
„ runt in aptatione Beati Corporis, de Mandato eorumdem Illuſtriſsimorum Dominorum Delegatorum reſer-
„ vatis in quadam capſuncula lignea, ſigillis munita ad effectum diſtribuendi, ut infra dicetur, utpote non
„ reliquias inſignes, & eadem capſuncula, ſive ſcattola in eadem manſione relicta, fuit Beatum Corpus in
„ forma ſatis propria aptatum, duabus veſtibus ad uſum Capucinorum indutum, ſcilicet pro majori decentia,
„ & veneratione interius ſerica coloris muſchi clari, & exterius lanea tereti, vulgò *mezza logora*, cingulo
„ funeo, corona lignea, in eodem appenſa, novis ſandaliis in pedibus, repoſitum, & collocatum in urna
„ longitudinis in parte inferiori, palmorum ſeptem cum dimidio, latitudinis palmorum trium cum
„ dimidio, & altitudinis palmorum trium circiter, & ubi plus, & ubi minus, attenta illius forma ſupra poſi-
„ ta, quatuor Leonibus litteram P. præ pedibus anterioribus habentibus, repræſentantibus Arma, & ſtemma
„ hujus Leoniſſanæ Civitatis cum quatuor fronteſpitiis, & ſuper iſtis poſitis quatuor figuris Angelorum, &
„ ſex Cherubinorum, aliiſque affabrè elaboratis ornamentis, ubique in dicta urna ſatis bene aptatis, &
„ diſpoſitis ex ligno ubique deaurato, excluſis tamen planis recurrentibus circum circa Criſtalla pactis coloribus,
„ nuncupatis *lapislazaro*, ſuis obcluſa criſtallis prædictis, in omnibus ejus quatuor partibus, licet tamen in
„ illis facialibus non ſint integra, ſed duorum petiorum, ſed tamen in tribus partibus bene fixa; & immo-
„ bilia, quæ quidem Criſtalla cuſtodita, & reparata remanent â Tabulis exterius aptatis, cum ſeris, &
„ clavibus, & in illis extenſis telis pictis, repræſentantibus, nempe ab una parte facili Corpus jacens laudati
„ Beati Joſephi, ab altera illius Martyrium, nuncupatum *del Grancio*, & â lateribus miraculum, & pro-
„ digium per illius interceſſionem â Deo peractum in reſtituendo lucem cæco orto, & Sanitatem Infirmo in
„ genu laboranti: & demum in dictis partibus facialibus, cum Tabunculis, ſeu Cartellinis inſcriptis, ſive
„ ſculptis nempe = Corpus Beati Joſephi â Leoniſſa Capucini, & Miſsionarii Apoſtolici = Intus verò
„ munita lectunculo ſerico undato coloris perlarum, & pulvinari ſimilis coloris floris, vittaque ſerica alba
„ ornato, & in parte ſuperiori ſimili colore picta ſtellis aſperſis, & effigies Spiritus Sancti in medio picta
„ & circum circa ſerico roſaceo cum ornamentis nuncupatis *francie*, *e fiocchi* pariter ſerici coloris albi,
„ & in parva parte rubei mirificè aptati, & diſpoſiti ad uſum recentis artis, in qua repoſitum, & colloca-
„ tum in urna, ut ſupra, deſcripta â parte faciali, ubi adeſt pictum ſupradictum Martyrium *del Grancio*; &
„ deinde capſa cum dicta parte faciali, iſtaque bene firmata, & confixa quatuor vectibus ferreis in illius an-
Loco ✠ Sigilli *Illmi, & Rmi Epiſcopi Reatini,* „ gulis, & ſupra hujuſmodi vectes poſitis quatuor liliis ligneis pariter deauratis ſubinde munita, & obſignata
„ fuit in eadem facili parte ſigillis eorumdem Illuſtriſsimorum Delegatorum Apoſtolicorum, etiam in margine
„ præſentis folii impreſsis, nempe in parte Superiori, octo in locis prope angulos, & in parte inferiori in
„ aliis quatuor locis prope vectes prædictas poſitis ſuper quatuor vittis ſericis rubeis, cum quibus fuit col-

„ liga-

„ ligata dicta pars facialis, ad effectum ne ullo umquam tempore de identitate ejuſdem Corporis du- „ bitari poſsit.

Loco ✠ Sigilli Rmi Vicarii Spoletani.

„ Et Confratribus dictæ Eccleſiæ Sacco indutis, & intortitia cerea præ manibus ferentes, & aliis „ pſalmos canentibus, ad Altare majus translatum fuit.

„ Claves verò in dictis exterioribus tabuliſ aptatæ, conſiſtentes ſcilicet in numero trium diverſi la- „ boris conſignatæ extiterunt, nempe una Domino Carolo Antonio de Judicibus, Locumtenenti pro „ Ærario Regio, altera Domino Franciſco Rauco, uni ex dictis Prioribus, & tertia Reverendo Patri „ Franciſco Dominico à Nurſia, Guardiano Conventûs Capucinorum, præſentibus, & recipientibus &c. „ Et præfata omnia facta, geſta, deſcripta, & adnotata fuerunt, uti ſupra, coram, & præſentibus, qui- „ bus ſupra, Teſtibus, & adſiſtentibus, ſuper quibus Nos Connotarii infraſcripti præſens documentum „ exaravimus, & præfati Illuſtriſſimi Domini Delegati ad proprias reſidentias ſeſe receperunt = Frater „ Antoninus Epiſcopus Reatinus, & Delegatus Apoſtolicus = Jacobus Philippus Conſoli, Vicarius Ge- „ neralis Spoleti, Delegatus Apoſtolicus.

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.
Ita eſt, Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.

Die quinta Octobris 1737.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Reatinus, & Reverendiſſimus Dominus Vi- „ carius Generalis Spoletanus, Judices, Delegatus, & Subdelegatus, prout in actis, iterum ſeſe con- „ tulerunt ad Venerabilem Eccleſiam Sanctiſſimi Suffragii Leoniſſæ, & peractâ Oratione ante Corpus Bea- „ ti Joſephi, Capucini, ab eadem Leoniſſa, ſubinde acceſſerunt ad ſuperius deſcriptam manſionem, illâque „ clavibus apertâ, reponi fecerunt in Capſa nova longitudinis palmorum ſex, & altitudinis trium pal- „ morum circiter non ſolum Capſam, ex qua fuit extractum Corpus ejuſdem Beati, prout in præſen- „ tibus actis, verùm quoque laminas plumbeas, parvam capſulam, vulgò Scatola, quæ quidem Capſa „ nova deinde clavis fixa fuit occluſa, & vitta ſemiſerica, vulgò *Capicciola*, coloris rubei, fuit in „ modum Crucis colligata, & duobus in locis Sigillis, quibus ſupra, appoſitis eorumdem Illuſtriſſimorum „ Delegatorum obſignata, & relicta in eademmet manſione, injuncto tamen DD. Deputatis illam reponendi „ in loco decenti, in ſolemnitate, quæ in dicta Eccleſia per octo dies continuos celebretur, & denuo „ effuſis precibus ante Beatum Corpus, ad eorum reſidentiam ſeſe receperunt, unà cum eorum reſpe- „ ctivè Familiaribus, ac Nobis Connotariis, qui præfata omnia vidimus, deſcripſimus, & adnotavimus, „ & præſens documentum confecimus = Frater Antonius Epiſcopus Reatinus, & Delegatus Apoſto- „ licus = Jacobus Philippus Conſoli, Vicarius Generalis Spoleti, Delegatus Apoſtolicus.

Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.
Ita eſt, Criſpinus Staffa Connotarius Deputatus.

Die verò ſeptima Octobris 1737.

„ Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Delegati Apoſtolici, in ædibus eorum Reſidentiæ aperue- „ runt Capſunculam, ſive *Scatola*, de qua ſupra, & ab eadem extraxerunt, & ſeparaverunt quinde- „ cim particulas oſſium Beati Joſephi in eadem repoſitorum, ad effectum tranſmittendi, nempe, San- „ ctiſſimo Domino Noſtro Papæ = Suæ Majeſtati, utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Regi = Sacroſan- „ ctæ Baſilicæ Lateranenſi = Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Barberino = Emi- „ nentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Corſino = Eminenentiſſimo, & Reverendiſſimo Do- „ mino Cardinali, Sacræ Congregationis Rituum Præfecto = Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino „ de Valentibus = Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cervini = Reverendiſſimo Patri Generali „ = Admodum Reverendo Patri Procuratori Generali = Admodum Reverendo Patri Poſtulatori = Com- „ munitati Amatricis = Communitati Utricoli, & Reverendo Domino Antonio Palanfrotti, necnon „ Domino Canonico Viſcardi, Vicario foraneo, quas interim recluſerunt in alia Capſuncula ſimili, & „ vitta ſerica colligata, eorum ſigillo in cera rubea hiſpanica obſignarunt, reliquas verò Sacras Reliquias „ reliquerunt in ipſamet Capſuncula, ſeparatis prius nonnullis particulis pro ſeipſis, & illam clauſam, „ & vitta ſerica obligatam, eorum pariter reſpectivè ſigillo obſignarunt, ad effectum conſignandi Domi- „ nis Prioribus Leoniſſæ, ſive, prout melius expediens videbitur, præfato Illuſtriſſimo, & Reverendiſ- „ ſimo Epiſcopo Reatino, ſuper quibus &c. Nos &c. = Frater Antonius Epiſcopus Reatinus, & De- „ legatus Apoſtolicus = Jacobus Philippus Conſoli, Vicarius Generalis Spoleti, Delegatus Apoſtolicus

Ita eſt, Criſpinus Staffa Connotarius Epiſcopalis.
Ita eſt, Simon Carolus Statera Connotarius Deputatus.

Exempl. Auth. hujus Proceſſûs in Arch. Gener. Ord. Armar. Provincia S. P. Franciſci. *Plura de translatione &c. vide infra fol.* 168.

D E-

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Moniales loci Caſſiæ ad emptum, & noviter accomodatum S. Luciæ Monaſterium transferri conceditur.

Eminentiſſimi, ac Rm̃i Domini, Domini.

Lib. Sup. in lat. trans. ABbatiſſa, & Moniales Capucinæ S. Claræ Caſſiæ in Valle Spoletana, humillimæ EE.VV. Oratrices, devotiſſimo obſequio exponunt, quod â noto terræmotu anni 1703. ipſarum Monaſterium cum quinque Monialium morte ita fuerit concuſſum, & dirutum, ut in illis anguſtiis ad miſerabilem papilionem in horto Monaſterii S. Margaritæ confugere, & ſub eo tegi debuerint, ubi ob temporum injuriam, & frigoris exceſſum, cui reſiſtere nequibant, Domum particularem, quæ ceu fabrica moderna remanſit, ſita in publica S. Pancratii platea, caro pretio emere coactæ fuerint. Cum autem hæc pro commoditatibus, purè neceſſariis, nimis anguſta foret, ſucceſſivè diverſos alios ſitus, in ſolis potiſſimùm fundamentis conſiſtentes emerunt. Super hæc ordine improprio, & inæquali fuit fabricatum, & adjectus hortulus aëris minus ſalubris, & feneſtræ ligno obductæ fuêre, itaquidem, ut tempore turbido ob ſubjectionem vicinarum ædium particularium, & publicæ plateæ, ubi Gubernium, ſeu Magiſtratus, & Curia habitare conſuevit, maneant in obſcuro, & ob tumultum continuum, non ſolùm in oratione vocali, ſed & mentali impediantur, & ob aerem obtuſum, etiam in periculo ſanitatis verſentur.

Exponunt pariter, quod ante aliquot annos Moniales S. Luciæ, ejuſdem loci, Monaſterium ſuum dereliquerint, per viam unionis ad illud B. Ritæ translatæ fuerint, & Monaſterium earum, viâ emptionis ſub dominio Communitatis permanſerit. Inde ventum eſt ad tractatum, & ſub reſervato EE. VV., & S. Congregationis boni Regiminis beneplacito, dictorum 2. Monaſteriorum S. Luciæ, & S. Claræ permutatio concluſa, adjectâ conditione, ut Communitas Oratricibus 1250. ſcuta, ad effectum, & in ſpecie, ad Monaſterium S. Luciæ, modo, Monialibus Capucinis Oratricibus conveniente accomodandum, erogare deberet, cum hoc ob ſitum, ab habitatione Sæcularium remotum, ob aerem apertum, & ſalubrem, & ob alia majora commoda, præſertim ob hortum vitibus, & fructibus fœcundum iis plurimùm conducat. Cumque hoc totum Illuſtriſſimus D. Epiſcopus, occaſione præſentis ſuæ viſitationis viderit, & conſideraverit, EE. VV. pro facultate ad dictæ permutationis ſtipulationem procedendi, & hâc confectâ de loco ipſarum diſcedendi, & cum S. Cruce ad illud S. Luciæ ſe tranſferendi ſupplicant. Et Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Spoletani, atque audito voto Eminentiſſimi Cardinalis Belluga, benignè commiſit dicto Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam compererit in evidentem Oratricum utilitatem fore ceſſurum, petitam facultatem ineundi præfatum contractum cum pactis, & conditionibus ſupra expreſſis, pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut dictæ Moniales Capucinæ Oratrices ad Monaſterium S. Luciæ non transferantur, niſi, poſtquam illud cum oblata impenſa ſcutorum 1250. per Univerſitatem facienda, ad earum uſum redactum fuerit, recognoſcendum ab ipſo Epiſcopo, & adveniente tempore tranſlationis ad præcenſitum Monaſterium tranſitus ipſe fiat rectâ viâ, & ſine ulla ad extraneum locum diverſione: Servatis in reliquis omnibus per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, ac Conſtitutiones Apoſtolicas circa hujuſmodi translationes præſcriptis. Romæ 19. Septembris 1738.

I. *Cardinalis Firrao.*

C. Archiep. Diamat. Secret.

Ex Cancellaria Epiſcopali Spoleti, de quo exempl. autent. in Archivo gen. Ord. Armario Provincia S. P. Franciſci *cum diverſis Decretis circa Moniales prædictas emanatis.*

SENTENTIA

Illm̃i, & Rm̃i D. Auditoris Cameræ.

RR. Patribus S. Lucæ Spoleti nullum jus, nullamque actionem in arbores, â Domo noſtra ibidem prætenſas competere confirmatur.

CHriſti Nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, ſolùmque Deum præ oculis habentes per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Juriſperitorum conſilio ferimus in cauſa, & cauſis, quæ primò, & in ſecunda ſeu alia veriori coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantiæ inter Ven. Conven.

ventum, & RR. Patres Capucinos loci novi Civitatis Spoleti, ipſamque Illmam Communitatem interventam ad defenſam eorumdem PP. Capucinorum appellatos ex una, & Ven. Conventum, & RR. Patres S. Lucæ dictæ Civitatis Spoleti appellantes, partibus ex altera, de, & ſuper confirmatione, vel infirmatione Sententiæ in prima inſtantia per dictum Dominum Vicarium Generalem latæ, qua mediante fuit dictum, dictis RR. Patribus Sanctæ Lucæ nullum jus, nullamque actionem competiiſſe, atque competere ſuper arboribus exiſtentibus in locis ſpecificatis in Mappa literis V. X. L. T. ad effectum illas incidendi, ſeu incidere faciendi, rebuſque aliis &c. firmo remanente, exequatur Mandati de reſtituendo per Nos contemporaneè relaxato, dicimus &c. malè fuiſſe, & eſſe appellatum per dictum Ven. Conventum, & RR. Patres Sancti Lucæ, beneque, juſtè, ritè, ac rectè fuiſſe, & eſſe judicatum â dicto D. Vicario Generali, ac propterea iſtius Sententiam fuiſſe, & eſſe in omnibus, & per omnia confirmandam, approbandam, & exequendam, prout illam Nos confirmamus, approbamus, & exequi volumus, atque mandamus, victamque partem victrici in expenſis condemnamus. Et ita &c. lata 25. Septembris 1739.

I. A. Furiettus Locumtenens.

Orig. in Archivo Conventûs.

Reliquias, & Cor Beati Joſephi â Leoniſſa, ſeu aliquam illarum, aut hujus partem ex Eccleſia, Sacriſtia, Armario, &c. Domûs Leoniſſæ extrahi, commodari &c. omnibus, & ſingulis, cujuſque gradûs, & conditionis, ſub excommunicatione latæ Sententiæ, aliiſque reſpectivè pœnis prohibet, ac Reliquias extractas â ſe non approbari declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci nuncupatorum, quod, cum in Eccleſia Conventûs ejuſdem Ordinis Terræ Leoniſſæ Spoletan. Diœc. nonnullæ Reliquiæ, & præſertim Cor B. Joſephi â Leoniſſa, dum vixit, Fratris expreſsè profeſſi dicti Ordinis, ut piè creditur, aſſerventur, cupiat earum, & illius conſervationi opportunè, ut infra, â Nobis provideri. Nos ſpecialem, eidem moderno Procuratori Generali gratiam facere volentes, illumque â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus Nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Perſonis, quacunque auctoritate, ſuperioritate, vel officio fungentibus, & functuris, ac cujuſvis ſtatûs, gradûs, qualitatis, & conditionis, ac præeminentiæ, & dignitatis pro tempore exiſtentibus, ne ullo unquam tempore Reliquias, & Cor, ſeu aliquam illarum, & illius partem è dicta Eccleſia, ſeu ex illius Capellis, ſeu Sacriſtia, ſeu Armario, in qua, ſeu quo Reliquiæ, & Cor hujuſmodi repoſitæ, ſeu reponendæ ſunt, extrahere, aſportare, & rapere, aut quovis modo commodare, ſeu, ut extrahantur, aſportentur, & rapiantur, aut commodentur, permittere, aut conſentire ſub quovis prætextu, quæſito colore, cauſa, vel ingenio audeant, ſeu præſumant auſu temerario, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, â qua nemo, niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium valeat obtinere, & quoad Regulares privationis vocis activæ, & paſſivæ, & Eccleſiaſticos ſuſpenſionis â Divinis, pœnis, ipſo facto per contrafacientes, abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Conventûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Eccleſiæ ſeu illius Sacriſtiæ, aut alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, continuò affixum remaneat. Cœterum per præſentes non intendimus ſupradictas Reliquias ullo modo approbare. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris, Die XVI. Junii MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Breve form. in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia S. P. Franciſci.

Eaſ-

Eaſdem Reliquias B. Joſephi à Leoniſſa inſpici, ac ad novum Sacellum transferri, Ludovico de Valentibus, Promotori Fidei committit.

A Tergo. *Dilecto Filio Magiſtro Ludovico de Valentibus, Promotori Apoſtolico &c.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.

QUO' magis Chriſtifidelium intereſt, Religioſa veneratione curare ſibi, ac retinere Divorum præſidium, eò diligentius pro paterna charitate, Supremique Pontificatûs munere danda nobis eſt opera, ut, quidquid in unoquoque Populo conferre poteſt ad Cœleſtes Patronos pio cultu ſibi demerendos, ſollicitè maneat, atque augeſcat. Cum igitur renuntiatum Nobis fuerit in Oppido Leoniſſæ, Spoletanæ Diœceſis, Reliquias aliquot, & Cor præſertim, quo Sanctiſſimam vitam in terris egit B. Joſeph, ejuſdem Oppidi Civis, ſolemni pompâ transferenda eſſe in Sacellum, ſplendidè nuper ornatum, Templi Fratrum Capucinorum, ex ipſius, Templi Sacrario, ubi hactenus jacuerunt, ac ſummoperè exoptemus, ut nihil earumdem Reliquiarum ne minima quidem ex parte depereat, quarum præſentia plurimùm gens illa exacuitur ad heroicas præſtantiſſimi Viri imitandas virtutes, ſimul autem, ut Sacræ huic celebritati decus undique accedat, Te idcirco, Dilecte Fili, ſelegimus, qui noſtra fultus auctoritate, veneranda hæc Lipſana præſens inſpicias, & explores ejus eſſe, cujus perhibentur, è Sacrario cautè novum in Sacellum adducas, ibique omnibus veneranda proponas, ac ſtabili domicilio colloces. Quamobrèm neceſſarias, opportunaſque facultates atque Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XVI. Septembris MDCCXLI. Pontificatûs Noſtri Anno ſecundo.

Jo: Vincentius Lucchesinius.

Breve form. in Arch. Gen. Ord. Ac'a Provincia S. P. Franciſci.

N O T A.

CUM Reliquias Beatorum in Proceſſionibus circumferre, Decretum Sacræ Congregationis Rituum, à S. M. Alexandro Papa VII. die 27. Septembris 1659. confirmatum, & à Pign. tom. 7. conſult. 27. fol. mihi 51. & 52. citatum, generaliter prohibeat, & Cor Beati Joſephi ad novam Cappellam transferri debuerit, P. Procurator Generalis, ut hoc proceſſionaliter fieret, Sanctiſſimo ſupplicavit, libello ſupplici, qui ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Cum in Terra Leoniſſæ translatio, & expoſitio Cordis B. Joſephi, ejuſdem Terræ in Cappella, de novo ad hunc effectum conſtructa, fieri debeat, Proc. humillimus Sanctitatis Veſtræ ſubditus, & Orator pro gratia, & facultate dictam translationem proceſſionaliter faciendi ſupplicat, non obſtante clauſula, Apoſtolico Brevi Beatificationis de non portando in proceſſionibus Corpore, & Reliquiis Beatorum insertâ, cum exempla diſpenſationis in hujuſmodi caſibus non deficiant, prout ipſa Sanctitas Veſtra in eximio ſuo opere l. 4. p. 2. c. 21. §. 3. refert. Quam &c.

A tergo: Reſcriptum PRO GRATIA XX. SEPTEMBRIS MDCCXLI.

Benedictus Papa XIV.

PRO-

PROVINCIA MARCHIÆ.

SUrrexerunt ex Marchia, ſeu Piceno, Viri fortes, Matthæus à Baſſio, Ludovicus, & Raphael à Foroſempronio, qui Reformationis noſtræ fundamenta poſuêre, & S. Franciſci Domum, quæ de rigidioris Obſervantiæ compage nonnihil ſolvebatur, ad primam in verbo S. Regulæ expreſſam formam ex parte reduxêre. Hanc quoque poſtmodum à Marchiæ Provincia plurimùm cultam, & fultam fuiſſe conſonâ fateri oportet laude, cum Religio (præter prædictos Mathæum, & Ludovicum, primos Reformationis Vicarios Generales,) alios undecim Miniſtros. & Vicarios Generales fœcundâ propagine ab illa acceperit: videlicet;

Fr. Franciſcum Æſinum.
Fr. Euſebium ab Ancona.
Fr. Marium à Foro-Sarzinio.
Fr. Vincentium à Monte Ulmo.
Fr. Hieronymum à Monte Florum.
Fr. Hieronymum à Caſtro Ferettorum.
Fr. Paulum à Ceſæna.
Fr. Carolum Mariam à Macerata.
Fr. Bonaventuram à Recineto, S. Palatii Apoſt. Concionatorem.
Fr. Michaelem Angelum à Raguſio.
Fr. Bernardinum à S. Angelo in Vado.

Inter quos plures, & Generalis Procuræ munus geſſerunt: quos quaſi omnes Typis vulgata virtus commendat: & quorum gubernandæ Religionis zelo, partes ſuas, ceu Definitores Generales pro ratione temporis copulârunt,

Fr. Angelus à Tipherno Metaurenſi, qui perfectiorem Regulæ cultum anhelans, inter primos ad noſtram tranſiit Reformationem, & in ea Nomen ſuum, virtutum cumulo, & peculiari mentis ſimplicitate expreſſit, ſæpiuſque ab Eccleſiæ foribus, ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in majore Ara conſervatum, fulguris inſtar rapi, Boverio teſte, fuit viſus.

Fr. Joannes à Fano, ex Illuſtri Pileorum Familia ortus, qui, quantùm aſſurgentis Reformationis Semen, ceu RR. PP. Obſervantium Miniſter Provincialis impedire, ſeu ſuffocare nitebatur, tantùm poſtea, mutato Sauli animo, illius florem, ſeu incrementum quæſivit, Religioſus Capucinæ Legis Alumnus, conſtans ſolitariæ vitæ Amator, & celebris plurium Operum Typis editorum Auctor.

Functi ſunt, & eodem Generali munere Fr. Bernardinus à Macerata, & Fr. Franciſcus ab Aſculo, quorum merita invidum tempus tenet occulta.

Fuit in hac Provincia prima Domus, quam Fratres Camerini collegialiter inhabitabant, cujus muri, Ciboã liberalitate exſtructi, primævæ ſimplicitatis ſpiritum adhuc præſeſerunt, & de quo præclarum Ordinis Ciſtercienſis Decus, ac Abbas Ferdinandus Ughellus tom. 1. Italiæ Sacræ fol. mihi 592. ita ſcribit.

Duorum ab Urbe (*Camerinenſi*) milliarium intervallo, celeberrimum Fratrum Capucinorum Monaſterium viſitur, in quo Clemente VII. Pontifice, nova Capucinorum Reformatio, quæ tantos peperit Chriſtianæ Religioni fructus, emerſit, adeoque ſeſe per totam Europam diffudit, ut nullus nobilis ſit locus, in quo piiſſima illa Familia, admiranda virtutum exempla non explicet. Unde non ignobilis in Camerinum, ê quo is Ordo erupit, gloria derivat, præ cæteris omnibus â Summo Numine illud electum, delibatumque fuiſſe, in quo is terreſtris Paradiſus, Religio, inquam, adeo inclyta, divinas delicias ſub illo vitæ rigore aſperrimo Orbi afferret.

Ab hac Provincia, per Commiſſarios, ſeu Fratres, ex illa Oriundos, fundatas fuiſſe Provincias, Romanam, S. Angeli, Brixienſem, Venetam, Mediolanenſem, Januenſem, Flandricam &c., & tria Capitula Generalia in ea celebrata, Cronicha illius teſtantur Monumenta.

Eſt, & hujus Provinciæ Proles, Fr. Seraphinus ab Aſculo, ſeu Monte Granario, Laicus, cui Apoſtolica Sedes Sacros jam decrevit Altaris honores, & cujus Seraphicam Vitam, quaſi omnium Linguarum Typus extendit.

Alios ſanguine, doctrina, & pietate inſignes Provinciæ hujus Viros magno numero producunt Annales, aliique Ordinis noſtri libri.

Continet Provincia.

Domos Fratrum LII.
Miſſionem extra Provinciam I.
Hoſpitia, ſeu Aſyla pro Itinerantibus, & Quæſtuantibus V.
Monaſteria Monialium Capuc. ſtrictè talium III.
Largè talium IV.

Mediato Vivæ Vocis Oraculo.

Domum antiquam Montis Veteris vendi, & ex pretio inde redacto, reiteratiſque, D. Proſperi de Comitibus expenſis Domum novam in ſalubriore Situ conſtrui, Vicario Generali Ravignanæ committitur.

GUIDO ASCANIUS SFORTIA

S. Euſebii Diaconus Cardinalis de S. Flora S.R.E. Camerarius.

Venerabili Viro D. Vicario Ravignanæ in Spiritualibus Generali Ordinario, ſalutem in Domino ſempiternam.

PRO parte Illuſtriſſimi Domini Proſperi ex Comitibus Montis Veteris, nullius Diœceſis, Nobis nuper in Camera Apoſtolica expoſitum fuit, qualiter ipſe Exponens, aliàs zelo devotionis accenſus, pro augmento Divini Cultûs nonnulla bona ſtabilia adhærentia, & circumvicina rurali Eccleſiæ in Territorio dicti loci Montis Veteris, nunc vulgariter nuncupatæ *Conventus, & Eccleſia Capucinorum*, pro conſtructione Cellarum, & commoda habitatione dictorum Fratrum Capucinorum, ibidem pro tempore reſidentium, de propriis pecuniis emit, & pro effectu prædicto bona ipſa dictæ Eccleſiæ applicavit, & demum etiam ſumptibus ſuis propriis prædictum deſiderium ſuum effectuavit, fabricam deſuper neceſſariam pro ſuis viribus conſtruens. Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tempore procedente compertum eſt, quod propter humiditatem ſitûs, & aeris intemperiem ibidem Fratres ipſi Altiſſimo famulari intendentes, diverſis infirmitatibus propterea oppreſſi, Divinum ſervitium retardare ſæpius coguntur, & non ſine vitæ eorum periculo ibidem in-

futurum Divinum ſervitium continuare verentur, cum non modica ipſius Exponentis diſplicentia, qui deſiderans etiam iteratis expenſis ſuis, & de conſenſu Fratrum dicti loci, bonis aliis, per ipſum Exponentem dicto Conventui applicatis, ut præfertur, quorum annuus redditus duos ducatos auri de Camera non excedit, venditis, & pretio inde proveniente converſo in tot aliis bonis ſtabilibus, in alio ſalubriori loco alium Conventum, & commodam habitationem pro Fratribus ibidem pro tempore Altiſſimo famulantibus, ad honorem Dei extrui facere, idque ſibi minimè licere dubitans, inconſultâ Sede Apoſtolicâ, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuæ piæ intentioni hujuſmodi opportunè conſulere dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus, inclinati, & deſiderantes, quantum cum Deo poſſumus, augmentum rerum ſpiritualium amplecti poſſe, de Mandato SS. D. N. Papæ, Vivæ vocis Oraculo ſuper hoc Nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatûs Officii, Tibi, qui, ut ſupra aſſeritur, in dicta Ravignana ordinariam ſpiritualem juriſdictionem exerces, committimus, & mandamus, quatenus ad Conventum prædictum accedendo, de præmiſſis omnibus, & ſingulis Te diligenter informes, & ſi per informationem eandem ita eſſe comperies, dicto Exponenti, remanente tamen dicta Rurali Eccleſia, de conſenſu Fratrum dicti loci, bona prædicta vendendi, & pretium inde proveniens in emptionem aliorum bonorum ſtabilium in ſalubriori, & honeſto loco, per Te ad effectum prædictum approbando convertas, & ibidem alium Conventum, & Domos neceſſarias conſtruas, licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra concedas, omniaque deſuper neceſſaria, & opportuna conficias, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere declares. Super quibus omnibus conſcientiam tuam oneramus. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim fel. rec. Pauli Papæ II. de rebus Eccleſiæ non alienandis, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ in Cam. Apoſt., Die XXII. Menſis Maii MDLI. Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Julii Divina Providentia Papa III. Anno ſecundo.

Viſa.

Melchiorius C. A. Clericus.

Orig. in Archivo Conventus.

Eccleſiam S. Sebaſtiani Conventûs Apiri Indulgentiâ plenariâ perpetuâ decorat.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut accepimus, Dilecti Filii Univerſitas, & Homines Terræ Apiri, Camerinenſis Diœceſis, ex ſummo devotionis affectu, atque ad propagandum Ordinem Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum apud ruralem Eccleſiam S. Sebaſtiani, extra muros dictæ Terræ ſitam, unam Domum pro uſu, & habitatione aliquot Fratrum Ordinis præfati ædificandi licentiam obtinuerint, & jam magna cum dictæ, & aliarum circumvicinarum Terrarum, & locorum Populi ſatiſfactione, ac ſpirituali conſolatione in loco, & ſolo ædificandæ Domûs hujuſmodi proceſſionaliter Crux appoſita extiterit. Nunc demum fabricæ dictæ Domus principium dare intendant, præviâ tamen proceſſione ab Eccleſia Domûs S. Franciſci ejuſdem Terræ uſque ad præfatum locum conſtruendæ Domûs incedendo faciendâ. Nos igitur ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, ac, ut Chriſtifideles majori cum devotione dictæ proceſſioni faciendæ interveniant, Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, precibus quoque pro parte dictorum Univerſitatis, & Hominum Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui dictæ proceſſioni die, quo hujuſmodi Fabricæ principium dabitur, interfuerint, necnon ſingulis annis dictam Eccleſiam S. Sebaſtiani ipſius Domus Capucinorum ſimiliter eodem die, quo dicta fabrica incæpta fuerit, à primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei devotè viſitaverint, ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, ac hæreſum extirpatione, Sanctæque Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfato id pro tempore fecerint, ſi eo die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XII. Novembris MDLXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

To: Tom: Gualterutius.

Exempl. Authen., & impreſſum in Archivo Conventûs.

N O T A.

Dies annuus, quo fabrica hujus Conventûs fuit incepta, eſt primus Maii, cultui SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi Sacer, in quo proin annuatim devota proceſſione, memoria fundationis dictæ Domûs celebratur.

De Domo Apiri vide, & infra alia

Ad inſtantias Ducis Urbini Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia Conventûs Caſtri Durantis (jam Civitatis Urbaniæ) quoad Miſsas Fratrum duntaxat, in perpetuum privilegiat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium ſaluti paterna charitate intenti, Sacra interdum Loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ, D. N. Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam tranſmeare valeant. Supplicationibus igitur dilecti Filii Nobilis Viri Franciſci Mariæ Urbini Ducis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Eccleſiam Domûs Fratrum Capucinorum S. Franciſci Terræ Caſtri Durantis, nullius Diœceſis, Provinciæ Urbinatenſis, ſimili huccuſque privilegio minimè decoratam, hoc ſpeciali dono illuſtrare volentes, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis ejuſdem Domûs, aut illuc accedens, ex Fratribus Capucinis duntaxat, Miſſam Defunctorum ad Altare Sanctiſſimi Crucifixi, in dicta Eccleſia per dictum Franciſcum Mariam Ducem extructum, pro anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Anima ipſa de theſauris Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur, ita ut ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIV. Januarii MDXCV. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Conventûs, de quo exempl. auth. in Arch. Gen. Ordinis Arm. Provincia Marchiæ.

Petium terræ, conſtruendæ novæ Domui Maceratæ ſufficiens, lite actuali non obſtante, Fratribus conſignari, Gubernatori Marchiæ Anconitanæ committit.

A tergo. *Dilecto Filio Provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ Gubernatori.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilecta Filia Margarita Riccia, relicta quondam Capitanei Marii Compagnoni Maceratenſis, quod Joannes Baptiſta Compagnonus, dum vixit, Miles S. Stephani, ejus ex prædicto Mario unicus filius, in Civitate Neapolis, condito priùs teſtamento, quo dictam Margaritam, ejus Uxorem, ſibi hæredem univerſalem inſtituit, ejuſque arbitrio remiſit eleemoſynam, quam pro ipſius Teſtatoris anima facere voluiſſet, ab humanis deceſſit, & licèt tanquam Mater, & hæres ſuper bonis, & hæreditate dicti Joannis Baptiſtæ, Nati ſui, ipſa Margarita minimè moleſtari debuiſſet, nihilominus quondam Antonius Franciſcus Compagnonus, ſupradicti quondam Marii Compagnoni Frater Germanus, & prædicti Joannis Baptiſtæ Patruus, ipsâ Margaritâ hærede minimè citatâ, bona dictæ hæreditatis de facto occupavit; ſed producto ab eadem Margarita prædicto teſtamento, à Judicibus Rotæ Maceratenſis, ad ejus favorem ſententiam, ac Mandatum de immittendo in poſſeſſionem prædictæ hæreditatis, ac poſtea poſſeſſionis adeptæ confirmationem obtinuit, licèt pars adverſa de nullitate teſtamenti, & alia opponeret appellatione, forſan etiam cum interventu ejuſdem Antonii Franciſci filiorum, & hæredum pro eorum intereſſe, prætendendo ſe ad prædictam Joannis Baptiſtæ hæreditatem vigore cujuſdam aſſerti fideicommiſſi quondam Laviniæ, dicti Antonii Franciſci Matris, & eorumdem ipſius Antonii Franciſci, & dicti quondam Joannis Baptiſtæ Teſtatoris Aviæ paternæ vocatæ, jus habere, quæ ſen-

ſententia, cum in poſſeſſorio non detur appellatio, deſerta remanſit, in rem tranſivit judicatam. Cum autem, ſicut eadem diſpoſitio ſubjungebat, in prædicta hæreditate Joannis Baptiſtæ Teſtatoris quoddam Prædium, ſitum in Territorio Maceratenſi laborativum, olivatum, vineatum, & arboratum cum columbario capacitatis 32. modiolorum terræ, vel circa, in Contrada S. Luciæ nuncupata conſiſtat, ac prædicta Margarita pro ſua devotione, ac in ſuffragium animæ prædicti Joannis Baptiſtæ, ejus Nati, dicti Prædii tantam partem Ordini Fratrum Capuccinorum Sancti Franciſci aſſignare intendat, quanta ſufficiens ſit, ad Eccleſiam, & Domum unà cum ſitu, horto, & aliis adjacentiis neceſſariis eidem Domui pro Fratribus ejuſdem Ordinis ibi conſtruendam; cum Domus, quam ad præſens in territorio Maceratenſi inhabitant, ſita ſit in loco valde incommodo, & humidiori, & magis â Civitate diſtanti, ubi ob aeris intemperiem, & habitationis incommoditatem ipſi Fratres infirmitatibus, & morti nimis obnoxii ſunt, & incommodè illis ſubveniri poteſt, & ideo nova Domo maximè indigent, jamque ipſi fratres locum prædictum acceptaſſent, & Crucem ibi conſtituiſſent, niſi hujuſmodi litis pendentia eos retinuiſſet: & quamquam prædicta Margarita filios prædicti Antonii Franciſci requiri fecerit, ut huic pio operi abſque eorum Jurium præjudicio conſentire vellent, quod in eventum ſuccumbentiæ &c., licèt de ſuo proprio ſatisfacere poſſet, idoneam tamen cautionem præſtaſſet de ſolvendo totum, quod de jure judicatum fuiſſet, ipſam teneri pro pretio ſitûs cum omnibus damnis, & intereſſe, id facere recuſarunt, ac ad impediendum hujus pii operis executionem diſtulerunt. Cumque ſitus, dicto Ordini conſignandus, tantæ capacitatis non ſit, ut major, & magis fructifera pars dicti Prædii non remaneat; & licèt pars adverſa in eo aliquod Jus habeat, quod expreſsè negatur, ea tamen ſitûs dicto Ordini conſignanda pars pro detractione, Legitimæ, & Trebellianicæ, aut alterius ipſarum prædictæ Margaritæ obventurâ, necnon etiam pro ædificatione Eccleſiæ, & Domûs prædictæ aliàs forſan concedi, ſeu alienari poſſet: propterea pro parte dictæ Margaritæ Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut pro hujuſmodi pii operis executione in prædictis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tam pium opus, ut par eſt, confovere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut facta per dictam Margaritam obligatione, ac præſtitâ etiam idonea cautione de ſolvendo pretio dicti ſitûs cum omnibus damnis, & intereſſe in eventum ſuccumbentiæ, ut præfertur, authoritate noſtra Apoſtolica declares, prædictam Margaritam ſitum ex dicto Prædio pro Eccleſia, Domo, & aliis præfatis, prædicto Ordini Capucinorum concedendis ſtatim concedere, & conſignare liberè, & licitè poſſe, nec deſuper à prædictis adverſariis, aut quibuſcunque aliis, quovis prætextu, cauſa, & occaſione, moleſtari, perturbari, vel inquietari permittas, ac ſitum præfatum conſignandum à reliquo Prædio ſeparari cures, illumque â quacumque ſubjectione fideicommiſſi, hypothecæ, ac aliorum, ſi quod inſit, aut alterius cujuſcunque oneris prorſus liberes, & eximas, ipſiuſque Ordinis Capucinorum Fratribus, ut ibi Crucem erigere, ac Domum, & Eccleſiam conſtruere, ac perpetuò habitare, & ea retinere poſſint, eadem authoritate licentiam, & facultatem concedas, quoſcunque contradictores, & eis auxilium, vel favorem publicè, occultè, directè, vel indirecte quomodolibet præſtantes, per opportuna Juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo: non obſtante dicto fideicommiſſo, hypotheca, ſi aliquod inſit, cui quoad eam ſitûs conſignandi partem expreſsè derogamus, nec non vitio litigii, ac quibuſvis confirmationibus, & dictæ Civitatis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, ac Regula de non tollendo Jure quæſito, quatenus opus ſit, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illius ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus: cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXV. Aprilis MDXCVI. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Maii 1597. fol. 170. *de quo exemp. in Arch. Generali Ord. Arm.* Provincia Marchiæ.

Domum veterem S. Chriſtinæ Fani, meliorem conditionem offerenti vendi, & pretium inde redactum in novam Fabricam converti indulget.

Dile-

Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Ordinis Capuccinorum Domûs S. Chriſtinæ Fanenſis Diœceſis.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut Nobis exponi feciſtis, ob aeris intemperiem iſtius loci, Eccleſiam, & Domum iſtam relinquere cogamini, ac propterea aliam Domum, & Eccleſiam in loco ſalubriori extruere intendatis, cupiatiſque iſtam Eccleſiam, & Domum diruere, & ſitum illarum vendere, pretiumque, & cæmenta inde redigenda, in novæ Domûs, & Eccleſiæ fabricam convertere poſſe, & ideo Nobis humiliter ſupplicari feceritis, ut opportunam ad hoc licentiam Vobis concedere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſpecialem Vobis gratiam facere volentes, Voſque & quemlibet veſtrûm à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis, ut veterem Domum, & Eccleſiam veſtram hujuſmodi deſtruere, dummodo illarum cæmenta, & lapides in novæ Eccleſiæ, & Domûs fabricam converti curetis, nec non ſitum Domûs, & Eccleſiæ deſtruendarum cujuſvis perſonæ meliorem conditionem offerenti vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum in novam fabricam prædictam convertere, liberè, & licitè valeatis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac veſtri Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut Terra mera dictæ Eccleſiæ deſtruendæ in aliquam foveam profundam projiciatur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris Die x. Decembris MDXCVI. Anno quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ., & anni præd. fol. 61. de quo Breve formatum in Archivo Conventûs.
Vide de hac Domo, & alia infra

Legatum pium pro 6. veſtimentis Fratribus Civitatis Firmanæ, â Lucretia Vinca relictum in ducenta ſcuta converti, hæc pro fabrica novæ Domûs ibidem applicari, & pro onere 2. Miſſarum hebdomadatim aliàs dicendarum, harum 700. â Fratribus unâ tantùm vice celebrari concedit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut accepimus, aliàs quondam Lucretia Vinca, mulier Civitatis Firmanæ in ſuo ultimo, quod condidit, Teſtamento, voluerit, & ordinaverit, quod hæredes ſui ex bonis hæreditatis ipſius Teſtatricis ſingulis annis facere deberent ſex veſtimenta, ſex Fratribus Capucinis Familiæ Domûs Fratrum Capucinorum dictæ Civitatis tamdiu, donec omnes expenſæ veſtimentorum hujuſmodi aſcenderent ad ducenta ſcuta, cum onere tamen, quod per dictos Fratres Capucinos ſingula hebdomada ad minus duæ Miſſæ Mortuorum, una videlicet pro dictæ Teſtaricis, & altera pro ejus Matris Anima celebrare deberent, & aliàs, prout in dicto teſtamento plenius dicitur contineri. Cumque propter aeris inſalubritatem maximè loci illius, in quo prædicta Domus Capucinorum ſita reperitur, Dilecti Filii ejuſdem Domûs Guardianus, & Fratres propoſuerint, in alia ipſius Civitatis parte, ſalubriori aeri ſubjacenti, aliam Domum cum officinis ſuis neceſſariis pro eorum uſu fabricari facere, ac pro expenſis hujuſmodi fabricæ notabili pecuniarum ſumma indigeant, quam in promptu non habent, dilecti verò Filii, ejuſdem Lucretiæ hæredes, neceſſitatibus dictorum Guardiani, & Fratrum moti, dictam ſummam ducentorum ſcutorum in uſum dictæ fabricæ exburſare parati ſint; Nos propterea in præmiſſis providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtra, prædictæ Lucretiæ hæredibus, ut dictam ſummam ducentorum ſcutorum in uſum dictæ fabricæ, etiam unica vice exburſare, necnon Guardiano, & Fratribus ipſius Domus, ut illam recipere, & in dictam fabricam, & non in hujuſmodi annua veſtimenta convertere liberè, & licitè, ac abſque alicujus conſcientiæ ſcrupulo poſſint, & valeant, concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & facultatem impartimur, & nihilominus ſummam prædictam ducentorum ſcutorum eidem fabricæ concedimus, & applicamus, illamque fabricæ prædictæ applicari, & per dictos hæredes dari debere volumus, & ordinamus; necnon hæredes prædictos de cætero ab onere, & obligatione conficiendi prædicta ſex veſtimenta annuatim abſolvimus, & liberamus, Miſſas verò, quæ ratione præſtationis hujuſmodi veſtimentorum celebrari debebant, ad numerum ſeptingentarum miſſarum, infra tempus ipſis Guardiano

& Fra-

& Fratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus beneviſum, pro Animabus dictæ Lucretiæ, & ejus Matris omnino celebrandarum reducimus, & moderamur, ac per celebrationem hujuſmodi Miſſarum reductarum menti, & voluntati prædictæ Teſtatricis ſatisfactum eſſe, ipſoſque hæredes, ac Guardianum, & Fratres propter præmiſſa, aliquam privationis, devolutionis, fideicommiſſi, ſubſtitutionis, aut aliam quamvis pænam incurrere minimè poſſe, ac ita per quoſcunque Judices & Commiſſarios, etiam Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus: necnon voluntatem dictæ Teſtatricis quoad hoc opportunè, & ſufficienter commutamus, non obſtantibus præmiſſis, ac voluntate hujuſmodi, necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Ordiniſque, & Domûs prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIV. Octobris MDXCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

M. Veſtrius Barbianus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 273.

Petium Sylvæ, Fratribus pro commoditate Domûs Montis Floris ab Archipresbytero Eccleſiæ S. Pauli ibidem conceſsæ, pro annuo cenſu permutari, Archiepiſcopo Urbinatenſi, ſeu ejus Vicario Generali committit.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Urbinaten. ſeu Dilecto Filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Archipresbyter Eccleſiæ Sancti Pauli Terræ Montis Floris, Viterbien. Dioec., ac Guardianus, & Conventus Domûs Fratrum Capucinorum Sancti Franciſci dictæ Terræ, quod alias de anno MDXCV. dictus Archipreſbiter pro commoditate dictorum Guardiani, & Conventus Capucinorum, eis quoddam petium ſilvæ, Tornaturarum duarum cum dimidio circiter, valoris, ut æſtimatum fuit, ſcutorum triginta, monetæ, ad dictam Eccleſiam pertinens dedit & conceſſit, & viciſſim pro dicto pretio triginta ſcutotum unum cenſum annuum perpetuum ſcutorum duorum cum dimidio, emptum â Dilecto Filio Balthaſſare Bonadies, Secretario Apoſtolico, & Familiari noſtro, & ab eo dictis Guardiano, & Fratribus ea de cauſa donatum recepit, ſalvo tamen noſtro, & Apoſtolicæ Sedis beneplacito, prout in inſtrumento deſuper celebrato, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Eccleſiam prædictam ex dicto cenſu majorem redditum, quàm ex dicta ſylva percipiat, & propterea hujuſmodi permutatio in illius utilitatem ceſſerit, & cedat, cupiunt propterea tam Archipresbyter, quàm Guardianus, & Fratres prædicti permutationem hujuſmodi pro illius validitate, confirmationis Apoſtolicæ robore communiri. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictæ ſylvæ ſituationem, confines, & dictum etiam annuum valorem, ac inſtrumenti prædicti tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, ac eiſdem Archipresbytero, Guardiano, & Fratribus ſpecialem gratiam facere volentes, & eorum quemlibet â quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Archiepiscope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus & mandamus, ut de præmiſſis Te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem permutationem dictæ ſylvæ, cum cenſu præfato in ejuſdem Eccleſiæ utilitatem ceſſiſſe & cedere compereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, in primis Archipresbyterum, ac Guardianum, & Fratres, & alios quoſcumque, qui in præmiſſis intervenerunt, â quibuſcumque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ſi quas præmiſſorum occaſione quomodolibet incurrerint, injunctâ eis arbitrio tuo pœnitentiâ ſalutari, auctoritate noſtra gratioſè abſolvas, ac deinde permutationem prædictam, & inſtrumentum deſuper celebratum, & inde ſecuta quæcumque, eadem auctoritate, perpetuò confirmes, & approbes, illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſuppleas. Non obſtan. fel. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificium, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus,

bus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Martii MDCII. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſis, & anni præd. fol. 371.

DECRETO

Sac. Congreg. Rit.

Fr. Athanaſio, ante ingreſſum Religionis ritu Græco ordinato, poſt Profeſſionem, ritu latino celebrandi facultas conceditur.

Anconitana, ſeu Urbis.

Athanaſius Savarus, Presbyter, ritu Græco Ordinatus, à Sanctiſſimo D. Noſtro licentiam petiit ingrediendi Religionem Capucinorum, & celebrandi Miſſam ritu latino, & cum ex ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Dataria, hujuſmodi ſupplicatio ad Sac. Rituum Congregationem remiſſa fuerit. Eadem Sacra Rit. Congregatio cenſuit licentiam petitam à dicto Athanaſio Presbytero Græco, celebrandi ritu latino poſſe concedi poſt ingreſſum Religionis, & emiſſionem Profeſſionis. Et ita declaravit. Die 16. Octobris 1604.

I. P. Mucantius Sec. Cong.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ. & anni præd. fol. 153.

Eccleſiam S. Catharinæ Anconæ, cum Domunculis, & petiis terræ contiguis Domui Fratrum ibidem uniri, Vicario Generali committit, ac onera dictæ Eccleſiæ incumbentia â Fratribus ſuppleri jubet.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario, Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Anconitani in Spiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, ad ea, per quæ in ſingulis Religioſis locis obſervantia vigeat Regularis, illarumque perſonarum in eis ſub Regulari Diſciplina Divinis laudibus inſiſtentium, & in humilitatis ſpiritu Altiſſimo continuò famulantium opportunitatibus, & commoditatibus valeat ſalubriter provideri, libenter intendimus, ac ea, prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis. Sanè exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Domûs Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Anconitanæ petitio continebat, quod Eccleſia S. Catharinæ, etiam Anconitan., quam dilectus Filius Bernardinus Manfredus, ipſius Eccleſiæ Rector obtinet, in ſuprema, & altiori parte Civitatis Anconitanæ versùs Mare, ac nonnulla petia terræ dictæ Eccleſiæ circumcirca contigua, quæ ad eam legitimè pertinent, conſiſtentia, ob earum à frequentia, ſeu habitationibus Populi ipſius Civitatis diſtantiam, non ſolum delinquendi occaſionem ſed etiam ipſis delinquentibus ab eadem Civitate de facile exeundi occaſionem præbent. Si igitur dicta Eccleſia, quæ ſine cura eſt, & prædictæ Domui admodum vicina, & commoda eſſe dignoſcitur, cum dictis petiis terræ, ac quibuſdam Domunculis, eidem Eccleſiæ adjacentibus, & ad eam ſpectantibus, annui redditus decem & octo ſcutorum, vel circa, eidem Ordini Fratrum Capuccinorum, ad effectum illam, & illius ſepta, quæ ſatis anguſta exiſtunt, ampliandi, perpetuò concederentur, nonnullis inconvenientibus, & ſcandalis, quæ ſæpe exoriri ſolent, ac Guardiani, & Fratrum præfatorum commoditatibus plurimùm conſultum foret, unuſque ex Populo, ſeu Civibus dictæ Civitatis ex ſingulari, quem erga Domum, & Ordinem Fratrum hujuſmodi gerit devotionis affectum, tum ad providendum indemnitati dicti Bernardini, tum ad effectum conceſſionis Eccleſiæ hujuſmodi, tot bona ſtabilia, ſeu perpetuos annuos cenſus, ex quibus decem, & octo ſcuta hujuſmodi quotannis percipi poterunt, perpetuò dare, & aſſignare paratum ſe exhibuit. Pro parte Guardiani, & Fratrum præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictam Eccleſiam cum petiis terræ, illi adjacentibus, & ad eam pertinentibus domunculis hujuſmodi, prædicto Ordini ad effectum præſentium concedere, & aſſignare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica, aliis uniri

uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm communem extimationem, tam beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret, idemque obſervari etiam volumus in perpetuis conceſſionibus, & applicationibus de quibuſcunque bonis Eccleſiaſticis: quique ſimiles impunè delinquendi occaſiones, præſertim in Civitatibus, & locis noſtris, & S. R. Eccleſiæ ditioni ſubjectis removere, ac Religioſarum Perſonarum commoditati providere deſideramus, Eoſdem Guardianum, & Fratres, & illorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c., & abſolutos fore cenſentes, necnon dictæ Eccleſiæ omnium & ſingularum proprietatum, jurium, terræ petiorum, domuncularum, & adjacentium prædictorum vocabula, confinia, & denominationes, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Directioni Tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & vocatis, qui fuerint evocandi, primò dictam Eccleſiam unà cum domunculis, & petiis terræ hujuſmodi Ordini, ac Guardiano, & Fratribus per ſe vel alium, ſeu alios eorum nomine corporalem poſſeſſionem primò dictæ Eccleſiæ, & petiorum terræ, & domuncularum illius hujuſmodi, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac primò dictam Eccleſiam, & domunculas, ac terræ petia ſeptis Regularibus prædictis pro illarum ampliatione, ſeu dilatatione includere, & ad formam eis beneviſam, ac Regulari eorum inſtituto conformem reducere, eidemque Eccleſiæ in Divinis, juxta laudabilem illorum conſuetudinem & regularia inſtituta deſervire, ipſique Guardianus, & Fratres onera, primò dictæ Eccleſiæ incumbentia, ſupportare teneantur, auctoritate Noſtra perpetuò concedas, & aſſignes. Nos enim, ſi conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi per Te vigore præſentium fieri contigerit, præſentes literas, etiam ex eo, quod dictus Bernardinus, & alii quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, illis non conſenſerint, nec cauſæ, propter quas præmiſſa facta fuerint, coram loci Ordinario, tanquam à Sede Apoſtolica Delegato, ſeu aliàs examinatæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, & quocunque alio capite, vel alia quantumvis legitima, & juridica cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quoquam alio defectu notari, ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, aut aliàs revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, ſeu ad viam, & terminos juris reduci, vel eis in aliquo derogari, ſeu adversùs eaſdem literas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, vel concedi, nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ac in omnibus inviolabiliter obſervari debere, nec etiam, ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, ac Sedem prædictam in genere, vel in ſpecie quomodolibet, etiam Apoſtolica Auctoritate factis, & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo ſub quacunque poſteriori Data, per Guardianum, & Fratres Domûs Ordinis hujuſmodi pro tempore exiſtentes quandocunque eligenda, conceſſas eſſe, & fore, eiſque ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices, Commiſſarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem S.R.E.Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos judicari, & definiri debere, necnō irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate noſtrâ decernas. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, aliiſque præmiſſis, & fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres in alia Civitate, vel quocunque alio loco ad inhabitandum loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta de novo mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi prohibitione mentionem, ac Lateranen. Concilii, noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus dicti Ordinis, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, aliiſque contrariis quibuſcunque: aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel aliter quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcunque ad primò dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari: & quibuslibet aliis privilegiis, & indultis generalibus, vel ſpecialibus, quoruncunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter quo-

non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda ſit in eiſdem literis mentio ſpecialis. Proviſo, quod propter conceſſionem, & aſſignationem per Te faciendas, ſi eas fieri contigerit, ut præfertur, primò dicta Eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus congruè ſupportentur onera antedicta. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinto Kal. Novembris. Pontificatus Noſtri Anno primo.

V. Capitoſtus.

Loco ✠ Plumbi.

Bulla formata in Archivo Conventûs &c.

N O T A

Tam præmemoratæ Domui, quàm ejus Eccleſiæ conceſſæ fuêre ſubinde, & aliæ Apoſtolicæ gratiæ: & quidem Eccleſia illius fuit decorata Altari privilegiaro perpetuo: primò à Gregorio Papa XIII. per Bullam, in Archivo Conventûs originaliter conſervatam, Altari S. Joannis Baptiſtæ conceſſo, & poſtea ab Urbano Papa VIII. ad Altare Sanctiſsimæ Pietatis per ſequens Apoſtolicum Breve tranſlato.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium ſaluti paterna charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium Defunctorum animæ, Domini N. J. Chriſti, ejuſque Sanctorum Suffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam S. Pauli Anconitanæ Domûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ſimili aliàs privilegio per fel. record. Gregorium PP. XIII. Prædeceſſorem Noſtrum, ut infra, decoratum, & in ea ſitum Altare Sanctiſſimæ Pietatis etiam nuncupatum hoc ſpeciali dono illuſtrare, & propterea privilegium hujuſmodi Altari Sancti Joannis Baptiſtæ, per eumdem Gregorium prædeceſſorem, ut præfertur, conceſſum, caſſantes, revocantes, & annullantes, authoritate Nobis à Domino tradita, & de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, ut, quandocumque Sacerdos aliquis, ejuſdem Eccleſiæ dumtaxat, Miſſam Defunctorum ad præfatum ejuſdem Sanctiſſimæ Pietatis Altare celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum Suffragii Indulgentiam conſequatur, ita ut ejuſdem Domini N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Aprilis MDCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno decimoquarto.

M. A. Maraldus.

Exempl. in Arch. Generali. Ord. Armario Provincia Marchiæ

Cum, & contiguum, derelictumque S. Cataldi Propugnaculum Fratribus non levia cauſaret incommoda, illud æquè ac ejus ſitum ad illorum uſum conceſſum fuit, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Lib. Sup. in lat. trans.

Guardianus Capucinorum Anconæ humillimus Servus, & Subditus Sanctitatis Veſtræ ad ejuſdem pedes proſtratus devotiſſimo obſequio exponit, qualiter illorum clauſuræ adjacet vetus, & derelictum Propugnaculum, Baloardo *S. Cataldi dictum, quod, ceu locum apertum accedere poteſt, quicunque vult; ſupplicat proin, ut dictum ſitum, modicumque terrenum Capucinis dicti loci concedere dignetur, quatenus illius commodis, modo iis permiſſo, frui valeant. Ex quo, & parum timoratis adimeretur occaſio Deum offendendendi, cum Oratori utile cum Dei, & S. Sedis ſervitio in hac conceſſione conjungi videatur, prout id & Eminentiſſimo Lambertini notum eſt. Et cum conceſsâ gratiâ, quam Orator ſperat, juxta Gubernatoris Armorum ordinem, murum, quo memoratum propugnaculum maneat clauſum, erigi neceſſe ſit, ſupplicat ulterius, quatenus hunc cum quibuſdam ædibus, Caſſone nuncupatis, & pariter ad S. Sedis Dominium ſpectantibus, unire poſſit.*

Quam &c.

A tergo *Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII.*

Pro Guardiano Capucin. Anconæ.

RESCRIPTUM

Ex audientia Sanctiſſimi Die 4. Martii 1729.

Sanctiſſimus annuit, & ad Cardinalem Epiſcopum pro executione habitâ intelligentia cum Gubernatore armorum.

N. M. Card. Lercarus.

Vigore

Vigore hujus Reſcripti fuit Illuſtriſsimo D. Gubernatori armorum præſentatus Libellus ſupplex ſequentis tenoris.

Illuſtriſſime Domine.

Ex ordine Emin. Domini Epiſcopi Cardinalis Lambertini, Illmæ Dom. Veſtræ cum præſente folio ſeſe ſiſtit Fr. Joſephus Maria à Foroſempronio Definitor, & Guardianus Capucinorum Anconæ, Eidemque reverenter exponit, quod ex ſpeciali gratia Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti XIII. feliciter regnantis, ipſi conceſſus ſit ſitus detriti & derelicti Propugnaculi, S. Cataldi nuncupati, prout Illuſtriſſima Dom. V. ex Reſcripto, ſupplici Libello appoſito, & hic copialiter adjuncto, videre poterit. Inde Illuſtriſſimæ Dom. V. ſupplicat, quatenus Oratori modum, quo ſe circa murum, pro clauſura Propugnaculi erigendum, gerere debeat, præſcribere dignetur, ne deſuper rei militari in caſu neceſſitatis impedimentum adnaſcatur.

Quam gratiam &c.

Ad cujus calcem Illuſtriſſimus Dominus Gubernator ſequens poſuit Reſcriptum.

Cum Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIII. PP. Capucinis Anconæ totum ſitum veteris Propugnaculi, S. Cataldi nuncupati, gratioſè conceſſerit, prout ex Reſcripto ſupplicis Libelli Sanctiſſimo porrecti, à P. Guardiano, ordine Emin. D. Card. Lambertini mihi communicato liquet, cumque Ego deſuper cum ſua Eminentia, & Reverendiſſimo Domino della Molara Commiſſario Generali Armorum jam contulerim, hicque ſub 19. Mart. 1729. mihi reſponderit paragrapho, hic ceu ad talem conceſſionem ſpectante, apponendo ſub hujuſmodi terminis: Cum PP. Capucini à Sanctiſsimo Domino Noſtro obtinuerint gratiam, prout ex copia ſupplicis libelli cum reſcripto, mihi remiſſo, patet, & præjudicium, de quo Sanct. Sua informari debeat, loco non accedat, ego, quod in contrarium dicam, non habeo. *Hinc attenta hujuſmodi conceſſione, & gratia facta, P. Guardianus prædictus Murum tranſverſalem, ex una parte ipſorum clauſuræ unitum, & ex altera parte rectà uſque, & ſupra murum* ſcarpa della cortina *nuncupat., ductum erigi, & huic portam ex oppoſito ad aliam portam, in platea, Mare reſpiciente, adjungi curabit, & quidem talis magnitudinis, ut tamen machinæ militares commodè pervehi poſſint. Poterit inſuper adjicere arginem, ne quis ad Superiorem Propugnaculi partem, aut pulveris nitrati cuſtodiam, cui pariter modicus murus cum porta adjici debet, aſcendere queat.*

Utque hæc omnia ſuum ſortiantur effectum, in mea armorum Cancellaria regiſtrentur, & ſolito officii mei Sigillo muniantur.

Dat. ex habitatione mea Reſidentiæ Anconæ 12. *April.* 1729.

L. S.

Joannes Baptiſta della Penna Gub.

Guidubaldus Marinus Secret.

Fuit ad hæc Eminentiſſimus Cardinalis Epiſcopus pro coronide executionis rogatus ſequente libello Supplici.

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime Princeps.

Fr. Joſephus Maria à Foroſempronio Definitor, & impræſentiarùm Guardianus Capucin. Anconæ humillimus Emin. Veſtræ Servus reverenter exponit, qualiter à Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIII. mediante Emin. Suæ patrocinio obtinuerit gratiam utendi ſitu, modicoque terreno veteris, & derelicti Propugnaculi S. Cataldi, cum conditione, ut deſuper cum Gubernatore Generali Armorum conveniat, qui ipſi modum præſcripſit, prout melius in libello Supplici, & Reſcriptis, Eminentiæ Veſtræ hic præſentatis, legere eſt. Supplicat inde Orator Eminentiæ Veſtræ, quatenus obtentam gratiam executioni dari diſponat, & ordinare dignetur, ut omnia in acta Curiæ ſuæ Epiſcopalis referantur, & Orignalia Oratori reſtituantur.

Quam gratiam &c.

A tergo. *Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principi, ac Domino Cardinali Lambertini, Epiſcopo Anconæ.*

Pro Fr. Joſepho Maria de Foroſem. Definitore, & Guardiano Capucin. hujus Civitatis Anconæ.

RESCRIPTUM PROPRIÆ MANUS.

Die 22. Aprilis 1729.

Viſo Reſcripto Emin. D. Cardinalis Lercarii, ex Audientia Sanctiſſimi diè 4. Martii 1729., voto, modo, latè expreſſo in informatione Domini Marchionis de la Penna Gubernatoris Generalis Armorum ſub data die 12. April. 1729. præcipimus executioni mandari Reſcriptum ſupradictum, juxta modum in citata informatione intimatum, & in reliquis pro gratia juxta petita.

P. Cardinalis de Lambertinis Epiſcopus.

Originalia in Archivo Conventus Anconæ.

Patientibus quoque nonnullas moleſtias Fratribus ob gabellam carnis, illorum ab hac exemptio fuit confirmata Reſcriptis ſequentibus.

BEATISSIME PATER.

Fratres Capucini Conventûs Anconæ humillimi Servi, ac Subditi ad Sanctitatis Veſtræ pedes proſtrati reverenter exponunt, quod à Lanionibus ibidem ratione carnis durè vexentur, & in uſu ſuorum privilegiorum impediantur. Et quamvis ab ipſo P. Guardiano fuerint rogati, & à pluribus dictæ Civitatis Dominis admoniti, ut à prætenſione ſua deſiſterent, carnemque, ſive per modum eleemoſynæ iis datam, vel aliàs ab habentibus curam ipſorum emptam, minore venderent pretio, præſertim, ſi qui illam ad Conventum portant, atteſtatum à Guardiano, vel Vicario ſubſcriptum, & ſolito Conventûs Sigillo munitum exhibeant: nihilominus illos moleſtare non deſinunt, etiam cum Religionis contemptu, Religioſorum mortificatione, & ſæcularium illam portantium injuria, cum eorum aliquos carcerari fecerint.

Cum autem Capucini, attenta illorum paupertate hujuſmodi Facta ad litem deducere nequeant, ad conſuetam S. V. Clementiam recurrunt, rogantes, quatenus eorum privilegia, & exemptiones, quibus ob ſummam paupertatem gaudent, manuteneri jubeat.

Quod totum &c.

A tergo. *Sanct. Domino Noſtro Papæ Benedicto XIII.*

RESCRIPTUM

Ex audientia Sanctiſſimi die ſeptima menſis Octobris 1729.

Sanctiſſimus attentis expoſitis mandavit, quod Dominus Cardinalis Epiſcopus Anconæ provideat inſtantiæ Oratorum, & quatenus opus ſit, informet.

Nic. Card. Coſcia.

L. S.

Gratioſiſſimè inſtantiis providit, Emin. Epiſcopus, tunc Cardinalis Proſper Lambertinus, jam Chriſtiani Orbis clavum glorioſè moderans BENEDICTUS PAPA XIV. Reſcripto propriâ manu ita formato.

Die 12. Februarii 1730.

In Executionem Reſcripti ex Audientia Sanctiſſimi ab Eminentiſſimo D. Card. Coſcia ſub. 7. Oct. 1729. emanati, & in ſequelam notorum privilegiorum Ordinis Seraphici ex charitate viventis, & nihil poſſidentis, prout ex literis SS. Congregationum Romæ, & Sententiis Tribunalium ibidem, apud Lantuſcam in Theatro regularium Verbo Gabbella *videndis, patet, PP. Capucinos hujus noſtræ Civitatis Anconit. à ſolutione Gabellæ carnis immunes declaramus, & in aſſecurationem, quod caro, vel ſervierit, vel ſervire debeat illorum uſui, ſufficiat atteſtatum P. Guardiani Conventûs, vel in ejus abſentia Superioris, vel etiam ipſorum Syndici.*

In quorum fidem folii hujus tenorem à Nobis ſcriptum ſubſcribimus.

P. Card. Lambertinus Epiſcopus Anconæ.

L. S.

Autog. in Arch. Conventûs.

Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia S. Mariæ in Soleſtano prope Civitatem Aſculanam pro Fratribus duntaxat, privilegiat, ita tamen, ut decem Sacerdotes ad minus ibi exiſtant.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium ſaluti paterna charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ D. N. Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex purgatorii pœnis, ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes autem Eccleſiam, S. Mariæ in Soleſtano nuncupatam Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum propè, & extra muros Civitatis Aſculan. ſimili hucuſque privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, dummodo in ea decem ad minus Sacerdotes exiſtant, & in ea ſitum Altare SS. Crucifixi hoc ſpeciali dono illuſtrare, Auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſe-

miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejuſque Authoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis ejuſdem Ordinis dumtaxat, Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, ita ut ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVIII. Junii MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Orig. in Archivo Conventûs.

Fr. Paulum â Cæſena Tunonium ad Domum S. Mariæ de Compaſſione, aliaſque vicinas Miſſiones viſitandas ablegat.

Dilecto Filio Paulo à Cæſena, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM ex debito Paſtoralis Officii, quo fidei Catholicæ propagationi omni ſollicitudine invigilare tenemur, ad Piam Domum S. Mariæ de Compaſſione nuncupatæ, Oppidi Tunonis, Gebennen. Diœceſis, pro Hæreticorum converſione præcipuè inſtitutam, perſonam aliquam pietate, fide, ac prudentia idoneam hoc tempore mittere decreverimus, quæ de ejuſdem Domus ſtatu, & aliis, de quibus Nos certiores fieri pro tanti operis, & Catholicæ Religionis progreſſu in Domino duximus expedire, ſeſe diligenter informet, Tu Nobis occurriſti, quem ad hoc munus deligeremus. De tua igitur ſincera fide, Catholicæ Religionis zelo, prudentia, & induſtria multam in Domino fiduciam habentes, ac fore ſperantes, ut, quæ Tibi commiſerimus, prout oportet, & ex animi noſtri ſententia cures, & efficias, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium tibi committimus, & mandamus, ut ad Domum prædictam quamprimùm Te conferas, ac de illius ſtatu, regimine, deque Miſſionibus, quæ in Vallenſium, Lauſanæ, Friburgi, aliiſque circumpoſitis regionibns pro Hæreticorum ad Fidem Catholicam converſione, ſicut accepimus, fiunt, veritatem diligenter perquiras, & quanto cum fructu Animarum, ac Catholicæ Religionis augmento hactenus in illis partibus laboratum fuerit, quidque ad ſpem exploratum habeatur de Gebennenſium, aliorumque vicinorum Populorum in hæreticæ impietatis nocte miſerè errantium reditu ad lucem veræ fidei Te ſimiliter informes, ac ſimul remedia opportuniora ad eorum converſionem, quæ ex re præſenti cognoſci poſſunt, pro tua prudentia conſideres, omniaque alia, & ſingula inveſtiges, indages, & perquiras, quæ pro prædictis, & circa ea in Domino judicaveris expedire, Nobiſque etiam in dies per literas, antequam Romam redeas, accuratè referas, ita ut quid tantum Chriſti negocium poſtulet, ex tua relatione cognoſci, & deinde maturè deſuper provideri poſſit ad gloriam Salvatoris. Præterea Tibi, ut, ſi forte aliqua inciderint pro utilitate operis, & Miſſionum prædictarum, quæ dilationem minimè ferant, ita ut Nos certiores faciendi tempus, & reſcripta noſtra expectari non poſſint, ſed præſentaneum remedium requirant, omnibus hujuſmodi, & ſingulis, prout tua Tibi ſuggeret prudentia, providere poſſis, & valeas, plenam, & liberam, tenore præſentium facultatem, & auctoritatem tribuimus, & impartimur. In contrarium facien., non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris. Die XI. Januarii MDCIX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Scipio Cobellutius.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. tom. 5. diverſ. Pauli V. fol. 336.

NOTA.

V*Irtute* viam *ad gloriam, honorem, & imperium* parari, Hypponis perhibet S. Doctor, *Lib. V. de Civit. Dei c.* 12. & P. Paulus ſuprà nominatus ſuo firmat exemplo.

Virtute, quæ in eo cum ætate adolevit, & quam Religioſo vitæ Capucinæ voto ampliavit, acquiſivit *gloriam* ſublimis Litteraturæ, qua in Scholis Ordinis, Theologicas illuſtravit Cathedras, & in Eccleſiis Evangelica ornavit roſtra. Præco, & teſtis glorioſæ hujus, & in ſcientia Sanctorum fundatæ facundiæ fuit Roma,

dum

dum Anno Jubilæo 1600. ſub Clemente VIII. in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, per cineralia Eccleſiaſten. Eum audivit.

Honorem, virtute Pauli partum, comprobat Apoſtolica Legatio, qua viſitatio Miſsionum Vallenſium &c. per ſupra poſitum Breve Ei fuit commiſſa. Geminavit & Paulus honorem, dum Miſſionibus circumſpectâ conſuluit proviſione, & Pontificia juſſa exactè implevit.

Virtute obtinuit, & generale Ordinis *Imperium* 1609. ſeu generalem, juxta S. Regulæ verba conſiſtentem in famulatu ſervitutem: Imperium, & ſervitutem æquâ portavit mente: illud, dum flori Regularis Obſervantiæ conſervando auctoritate invigilavit: hanc, dum accedentes Fratres blando, humilique excepit affatu, & paterno adjuvit conſilio, aliis teſtibus nemo maior, ſe judice nemo minor.

Ad alium Conventum in Terra Montis Ulmi erigendum, quoddam Terræ petium, muri veteris cæmenta, & ædificium Eccleſiæ, ruinam minantis, ad Commendam S. Philippi de Auximo, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ſpectantia, pro alio terreno, à dicti Loci Communitate oblato, alienari, Magni dicti Hoſpitalis Magiſtro concedit, ita ut Eccleſia, à Fratribus relicta, Eccleſiæ Commendæ ſubrogetur, & in illa hujus onera adimpleantur.

A Tergo. *Dilecto Filio Aloyſio de Vignacourt, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Priores Terræ Montis Ulmi, Firmanæ Dioeceſis, & Fratres Minores Ordinis S. Franciſci, Capucini nuncupati, quod, cum ejuſdem Ordinis Domus Terræ Montis Ulmi, Firmanæ Dioeceſis, in loco non admodum ſalubri, ex una parte ſita ſit, atque idcirco ad tuendam, & conſervandam Fratrum inibi commorantium ſanitatem, eos tranſire aliò oporteat, prædicti Fratres Eccleſiam Domûs prædictæ, & Dilecti Filii, Communitas, & Homines dicti Montis Ulmi, ob ſingularem, quem erga dictum Ordinem gerunt, Devotionis affectum, terrenum quoddam, ad eos legitimè ſpectans, in ejuſdem Montis Ulmi territorio ſitum, valoris in proprietate viginti trium ſcutorum cum dimidio alterius ſcuti ſimilis, & anni redditus dimidii ſcuti hujuſmodi, cum quadam terræ petia, ibidem pariter exiſtente, & ad Præceptoriam, ſeu Commendam Sancti Philippi de Auximo, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, quam Dilectus Filius Joannes Otho Poſius, ejuſdem Hoſpitalis Frater Miles obtinet, pertinente, & ad fabricandum inibi Domum dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, apprimè commoda, valoris in proprietate trium ſcutorum cum dimidio, & redditus annui dimidii ſcuti ad ſummum, necnon pro quibuſdam Murorum veterum cœmentis, ac ædificio Eccleſiæ, ruinam minantis, in qua nullæ ſunt campanæ, ſed unum duntaxat Altare, & ter in anno duntaxat celebratur, valoris centum, & ſeptem ſcutorum permutare deſiderant. Verùm, quia Statutis, ac ſtabilimentis dicti Hoſpitalis, Apoſtolica auctoritate confirmatis, Præceptoriarum, ſeu Commendarum, & earum bonorum alienationes, ſeu permutationes fieri expreſsè prohibentur, deſiderium eorum adimplere non poſſunt, abſque noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia; Idcirco pro parte dictorum Fratrum Capucinorum, aſſerentium permutationem hujuſmodi, ſi fiat, in augmentum cultûs Divini ceſſuram eſſe, Nobis humiliter ſupplicatum fuit, quatenus ſibi in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi petia Terræ, & Terreni Eccleſiæ, & cœmentorum prædictorum, & annuos valores, ac ſituationes, vocabula, & denominationes, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, poſtquam per diligentes informationes, permutationem hujuſmodi in augmentum cultûs Divini ceſſuram eſſe cognoveris, priorem Eccleſiam, & terrenum, cum terræ petia, cœmentis, & ædificio Eccleſiæ permutandi, & quæcumque inſtrumenta, cum pactis, & conditionibus beneviſis, deſuper conficiendi, facultatem, omnemque in præmiſſis auctoritatem neceſſariam, & opportunam concedimus, & impartimur, ita tamen, quod, ſi permutationem hujuſmodi fieri contingat, Eccleſia Domus Fratrum Capucinorum prædictorum, quam nunc inhabitant, & relinquere intendunt, loco Eccleſiæ Commendæ, ſeu Præceptoriæ hujuſmodi ſubrogetur, , & in ea onera, Eccleſiæ collabenti prædictæ incumbentia, adimpleri omnino debeant, non obſtantibus felic. rec. Pauli PP. II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Hoſpitalis,

Pro

& juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis: quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Martii MDCX. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Cobellutius.

Aut. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. Mart. 1610. fol. 27. de quo Decret. in Secret. S. Congr. Epiſc. & Regul. Reg. anni 1606. f. 62.

Pro Legato pio, cuilibet ex Domibus Senogalliæ, & Montis Bodii cum onere Miſſarum, & annualis Officii Defunctorum à Joanne Baptiſta Savello relicto, 700. duntaxat Miſſas ſemel celebrari, Epiſcopo Senogallienſi, ſeu ejus Vicario committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Senogallien, ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Hæredes quondam Joannis Baptiſtæ Savelli, quod ipſe in ultimo, quod condidit, & ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, Teſtamento, inter alia, Dilectis Filiis Fratribus Domorum Ordinis Fratrum Capucinorum Senogallien. & Terræ Montis Bodii Senogallien. Diœceſis quinquaginta ſcuta ſemel tantùm perſolvenda pro qualibet Domo reliquit, ut ex illis libri pro uſu, & commodo dictorum Fratrum emerentur; cum hoc, ut pro anima ipſius Joannis Baptiſtæ ſubitò poſt illius mortem, Miſſæ pro Defunctis celebrari ſolitæ in Eccleſia Sancti Gregorii Monachorum Ordinis Camaldulen. de Urbe, necnon ſingulis annis unum Officium Defunctorum pro anima ipſius Joannis Baptiſtæ in perpetuum celebrarentur, & aliàs, prout in dicto Teſtamento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædicti Capucini Legatum hujuſmodi, propter illius perpetuum onus acceptare noluerint, dicti verò hæredes plurimùm cupiant voluntati ipſius Joannis Baptiſtæ aliquo modo ſatisfieri, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur prædictos Hæredes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, quod Fratres Capucini prædicti, loco, & vice unius Officii pro Defunctis, in perpetuum celebrandi, ſeptingentas duntaxat Miſſas hujuſmodi celebrare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate Noſtra concedas, & indulgeas, ac per celebrationem ſeptingentarum Miſſarum prædictarum menti, & voluntati dicti Teſtatoris circa præmiſſa ſatisfieri decernas, eamdemque Teſtatoris voluntatem, quoad hoc, commutes. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Julii MDCXI. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Scipio Cobellutius.

Autog. inter Brev. Secr. &c. menſ. Jul. f. 120.

NOTA.

Contentione ſemel ortâ inter Reverendos Patres Conventuales, & Fratres noſtros, in hac Civitate cohabitantes, cui eorum parti deberetur in Proceſsionibus &c. præcedentia, Sacra Rituum Congregatio in noſtrum tandem dixit favorem, Decreto ſequente:

SENOGALLIENSIS.

CUM ſub die 27. Aprilis anni 1696. ſuper controverſia exorta inter Patres Minores Conventuales ex una, & Patres Capucinos Civitatis Senogallienſis, poſtulantes, manuteneri in poſſeſſione præce-

den-

dendi dictos Patres Conventuales olim ſuppreſſos, ac poſtea reſtitutos, licet antiquiores in loco, ex altera partibus, ab Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sacrorum Rituum Congregationi Præpoſitis Cardinalibus ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Pamphilii, præcedentiam deberi Patribus Minoribus Conventualibus reſponſum fuerit, cumque huic reſolutioni Patribus Capucinis prædictis minimè acquieſcentibus ſub die 17. Decembris, anni prædicti 1605. fuerit nova audientia benignè conceſſa: Repropoſitâ modo ab eodem Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Pamphilio in hac Sacra Rituum Congregatione hujuſmodi controverſiâ, Sacra eadem Congregatio, utriſque Partibus, tam in voce, quàm in ſcriptis plenè informantibus auditis, à primo loco deciſis recedendum cenſuit, & Patribus Capucinis præcedentiam deberi decrevit, & ita ſervari mandavit.

Die 21. Januarii 1696.

A. Card. Cybo.

L. S.

B. Inghiramus S. Rituum Congreg. Secret.

Reg. in Secr. Cong. menſ. & anni præd. fol. 356. Copia in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Marchiæ.

Conrroverſiì autem, quæ Cathedralis Eccleſiæ Capitulum inter - & Noſtrates ibidem ratione ſepulturæ Petri Oliverii Matthæi, & emolumentorum funeralium fuit ſuborta, à Sacra Congregatione Concilii, Eminentiſſimo Cardinali Præfecto pro concordanda utraque Parte fuit remiſſa, Decreto tenoris ſequentis.

SENOGALLIENSIS.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, quod unicum in Civitate Senogallien. munere Parochi fungitur, coram Vicario Generali ſeſe oppoſuit, ne Cadaver Petri Oliverii Matthæi 1701. die 17. Junii defuncti, ad Eccleſiam Patrum Capucinorum, in qua ille ſepulturam elegerat, tumulandum deferretur. Idem autem Vicarius dictum Cadaver interim efferri, & in eorumdem Patrum Eccleſia ſepeliri juſſit. Seſeque controverſiam poſtea compoſiturum promiſit: cumque illa compoſita aſſeratur ſub conventione coram præfato Vicario viciſſim inita, quod omnia emolumenta Funeralia, omneſque ceræ dicto Capitulo traderentur. Capitulum verò illarum medietatem prædictis Patribus Capucinis ſpontanea largitione retrodaret, hujus generis concordiam dicti Patres poſtea impugnarunt, ac obſervare noluerunt.

Re itaquè ad hanc Sacram Congregationem delatâ; Hæc relationem Epiſcopi de more prius exquiſivit, eaque dudum tranſmiſſa, ac exhibitis per Partes pluribus etiam documentis, verbalem ejuſdem concordiæ celebrationem reſpicientibus, ab EE VV. definiri modò petitur.

Primò, An conſtet de concordia, & quatenus affirmativè.

An ea ſit ſervanda in caſu &c.

Die 27. Junii 1705. Sacra Congregatio Concilii reſcripſit ad Mentem;

Mens fuit, quod Eminentiſſimus Præfectus curet Partes concordare.

B. C. Panciaticus Præfectus.
V. Petra Secret.

Ex Reg. ſeu libro 57. Secret. Congreg. præd. fol. 109.

Eccleſiam collativam SS. Coſmæ, & Damiani extra muros Terræ S. Anatoliæ ſupprimi, eam cum contiguis terris, & Sacra Supellectile Fratribus concedi, in ſuppreſſæ Eccleſiæ vices, Eccleſiam S. Blaſii à prima dependentem, in titulum erigi, ab hujus Rectore, Abbate nuncupando, onera, priori annexa perſolvi, ac pro illius ſuſtentatione emolumenta ſeparata aſſignari, Vicario Generali Camerinenſi committit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Camerinenſis in ſpiritualibus Generali, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionen.

SAlvatoris, ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui conſolatio noſtra eſt, vices in Terris, licèt immeriti, gerentes, iis, quæ ad Religioſorum quorumlibet, præſertim Fratrum Minorum Sancti Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, qui pompis hujus ſæculi ſpretis, Regularis diſciplinæ, ac humilitatis jugum, libenter amplexi, propriam voluntatem abnegare,

negare, & in Cœlis theſauros ſuos recondere decreverunt, conſolationem ſpectare dignoſcuntur, libenter annuimus, quò majori ſpiritus fervore accenſi, viam conſiliorum Domini, quam pro ejus amore ſunt ingreſſi, inoffenſo pede percurrere, & alacriùs proſequi valeant: ad illos quoque dexteram Noſtræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant: Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & inantea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum ſine cura Eccleſia Sanctorum Coſmæ, & Damiani, ſive Sanctæ Mariæ Fontis Boni nuncupata, prope & extra muros Terræ S. Anatoliæ, Camerinenſis Diœceſis, per liberam reſignationem Dilecti Filii Alexandri Perbenedicti, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eamdem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos, hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Communitatis, & Hominum dictæ Terræ Sanctæ Anatoliæ petitio continebat, in dicta Terra nulla Domus Regularis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, hactenus inſtituta reperitur, ac Communitas, & Homines præfati attendentes, Religioſos Fratrum Capucinorum hujuſmodi, tum voluntariæ paupertatis ſtudio, tum diſciplinæ Regularis auſteritate, & aſſiduis orationibus, jejuniis, & verbi Dei prædicationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitiis, quibus jugiter vacant, prælucere, uberes quòque in vinea Domini fructus producere conſueviſſe, ac propterea peculiari erga dictos Religioſos devotione ducti, unam eorumdem Capucinorum Domum Regularem, in dicta Terra conſtrui facere propoſuerunt, & ad id à Congregatione Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, licentiam & facultatem obtinuerunt, ac primò dicta Eccleſia unà cum Domo, & Terris illi contiguis, ob ejus ſitus, & loci opportunitatem pro dictæ Domus Regularis conſtructione ſatis apta, & idonea exiſtit. Si igitur in prædicta Eccleſia nomen, titulus, & denominatio Eccleſiæ collativæ, per Nos, & ſedem Apoſtolicam, ut infra, perpetuò ſupprimerentur, & extinguerentur, illiſque ſic ſuppreſſis, & extinctis, primò dicta Eccleſia, cum Domo, & terris illi contiguis, Superioribus eorumdem Fratrum Capucinorum, ad effectum inibi unam Fratrum Capucinorum hujuſmodi Domum Regularem conſtrui faciendi concederetur, ac loco Eccleſiæ ſic ſuppreſſæ, Eccleſia S. Blaſii, ejuſdem Terrę S. Anatholię, prædictæ Eccleſiæ membrum, ſeu ab ea dependens, & illi annexa in titulum ſine cura Eccleſiæ, ſeu Capellæ collativæ, perpetuò erigeretur, atque inſtitueretur, ac bona, proprietates, & fructus hujuſmodi Eccleſiæ applicarentur, aliaque infraſcripta fierent, & hoc profuſo Divini Cultûs, piorumque operum augmento, Religionis Capucinorum hujuſmodi propagationi, ac ædificationi opportunâ admodum ratione conſuleretur. Quare pro parte tam Communitatis, & Hominum, ac Alexandri prædictorum, quàm Superiorum Fratrum Capucinorum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus præmiſſis favorabiliter annuere, ac aliàs opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis Capucinorum hujuſmodi propagationem, & Divini Cultûs augmentum noſtris potiſſimum temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, quique certam de præmiſſis notitiam non habentes, ipſumque Alexandrum, & ſingulares perſonas Communitatis & Hominum, ac Superiorum hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus conſtito Tibi prius legitimè de præmiſſis, primodicta Eccleſia, cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus centum ducatorum auri de Camera ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſonæ, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Alexandri vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, atque coram Notario publico, & Teſtibus ſponte factam vacet, & ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ac primodicta Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs quomodolibet reſervata exiſtat. Et ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, nomen, titulum, & denominationem Rectoris, ac naturam,

turam, & eſſentiam Eccleſiæ collativæ, auctoritate noſtra perpetuò ſupprimas, & extinguas, illiſque ſic ſuppreſſis, & extinctis prædictam Eccleſiam, cum Domo, & terris illi contiguis, earumque membris, juribus, dependentiis, & pertinentiis univerſis, nec non omnibus, & ſingulis quocunque nomine nuncupatis, & quomodolibet qualificatis ornamentis, Paramentis, vaſis, ſuppellectilibus, Sacris, & profanis, campanis, ac rebus, aliiſque univerſis, ad uſum divinorum officiorum in illa de præſenti exiſtentibus, & ad eam ſpectantibus, Superioribus, & Religioſis prædictis, ad effectum inibi unam Domum Regularem eorumdem Fratrum Capucinorum pro uſu, & habitatione competentis numeri illius Religioſorum, qui inibi juxta prædictæ Religionis Ritus, mores, conſuetudines, & Regularia inſtituta vivere, ac in prædicta Eccleſia horas diurnas, & nocturnas, Miſſas, aliaque Divina Officia celebrare, & illi laudabiliter in divinis deſervire debeant, & teneantur, conſtrui faciendi, ita quod liceat Superioribus, & Religioſis prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus corporalem, realem, & actualem primodictæ Eccleſiæ, ac Domûs, & terrarum, aliorumque prædictorum poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, ac dictæ Religionis nomine, propriâ auctoritate liberè, apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, necnon prædictam Eccleſiam, ac Domum, & terras hujuſmodi in formam eis beneviſam intus, & extra pro Domo Regulari dictæ Religionis reducere, Dœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, dicta auctoritate noſtra, & perpetuò concedas, & aſſignes; necnon, quatenus opus ſit, dictam Eccleſiam S. Blaſii, ac præterea Domum, & terras hujuſmodi, omnia, & ſingula primodictæ Eccleſiæ, proprietates, res, & bona, ac terras, necnon fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, in quibuſvis rebus conſiſtentia, & undecunque provenientia à prædicta Eccleſia ſimiliter perpetuò auctoritate noſtrâ prædictâ ſepares, & diſmembres, necnon eandem Eccleſiam S. Blaſii in titulum, ſine cura Eccleſiæ, ſeu Capellæ collativæ, Abbatia nuncupandæ, ſub invocatione ejuſdem S. Blaſii pro uno Clerico, ſeu Preſbytero Sæculari, futuro ejus Rectore, Abbate nuncupando, qui Miſſas, & alia Divina Officia, ac omnia, & quæcunque onera, ad quæ Rector primodictæ Eccleſiæ ante illius ſuppreſſionem hujuſmodi quomodolibet tenebatur, & obligatus exiſtebat, celebrare, & adimplere, ſeu celebrari, & adimpleri facere, omnibuſque, & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, pertinentiis, antelationibus, indultis, & aliis gratiis univerſis, tam ſpecialibus, quàm generalibus, quibus Rector primodictæ Eccleſiæ, pro tempore exiſtens, ante illius ſuppreſſionem hujuſmodi quomodolibet fruebatur, utebatur, & gaudebat, ac frui, & gaudere poterat, ſimiliter, & abſque ulla prorſus differentia, in omnibus, & per omnia, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſit, valeat, debeat, ac etiam teneatur, eadem auctoritate noſtra pariter perpetuò, ſine tamen alterius præjudicio, erigas, & inſtituas, illique ſic erectæ, & inſtitutæ pro congrua ejus dote, ac futuris illius Rectoris ſuſtentatione, onerumque illi incumbentium ſupportatione, omnia, & ſingula, proprietates, res, bona, terras, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ſic à primodicta Eccleſia ſeparata, & diſmembrata, ita, quod liceat illius Rectori pro tempore exiſtenti, corporalem, realem, & actualem Poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios ejus, ac dictæ Eccleſiæ, ſeu Cappellæ S. Blaſii nomine, propria auctoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ex eis provenientia quæcunque percipere, exigere, ſervare, recuperare, locare, & arrendare, ac in ſuos, ac dictæ Eccleſiæ, ſeu Cappellæ S. Blaſii uſus, & utilitatem convertere, ejuſdem Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, itidem perpetuò auctoritate noſtra hujuſmodi applices, & appropries: præſentes quoque litteras noſtras ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Nos, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes, ac Sedem prædictam, ſub quibuſcunqùe verborum expreſſionibus, & formis, & cum quibuſvis litteris, & Decretis pro tempore faciendis, minimè comprehendi, vel confundi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo, ſub quacunque poſteriore Data per Communitatem, & Homines prædictos, ac Superiores, & Religioſos pro tempore exiſtentes quandocunque eligenda conceſſas, ſemperque validas, ac efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; & ſic per quoſcunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quâvis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuntios judicari, & definiri debere,

eadem

eadem auctoritate noſtra decernas. Et nihilominus eidem Alexandro apud Nos de vita & morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu ſpecialem gratiam facere volentes, Eccleſiam, ſeu Capellam prædictam, quæ etiam ſine cura exiſtit, & perſonalem reſidentiam non requirit, ac cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus, etiam centum ducatorum ſimilium ſecundùm æſtimationem prædictam, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, ex nunc, pro ex tunc, & econtra poſtquam erecta fuerit, ut præfertur, â primæva illius erectione, & inſtitutione hujuſmodi vacantem dicto Alexandro, auctoritate noſtra prædicta conferas, & aſſignes, inducens per Te, vel alium ſeu alios eundem Alexandrum, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, ſeu Capellæ S. Blaſii, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, & defendens inductum, ac faciens eidem Alexandro de Eccleſiæ, vel Capellæ S. Blaſii, ac annexorum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè reſponderi: contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, Noſtra de exprimendo vero annuo valore ſecundùm æſtimationem eandem, & Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati, necnon fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, aliiſque quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, atque univerſalibus Conciliis editis, ac edendis, ſpecialibus, & generalibus, contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper Proviſionibus, ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis aut Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcunque ad primò, & ſecundò dictas Eccleſias volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu, ſi pro tempore exiſtenti Epiſcopo Camerinenſi, vel quibuſvis aliis Comumunitatibus, comuniter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeant provideri per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Et quâlibet alia dictæ Sedis indulgentiâ generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Cæterum, ne, dum prodeſſe ſtudemus, aliqua forte irrepat iniquitas in excidium Animarum, Tu iſtic attentè circumſpicias, an ex parte Alexandri, ac Communitatis, & Hominum, necnon Superiorum hujuſmodi in ſupradicta reſignatione, ut fieret, quam nos nullo hucuſque vitio laborare deprehendimus, interceſſerit ſimoniæ labes, aut aliqua alia illicita pactio, vel etiam corruptela. Nos inſuper quoad reſignationem hujuſmodi, prout eſt, ſi attentatum forſan eſt, hactenus, vel impoſterum, quò verò ad alia præmiſſa ex nunc, ſi ſecus ſuper his, à quocunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo decimoſeptimo, quartodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno tertiodecimo.

Pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

Cardinale Montalto Summatore.

A. Damaſcenus &c.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. tom. 17. *Bull. Pauli V. fol.* 417., *& in Archivo Secret. Vaticano, ac in Archivo Secreto Communitatis.*

E P I S T O L A

Sacræ Congregat. Epiſcopor. & Regular.

Fratres in Confeſſarios extraordinarios Monialium Recineti deputari, arbitrio D. Card. Roma remittitur.

Remittunt Illuſtriſſimi Domini mei, arbitrio Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ deputandi Fratres Capucinos in Confeſſarios extraordinarios Monialium Capucinarum illius Civitatis, ita tamen, ut ſint atitis

tis annorum 45. quoad vitam, & mores exemplares, & apti ad Moniales in vita ſpirituali dirigendas, ac diſpoſitio Concilii Tridentini obſervetur. Id proin Illuſtriſs. Dom. V. deſuper reſolvet, quod de plurima illius prudentia, & zelo expectatur, dum ego exoſculor &c. Romæ 7. Junii 1622.

Ex Reg. Secret. Congregat. anni, & menſis præd. fol. 120.

N O T A.

Virgineum præfatum Gynecæum, facultativo Brevi à Sixto Papa V. anno 1586. Sorori Mariæ Hiſpanæ conceſſo erectum, gaudet, & Apoſtolica licentia Dotes Puellarum in bona ſtabilia convertendi, prout apparet ex Epiſtola à Sacra Congregatione Epiſcop. & Regular. Epiſcopo loci ita inſcriptâ.

Illuſtris, ac A. Reverende Domine, uti Frater.

ORdo ab Amplitudine Tua, circa modum recipiendi ad illud Monaſterium Capucinarum Monachandas, & eleemoſynas Dotales deponendi emanatus, Illuſtriſſimis Dominis meis plurimùm placuit, hinc & inviolabilem illius obſervantiam mandant, prætenſione Confratrum Sancti Jacobi in contrarium non obſtante. Romæ die 20. *Octobris* 1597.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni prædict. fol. 119.

Quod & confirmatum fuit alia ejuſdem Sacræ Congregationis Epiſtola, tenoris ſequentis:

Illuſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

Diſpoſitio ab Amplitudine Tua facta placet Sacræ Congregationi, ut ſcilicet deinceps Dotes Monialium Capucinarum in bona ſtabilia convertantur, valde enim probabile eſt, quod ſucceſſu temporis eleemoſynæ poſſint deficere, & conſequenter Monaſterium ſupprimendum. Hinc Amplitudo Tua opportunè deſuper ſub Illuſtr. Dom. meorum nomine providebit.

Circa augmentum numeri, & Dotes Confraternitati S. Jacobi conſignandas, Illuſtriſſimi Domini mei Amplitudinis Tuæ ſenſui nullatenus accedunt, quod pro Regula adjunctum ſit.

Romæ 13. *Maji* 1603.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni prædict. fol. 34. *à tergo.*

Monaſterium Monialium Capucinarum ſub Invocatione Sancti Joſephi in loco Fabriani ſub perpetua clauſura erigi; Regularem Obſervantiam per duas ejuſdem Ordinis Moniales Peruſio, vel Recineto vocandas; in id induci, in manutentionem duodecim illius Monialium à Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti, in Eccleſia Collegiata S. Venantii ibidem canonicè inſtituta quotannis 300. ſcuta ſubminiſtrari concedit, Monaſteriumque Ordinarii juriſdictioni ſubjectum, omnibus Ordinis privilegiis &c. frui poſse, & debere declarat.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Camerinen. in ſpiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicæ Nobis injunctæ deſuper ſervitutis officium Nos excitat, & inducit, ut circa ea, quæ pro proſpero Monaſteriorum, & piorum Locorum, in quibus, æternæ beatitudinis Amatrices, quæ Habitu Sacræ Religionis aſſumpto, Sponſo Jeſu Chriſto voto celebri ſe deſponſare, ac eidem, ut prudentes Virgines, accenſis lampadibus, obviam ire præparant, mundaniſque propulſatis illecebris debito regularis obſervantiæ jugo ſe ſubmittere,& divinis obſequiis coaptare proponunt, piæ vitæ ſtudio aſſiduè vacantes, degere poſſint,ſtatu,& propagatione per Chriſtifideles pio affectu procuraatâ, utilia dignoſcuntur, operoſis ſtudiis intendamus, & aliâs deſuper diſponamus, prout locorum, Perſona-

narum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Deputatorum Univerſitatis, & Hominum Loci Fabriani Camerinen. Diœceſis, ac Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti, in ſeculari, & Collegiata Eccleſia Sancti Venantii dicti Loci Canonicè inſtitutæ, petio continebat: Quod aliàs Univerſitas, & Homines prædicti, pio devotionis zelo, & affectu ducti, nonnullas pecuniarum ſummas, ad tredecim millia ſcuta monetæ aſcendentes, ex elargitionibus, & eleemoſynis Chriſtifidelium coadunârunt, & de illis quoddam Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum Ordinis S. Claræ, ſub invocatione S. Joſephi in eodem loco, cum Eccleſia, ſeu Capella, Campanili, campanis, Refectorio Dormitorio, cœmeterio, clauſtris, Arca, Hortis, hortalitiis, cellis, aliiſque officinis, & membris neceſſariis, & opportunis fabricari curarunt: & ne tanti operis pii executio retardetur, ad Dei omnipotentis laudem, ac Religionis incrementum, ad hoc, ut monaſterii hujuſmodi inſtitutio quanto citiùs abſolvatur, Deputati, & Confratres prædicti eidem Monaſterio trecenta ſcuta monetæ ex redditibus dictæ Confraternitatis, quæ ipſa Confraternitas ad id ſufficienter, imò exuberanter poſſidet, percipienda, pro duodecim Monialium, in Monaſterio, vigore præſentium, erigendo, hujuſmodi quantitatis, & abſque alicujus Dotalis eleemoſynæ ſolutione, non ſolùm hac prima vice, ſed etiam perpetuis futuris temporibus introducendarum manutentione, annis ſingulis perſolvere promiſerunt, ad idque realiter, & cum effectu ſeſe in perpetuum validè, & efficaciter obligarunt. Quare pro parte Deputatorum, & Confratrum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum pio deſiderio hujuſmodi annuere, aliàſque deſuper providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, Divinique cultûs augumentum, & Religionum quarumlibet propagationem noſtris potiſſimum temporibus, ſinceris affectibus exoptamus, eoſdem Deputatos, & Confratres in tam laudabili propoſito confovere cupientes, ipſoſque, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus, & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis inquiras, auctoritate Noſtra, diligentiùs veritatem, & ſi per inquiſitionem eamdem præmiſſa vera eſſe repereris, ac de promiſſione, & obligatione per dictos Confratres perpetuò in forma Juris valida factis, prius Tibi legitimè conſtiterit, Monaſterium ſic conſtructum, ac omnibus numeris, & partibus ſuis abſolutum, debitaque, & conveniente clauſura munitum, in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis Sanctæ Claræ, ſub invocatione Sancti Joſephi pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & undecim Monialium, quæ in totum numerum duodecim conficiunt, omneſque Habitum per alias Moniales dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, ac Profeſſionem per eas emitti ſolitam, emittere, & inibi ſub perpetua clauſura, ac regulari obſervantia, ac humilitatis ſpiritu, ſub protectione, cura, regimine, juriſdictione, ſuperioritate, viſitatione, & correctione Ordinarii Loci pro tempore exiſtentis, vivere debeant, ita tamen, quod dicti Confratres trecenta ſcuta hujuſmodi eidem Monaſterio pro manutentione duodecim Monialium in eodem Monaſterio introducendarum, ac aliis exinde neceſſariis ſingulis annis, ex redditibus dictæ Confraternitatis provenientia, perſolvere debeant, & teneantur, auctoritate Noſtra, ſine tamen alicujus præjudicio, perpetuò erigas, & inſtituas. Nos enim in erectionem, & inſtitutionem prædictas, quas per Te, vigore earumdem præſentium fieri contigerit, ut præfertur, conſentientes Tibi pro ejuſdem Monaſterii ſic erecti, & inſtituti, ac Monialium ſic, ut præfertur, in illud introducendarum, felici directione, ac in ritu, & diſciplina Regularibus inſtructione, duas Moniales Capucinas nuncupatas, ad id voluntarias ex Monaſteriis Civitatum Peruſii, ſeu Recanaten. vel, ubi commodius haberi poterunt, de conſenſu Superiorum, eaſque aſſumendas, & educendas in idem Monaſterium, ut præfertur, erigendum, ita, ut illæ ad illud ſe transferant, & alias Moniales, idem Monaſterium, ut præfertur, erigendum ingredientes ea, quæ ad regulare earum inſtitutum ſpectant, & pertinent, ac neceſſaria videbuntur, edoceant, introducendi, dummodo tamen translatio Monialium hujuſmodi conſanguineis, gravibuſque Matronis ipſas comitantibus fiat, & ab uno ad aliud Monaſterium rectâ viâ, & abſque diverticulo, ac earumdem Monialium oris parte velatâ, eâque

mo-

modeſtia, quæ Sponſas Chriſti decet, tendatur, nullibique, niſi cauſa hoſpitii pernoctetur, idque nonniſi apud honeſtas perſonas, ac quæcumque Statuta, Ordinationes, Decreta, ad Monaſterii, ut præfertur, erigendi, illiuſque perſonarum curam, regimen, directionem, dictarumque Monialium receptionem, ætatem, qualitatem, victum, amictum, inſtructionem, & diſciplinam regularem pertinentia, & aliàs utilia, & neceſſaria; licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria faciendi, & condendi, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, vel aliàs expediens videbitur, illa alterandi, corrigendi, reformandi, ac in toto, vel parte mutandi, aliaque, etiam ex integro, & de novo condendi, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam, & facultatem etiam perpetuò concedimus, & elargimur: Abbatiſſæ verò, & Monialibus Monaſterii, ut præfertur, erigendi, pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, prærogativis, & privilegiis, indultis, favoribus, antelationibus, aliiſque gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus Monaſteria dicti Ordinis earumdem partium, de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, pariformiter, & æquè principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia, perinde ac ſi eidem Monaſterio, ut præfertur, erigendo conceſſa forent, dummodo illa ſint in uſu, nec revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa, & ejuſdem Concilii Decretis, regularibuſque inſtitutis dicti Ordinis minimè adverſentur, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore præmiſſis, de ſpeciali gratia ſimiliter perpetuò concedimus, & indulgemus; decernentes eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, à Nobis, & quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus, ac Sede prædicta, ſub quibuſvis tenoribus, & formis emanatis, & emanandis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antequam emanarent, erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam ſub quacumque Data per Deputatos, & Confratres prædictos, vel quoſcumque alios intereſſe habentes eligenda conceſſas, ſemper validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac Deputatis, & Confratribus hujuſmodi pro tempore exiſtentibus ibidem perpetuò ſuffragari: ſicque, & non aliàs per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, quinto decimo Kalen. Septembris, Pontificatus noſtri Anno quarto.

L. Card. Ludoviſius SS. D. N. Summator.

Alfonſus Vidaſtus.

Bulla formata in Archiv. Monialium prædictar.

N O T A.

Conceſſum eſt Monialibus hujus Monaſterii Indultum, Fratres ex Ordine in Confeſſarios Extraordinarios petendi, vigore Brevis ſequentis.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut Dilecta in Chriſto Filia Abbatiſſa Monaſterii Monialium Capucinarum nuncupatarum, Terræ Fabriani, Camerinen. Diœceſis, Nobis nuper exponi fecit, ferè per annos duodecim continuos ſemper omnes, & ſingulæ dicti Monaſterii Moniales peccata ſua cuidam Presbytero ſeculari, Viro integerrimo, piiſſimoque confeſſæ fuerint, & confiteri conſueverint, ipſis verò Monialibus perneceſſarium ſit, ut Eis pro animarum ſuarum ſalute, ſpiritnalique conſolatione ter, aut quater per annum in Confeſſarium extraordinarium Frater aliquis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum etiam nuncupatorum, ab Ordinario loci approbatus deputetur. Idcircò Nos eaſdem Abbatiſſam, & Moniales ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum,

rum, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Abbatiſſæ, & Monialibus prædictis, quod ipſæ ter, aut quater per annum alicui Confeſſario extraordinario ex Presbyteris expreſſè profeſſis dicti Ordinis per Ordinarium loci, priùs tamen ad Confeſſiones audiendas approbato, & ad id ab eodem Ordinario aſſignando, peccata ſua ſacramentaliter confiteri liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ipſiſque Abbatiſſæ, & Monialibus pleniſſimè ſuffragari, nec eas deſuper à quoquam, quavis auctoritate fungente, quovis modo moleſtari, perturbari, aut inquietari poſſe; irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, & privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum duntaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Junii MDCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 1.

Emptionem duarum ædium pro amplianda Domo Sanctæ Chriſtinæ Fani, & translationem Canonis annui, uni earum annexi, confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſive Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domûs S. Chriſtinæ Fanenſis, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, quod ipſi pro ampliatione dictæ Domûs, duabus domibus ſibi conjunctis indigent; quia tamen earum altera ad dilectos Filios Hæredes quondam Ludovici Macinelli ſpectans, de cujus emptione pro dictis Exponentibus per dilectum Filium nobilem Virum Comitem Franciſcum Monteſecchi nuper tractabatur, Canone annuo duorum Bonenorum erga Monaſterium S. Patrignani Fanenſis S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis directi dominii gravata reperitur, ad illius emptionem deveniri non poteſt, niſi eis per Nos, & Sedem Apoſtolicam deſuper provideatur. Nos Domûs ſic emendæ hujuſmodi ſituationes, confines, vocabula, & denominationes præſentibus pro expreſſis habentes, ipſoſque Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon Guardianum, & Domûs hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſecundò dictam Domum ſic ad ampliationem prædictæ Domus emendæ à præſtatione dicti Canonis, de conſenſu Dilectorum Filiorum modernorum Abbatis, & Conventus dicti Monaſterii, ac ſoluto dictis hæredibus pretio Domûs affrancandæ prædicto, & dummodo bona ſubroganda hujuſmodi ſaltem ejuſdem valoris, & redditus, ac ab omni, & quocunque onere, cenſu, canone, fideicommiſſo, devolutione, caducitate, & hypotheca prorſus libera exiſtant, auctoritate noſtra perpetuò affrances, eximas, & liberes, ac Canonem hujuſmodi ſuper aliis dictorum hæredum bonis arbitrio tuo colloces, & transferas, Domumque ſic emendam affrancatam, & Canonem hujuſmodi translatum ex nunc eſſe, & fore, irritum quoque, & inane decernas, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, felicis recordationis Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs, ac Monaſterii, ſeu Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & Apoſtolica Auctoritate decernimus, quod eadem bona devolutioni, & aliis oneribus, quibus Domus affrancanda hujuſmodi eſt obnoxia, ſubjaceant, eorumque pro tempore poſſeſſores ad ſolutionem dicti Canonis obligati remaneant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIII. Novembris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

F. Uſimbardus.

Exem. in Arc. Ord. Arm. Provinciæ Marchiæ.

NO-

N O T A.

Ne Domus prædicta, à Fabrica Collegii &c. ibidem inceptâ, incommoda ſufferre deberet, cautum fuit ſequente S. Congreg. Epiſc. & Regul. Decreto.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Capucini Conventûs Fanenſis humillimi Oratores EE. VV. exponunt, qualiter inchoatum ſit ædificium Collegii, ipſorum Conventui contigui, quod, ſi ſecundùm idæam continuetur, non ſolum lumen Cellarum, & aliarum officinarum integri Dormitorii occupabit, ſed etiam his cum ſuis feneſtris ita dominabitur, ut ſint Collegii Alumnis penitus ſubjectæ. Recurrunt itaque Oratores ad Summam EE. VV. juſtitiam, quatenus deſuper opportunè providere dignentur.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, benignè commiſit Ordinario Fanenſi, ut veris exiſtentibus narratis, circa Oratorum preces provideat, prout juris fuerit. Romæ 18. Maji 1736.

Card. Franc. Barberinus.

L. S.

C. Archiepiſcopus Chalced. Secret.

Exempl. Authent. in Arch. Generali Ord. Prov. March. *Vide & ſupra fol.* 173. & 174.

Fr. Didacum à Civitate novâ Regi Chriſtianiſſimo pro executione gravis negotii in Civitate Gebennenſi peragendi commendat.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Victoriæ Majeſtatis tuæ, dum hæreſim Santonici Oceani fluctibus circumvallatam exterrent, videntur cœleſte quoddam extollere felicitatis ſignum ad bene ubique de Religionis ditione ſperandum. Quare nihil tam arduum eſt, quod in graviſſimo hoc Dei ipſius negotio, non ſperetur confici poſſe Ludovico Rege, vel militante, vel etiam ſuadente. Tam beata ſpe fretus Dilectus Filius Didacus à Civitate nova, Capucinus, opus meditatur, tuo prorſus Patrocinio dignum. Inter triumphos inferni, cum dominationem in præſentia quærere non poſſit, libertatem quærit Fidei Catholicę in Civitate Gebenenſi. Si hoc Te auxiliante perfecerit, non latet Europam, quàm eximiis laudibus, atque acclamationibus nomen Majeſtatis Tuæ in cœlum latura ſit Congregatio juſtorum. Nobis certè, quibus nil poteſt optatius contingere, ſolatium conficies publica expectatione majus, & Pontificiis deſideriis par. Ergo Religioſum hunc Sacerdotem de tam gravi cauſa diſſerentem eadem, qua Nos, fide poterit audire Majeſtas Tua, cui tantum ab Eccleſia deberi beneficium ardentiſſimè ſemper cupiemus, Tibique Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die prima Januarii MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Aut. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. Menſ. & Anni præd. fol.* 39.

Commendat Eundem pro eodem fine Reginæ Chriſtianiſſimæ.

A tergo: *Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Mariæ Francorum Reginæ Viduæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Gallia tuis virtutibus illuſtrata, dum Te publicæ quieti, & Religionis ſecuritati conſulentem veneratur, Dei Beneficium, & proprium præſidium eſſe prædicat auctoritatem Majeſtatis tuæ. Porro autem Italia Illuſtribus nominis tui laudibus plaudens, lætatur ſe ei Regno inſigne bonum, atque decus peperiſſe. Præclara tibi offertur occaſio, Chariſſima in Chriſto Filia noſtra, de utriuſque quod-

quodammodo Provinciæ felicitate bene merendi. Id autem erit, ſi operam dederis, ut in Gebennenſem Civitatem, quæ in intermediis Italiæ, Franciæque oris hæret, aditus pateat Fidei orthodoxæ. Tam glorioſum opus conatur Dilectus Filius Didacus, à Civitate nova, Religioſus Capucinus, qui has literas Majeſtati tuæ reddens, luculentius teſtabitur, quàm ingens Beneficium Eccleſiæ, & Pontifici ſolatium, hac tempeſtate parere poſſis. Illi igitur, tam grave negotium agenti, fidem haberi à Majeſtate Tua, & Regiæ auctoritatis ſuffragatione opem ferri cupimus, Tibique Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Januarii MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Ant. in Secret. Brev. ad Principes Reg. Menſ. & anni præd. fol. 30.

N O T A.

SOrtitus eſt Natalitia ſua P. Didacus in Civitate nova, ſeu novana, & claritatem ſuæ Stirpis, quam de Familia Luchetti traxit, collacteâ quaſi virtute geminavit. In cultu Studiorum ita profecit, ut adoream Doctoratûs in utroque jure, & officium Judicis, & Præfecti variis in locis fuerit adeptus. Semel ſortes rerum humanarum caducas, & pericula, Magiſtratui annexa, corde recogitans, animam ſuam in ſecuro ponere ſtatuit, & in Domo noſtrà Corinaldi Habitum S. Franciſci 1596. induit, votoque Sacro Deo ſe mancipavit.

Ne Talenta, quæ Dominus in illo cumulaverat, in eo hebeſcerent, Scholaſticis præficiebatur Scientiis: hæ tamen, quæ alias Superbiæ typhonem generant, virtutes ejus non infeceruut, ſed econtra mirè perfecerunt. Vix electus Guardianus Æſii, Romam vocatur, ut P. Paulum â Ceſæna Definitorem, & Commiſſarium Generalem ad Apoſtolicam Viſitationem Domûs Tononii, & Miſſionis, Socius comitetur.

P. Paulo Romam redeunte, Didaco Miſſionum cura committitur. Dilatavit illico Didacus Zelum ſuum, & oves, quæ perierant, per montes, & Valles, ſalebris, & ſaxis horridas, ad caulam Dominicam reducere, & hæreticos, pluſquam Vatiniano odio frementes, compeſcere ſtuduit, charitate, *quæ foras mittit timorem*, vitæ diſcrimina contemnens, & ſe veluti Murum pro Domo Dei ponens.

Percrebuit Romam uſque Evangelici hujus ſtudii fama, ita, ut gl. m. Urbanus PP. VIII. per ſuprapoſita Brevia Patrem Didacum Chriſtianiſſimo Regi, & Reginæ Galliarum pro acceſſu ad Civitatem Gebenenſem commendaret. Adfuit regium præſidium, & præliaturo bella Domini Patre Didaco campus apertus, uberi prædâ Spiritum, quo loquebatur magnalia Dei, comitante. Studio 20. annorum ibi terminato, ad Picenam Provinciam revocatur, illiuſque commodis per officia Guardianatûs, & Definitoratûs applicatur: Diu nec ille Provinciæ quiete, nec Provincia Illius miniſterio gaudere poterat, cum memoria rerum feliciter geſtarum, Didacum noviter ad Miſſiones Tononii, Genevæ, &c. ablegari, S. Congregationi de Propaganda Fide ſuaſerit. Sacra juſſa obedienter exequitur, & Meſſi Apoſtolicæ indefeſſo labore denuo incumbit.

Eouſque etiam Patres Provinciæ illius, merita P. Didaci æſtimârunt, ut gubernaculum ſuæ Provinciæ illi committerent, in qua, & curſum vitæ ſuæ anno 1638. conſummavit, non ordinariæ pietatis gloria illuſtrem, teſtimonium dante antiquo, in Conventu Civitatis novæ aſſervato Documento, illuc à P. Dominico Nuis 1646. miſſo, ut ſequitur: *ultimi defuncti veſtri P. Didaci anni ita fuêre exemplares, ut omnes Provinciæ Fratres in ſtuporem rapuerint: diu noctuque quaſi orationi vacabat, nec unicam Miſſam earum, quæ in Conventu dicebantur, neglexit. Ipſi hæretici magnopere illum coluerunt, ita, ut primus Genevæ Miniſter dolens in hæc verba proruperit*: medietatem honorum meorum dediſsem, ſi fini vitæ ejus aſſiſtere, & de mea converſione loqui potuiſsem. *Ad Sepulchrum hujus Patris fiunt multæ gratiæ uſque ad.* 43. *&* 44. *fuitque infans mortuus, ejus patrocinio ad vitam reſuſcitatus.*

Effert Virum hunc magnâ laude Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Ludovicus Centoſlorenius in præfatione ſui operis, ſeu clypei Lauretani, & ab ipſo contumeliarum argumenta, quibus Acatholici Sanctuarii Lauretani prærogativas lancinant, communicata eſse, aſserit, agitque de illo (præter Annales Provinciæ tom. 2. ad annum 1638. f. 76.) amplè liber Italicus, intitulatus *Memoriæ Sacræ, & Civiles Civitatis Novæ auct. Joanne Marangone* fol. mihi 186. & 187.

Petium terræ ad Eccleſiam S. Luciæ in Terra Montis Alboddi ſpectantem, pro Fabrica novæ Domûs ibidem vendi, ſeu alienari, Vicario Generali Senogalliæ committit.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris Epiſcopi Senogallienſis in Spiritualibus Generali

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Marchiæ, quod ipſe pro fabrica Domûs Regularis ejuſdem Ordinis in Terra Montiſalboddi, Senogallienſis Diœceſis, noviter conſtruendæ quodam petio Terræ, valoris,

loris in proprietate centum ſcutorum monetæ, ad Eccleſiam S. Luciæ ejuſdem Terræ legitimè ſpectante plurimùm indiget; quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus deſuper, ut infra, opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Miniſtrum Provincialem ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut Rectori dictæ Eccleſiæ petium terræ hujuſmodi Oeconomo dictæ Domûs ad effectum præmiſſum vendendi, & alienandi licentiam, auctoritate noſtra concedas, & impartiaris. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiæ, ac Domûs, & Ordinis prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pretium ex venditione, & alienatione petii terræ hujuſmodi proveniens, penes Montem Pietatis dictæ Terræ, ſeu aliquam ædem Sacram omnino deponatur, nec inde, niſi ad effectum, illud in emptionem bonorum ſtabilium ad favorem dictæ Eccleſiæ convertendi, amoveri poſſit. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XVI. Decembris MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 102.

Poſſeſſionem *le Cerrete* nuncupatam, & ad Monaſterium Monialium Terræ de Montecchio ſpectantem, cum aliis bonis ſtabilibus commodioribus, & utilioribus permutari, Epiſcopo, ſeu Pręposito Camerinenſi committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Camerinenſi, ac Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Camerinen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, & Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ Servitutis officio, votis illis, per quæ Sanctimonialium Monaſteriorum quorumlibet utilitates, & commoda procurantur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Expoſitum ſiquidem Nobis nuper fuit pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Prioriſſæ, & Monialium Monaſterii S. Claræ Capucinarum nuncupatarum, Terræ de Montecchio, Camerinenſis Diœceſis, quod ipſæ, ut earum Monaſterii hujuſmodi conditionem efficiant meliorem, quamdam poſſeſſionem unà cum portione cujuſdam Domûs ad ipſum Monaſterium legitimè ſpectantem in vocabulo *le Cerrete* nuncupatã, capacitatis ſomarum quatuor circiter, menſuræ illarum partium, juxta à duobus Angeli, & Proſperi Fratrum de Georiis, ac ab alio Capitanei Marii Virgilii, & ab alio, ſeu reliquis lateribus hæredum quondam Joannis Baptiſtæ Egidj, dilectorum Filiorum bona, ſalvis aliis, ſi qui ſint, verioribus confinibus ſuis ſitam, valoris in proprietate quingentorum, annui verò redditus duodecim circiter ſcutorum, cum aliis bonis ſtabilibus commodioribus, ac majoris redditûs permutare, ſeu uni, vel pluribus perſonis meliorem conditionem offerentibus vendere, & alienare, ac pretium exinde proveniens, in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, ex quibus decem Ducati auri de Camera in annuo redditu percipi poterunt, convertere poſſe deſiderant. Quare pro parte earumdem Prioriſſæ, & Monialium, aſſerentium permutationem, ſeu venditionem, & alienationem hujuſmodi, ſi fiant, in evidentem dicti Monaſterii ceſſuras eſſe utilitatem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis de opportuna licentia providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac ſingulares Prioriſſæ, & Monialium prædictarum perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ac Diſcretioni Tuæ, Fili Præpoſite, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac poſſeſſione prædicta, illiuſque circumſtantiis univerſis prius coram Vobis ſpecificatis, de permutatione ſeu venditione, & alienatione prædictis, ac, quod illæ, ſi fiant, in evidentem dicti Monaſterii ceſſuræ ſint utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, Prioriſſæ, & Monialibus prædictis poſſeſſionem hujuſmodi cum aliis bonis ſtabilibus commodioribus, & utilioribus permutandi, ſeu uni, vel pluribus perſonis, meliorem conditionem offerentibus vendendi, & alienandi, pretiumque exinde proveniens, in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, ut ſupra, convertendi, licentiam auctoritate noſtra concedatis. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum

rum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Monaſterii, & illius Ordinis, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod, ſi licentiam hujuſmodi per Te vigore præſentium concedi contigerit, venditio, & alienatio prædictæ, ſi illas fieri contigerit, unico contextu fiant, vel pretium ipſum penes perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur; ita, ut inde non niſi ad effectum illud in emptionem bonorum ſtabilium, ut præfertur, convertendi, amoveri poſſit. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris Die v. Januar. MDCXXX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis Jan., ſeu Feb. Anni prædicti fol. 13.

N O T A.

Suborto Scrupulo, an Moniales præmemoratæ carnes manducare valerent, ab Epiſcopo Camerinenſi deſuper conniveri, à S. Congreg. Epiſc., & Regul. fuit intimatum, Epiſtolâ ſequente:

Illuſtris, & A. R. Domine, uti Frater.

CUM Moniales Capucinæ Montecchii ob piſcium, herbarumque penuriam carnes manducare conſueverint, non obſtante, quod (prout Amplit. Tua in ſuis ſub 23. Auguſt. proximè elapſi commemorat.) ſub ſecunda S. Claræ Regula vivant, poterit Eadem ſtylum, & uſum hujuſmodi tollerare, ſimulando illum non videri, ſeu ſciri. Et hæc eſt Illuſtriſſimorum Dominorum meorum Menſ. Deus &c. Romæ XXIII. Septembris MDCXXIV.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ., & anni præd. fol. 224.

Permutationem trium Starorum Terræ pro Domo Apiri in meliorem formam redigenda ratihabet.

Foris: *Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Domûs Regularis Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ de Apiro Camerin. Diœc.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod Vos, ut Domus Regularis veſtræ ſitus in meliorem formam redigi valeat, tria ſtara dicti ſitûs, pro tribus aliis ſtaris terræ, Domui veſtræ Regulari contiguæ, & ad dilectos Filios Angelum, & Antonium Franciſcum, fratres Laicos, iſtarum partium ſpectantibus ejuſdem valoris permutari poſſe ſummopere deſideratis; quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut opportunam in præmiſſis licentiam concedere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & veſtrorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine, quavìs occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Syndico Domûs veſtræ regularis prædictæ, quod ipſe tria Stara dicti ſitûs Domûs veſtræ Regularis hujuſmodi pro tribus aliis ſtaris terræ, ad dictos Angelum, & Antonium Franciſcum ſpectantibus, permutare liberè, & licitè poſſit, & valeat, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus. & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod, ſi permutationem hujuſmodi fieri contigerit, tria ſtara primodicta pro evictione trium ſtarorum ultimò dictorum perpetuò hypothecata remaneant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xv. Julii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ., & anni præd. fol. 489. Vide, & fol. 171. hujus tomi Indulgentiam perpetuam Eccleſiæ hujus Domûs conceſſam.

Fontem per fundum ad Capitulum, & Eccleſiam Lateranenſem ſpectantem, aquæductibus ſubterraneis ad Domum Aſculi conduci indulget.

Foris: *Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Domûs FF. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Civitatis Noſtræ Aſculanæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod pro conducendo, & derivando ad Domum veſtram Regularem Aſculan. quodam fonte, quo maximè indigetis, eundem fontem aquæductibus ſubterraneis per fundum, non Vitibus, neque arboribus conſitum, ad dilectos Filios Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis ſpectantem, ſexaginta circiter cannarum ſpatio conducere debetis; unde habito ad illos à Vobis recurſu, ſe conſenſum hujuſmodi, quia quædam ſervitutis species ineſſe videtur, abſque noſtra, & hujus Sanctæ Sedis licentia, minimè dare poſſe reſponderunt. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut Vobis in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. ad effectum duntaxat &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, Vobis, ut fontem hujuſmodi per fundum dictorum Capituli, & Canonicorum aquæductibus ſubterraneis hujuſmodi ad Domum veſtram Regularem conducere, & derivare liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, abſque eo, quod à dictis Capitulo, & Canonicis deſuper moleſtari, perturbari, vel impediri valeatis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Regula noſtra de jure quæſito non tollendo, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XV. Decembris MDCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno decimotertio.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 69., de quo Breve formatum in Arch. Provinciæ.

N O T A.

Unitus fuit & poſtmodum Clauſuræ præcenſitæ Domûs Campus, ad Beneficium ſimplex ibidem ſpectans Decreto S. Congregationis Concilii ſequente.

BEATISSIME PATER.

Lib. Sup. in Lat. trad. *FR. Jacobus à Belforte, Capucinorum Aſculi Guardianus. Sanct. Veſtræ reverentiſſimè exponit, qualiter Conventus Capucinorum dictæ Civitatis taliter collocatus ſit, ut integrum Dormitorium cum Bibliotheca, & alia occultæ feneſtræ campum valoris 200. Scutorum, ad ſimplex D. Canonici Carpani, ejuſdem Civitatis, beneficium ſpectantem reſpiciant; Cumque Conventus taliter ædificatus à Religione fuerit acceptatus, ex feneſtrarum autem ad dictum campum conſpectu, multa inconvenientia cum Regularis obſervantiæ præjudicio facilè enaſci poſſint, aliâſque dictus Canonicus cum Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Epiſcopi Civitatis prædictæ conſenſu campum dictum Religioni cedere non gravetur, ad effectum, ut Clauſuræ Monaſterii uniatur, Orator ſummam Sanct. Veſtræ pietatem implorat, quatenus Conventum ab hujuſmodi præjudicio liberare, ſuumque aſſenſum, Clauſuræ Monaſterii dictum campum uniendi præſtare dignetur.*

Quam Deus &c.

Die 13. Maii 1679. Sacra Congregatio Emin. DD. S. R. E. Cardinalium, Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ad quam Sanctiſſimus Dominus noſter libellum hujuſmodi remiſit, attenta Relatione Epiſcopi Aſculani, Eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus aliter prænarratæ neceſſitati conſuli nequeat, pro ſuo arbitrio, & conſcientia petitam facultatem gratis impertiatur.

F. Card. Columna Præfectus.

L. S.

S. Archiep. Brancaccius Ep. Viterbienſis Secret.

Ex Reg. ſeu lib. 30. Secret. Congregat. prædictæ fol. 314., de quo exemp. Auth. in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Marchiæ.

Cele-

Celebrandi Miſſam in Oratorio Domeſtico Terræ Mucciæ Fratribus pro tempore ibi exiſtentibus, & ad Capitulum generale ituris, ac ab eo receſſuris, facultatem impertitur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

SPeciali dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ad proximum futurum Capitulum Generale, ejuſdem Ordinis in Alma Urbe Noſtra, Domino adjuvante, celebrandum venientium, & ab eo recedentium, & per Terram Mucciæ, Camerinenſis Diœceſis, ubi nulla eorumdem Fratrum Domus Regularis exiſtit, tranſeuntium, conſolationi, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, ſupplicationibus etiam Dilecti Filii Franciſci Altini, qui in dicta Terra Domum, in qua dicti Fratres, hoſpitii causâ, recipi conſueverunt, poſſidet, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Ordinis prædicti Fratribus, ibi pro tempore exiſtentibus, & aliis ad Capitulum Generale hujuſmodi venientibus, ab eoque recedentibus, & per eamdem Terram tranſeuntibus, ut præfertur, ut in privato dictæ Domûs Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, etiam in ipſius Franciſci, ejuſque Familiæ, necnon aliorum ejuſdem Ordinis Profeſſorum præſentia celebrare liberè, & licitè poſſint, hac vice duntaxat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cererisque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod alii quicumque, præter Franciſcum, & ejus Familiam hujuſmodi, ejuſdemque Ordinis Profeſſores, ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Decembris MDCXXXVI. Pontificatus noſtri Anno decimoquarto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſ. & anni præd. fol. 55. de quo Copia in Arch. gen. Ord. Arm. Provinciæ Marchiæ.

NOTA.

FUit hæc gratia, recurrente Capituli generalis tempore ſemper renovata, & hucuſque impetrata.

Petium Terræ ad Domum Lauretanam ſpectans, & Fratribus inibi jam aliàs ad uſum conceſſum, cum alio petio novæ Domui contiguo permutari, Epiſcopo Lauretano committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Lauretano.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum, Deputatorum Sacræ Domûs Lauretanæ Nobis expoſitum fuit, quod ipſi quoddam Terræ petium, vicinum veteri Conventui Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Lauretanæ, ad dictam Domum Lauretanam legitimè ſpectans, & ab Ea aliàs dictis Fratribus ad uſum conceſſum, illis tamen ob eorum è veteri hujuſmodi ad novum Conventum translationem, uti ab eodem novo Conventu diſtans, forſe omnino inutile, pro alio Terræ petio ſimili contiguo, eidem novo Conventui, ad quandam perſonam extraneam ſpectante, permutare, illudque eiſdem Fratribus, ad uſum pariter concedere poſſe deſiderant, ſi noſtra ad id ſibi, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur, & facultas. Quare dicti Deputati aſſerentes, eamdem Sacram Domum Lauretanam, nullum inde accepturam eſſe detrimentum, humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac dictis Terræ petiis, illorumque circumſtantiis univerſis prius coram Te ſpecificatis, de permutatione, & conceſſione hujuſmodi, quodque illæ, ſi fiant, nullum exinde dicta Sacra Domus acceptura ſit detrimentum, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, eiſdem Exponentibus permutationem, & conceſſionem hujuſmodi, ut ſupra faciendi, licentiam, auctoritate

ctoritate noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod Terræ petium primodictum pro evictione ſecundodicti Terræ petii, in eventum, in quem illud quoquomodo evinci contingat, perpetuò obligatum, & in ſpecie hypothecatum ad favorem dictæ Sacræ Domûs Lauretanæ remaneat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Junii MDCXLIII. Pontificatûs noſtri anno XX.

M. A. Maraldus.

Autog. in Secr. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 1.

N O T A.

Charitatem, qua Sanctuarium Lauretanum Fratres noſtros dignatur; & officia, quibus Decori Sanctuarii Fratres incumbunt, ac Apoſtolica Documenta deſuper edita, extenſè hic recenſeri, viſum eſt, opus undequaque dignum. Sciendum proin eſt, quod anno 1608. ab Illuſtriſſimo Cardinale Galli ad hunc locum, gloriâ Sanctitatis per totum Orbem celebrem, fuerimus vocati, conceſſo Habitationis loco per Inſtrumentum ſequens:

IN NOMINE DOMINI. Amen. Anno ab ejuſdem Domini Nativitate Milleſimo ſexcenteſimo octavo, Indictione ſexta, die verò vigeſima nona menſis Novembris, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Pauli Divina Providentia Papæ Quinti, anno ejus quarto.

IN mei, ac Teſtium infraſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutus Perilluſtris, ac Reverendiſſimus Dominus Tiberius Petronius, Nobilis Romanus, Prothonotarius Apoſtolicus, Almæ Domus, Civitatiſque Lauretanæ Gubernator, qui in vim literarum Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Cardinalis Galli ejuſdem Almæ Domus, & Civitatis Protectoris, & perpetui Gubernatoris ſub Datum Romæ die . . . . . inferius regiſtrand. nomine, & vice dictæ Almæ Domûs, & pro ea, & ſuis in officio Succeſſoribus ſponte, amore Dei donavit, & donationis irrevocabilis titulo dedit; conceſſit, tranſtulit, & aſſignavit Venerabili Religioni Capucinorum Ordinis S. Franciſci, & pro ea, & illius Reverendis Patribus, præſente Admodum Reverendo Patre F. Paulo de Ceſena, dicti Ordinis, & Provinciæ Marchiæ Miniſtro, acceptante, & ſtipulante, ſitum, ſive poſtum in Civitate Lauretana prope portam maris dictæ Civitatis, à viculo Domûs Diſpenſæ Almæ Domûs, uſque ad dictam portam Civitatis per directam lineam, ita, ut non impediatur ipſa porta, & termini dicti ſitûs, ſive poſti non excedant ab ante viculum dictæ Domûs Diſpenſæ, & à retro mœnia Civitatis, juxta ſeriem dictarum literarum, & graphiam Hoſpitii ibidem conſtruendi, quam graphiam dictus A. R. P. Paulus ad omnem bonum finem, & effectum dedit, & conſignavit dicto Reverendiſſimo D. Gubernatori præſenti, & recipienti, ad effectum tantùm ibidem ædificandi, & conſtruendi unum Hoſpitium pro commodo RR. Patrum dictæ Religionis, ad hanc Almam Domum viſitandam pro eorum devotione confluentium, & non aliàs, aliter, nec alio modo, cum omnibus, & ſingulis ſuis juribus, abſque tamen præjudicio jurium Patronorum Domorum in dicto ſitu conſtructarum, quæ in hujuſmodi conceſſione comprehenſa non intelligantur, ſed ipſis Patronis ſint reſervata, & non aliàs &c. de quo idem Reverendiſſimus D. Gubernator expreſsè proteſtatur omni modo meliori &c. transferens etiam nomine, quo ſupra, in dictam Venerabilem Religionem, qua ſupra, ſtipulatione interveniente, omnia jura &c. ponens &c. conſtituens &c. dans licentiam &c. & donec &c. conſtituit &c. hanc autem donationem &c. fecit idem Reverendiſſimus D. Gubernator, & facere dixit in vim literarum dictarum, & ad effectum ædificandi dictum Hoſpitium, & cum ſupra, & infraſcriptis reſervationibus, videlicet, quod caſu, quo dictum Hoſpitium non ædificaretur, ſeu conſtrueretur, ſeu eo ædificato, vel conſtructo, quandocumque devaſtaretur, & deſtrueretur, quod Deus avertat, quod dictus ſitus, ſeu poſtus remaneat liber pro dicta alma Domo, cum ſuis juribus, quibus erat ante dictam conceſſionem, perinde, ac ſi conceſſio hujuſmodi numquam facta, & præſens inſtrumentum celebratum non eſſet, quia ſic actum &c. quæ omnia, & ſingula dictus Reverendiſſimus D. Gubernator, nomine, quo ſupra, promiſit habere rata, grata, & firma, eaque inviolabiliter obſervare, & contra non facere, ſub quovis prætextu &c. aliàs &c. pro quibus idem Reverendiſſimus Dominus Gubernator omnia bona &c. dictæ Almæ Domûs in ampliſſima forma Cameræ Apoſtolicæ cum ſuis ſolitis clauſulis, citra &c. quandocunque extendendis obligavit &c.

Juravit tacto pectore more Prælatorum &c. Super quibus &c.

Actum Laureti in Palatio ſolitæ Reſidentiæ dicti Reverendiſſimi D. Gubernatoris, ibidem præſentibus D. Horatio Andreolo de Auximo, Magiſtro Stabuli Almæ Domûs, & D. Mercurio Riſcardo Lauretano, Teſtibus &c.

Cum poſtmodum Fratres de Boreali turbine, cui ſitus prædictus erat expoſitus, plura incommoda ſufferrent, aliàſque beneficio Solis, ob altitudinem Eccleſiæ Sanctuarii parùm gaudere poſſent, fuit 1636. alia Habitatio quæſita, ſituſque ad eam à Confraternitate S. Luciæ Recineti conceſſus, Diplomate ſequenti, de vernaculo in latinum traducto.

Cum Admodum R. P. Andreas ab Aſculo impræſentiarùm PP. Capucinorum Provinciæ Marchiæ Provincialis, ſupplex Noſtræ Confraternitati, pro ſitu, quem hæc habet, & poſſidet intra Sinum Civitatis

tatis Lauretanæ prope plateam Gallam, & juxta bona Dominorum de Borghignis ab uno latere, ante viam publicam, retrò ejuſdem Civitatis mœnia, alioſque limites &c. in beneficium Religionis ſuæ, conſtructionem novæ Domûs in dictâ Civitate parantis, concedendo inſliterit, & noſtra Civitas peculiari devotione, & affectu, cum omnibus Nobis erga Seraphicam Religionem Sancti Franciſci, ceu peculiaris noſtri Protectoris feratur, ac inſuper memorato P. Andreæ, à qua Civitas noſtra varios favores, ac humanitatis officia recepit, gratos Nos exhibeamus, in illius gratiam Religioni Capucinorum, accedente Sedis Apoſtolicæ beneplacito, prædictus ſitus conceditur, & ideo infraſcriptis Dominis Deputatis, obtento dicto beneplacito, ampla conceditur facultas, ſub nomine totius Corporis noſtræ Confraternitatis conficiendi publicum hujus conceſſionis Inſtrumentum, quatenus prædicti Patres, illâ, prout ipſis beneviſum fuerit, utantur. Procurabunt etiam dicti Domini Deputati literas Affiliationis *nuncupatas, pro omnibus hujus noſtræ ſodalitatis Confratribus, quatenus bonorum operum, quæ in hac Religione continuò exercentur, participes reddantur.*

Et omni alio meliore modo, qui dictis Dominis Deputatis videbitur.

OBTINUIT CANONICÈ NEMINE DISCREPANTE.

Capit. Laurentius Maſſertius Deputatus.
Hieronymus Gilius Deputatus.

Beneplacitum Apoſtolicum, quod à Confraternitate ſuperiùs reſervabatur, fuit obtentum ſub tenore ſequente:

Sanctiſſimus Dominus Noſter, pium devotionis affectum Confraternitatis Laicorum S. Luciæ Civitatis Recanatenſis, eorumque ſingularum Perſonarum erga Fratres, & Religionem univerſam B. Franciſci, Capucinorum nuncupatam propenſum animum, nuper ex liberali largitione ſitûs, ſive areæ, quam in Civitate Lauretana, juxta ſua notiſſima latera poſſident, factâ, ratificatum, authenticoque teſtimonio in generali Congregatione, habita die ſexta inſtantis menſis comprobatum, eximiè commendans, altiſſimæque paupertati eorumdem Fratrum Capucinorum hac in parte favendo, ſpecialique gratia, & favore Religionem ipſam proſequendo, ubi præſertim ex illius propagatione, exemplarique vita, & ſalutari doctrina toti univerſali Eccleſiæ continuò noſcitur redolere, ac prodeſſe non dubitatur, benignè annuit, officiumque, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem liberaliter impartitur, nedum approbando Decretum, donationemque ſitûs prædicti, ut ſupra, factam, ſupplendo omnes, & ſingulos ſolemnitatum defectus, ſi qui forſan in præmiſſis intervenerint, quibus hac vice de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine derogatum eſſe voluit per præſentes, verùm etiam Religioni præfatæ, illiuſque Religionis Perſonis, aliiſque Superioribus Provinciæ Marchiæ, ad quos ſpectat, gratioſè indulget, facultatemque ſpecialem impartitur, ut Conſtitutionibus, Inſtituto, & Regulâ Ordinis præfati, ceteriſque Statutis, Decretis, & Apoſtolicis ſanctionibus contrariis non obſtantibus, donationem præfatam, dominiumque illius acceptare, & reſpectivè acquirere valeant, ad effectum tamen ſtatim ſitum, & aream, ut præfertur, donatam, permutandi, ſeu cedendi, & commutandi cum altero ſitu ſtabulorum, area, & domunculis illi adjacentibus, ad Sacram Ædem Lauretanam jure dominii ſpectantibus, in eadem Civitate conſiſtentibus, accedente tamen expreſſo conſenſu Eminentiſſimi Domini præfatæ Sacræ Domûs Lauretanæ Cardinalis Protectoris, ſeu alterius Delegati, illius Vices-gerentis, eumdemque ſitum, Domunculas, cum omnibus ſuis adjacentiis, & pertinentiis univerſis denuo acquirendis pro ædificatione, & conſtructione novi Conventûs, ad commoda ejuſdem Religionis, Religioſorumque Fratrum habitationem, ut antea in eadem Civitate obtinebant, acquiſitionemque prædictam, tam ex parte Sanctæ Domus præfatæ, quàm etiam Religionis prædictæ, illiuſque totum tenorem Eadem Sanctitas Sua ex nunc, prout ex tunc approbat, ratificat, Apoſtolicæque auctoritatis munimine, præſidioque confirmat, ac ſi de verbo ad verbum hic ſpecialis, ſpecifica, & individualis ejusdem mentio facta foret, præmiſſis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, quibus de plenitudine poteſtatis harum ſerie derogavit, & derogat per præſentes.

Romæ 23. Aprilis 1638.

F. Ant. Card. S. Honuphrii.

L. S.

B. Faebinettus Secretar.

Officia, quæ à tempore ſtabilitæ noſtræ manſionis pro cuſtodia, & decore hujus ſanctæ Domûs Fratres (præter hoſtias, quas conficiunt, & Corporalia, quæ altari adaptant, & curam, qua quolibet manè illico, ac ſanctuarii porta aperitur, & antequam ſæcularibus ad id concedatur ingreſſus, per mediam horam, neceſſaria parant, & veſperè pavimentum Sanctæ Domûs, flexi poplitis devotione mundant, exprimuntur potiſſimum in Decretoria Epiſtola, à P. Hieronymo à Caſtro Ferrettorum, tunc Procuratore Generali Ordinis P. Guardiano ibidem ſub tenore ſequenti ablegata.

Foris. *Reverendo Patri Guardiano Fratrum Capucinorum Laureti.*

Frater Hieronymus à Caſtro Ferrettorum, Procurator Generalis Salutem in Domino.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Cardinalis Burgheſius, Almæ Domûs Lauretanæ Protector, ad publicum, privatumque commodum, Fratribus noſtris in illo Sacro Loco habitantibus, & de tempore ad tempus habitaturis tria officia imponi admodum deſiderat. *in lat. trad.*

Primum eſt, ut Cœnaculo, Tinello *nuncupato intendant, recipiantque Peregrinos cum charitate, & invigilent, ut Religioſo Ordine gubernentur, & competentes benedictiones, lectiones, & gratiarum actiones non deficiant.*

Secun-

Secundum requirit, ut ſuperintendentiam, ſeu curam Hoſpitalis Pauperum Infirmorum ſuſcipiamus; quatenus illis ea, quæ neceſſitas, & malorum varietas exigunt, non deſint.

Tertium eſt, ut onus eleemoſynas Promptuarii, Diſpenſa *vocati, & Domui noſtræ contigui, recipiendi aſſumamus.*

Jam verò tam ex parte Illuſtriſſimi Domini Cardinalis, cujus deſiderium, & nutus, gratia & voluntas eſt, quàm ex parte ipſorum officiorum, quæ ex ſe noſtræ non ſolùm non repugnant Profeſſioni, ſed eidem potius conveniunt, fuit hic ſtatutum, ut à Veſtra Reverentia omni animi promptitudine acceptentur ſubitò, ac illa Eidem offerentur, ac poſtmodum exerceantur, prout obligatio, Regulæ, & inſtructiones, ad hunc effectum Eidem exhibendæ, depoſcent.

Ita proin tam à P. Veſtra, quam ab Ejuſdem Succeſſoribus acceptentur, & practicentur, juxta tenorem præſentium, pro executione, ex parte Nobis incumbente, tam Illuſtriſſimo Pignattelli, Epiſcopo Æſino, defacto Laureti, ordine Illuſtriſſimi Domini Cardinalis cunctanti, quàm Reverendiſſimo Domino Gubernatori Civitatis exhibendarum. Romæ XV. Julii MDCXX.

Fr. Hieronymus, qui ſupra.

Præter dicta, incumbit ulterius P. Guardiano pro tempore, ut caſſarum eleemoſynarum aperitioni, quæ quotannis in feſtis Nativitatis D.N. Jeſu Chriſti & S. Joannis Baptiſtæ per ſpeciale Apoſtolicum Breve, D. Gubernatori Laureti demandatur, cum aliis, in Apoſtolico Brevi ſpecificatis aſſiſtat.

Attento ſtudio, quo Fratres prædictis funguntur officiis, opipare correſpondet Sacræ Domûs Charitas, præterquam enim, quod Fratres ibi degentes, quoad victum, & veſtitum ex mutua ſponſione manuteneat, diverſas qnoque ſucceſſu temporis iis conceſſit gratias. Imò, antequam Nobis inibi habitare datum erat, fuit toto anno Jubilæo MDC. omnibus Fratribus advenis in Sacra Capella horâ ante auroram Miſſam celebrare indultum, Epiſtolâ Sacræ Congreg. Epiſc. & Regul. Epiſcopo Lauretano, ut ſequitur, inſcriptâ.

Sanctiſſimus Dominus Noſter indulget, ut per totum currentem annum Sanctum Fratres Capucini Sacerdotes, qui ſuorum Superiorum obedientalibus muniti, ad Sacras Ædes appellent, Sacrum dicturi, hoc in ipſa Sancta Capella, horâ ante auroram celebrari poſſint. Et ita Amplit. Tua iis, quorum intereſt, notificari diſponet, quatenus illis neceſſaria non deſit commoditas. Romæ XXII. Decembris MDXCIX.

Ex Reg. Secret. Cong. Epiſc., & Regul. Anni prædicti fol. 116.

Inter gratias autem poſt fixum ibi Domicilium Nobis conceſsa recenſetur illa, quâ Fratribus tam incolis, quàm accolis Sacram Communionem, in Ipſa Sacra Capella ſumere permiſsum eſt, prout ex epiſtola Cardinalis Caroli Barberini, Nepotis Urbani PP. VIII. & noſtri Cardinalis Antonii, cujus expenſis fabrica moderni Hoſpitii, fuit terminata, ad Gubernatorem Laureti ſub ſequente tenore data:

A tergo: Illuſtriſſimo, & A. R. Domino Gubernatori Laureti.

Intus verò: Illuſtriſsime, ac A. R. Domine.

In Lat. trad. *Exhibuerunt mihi PP. Capucini plura atteſtata, & ipſas originales litteras fel. record. Cardinalis Borgheſii, quod ab initio ſuæ ad illud Sanctuarium inductionis, tam Fratribus ibi degentibus, quàm exteris, ibi in dies advenientibus, Sacram Communionem in S. Capella ſumere licuerit; cumque in poſſeſſione gratiæ, à Protectoribus acquiſitæ, uſque huc ſeſe manutenuerint, ſupplicant, ne quid deſuper innovetur. Juſtitia petitionis, & ſpecialitas affectûs, quem erga hunc Ordinem, à S. Domo peculiari ſemper obſervantia honoratum, foveo; anſam mihi præbent non ſolùm Dominat. Veſtræ ſignificandi continuationem hujuſmodi Eorum conſolationis à me deſiderari, verùm etiam Eidem prædictos Patres commendandi, quatenus à Miniſtris ſubordinatis eâ afficiantur charitate, quâ ab Eadem illos, & amari, & æſtimari ſcio, & Dominat. Veſtræ ex corde me offero. Romæ IV. Auguſti MDCLXIII.*

D. V.

Paratiſſimum ad obſequia.

Cardinal. Carol. Barberini.

Fuitque ad latus epiſtolæ proprio Domini Cardinalis charactere ſequens adjunctus paragraphus:

Cupio ſummopere, ne Capucini ulla vexentur novitate, ad quod me movet, & ſtimulat tam æſtimatio, quam de illorum conſervo Religione ex proprio affectu, tam quod in hoc concurram ad vota Domini Cardinalis Antonii, mei Patrui, Capucinos ſpecialiſsimè diligentis.

Motâ anno 1686. controverſiâ de Præcedentia inter PP. Obſervantes, & Noſtrates, fuit à S. Congregatione primò reſcriptum, ut ſequitur.

Lauretana.

Supplicante P. Procuratore Generali Capucinorum pro opportuno remedio, & declaratione circa præcedentiam controverſam inter FF. Capucinos, & Minores Obſervantes de Familia in Civitate Lauretanâ,

S. Rit.

S. Rit. Congregatio cenſuit ſcribendum eſſe Epiſcopo pro informatione, & interim mandavit nihil innovari, die 31. *Aug.* 1686.

N. Card. Ludovicus Præf.

Bernardinus Caſalius S. R. C. Secret.

Ex Reg. Secret. Cong. & anni præd. fol. 165.

Fuitque poſtmodum deciſum, quod Capucini præcedant, & defacto poſt omnes Regulares, Laureti Domicilium habentes, illi in Proceſſionibus incedunt ante Crucem Cleri, & DD. Canonicorum immediatè, cum ſint in Civitate Lauretana inter omnes Regulares antiquiores, & S. Domûs Miniſtri.

Anno 1701. fuit conceſsa, & gratia in ampliata Hoſpitii Capella aſservandi Euchariſtiæ Sacramentum, Decreto Epiſcopali, ſequenti libello ſupplici ſubjuncto:

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine.

Guardianus, & Capucini Hoſpitii Lauretani humillimi Illuſtriſs. Dom. Veſtræ ſervi reverenter ſupplicant; ut, cum ipſi commodis, & obſequiis Sanctuarii cum hoſtiis, lineis calicum velis, curâ Hoſpitalis, *&* Cœnaculi, vel Tinelli, *varioque alio labore pro decore, & munditia dicti Sanctuarii omni ſtudio attendant, & Capellam veterem memorati Hoſpitii ampliaverint ad formam parvæ Eccleſiæ, penitus extra habitationem exſtantis, & à nullo latere portam communem ad cellas Dormitorii excepta una apertura pro commodo Infirmorum in fornice Capellæ, nec etiam ullam Cellam ſuprà ob tectum fornici Capellæ immediatè incumbens habentis, Illma Dom. V. SS. Sacramentum in decente Tabernaculo, non ſolum pro beneficio Religioſorum Infirmorum, qui prius non ſine gravamine id in Hoſpitali recipere debebant, ſed etiam pro devotione bene valentium, continuò in dicta Capella aſſervari permittat, præſertim, cum ad favorem ſupplicationis concurrant privilegia Summorum Pontificum: quod Regulares in ſuis Oratoriis aſſervare poſſint Euchariſtiæ Sacramentum, prout Pignatellus cum variis Bullis Summorum Pontificum, & Decretis S. Congregationis, ab eo Tom.* 4. *conſult.* 112. *n.* 7. 8. 9. *citatis id clarè probat.*

Quam gratiam, &c.

Attentis narratis, & inſpecto per Viſitationem perſonalem loco, in quo eſt ſita dicta Capella, prorſus diſparata ab omni uſu ſupradicti Hoſpitii, nec non viſâ ejuſdem decentiâ, & ornatu, ac etiam eleganti Tabernaculo cum Pixide argentea, & cappa inaurata ibidem aſservanda, & viſis omnibus videndis, mandavit ſine præjudicio jurium Parochialium ad formam Sacri Concilii Tridentini poſse detineri per ſupradictos Oratores in dicta Capella intus Tabernaculum, in pixide cooperta cum ſuo Conopeo ſerico, albi coloris, Ven. Sacramentum Euchariſtiæ, humiliter adorandum à dictis Patribus, & ab omnibus ibidem confluentibus, dummodo tamen dictum Ven. Sacramentum non poſſit publicè exponi in dicta Capella, ſed tantùm Patribus, tam Sacerdotibus, quam Laicis dicti Hoſpitii aſportari cum debita decentia in eorum cellas, infirmitatis cauſa, vel impotentiæ, ob impedimentum gradiendi. Et pro decenti detentione dicti Sacramenti mandavit Patribus ſupradictis quotidie tam de die, quam de nocte detinere lampadem accenſam ante Tabernaculum prædictum, ſub pœna in caſu inobedientiæ ammittendi detentionem ſuprad. Ven. Sacramenti & ita &c. omni &c.

Datum Laureti hac die 4. Oct. 1701.

L. Epiſcopus Lauret., & Recanat.

Fuit iiſdem Patribus conceſſa, & alia gratia per reſtitutionem Miſſæ liberæ, qua diu gaudebant, & qua poſtea privabantur: circa quam in epiſtola S.Congreg. Lauretanæ, directa Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Maggio Gubernatori Laureti ſub Dat. Romæ die 19. Sept. 1716. & ſubſcripta ab Eminentiſſimo, & Reverediſſimo D. Card. Paulutio, & Illuſtri, & Reverendo D. Becchetto Secretario ſequens particula habetur:

Reſtituitur facultas celebrandi Miſſam in S. Capella Patribus Capucinis illius Conventûs, uti prius, attento eorum laudabili, & laborioſo ſtudio, ab iis Sanctuario ſemper exhibito, & uti fuit reſtituta PP. Jeſuitis Pœnitentiariis ibidem.

Denique ſicut Fratres obſequia ſua, etiam ultronea, & ſupererogatoria, pro Majeſtate, & cultu Domûs, in qua individua Verbum Divinum carnis noſtræ epomide veſtitum eſt, adaugere ſemper geſtiunt, ita & Sacra Domus eorum merita gratiarum conceſſionibus proſequi æmulatur, exemplum dante gratiâ Sepulturæ noviſſimè conceſsâ, & ſequente libello ſupplici expetitâ.

BEATISSIME PATER.

Fr. Carolus Antonius à Camerino Guardianus, & Religioſi Capucini Hoſpitii Almæ Domûs Lauretanæ, humillimi Oratores ad pedes in Spiritu proſtrati, Sanctitati Veſtræ reverenter exponunt, qualiter tempore, quo cl. mem. Eminentiſſimus Cardinalis Gallus ejuſdem S. Domûs Protector erat, ad hujus Venerabilis Sanctuarii obſequia, vel immediatè, vel mediatè iis competentia, fuerint vocati, prout Sanctitati Veſtræ optimè notum eſt. Cum autem prædicti Capucini in illa Baſilica ſeparatam Sepulturam non habeant, & ideo eorum cadavera in Sepulchro aliis communi, humari oporteat, & quidem cum modica decentia, cum enim juxta pauperis ſui Inſtituti morem abſque Sandapila, cum ſolo ſeraphico Habitu, & econtra alii omnes, cum feretris ſepeliantur, aliquoties hæc ſupra Cadavera Fratrum recenter humata ponuntur. Hinc Sanctitatis Veſtræ ceu Amantiſſimo ſuo Patri omni ſubmiſſione ſupplicant, quatenus tam Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, tam Illuſtriſſimo Domino Gubernatori ordinare dignetur, ut ipſis, ceu Sanctuarii Miniſtris (prout

& ſimilis gratia ſub eodem titulo R. R. Patribus Societatis Jeſu conceſſa eſt) in facie Capellæ Pietatis ſitus aſſignetur, ad effectum parvam, ſimplicemque Sepulturam ibidem conſtruendi.

Quam gratiam &c.

Audito deſuper voto Illuſtriſsimi Domini Gubernatoris, gratia fuit conceſſa à S. Congregatione Lauretana per Epiſtolam ſequentem.

A tergo. Perilluſtri, ac A. R. Domino uti Fratri Gubernatori Laureti.

Intus. *Perilluſtris, ac RR. Domine uti Frater.*

Ex relatione à Dom. Tua S. Congregationi Lauretanæ tranſmiſſa, & extenſa ad libellum ſupplicem, Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectum à Patribus Capucinis, ſupplicantibus pro aſſignatione modici ſitûs, in Capellæ Pietatis facie exiſtentis, ad effectum Sepulturam ad eorum Cadavera ſeparatim ab aliis humanda conſtruendi, colligitur, eorum inſtantiis condeſcendi poſſe; hinc S. Congregatio de obſequiis, quæ dicti Patres Eximio illi Sanctuario præſtant, bene informata, iis gratiam concedi cenſuit, vigore cujus Dom. Tua in memoratæ Capellæ facie modicum illum ſitum, conficiendæ ſimplici Sepulturæ ſufficientem, aſſignabit. Et dum veram felicitatem inauguror &c. Romæ 2. Octob. 1743.

Dom. Tuæ

Uti Frater.

Sylvius Cardinalis Valenti.

Xaverius Juſtiniani Secret.

Originalia Documentorum omnium in Arch. Hoſpitii.

Quædam terræ petia Domui Urbinatenſi non amplius proficua, pro alia terreni quantitate, ad totalem dicti Domûs ambitum neceſſaria, permutari concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Conventus Urbinatenſis, Nobis nuper exponi fecerunt, dilectus Filius noſter Antonius, Tituli S. Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis S. Honuphrii nuncupatus, Noſter ſecundùm carnem Frater Germanus, Conventum præfatum muro cingi curet, ſeu cingi facere intendat, neceſſariumque ſit pro convenienti, & æqua ſitûs partitione à dicti Conventûs conſepto, & ambitu nonnulla terræ petia, quæ iiſdem Fratribus amplius neceſſaria nullatenus erunt, ſecludere, Dilectus autem Filius Joannes Rubeus eiſdem Exponentibus totam eam terreni quantitatem, quæ pro concludendo totaliter dicto Conventu neceſſaria erit, offerat ſe daturum, necnon dicta terræ petia ad eoſdem Fratres, ut præfertur, ſpectantia empturum, ſeu illa permutationis nomine pro dicto toto terreno, per eum, ut ſupra, aſſignando accepturum. Nos propterea dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, quod ipſi per Vicarium Archiepiſcopi Urbinatenſis prædicta terræ petia, quæ ex ambitu dicti Conventûs remanebant, ut præfertur, eidem Joanni, ſeu alteri, meliorem conditionem offerenti, pro juſto, & rationabili pretio vendere, ſeu illa cum eodem Joanne, ſeu altero, ut præfertur, pro ea terreni quantitate per eum danda, & quæ ipſis Exponentibus pro totali dicti Conventûs ambitu neceſſaria erit, permutare liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Januarii MDCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ., & Anni præd. fol. 66.

DE-

DECRETO

Sac. Congregationis Rituum.

Statuam D. Antonii Patavini in Capucinorum Habitu proceſſionaliter in Terra Montecchii deferri poſſe, ſancitur.

Die 18. *Julii* 1654.

STante altercatione in Terra Montecchii, Diœceſis Burgi S. Sepulchri ſuper delatione Simulachri S. Antonii de Padua in Proceſſione, reſpectu Habitûs Capucinorum, cum quo efficienda eſt: Sacra Rituum Congregatio, ad quam negocium deductum eſt, reſpondit, Habitum hujuſmodi non eſſe vetitum in caſu, de quo agitur, & ideo arbitrio Epiſcopi.

C. Epiſcopus Hoſtien. Card. Medices.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Maria Phœbeus S. R. Cong. Secr.

Exemp. Aut. in Arch. Ord. Arm. Prov. Marchiæ.

Non obſtante Teſtamento Maſino, à Communitate loci Montis Sancti, Fratribus pro Fabrica novæ Domûs octo coppas terreni concedi, econtra totidem de antiquæ Domûs ſitu Communitati â Fratribus aſſignari indulget.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Conventûs loci Montis Sancti, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Firmanæ Diœceſis, quod ab aliquot annis dilecti pariter Filii Univerſitas, & Homines dicti loci quatuor coppas terreni menſuræ illarum partium, ad hæreditatem quondam Thebaldi Maſini, eidem Univerſitati, & Hominibus dudum acquiſitam ſpectantes, ipſis Exponentibus pro fabrica novi eorum Monaſterii conceſſerunt, ſed ſubinde non ita pridem compertum eſt, in teſtamento memorati Thebaldi die 19. Januarii 1580., confecto, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, quamcumque alienationem, permutationem, vel obligationem bonorum ſtabilium dictæ hæreditatis, etiam per viam commutationis, ſeu forſan aliàs prohiberi. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes pro perfectione fabricæ prædictæ, aliis quatuor ſimilibus coppis dicti terreni opus habeant, & ne iidem Univerſitas, & Homines damno propter præmiſſa afficiantur, æqualem prædictis octo terreni coppis, terreni æquivalentis quantitatem, ex veteri eorum Monaſterio ipſis Univerſitati, & hominibus aſſignare plurimùm deſiderent, ſi ſibi ab illis ſecundò dictæ coppæ terreni, ultra primò datas, etiam quatuor coppas, cum effectu concedantur. Nobis propterea iidem Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Exponentes, necnon Univerſitatem, & Hòmines ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac dicti teſtamenti tenorem, & alia, etiam ſpeciali expreſſione digna, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, prædictis Univerſitati, & Hominibus, ut ſupra, octo coppas terreni dictis Fratribus Exponentibus, mediante totidem copparum ſimilium terreni æquivalentis ex Monaſterio veteri hujuſmodi aſſignatione ad eorum favorem ab iiſdem Fratribus facienda cum effectu præſtare, ac de novo reſpectivè concedere liberè, licitè, & validè, ac ſine ullius pœnæ, in eodem teſtamento quomodolibet appoſitæ incurſu, ipſis verò Exponentibus, ut totidem coppas terreni hujuſmodi ex veteri eorum Monaſterio eiſdem memoratis Univerſitati, & Hominibus propterea aſſignare liberè pariter, & licitè reſpectivè poſſint, & valeant, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Decernentes præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti The-

Thebaldi etiam ultima voluntate, quàm quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſsè commutamus, & quatenus opus ſit, loci, & Conventûs prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, & alia quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pro quacunque evictione dictarum octo copparum, vigore præſentium per Univerſitatem, & Homines prædictos iiſdem Exponentibus præſtandarum, aliæ octo coppæ ab ipſis Exponentibus, ut præfertur, aſſignandæ, ſemper obligatæ, & in ſpecie hypothecatæ remaneant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VIII. Auguſti MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

G. Gualterius.

Exempl. in Arch. Ord. Arm. Prov. Marchiæ.

N O T A.

Tam in argumentum gratitudinis, quam Provincia Marchiæ, Evergetæ Communitati prædictæ debet, quàm ad gloriam Patriæ, ex publico, & ampliato B. Gerii cultu adaugendam, noviſſimè Fr. Antonius Maria ab eodem Monte Sancto, Provinciæ prædictæ Annaliſta, Decretum conceſſionis Officii, & Miſſæ in honorem ejuſdem B. Gerii in Curia Romana impigro labore, & longiore ſudore obtinere ſtuduit, & feliciter quoque obtinuit, ut ſequitur.

Firmana.

Conceſſionis Officii, & Miſſæ in honorem B. Gerii à Monte Sancto de Com. Conf. non Pont.

CUM diſcuſſa, & approbata fuerit in Sac. Rit. Congregatione ſub die 18. *Julii, Anni proximè elapſi ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Firrao Ponentis in Cauſa Canonizationis B. Gerii à Monte Sancto Sententia, per Reverendiſſimum Archiepiſcopum Firmanum lata ſuper Cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præſtito, ſive caſu excepto à Decretis Sanctiſſimæ Inquiſitionis juſſu San. Mem. Urbani Papæ VIII. editis, Pater Frater Antonius Maria à Monte Sancto Ordinis Capucinorum, hujuſmodi Cauſæ poſtulator, Sac Rit. Cong. humillimè ſupplicavit, quatenus Clero Sæculari, & Regulari prædicti Oppidi in honorem dicti Beati Officium, & Miſſam de Com. Conf. non Pont. pro die* 25. *Maii concedere dignaretur: & Sacra eadem Congregatio, audito prius in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus, Fidei Promotore, ad relationem præfati Eminentiſſimi Ponentis ſupradictum Officium, & Miſſam juxta petita, ſub ritu duplici Minori benignè conceſſit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit; die* 20. *Julii* 1743.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem SSmo Domino, Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit: hac die 24. *ejuſdem Menſis, & Anni* 1743.

F. J. A. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patr. Hieroſolymitanus Secret.

CHIROGRAPHO PAPALI.

Pro novo Domûs Piſaurenſis ædificio aliquæ Ædes, & terræ petia ad Apoſtolicam Cameram pertinentia ſub conditione conceduntur, ut Fratres mediante Procuratore annuatim in dicta Camera, in Vigilia, vel Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, compareant, & in recognitionem Apoſtolicæ conceſſionis Sanctiſſimum nomen Jeſus invocent.

Præſul Franſone Noſter Theſaurarie Generalis.

EXponi Nobis fecerunt PP. Capucini Provinciæ Marchiæ, quod, cum Conventus S. Bartholomæi, eorum Ordinis, extra Civitatem Piſaurenſem millario in circa, in Latere Montis, aeris inſalubris, ubi ventus Vulturnus ſemper prædominatur, ſituatus ſit, flumenque nebulis quaſi ſemper obtectum, vicinum extet, Patres ibi degentes gravibus infirmitatibus ſint ſubjecti, & cum ob Civitatis diſtantiam commodo, & beneficio Medicorum, aliorumque ſubſidiorum humanorum ſint deſtituti, quolibet anno non pauci eorum moriantur. Quapropter intra Civitatem in ſitu vicino Portæ Collinæ Domum ædifi-

ædificare ſtatuerunt, ubi aliquæ Ædes, ſeu *Remiſſæ*, uti vulgò eas vocant, ad noſtram Cameram ſpectantes, reperiuntur, cum quibuſdam terræ petiis in circuitu, quorum unum ipſis ad memoratum effectum jam eſt donatum, & aliorum acquirendorum optimâ ſpe lactantur, ad complendam, & perficiendam, quam habent, idæam, ſi tamen â Nobis prædictæ Ædes, ſeu Remiſſæ (prout Nobis ſupplicarunt) ipſis concedantur.

Quapropter, cum Nos eorum neceſſitati compatiamur, ex certa noſtra Scientia, & plenitudine poteſtatis, dictarum Domuum, & arearum qualitatem, earumque ſtatum, confinia, valorem, annuoſque redditus, & quamcunque aliam formalitatem, ſpeciali mentione dignam, per præſentes pro ſufficienter expreſſis habentes, Tibi ordinamus, ut ſub noſtro, & noſtræ Cameræ nomine, concedas præfatis Patribus Provinciæ Marchiæ dictas Domos pro Rhædarum uſu, & earum ſitum, ad effectum ædificandi ibi novum Conventum, ſeu Monaſterium, & Eccleſiam, cum conditione tamen, ut fabrica fiat versùs Civitatis corpus, in illo ipſo ſitu, ubi dictæ ſunt Remiſſæ & in parte, â mœniis, & eorum terræpleno ut vocant diſtantiore, ut hortus ad muros plantandus, debitè diſtet â dicto terræpleno, quatenus ibi omnes functiones Militares, tam Peditum, quàm Equitum cum tormentorum bellicorum conductione ſine impedimento peragi poſſint; ut, antequam hortus muro cingatur, ſpecialem licentiam â Nobis deſuper petant; & cum conditione hac, & non aliter iis hanc conceſſionem, ſub titulo Donationis irrevocabilis inter vivos perpetuò valituræ facimus, ita, ut ullo unquam tempore ad ſolutionem, vel reſtitutionem pretii, vel alterius rei ſint obligati, teneanturque duntaxat, mediante ſpeciali Procuratore, annuatim in Camera in vigilia, ſeu feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli comparere, & in recognitionem noſtræ conceſſionis Sanctiſſimum Nomen Jeſu invocare.

Quantum verò ſpectat ad Conventum, & Eccleſiam, ubi hucuſque habitârunt, volumus, ut deſtruantur ad effectum, pretium ex cœmentis redactum pro nova fabrica applicandi, &, ut totus ſitus ſub pleno Dominio, & libera noſtra, & noſtræ Cameræ diſpoſitione ſit, & maneat; ut de omnibus, & ſingulis punctis prædictis publicum Inſtrumentum, cum clauſulis, obligationibus, & cautelis, quas neceſſarias, & opportunas judicabis, formes. Decernentes, quod præſens Chirographum valeat, & plenum ſortiatur effectum, etiamsì non inſeratur Cameræ regiſtris, vel ejuſdem libris, & quod ullo unquam tempore obreptionis, ſubreptionis, vel defectus noſtræ intentionis vitio poſſit notari: non obſtantibus Bulla Pii IV. Noſtri Prædeceſſoris *de regiſtrandis*, Conſtitutionibus Simmaci, Pauli II. Pii IV. Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, & quibuſvis aliis ordinationibus Apoſtolicis, uſibus, conſuetudinibus, omnique alio in contrarium faciente, quibus omnibus, eorum tenores per præſentes pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat derogamus. Datum in Noſtro Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis hoc die 23. Auguſti 1656.

Alexander Papa VII.

N O T A

Vigore præcenſiti Chirographi, & in ejus executionem Illuſtriſſimus D. Theſaurarius Generalis modum, & leges præſcripſit ſequenti Inſtrumento.

IN NOMINE DOMINI Amen &c. Præſenti publico Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter; & ſit notum, quod anno â Nativitate D. N. J. Chriſti milleſimo, ſexenteſimo quinquageſimo ſexto, indictione nona, die verò ſecunda menſis Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno ejus ſecundo.

IN mei Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Notarii infraſcripti, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc omnia, & ſingula vocatorum, habitorum ſpecialiter, atque rogatorum præſentia præſens, & perſonaliter exiſtens Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Jacobus Franſonus, Protonotarius Apoſtolicus, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Theſaurarius, cui nuper ex parte ejuſdem Sanctiſſimi præſentatum extitit Chirographum manu Sanctitatis ſuæ ſignatum tenoris infraſcripti videlicet: Exponi Nobis fecerunt. *Reliqua uti ſupra.*

In executionem, & vigore præinſerti chirographi, ac juxta illius formam, continentiam, & tenorem ejuſdem Sanctiſſimi, & dictæ Rev. Cameræ Apoſtolicæ nomine, ac aliàs omni alio meliore modo ſponte &c. dedit, atque conceſſit &c. ac titulo Donationis Irrevocabilis, perpetuò valituræ, quæ ſit, & fieri dicitur inter vivos, donavit RR. P. P. Capucinis Provinciæ Marchiæ, licet abſentibus, me Notario &c. pro eis ſtipulante &c. nonnullas domos ad uſum Remiſſarum ad dictam Reverendam Cameram Apoſtolicam, ſpectantes, poſitas intus Civitatem Piſauri in loco prope Portam Collinam nuncupatam juxta ſuos fines &c. unà cum earum ſitu ad effectum inibi ædificandi, & conſtruendi novam Conventum, ſeu Monaſterium, & Eccleſiam, de quibus in præinſerto Chirographo ad habendum cum Declarationibus, & conditionibus tamen infraſcriptis, & non alias &c., ponens &c., conſtituens &c., dans &c., & donec &c., conſtituit &c.

Hujuſ-

Hujuſmodi autem conceſſionem, & donationem dictus illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Theſaurarius Generalis dicto nomine fecit, & facere dixit &c. declaravit erga dictos RR. PP. Capucinos dictæ Provinciæ Marchiæ abſentes &c., me eodem Notario &c., ut ſupra, pro eis ſtipulante, pro ulteriore executione, & adimpletione præſentis Chirographi, & quia idem Sanctiſſimus D. N. ſic juſſit, voluit, & mandavit, at cum declarationibus, & conditionibus infraſcriptis, & non aliàs &c. videlicet.

Quod fabrica ejuſdem Conventûs debeat fieri versùs Corpus Civitatis in loco, in quo ſunt, & exiſtunt dictæ Remiſſæ, ac in parte remotiori à mœniis ejuſdem Civitatis, ac eorum Terræpleno, ſeu Acerato.

Item, quod hortus dicti novi Conventûs, qui fiet verſus dicta mœnia, diſtet debito intervallo, ab eodem Terræpleno, & fiat cum interventu Præfecti, ſeu Magiſtri Militum in dicta Provincia, & habitâ prius illius approbatione in calce delineationis dicti Conventûs, & Viridarii, & tranſmiſsâ prius delineatione ipſius ad Urbem, ad effectum inſerendi in præſenti inſtrumento, ita, & taliter, quod ibi poſsint exerceri omnes functiones Militares tam pedeſtres, quàm Equeſtres cum conductione tormentorum Bellicorum abſque ullo impedimento.

Et inſuper iidem RR Patres priùs, quam dictum hortum circumdent muro, teneantur ab eodem Sanctiſsimo D. N. impetrare particularem licentiam.

Ac aliàs in omnibus, & per omnia juxta formam, continentiam, & tenorem præinſerti Chirographi, & non aliàs &c. conditione etiam adjacente, quòd iidem RR. PP. Capucini mediante eorum particulari Procuratore teneantur, & obligati ſint quolibet anno in Vigilia, ſeu feſtivitate BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum in plena Camera Apoſtolica comparere, & ibi Sanctum Nomen Jeſu in cognitionem præſentis conceſſionis invocare.

Præterea fuit ſpecialiter declaratum, quod Conventus, & Eccleſia, aliaque ædificia poſita extra dictam Civitatem Piſauri, in quibus uſque adhuc ipſi Regulares habitârunt, deſtruantur, ad effectum, ut poſsint uti cœmentis pro nova fabrica facienda, & quod totus ſitus cum hortis remaneat, & ſit ſub pleno Dominio, ac ad liberam diſpoſitionem ejuſdem Sanctiſsimi D. N. & prædictæ R. Cameræ Apoſtolicæ, ac aliàs in omnibus, & per omnia, prout in eodem præinſerto Chirographo continetur, & non aliàs &c. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſsis petitum fuit à Me, eodem Notario infraſcripto, ut unum, vel plura publicum ſeu publica conficerem, atque traderem inſtrumentum, & inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſitus ero.

Actum Romæ in Palatio ſolitæ Reſidentiæ dicti Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Domini Theſaurarii Generalis præſentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus DD. Joſepho Belforte, filio D. Jacobi Camerin. & Urbano Herculano, filio quondam Proſperi, Romano, Teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Dominicus de Nicolis R.C.A. Notarius, de præmiſsis rogatus, præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi requiſitus.

L. Signi Tabellionatus Notarii prædicti.

ITERATO CHIROGRAPHO

Gratiam conceſſam, non obſtante RR. Clericorum Regularium Minorum S. Caroli nuncupat. oppoſitione, executioni dari jubetur.

Præſul Franſone, Noſter Theſaurarie Generalis.

CONceſſimus Patribus Capucinis Noſtræ Provinciæ Marchiæ, altero Noſtro Chirograℎo, Tibi ſub 23. Auguſti proximè elapſi inſcripto, aliquot Ædes pro Remiſſarum uſu, in Civitate Piſaurenſi ſitas, ad effectum Eccleſiam, & Monaſterium ibi ædificandi, & illuc transferendi eorum Religioſos, in Conventu S. Bartholomæi extra dictæ Civitatis muros ſituato habitantes, ubi, ob aëris intemperiem, & alia incommoda diſcedere coguntur, cum conditionibus, modo, & forma, in dicto Chirograho, ad quem in omnibus, & per omnia relationem, & attentionem haberi volumus, contentis. Cum autem poſtea Nobis fuerit expoſitum, quod gratia Noſtra, uſque adhuc, effectum ſortita non ſit, ob impedimentum Clericorum Regularium Minorum, in illa Civitate Sancti Caroli vocatorum, qui Clementis VIII. Gregori XV. Urbani VIII. & forſitan aliorum Noſtrorum Prædeceſſorum Conſtitutiones, aliaque Decreta, & Diſpoſitiones de erectione, & ædificiis Monaſteriorum emanatas obſtare prætendunt, & ideo etiam coram Illuſtriſſimo Auditore Cameræ, & forſan aliis Judicibus litem, hucuſque indeciſam moverunt. Nos reflectentes, quod Monaſterium à Capucinis præfatis ædificandum, alteri veteri, extra dictæ Civitatis mœnia collocato, quod deſerere debent, ſubſtitui debeat, aliæque juſtæ cauſæ gratiam Capucinis præſtandi concurrant, Motu Noſtro proprio, ex certa ſcientia, ac plenitudine poteſtatis prædictarum Conſtitutionum, aliarumque Diſpoſitionum tenorem, ſtatum, & merita litis, hujus Judices, & Conlitigantes, circumſtantias, omniaque alia, quâcumque ſpeciali mentione digna, hîc pro

ſufficienter expreſſis habentes, ad Nos memoratam litem avocamus, & ſic avocatam ſupprimimus, ac extinguimus, prænuntiatis Clericis Minoribus perpetum ſilentium imponentes, ac Tibi ordinantes, quatenus præfatis Capucinis des, & concedas, ſicut Nos damus, & concedimus, plenam licentiam erigendi, & ædificandi prædictum novum Monaſterium, & Eccleſiam, ac omnia ea faciendi, quæ pro hac occaſione, & cauſa, ad eorum uſum, & commodum utilia, & neceſſaria judicaverint, oppoſitione prædictorum Clericorum Minorum, aut quorumvis aliorum Regularium non obſtante, ſuper quo vel Inſtrumentum, vel Literas Patentes, ad Capucinorum beneplacitum expedies. Volentes, quod præſens Noſtrum Chirographum, cum ſola Noſtra ſubſcriptione valeat, ſuumque plenum vigorem, effectum, & executionem ſortiatur, etiamſi Cameræ Regiſtris, aliiſque hujus libris non inſeratur, & enuntiati Clerici Minores, vel quicumque alii, quocumque modo intereſſe habentes, vel habere prætendentes, non fuerint vocati, aut auditi, & nunquam obreptionis, vel ſubreptionis vitio, aut Noſtræ intentionis defectu, aut nullitate, ex quocumque motivo notari poſſit. Sicque, & non aliter judicari volumus per quoſcumque Judices Ordinarios, Noſtræ Cameræ Delegatos, Rotam, Cardinales, etiam Legatos à latere, ac eorum Congregationes, ſublata eis omni interpretandi, aut aliter judicandi facultate. Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his judicatum fuerit. Non obſtantibus Bullâ Pii IV. Noſtri Prædeceſſoris de regiſtrandis, & prædictis Conſtitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. Urbani VIII. & quorumcumque Romanorum Pontificum, de novorum Monaſteriorum erectione, & qualibet alia diſpoſitione, etiam vel in Synodo particulari, vel generali facta, & quacumque alia Bulla, Decretis, Declarationibus, & Diſpoſitionibus, etiamſi Decreta, & clauſulas derogatoriarum derogatorias, etiam in futurum haberent, ac Regula Noſtra, *de jure quæſito non tollendo*, uſu, ſtylo, & conſuetudinibus, omnique alia re in contrarium faciente, quibus omnibus, illorum tenores hîc pro expreſſis habentes, hâc vice duntaxat derogamus. Datum in Noſtro Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, hac die 4. Decembris *1656.*

Alexander Papa VII.

N O T A.

Tenorem Chirographi, priorem gratiam confirmantis, Illuſtriſſimus Dominus Theſaurarius Generalis executioni dedit Decreto, ſeu Diplomate ſequenti:

Jacobus Franſonus, Prothonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Dom. N. Referendarius, ac ejuſdem Sanctiſſimi, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius Generalis. Dilectis Nobis in Chriſto Reverendis Patribus Capucinis Provinciæ Marchiæ, ſalutem in Domino.

CUM nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, Alexander Divina Providentia Papa VII. Vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequendo, infraſcriptum, Suæ Sanctitatis manu ſignatum Chirographum ad Nos direxerit, & præſentari fecerit hujuſmodi ſub tenore, videlicet: Conceſſimus, *uti ſupra. Nos Mandata ejuſdem Sanctiſſimi, ut tenemur, & decet, exequi, ac debitæ executioni demandare, Vobiſque etiam ſpecialem gratiam facere volentes, inhærendo conceſſioni, aliàs Vobis ad effectum infraſcriptum, vigore ejuſdem Sanctiſſimi Chirographi factæ. Auctoritate igitur noſtri Theſaurariatûs officii, ac in executionem, & vigore præinſerti Chirographi, ac juxta illius continentiam, formam, & tenorem, Vobis erigendi, & fabricandi novum Monaſterium, & Eccleſiam in Civitate Piſauri, de quibus in dicto præinſerto Chirographo, ac aliàs &c. pro uſu, & commoditate veſtris, utilia, & neceſſaria Vobis beneviſa faciendi licentiam, facultatem, & auctoritatem, juxta continentiam, & tenorem dicti præinſerti Chirographi in omnibus, & per omnia concedimus, & impartimur. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ne ſub arbitrii noſtri pœnis, Vos in præmiſſis quomodolibet moleſtent, vel perturbent, non obſtantibus omnibus iis, quæ idem Sanctiſſimus Dominus Noſter, in dicto ejus præinſerto Chirographo voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*

In quorum fidem Datum Romæ ex ædibus noſtris hac die 5. Decembris 1656.

J. Franſonus Theſaurarius.

Dominicus de Nicolis.

CHI-

CHIROGRAPHO TERTIO

Gratia circa Domum Piſaurenſem jam aliàs facta, ampliatur.

Præſul Franſone, Noſter Theſaurarie Generalis.

JAM quidem Patribus Capucinis Provinciæ Marchiæ conceſſimus aliquot Domos pro Remiſſarum uſu, in Civitate Piſauri ſitas, ad effectum, ibi Eccleſiam, & Monaſterium ædificandi, & eorum Religioſos, in Monaſterio S. Bartholomæi, extra dictæ Civitatis mœnia ſituato habitantes, & inde ob aëris intemperiem, aliaque incommoda diſcedere coactos, illuc transferendi, uti in Chirographis ad Te de hujuſmodi conceſſione directis, & ſub XXIII. Auguſti, & IV. Decembris MDCLVI. emanatis, pleniùs continetur. Cum autem in illo ordinaretur, quod prædicta fabrica in parte à mœniis, & eorum Aceratum remotiore conſtrui deberet, ita quidem, ut ibi omnes functiones militares, tam pedeſtres, quàm equeſtres, cum tormentorum bellicorum conductione, ſine ullo earum impedimento peragi poſſent, & inſuper cum conditione, ut, antequam hortus muro cingeretur, ſpecialis deſuper licentia à Nobis expeteretur. Ex eo tamen, quod poſtea Nobis à prædictis Patribus fuerit expoſitum, iis opportuniùs fore, ſi murus clauſuræ uſque ad memoratæ Civitatis Aceratum, & mœnia ex utraque parte extenderetur, uti in idæa cum literis A. B. & C. D. ſignata apparet, cum hocce modo ſubjectio, quam in dicta, omnique hominum generi expoſita via ambulantes, Religioſis eorum exercitiis ingererent, evitaretur, & ex alia parte militum neceſſitati aptè provideri poſſet, ſi 35. pedum ſpatium, cancellis claudendum, quorum claves à Gubernatore Militiæ pro tempore cuſtodirentur, relinqueretur, & intra hæc ſeps, uti lit. E. videtur, diſtans à muro 35. pedibus, plantaretur; ac Patres præfati onus clathros, & Aceratum Murorum manutenendi onus in ſe ſuſciperent, Noſque ad omnem gratiam, & favorem prædictis Patribus exhibendum inclinemur, proinde Motu proprio, ex certa ſcientia, & noſtræ poteſtatis plenitudine, Tibi ordinamus, ut enuntiatis Patribus murum clauſuræ uſque ad dictum Aceratum, & mœnia Civitatis extendendi, & ſepem, modo, forma, uti lit. E. videtur, plantandi facultatem impartiaris. Et conſequenter fiant cancelli, quorum claves Gubernator armorum pro tempore, aut alius à Capitaneo Generali Statûs noſtri Eccleſiaſtici deputatus, cuſtodiat, & Patres onus mentionatum Aceratum conſervandi in ſe ſuſcipiant, Dantes Tibi ad hoc omnem facultatem neceſſariam, & opportunam hoc executioni mandandi, & publicum Inſtrumentum ſuper omnia, & ſingula prædicta conficiendi. Derogantes in hac parte, quantum opus fuerit, dicto Chirographo, ſub 23. Auguſti 1656. emanato, omnique alteri Legi, Statutis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, prohibendo, ne juxta Civitatis mœnia ædificetur. Volentes, & Decernentes, quod præſens noſtrum Chirographum ſuum vigorem, & effectum ſortiatur, etiamſi in Camera, ejuſque libris non ſit regiſtratum. Non obſtantibus Conſtitutione, Pii IV. noſtri Prædeceſſoris, *de Regiſtrandis*, omnique alio uſu, ſtylo, & conſuetudine in contrarium facientibus, quibus omnibus, hâc vice, & ad hunc effectum derogamus.

Datum in Noſtro Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis die 26. Junii 1659.

Alexander Papa VII.

Autog. omnia in lingua vernacula in Arch. Conventûs.

Provinciam ob ſuam vaſtitatem in duas dividi concedit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis divinitus paſtoralis officii ratio poſtulat, ut paternam Religioſorum Virorum, ſuave Chriſti jugum ſub arctioris vitę inſtituto laudabiliter portantium, curam gerentes, felici, proſperoque illorum regimini, & gubernio, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere jugiter ſtudeamus. Expoſuit ſiquidem Nobis nuper Dilectus Filius Noſter Nicolaus, S.R.E. Diaconus Cardinalis Acciajolus nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, quod, cum Provinciæ Bononiæ, & Marchiæ dicti Ordinis propter multitudinem Conventuum, & amplitudinem circuitus utriuſque illarum, aliaſque difficultates, quæ in dies inſurguut, vix poſſint à ſuis reſpective Miniſtris Provincialibus bis quotannis totæ, ſicut Conſtitutiones Ordinis præfati præſcribunt, & ſpiritualis Religioſorum utilitas exigit, viſitari: ipſe Nicolaus Cardinalis, & Protector, de Statu Provinciarum hujuſmodi, ex Superiorum, aliorumque Fratrum qualificatorum ejuſdem Ordinis relationibus edoctus, recto earumdem Provinciarum gubernio, Regulariſque

riſque Obſervantiæ in eis conſervationi plurimùm conducibile fore exiſtimat, ſi utraque illarum in duas dividatur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ejuſmodi Provinciarum diviſiones, abſque ſpeciali Noſtro, & hujus Sanctæ Sedis Indulto fieri nequeant; Nobis propterea dictus Nicolaus Cardinalis, & Protector humiliter ſupplicavit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Nicolai Cardinalis, & Protectoris votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Nicolao Cardinali, & Protectori, ac Dilecto Filio Miniſtro Generali dicti Ordinis, ut ipſi per ſe ipſos, vel per aliquos Fratres expreſsè Profeſſos Ordinis prædicti, quos ad id cenſuerint delegandos, utramque ex Provinciis Bononiæ, & Marchiæ prædictis in duas dividere, ac quoſcumque Fratres cujuslibet ex Provinciis hujuſmodi reſpectivè ad concurſum paſſivum ad Definitoratum in Capitulo dicti Ordinis proximè celebrando, prout ſecundùm Deum expedire eis videbitur, pro hac vice tantùm, habilitare, necnon, ſive in actu diviſionis hujuſmodi, ſive poſtea ſecundùm temporis exigentiam, auctoritate noſtra Apoſtolica ſegregare ab iiſdem Provinciis, & aggregare aliis contiguis, ac etiam ſegregare à Provinciis contiguis Ordinis hujuſmodi, & aggregare illis Provinciis, quæ per diviſionem hujuſmodi noviter formabuntur, illos Conventus, quos ita reſpectivè ſegregari, & aggregari pro majori bono ejuſdem Ordinis expedire judicaverint, ac aliam quamcumque proviſionem, & diſpoſitionem circa diviſionem, formationem, & gubernium earumdem Provinciarum, quàm quælibet emergens cauſa requirere poſſet, ſecundùm datam ſibi à Domino prudentiam, & pro eorum arbitrio facere liberè, licitè, & validè poſſint, & valeant, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate Apoſtolica prædicta, tenore præſentium, concedimus, & impertimur. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Novembris MDCLXXVII. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

J. G. Sluſius:

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis Octobris, ſeu Novembris anni præd. fol. 15.

NOTA.

QUantumvis Breve hoc, etiam in novo Bullar. Rom. fol. mihi 34. literaliter extenſum, quoad diviſionem Provinciæ Bononienſis, uti infra videre erit, executioni datum fuerit, hanc tamen circa Provinciam Marchiæ impedivére varia motiva, quod pro tollendo omni errore adjunctum ſit.

EPISTOLA

Sacræ Congregationis Concilii.

Cadaver Perſonæ Secularis, quæ in noſtra Eccleſia Foro-Sempronii Sepulturam elegerat, ad hanc, non à Fratribus, ſed à loci Parocho ducendum eſſe, ſancitur.

A Tergo. *Reverendiſſimo Domino Fratri Epiſcopo Foroſempron.*

Intus verò. *Reverendiſſime Dòmine, uti Frater.*

NON patitur Chriſtiana pietas, ut propter Eccleſiaſticorum controverſias, debita Defunctorum Sepultura retardetur. Cum itaque Julia Herculani Vidua, iſtius Civitatis, conqueſta ſit, à pluribus abhinc menſibus, unici ipſius Filii Cadaver ſub Depoſito retineri, contendente Capitulo iſtius Cathedralis, Patres Capucinos, in quorum Eccleſia ille vivens ſepulturam elegerat, ire debere ad Cadaver levandum, ad quod cogi nequeunt, juxta Decreta, aliàs edita. Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales Concilii Interpretes,

tes, ad quos Sanctiſſimus Dominus Noſter reſcripſit, ut providerent; Amplitudini Tuæ ſcribendum cenſuerunt, quod facimus, quatenus, his acceptis, efficiat, ut Parochus cum ſua Cruce funus ducat ad dictam Eccleſiam Capucinorum, qui ſatis eſt, ut ad eorum Eccleſiæ portas expectent. Ita igitur Amplitudo Tua incunctanter exequatur, atque ad Sacram Congregationem paritionis documentum tranſmittat; Eique omnia proſpera precamur à Domino. Romæ 11. Martii *1679*.

Amplit. Tuæ

Uti Frater
F. Card. Columna Præfectus.

Steph. Brancatius Epiſc. Viterbien. Secret.

Exempl. Auth. in Arch. gener. Ord. Armar. Provincia Marchiæ.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Revocationem oneris, Fratribus S. Severini hebdomadatim ferculum, ſeu pietantiam 4. juliorum præſtandi, non ſubſiſtere declaratur.

S. Severini Præſtationis Ferculi.

Rectorem pro tempore Beneficii, ſeu Cappellæ SS. Severini, & Victorini ab eo erectæ, atque dotatæ Lucius Puccitellus de anno *1666*. gravavit onere præſtandi qualibet hebdomada Fratribus Capucinis ferculum, ſeu pietantiam valoris juliorum 4., ſed nuper dubitans, Fratres præfatos eſſe hujuſmodi relicti incapaces, illud revocavit, & ab ejuſmodi præſtatione Rectorem pro tempore abſolvit. Habito proinde recurſu ad hanc Sacram Congregationem, tum ipſius Fundatoris nomine, tum hodierni Rectoris pro obtinenda declaratione validitatis dictæ revocationis, auditi fuerunt Epiſcopus, & Procurator Generalis Ordinis, quorum primus retulit Fundatorem nonagenarium, & mente imbecillem fuiſſe à Rectore deceptum prætextu aſſertæ incapacitatis Capucinorum. Secundus verò cenſet, revocationem, ut ſupra factam, ſubſiſtere propter Fratrum incapacitatem, unde quæritur? An præfata revocatio ſubſtineatur?

Die VIII. *Julii* MDCLXXXIV. *S. Cong. Concilii cenſuit exhibendos eſſe actus impoſitionis oneris, acceptationis Epiſcopi, & revocationis.*

F. Card. Columna Præf.

A. Altoviti Secret.

Ex Reg. ſeu lib. 32. Sac. Congreg. præd. fol. 195.

Exhibitis autem Inſtrumentis impoſitionis oneris, & revocationis, & repopoſita cauſa eodem dubio: An revocatio facta à Pucitello ſuſtineatur?

Die XVIII. *Novembris* MDCLXXXIV. *eadem Sacra Congregatio reſpondit Negativè.*

Ex Reg., ſeu lib. 34. Decret. Cong. præd. fol. 391.

D E C R E T O.

Ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii.

Fratres Tolentini quartam funeralem ſolvere non teneri declaratur.

Tolentina.

IN Capucinorum Eccleſia ſepulturam elegit quondam Thomas Carlettus, & in ea ſine contradictione fuit tumulatus &c. Ideo Parochus quartam funeralem ſibi deberi à Capucinis, inſtitit, quibus tamen recuſantibus, tanquam Mendicantium privilegio innixis &c. Canonici Regulares literas pro informatione Epiſcopo directas obtinuerunt, qui refert in Civitate conſuetudinem vigere, quod omnes Regulares, etiam Mendicantes, Quartam ſolvant præter dictos Capucinos, qui ſemel & iterum juxta caſuum contingentias recuſant, proindeque Partibus informantibus dignentur EE. VV. decernere.

An dicti PP. Capucinis teneantur ſolvere quartam funeralem?

Die prima Martii 1692. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Sacrę Romanę Eccleſię Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, utraque parte informante, reſpondit negativè.

G. Card. Mareſciottus Pro-Præf.

R. Patt. Secret.

Ex Reg., ſeu lib. 42. Secret. præd. fol. 109. de quo Exempl. Authent. in Arch. Gen. Ord. Ar-

Armario Provinciæ Marchiæ *cum ſcriptu. ris ex utraque parte diſpenſatis*.

Privilegium Altaris in Capella Sanctiſſimi Crucifixi Domûs Civitatis Fanenſis, prius per Breve *ad perpetuam memoriam* expeditum ad Sacerdotes Ordinis, & ad unam feriam hebdomadæ reſtrictum, ad quoſcunque Sacerdotes, etiam Sæculares, & ad duas ferias qualibet hebdomadâ extendit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum felic. record. Paulus Papa V. Prædeceſſor noſter volens Eccleſiam novam Conventûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Fanenſis, ſimili eouſque privilegio minimè decoratam, & in ea ſitam Cappellam, ſub invocatione Sanctiſſimi Crucifixi, per tunc in humanis agentem Franciſcum Martinotium, dictæ Civitatis, erectam, & fundatam hoc ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate ſibi à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſus, ſupplicationibus quoque pro parte tunc pariter in humanis agentis Galeotti Uffreduci, ejuſdem Civitatis, Cubicularii ſecreti, ac Familiaris ſui, ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ut, quandocumque Sacerdos aliquis Ordinis prædicti tantùm, Miſſam Defunctorum in octo diebus Commemorationis eorundem Defunctorum, ac in ſingulis ſecundis feriis cujuslibet hebdomadæ pro Animâ cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraviſſet, ad prædictam Cappellam celebraſſet, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequeretur, ita, ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à purgatorii pœnis liberaretur, conceſſit, & indulſit, & aliàs, prout in ipſius Pauli, Prædeceſſoris noſtri deſuper in ſimili forma Brevis die 28. Septembris 1605. ad perpetuam rei memoriam expeditis plenius dicitur contineri. Nunc autem Nos Eccleſiam prædictam, in qua (ut accepimus) octo Miſſæ quotidie celebrantur, amplioris gratiæ prærogativa decorare volentes, ſupplicationibus etiam dilecti Filii Comitis Pauli Ubaldini Cubicularii noſtri, honoris nuncupati, Nobis &c. inclinati, privilegium prædictum ad Sacerdotes Ordinis ſupradicti reſtrictum, & pro ſingulis ſecundis feriis tantùm à memorato Paulo Prædeceſſore conceſſum, ut præfertur, ad alios quoſcumque Sacerdotes tàm Sæculares, quam cujuſvis Ordinis Regulares Miſſam ad Capellam prædictam celebraturos necnon ad aliam feriam qualibet hebdomadæ per Ordinarium loci deſignandam, ſervatâ tamen in reliquis prædictarum Pauli Prædeceſſoris Litterarum forma, & diſpoſitione, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus, & ampliamus. In contrarium facientibus &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die IV. Martii MDCXCV. Pontificatus Noſtri Anno IV.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. tom. 4. Diverſ. Innoc. XII. fol. 607., vel 601.

Paramenta, Ornamenta &c. Eccleſiæ Conventûs Terræ Montis Avium donata aut donanda, ex ea extrahi, aut commodari ſub cenſuris prohibet, & exemplar prohibitionis hujuſmodi in valvis Eccleſiæ, ſeu Sacriſtiæ, ſeu in alio conſpicuo loco affixum teneri jubet.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni ornamentorum, & paramentorum Eccleſiæ Conventûs Terræ Montis Avium, Fanen. Diœceſis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac dilectos Filios Guardianum & Fratres dicti Conventûs ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſeriè abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam quâvis auctoritate, ſuperioritate, vel officio fungens, vaſa, calices, candelabra, Cruces, lampades, planetas, tunicas, tapetes, & alia paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, tam ex auro, quàm argento, vel quavis alia materia confecta, ac ſup-

pellectilia ſacra quæcunque, tam hactenus per quoſcunque Chriſtifideles dictæ Eccleſiæ donata, & aſſignata, quam impoſterum forſan donanda, & aſſignanda, quibuſvis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, ſeu locis Piis, vel perſonis quibuſcunque commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, prætextu, cauſa, ratione, vel occaſione ex Eccleſia, & Conventu prædictis, ſeu illorum Sacriſtia extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, aut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat quovis modo, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ poenis, per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius ſacriſtiæ, aut alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VI. Junii MDCXCIX. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

J. F. Cardinalis Albanus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. & Anni præd. fol. 255.

Idem circa vaſa Argentea &c. â Maria Anna Hiſpaniarum Regina uſui Eccleſiæ Domûs Urbinatenſis donata prohibet & præcipit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii Guardianus, & Fratres Conventûs Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis noſtræ Urbinaten. Nobis nuper exponi fecerunt, Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Maria Anna, Hiſpaniarum Regina Catholica Vidua, Calicem argenteum, & quamdam Sphæram, ſeu Oſtenſorium itidem argenteum, pro exponendo fidelium adorationi Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, nec non alia paramenta, & ornamenta, ſeu ſupellectilia ſacra ad uſum Eccleſiæ dicti Conventûs donaverit; ipſi verò Exponentes illorum conſervationi, & manutenſioni opportunè, â Nobis conſuli plurimùm deſiderent: Nos eorumdem Exponentium votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabilitèr annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas, â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, ſive ſæcularis, ſive regularis, etiam quavis auctoritate, ſuperioritate, vel Officio fungens, Calicem, & Oſtenſorium argenteum, ac paramenta, & ornamenta, ſeu ſupellectilia ſacra, dictæ Eccleſiæ per præfatam Mariam Annam Reginam, ſicut præmittitur, donata, quibuſvis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, ſeu locis piis, vel perſonis quibuſcumque commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, prætextu, cauſa, ratione, vel occaſione ex Eccleſia, & Conventu prædictis, ſeu illorum Sacriſtia extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, aut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat quovis modo, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ poenis, per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius Sacriſtiæ, aut alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIX. Maii MDCCIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

F. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Conventûs prædicti.

DE-

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

In Cauſa Funeris, Cadaver ad Eccleſiam Domûs Civitatis Æſinæ ſine Fratrum aſſociatione tranſportari, & ratione Quartæ Funeralis à Reverendiſſimo Capitulo probationes interim coadjuvari jubetur.

Æſina Funerum.

POST obitum Dominici Capponii, qui in ejus poſtrema diſpoſitione demandaverat, ut ejus Cadaver aſportandum eſſet ad Eccleſiam Patrum Capucinorum, Civitatis Æſinæ, cum aſſociatione Parochi, & Sacriſtæ Cathedralis, necnon Confratribus S. Luciæ duntaxat, & in eadem Eccleſia tumulandum: Joannes Baptiſta, & Thomas de Colinis, dicti Dominici Hæredes, curarunt fieri aſportationem Cadaveris ad dictam Eccleſiam Patrum Capucinorum, ad normam Teſtamentariæ diſpoſitionis, cui tamen ſeſe oppoſuerunt Parochus, & Capitulum dictæ Cathedralis, prætendentes, quod Patres Capucini, etiamſi non vocati, accedere deberent ad eamdem Eccleſiam Cathedralem, pro levando Parocho, & unà cum iſto deinde procedere ad aſſociandum Corpus Defuncti, ad ipſorum Eccleſiam, & ulteriùs, quòd eidem Parocho ſolvenda eſſet quarta Funeralis. Quâ quidem controverſiâ ad Epiſcopum delatâ, iſte per modum proviſionis, & ſine præjudicio jurium Partium, ſepeliri juſſit dictum Cadaver in ipſamet Cathedrali, & totam ceram à Teſtatore relictam deponi penès Sacriſtam ejuſdem Capituli.

Poſt hæc verò recurrentibus ad Sacram Congregationem Hæredibus ſupradictis, datæ fuerunt ſolitæ literæ pro informatione eidem Epiſcopo, qui quoad aſſociationem Cadaverum ait, adeſſe quoddam Decretum Sacræ Congregationis Rituum, pro omnibus Regularibus illius Civitatis impreſſum in Synodo claræ mem. Cardinalis Petruccii, ſui Anteceſſoris, in quo habetur, quod Regulares accedere debeant ad Eccleſiam Cathedralem, ſeu Parochialem, non autem expectare per viam, aut recto tramite ire ad domum Defuncti. Quo verò ad quartam funeralem, aſſerit vigere in dicta Civitate conſuetudinem, eam exigendi, etiamſi Cadavera tumulentur in Eccleſiis Regularium Mendicantium, ut ex depoſitionibus ſex Teſtium, ab eodem Epiſcopo tranſmiſſis. Quibus omnibus attentis ad inſtantiam ſupradictorum de Colinis, infraſcripta dubia EE. VV. reſolvenda proponuntur:

Primò, an Cadaver quondam Dominici Capponii ſit tranſportandum ab Eccleſia Cathedrali ad Eccleſiam Patrum Capucinorum cum aſſociatione, vel ſine, eorumdem Patrum? Secundò, an Parocho dictæ Cathedralis debeatur quarta funeralis, in caſu &c.

Die 2. Decembris 1702. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, Ad primum reſpondit affirmativè quoad primam, negativè verò quoad ſecundam partem.*

Ad ſecundum diſtulit reſolutionem; & cenſuit coadjuvandas eſſe probationes ſuper conſuetudine allegata per Capitulum, aſſignato eidem termino trium menſium ad formiter probandum.

B.Card. Panciaticus Præfectus.

Locus + Sigilli.

J. D. Thomatus Epiſc. Cyren. S. C. C. Secr.

Ex Reg. ſeu lib. 52. *Congregat. menſ. & anni præd. fol.* 429.

DECRETO

Sacræ Congregat. Epiſcop. & Regular.

Cauſa quæſtuationis inter Provincias S. P. Franciſci, & Marchiæ ad Eminent. Cardinalem Protectorem remittitur.

IN Cauſa vertente &c. *Reſiduum Decreti, & alia, finem hujus cauſæ concernentia vide ſupra fol.* 150.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcopor. & Regul.

Monaſterium Monialium Civitatis Auximanæ cum Clauſura inſtitui, & erigi, & Fundatricem cum aliis Puellis ad id transferri, Ordinario loci committitur.

SAcra Congregatio Emorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium negot: & conſultat. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Vicarii Generalis Auximani, referente Emo de Abdua, cenſuit committendum, prout præ-

præſentis Decreti vigore benignè committit Ordinario ejuſdem Civitatis, ut veris exiſtentibus narratis, formalem Erectionem Monaſterii prædicti cum legitima Clauſura executioni demandet, ac in eamdem clauſuram Fundatricem, aliaſque Puellas, modò conviventes transferat, atque introducat, & ſuo tempore ad Profeſſionem, & reſpectivè ad Habitum, ſervatis ſervandis, admittat, juxta petita, & in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis præfati, circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum Sanctimonialium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur Romæ 14. Novembris 1710.

Gaſp. Card. Carpineus.

Ex Reg. Monialium Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

N O T A.

Non contentæ Sacræ prædicti Monaſterii Virgines communi illo vitæ rigore, quo Moniales Capucinæ ſpiritum Monaſticæ aſceſeos conſolidant, & cuſtodientes judicia Juſtitiæ expectant beatam ſpem, & Sponſi ſui adventum, ſibimetipſis præſcripſerunt vitæ rationem, verè in Deo abſconditæ, & mortificatæ: carnes enim, & lacticinia manducant nunquam: jejunant, Dominicis diebus exceptis, ſemper: ſecularium colloquia ita devitant, ut & Parentum ſuorum mors iis nunquam innoteſcat: mediâ nocte ad Divinorum carminum melodiam ſurgunt: Habitum portant noſtrate duriorem, ac rudiorem, ac in aliis auſteritatibus, uſque ad animalis hominis ſeſe exercent horrorem.

Hujuſmodi autem vitæ ratio fuit per Regulas, & Conſtitutiones ab Eminentiſſimo Domino Ferdinando Cardinale de Abdua, Viſitatore Apoſtolico, & Adminiſtratore Eccleſiæ Auximanæ approbata, ut ſequitur.

Dilectis in Chriſto Filiabus noſtris, Sororibus Novi Monaſterii Capucinarum hujus Civitatis, Salutem, & Benedictionem in Domino.

CUM vigore Decreti ſpecialis Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regul. ſub 20. *April.* 1708. *emanati, Nobis commiſſum, ſimulque neceſſaria fuerit delegata Facultas, reſpectivè Regulam, & Conſtitutiones, huic Monaſterio ſecundùm deſiderium, & vocationem piæ Fundatricis, & Veſtrûm, Devotæ Filiæ in Domino congregatæ, quæ de remotis Partibus, Duce Spiritu Sancto, Auximum ad novam Fundationem ſtabiliendam perveniſtis, convenientes præſcribendi, & approbandi, ac infraſcripta Regula, ab illa S. Claræ extracta, eidemque annexæ Conſtitutiones veſtro vivendi methodo magis accommodæ, ac cohærentes Nobis præſentatæ, itidemque à Nobis matura diligentia, & conſideratione, invocataque Divina aſſiſtentia fuerint recognitæ, ac, ubi expedire videbatur, ad gradum magis proprium reſtrictæ virtute, & in executionem ſupradictæ facultatis, illas approbavimus, & approbamus, eaſque Vobis, & Veſtris Poſteris, illa exactitudine, quæ celſitudini veſtræ Profeſſionis correſpondet, præſcribimus obſervandas. Vos igitur, Dilectæ Filiæ, amplexantes Inſtitutum adeo Sanctum, conſiderate, quod ſpectaculum Angelis, & Hominibus, potentiam divinæ gratiæ, ſexum debiliorem, ad fortium ſæculi confuſionem, ad ſublime cœli bravium ſeligentis, in Vobis admirantibus, factæ eſtis, dum, gravi vitæ pœnitentis, & continuæ abnegationis cruce mortificatæ oneri non ſuccumbentes, Evangelicæ perfectionis ſemitam, poſt veſtigia Jeſu Crucifixi curritis. Hic Veſter Sponſus, Dux, & Magiſter eſt, à quo vigorem quælibet gravamina ſuperandi, condignamque mercedem, & præmium ſperare debetis: Ipſe enim eſt, qui nos omni vero bono diteſcit: Ipſe eſt, qui in Nobis vincit, & ſua Nos coronat Miſericordia. Fidelis hujus Regulæ, & Conſtitutionum Obſervantia Vos ad beatam æternæ gloriæ metam perducit. Regula hæc Vobis eſt liber Vitæ, in quo quælibet litterali obſervantiæ (prout olim circa Regulam Veſtri glorioſi Patris S. Franciſci voce cœli ordinatum eſt) ſtudere debet, ut Divinæ retributionis, à Deo debita ſuæ vocationis perfectè ſervantibus promiſſæ, ſe dignam reddat. Quapropter expreſsè prohibemus, ne ullus, ſub quocumque titulo, aut prætextu, ſine expreſsâ Sanctæ Apoſtolicæ Sedis licentiâ alterare, mutare, aut aliter interpretari, addendo, vel minuendo præſumat, quod à Nobis in hiſce Conſtitutionibus, & Regula, iis accommodata, approbatur, & confirmatur, & hoc ſub pœnis, arbitrio Ordinarii pro tempore, cujus vigilantiæ perfectam horum executionem commendamus, infligendis. Injungimus præterea, & expreſsè omnibus, ad quos ſpectat, perpetuò exactam, & inalterabilem illorum obſervantiam præcipimus, hac mediante, Dilectiſſimæ Filiæ, Vos de vero bono in Cœlo aſſecuramus, quod & mediante veſtra oratione, pro Nobis ſperamus.*

Ferdinandus Cardinalis de Abdua.

Autogr. in Arch. Monaſterii.

Fr. Mi-

Fr. Michaëlem Angelum â Raguſio, Miniſtrum Generalem, Regi Catholico pro feliciore viſitationis ſucceſſu commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Philippo Hiſpanarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAternam benevolentiam noſtram præclaris virtutibus ſuis jampridiem ſibi quæſivit Dilectus Filius Michael Angelus â Raguſio, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Miniſter Generalis, qui propediem inſthuc proficiſci conſtituit, ut ea, qua par eſt, ejuſdem Ordinis rebus ſedula charitate proſpiciat. Non ambigimus, quin ipſe iiſdem præſtantibus dotibus, ac ſingulari in primis pietatis ſtudio, Majeſtatis etiam tuæ animum, in Sacros Ordines, ac Religioſos Viros ultra propenſum, ſibi facile conciliaturus ſit. Facere tamen pro noſtra in illum charitate non poſſumus, quin eum Tibi majorem in modum commendemus, atque teſtemur gratiſſima Nobis fore omnia, vel auctoritatis præſidia, vel humanitatis officia, quæ illi tribuere pro Regia benignitate tua dignaberis. Majeſtati Tuæ diuturnam ſolidamque felicitatem ex Animo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VI. Aprilis MDCCXV. &c.

Jo. Chriſtophorus Battellus Secret.

Autog. in Secret. Bev. ad Principes *Reg. Menſ.*, *& Anni præd. fol.* 117.

Item Reginæ.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Eliſabethæ Hiſpanarum Reginæ Catholicæ.

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvinæ Gloriæ amplificandæ ſtudium, & Religioſi ſui Ordinis Cœnobia inviſendi neceſſitas, iſthuc in præſentia vocant dilectum Filium Michaelem Angelum à Raguſio, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Miniſtrum Generalem, qui non ſine plurimarum virtutum comitatu, ac pietatis in primis, & prudentiæ laude conſpicuus, ejuſmodi iter aggreditur. Nos, qui paterno illum affectu complectimur, honorificum hoc benevolentiæ noſtræ teſtimonium ipſi adjungendum exiſtimavimus. Non tamen opus eſſe ducimus, ut eum Majeſtati Tuæ diligentius commendemus. Etenim ſtatim, ac præſtantes, quibus ornatur, animi dotes, in conſpectum ſe dederint, accuratæ commendationis apud Te officio functuras eſſe minimè dubitamus. Quare illud potius hac opportunitate teſtatum Tibi eſſe volumus, charitatis ſcilicet erga Te noſtræ magnitudini nullam fieri poſſe acceſſionem, aſſiduumque Pontificiæ ſollicitudinis votum eſſe felicitatem, & gloriam Majeſtatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VI. Aprilis MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Jo: Chriſtophorus Battellus Secret.

Autog. in Secret. Brevium ad Principes *Reg. Menſ.*, *& Anni præd. fol.* 119.

Ac Franciſco Cardinali de Judice.

Dilecto Filio Noſtro Franciſco Tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbytero Cardinali de Judice. nuncupato.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUI iter iſthuc proximè aggreditur dilectus Filius Michael Angelus à Raguſio, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Miniſter Generalis, viſitaturus pro ſui muneris ratione Cœnobia ejuſdem Ordinis, quæ in Hiſpaniis ſita ſunt, iis ornatur virtutibus, pietate in primis, atque prudentia ſingulari, ut à Te de ejuſmodi Viris benemereri non tantùm parato, ſed etiam cupido, omnia humanitatis officia polliceri ſibi meritò poſſit. Non tamen paſſi ſumus Religioſum Hominem, Nobis acceptiſſimum, ad Te adire abſque noſtris hiſce literis, quibus perſpectum Tibi eſſe volumus gratum admodum Nobis fore, ſi teſtari ille poterit, ubicunque opus fuerit, auctoritatis Tuæ patro-

patrocinium ſibi minimè defuiſſe. A bonorum omnium Largitore Deo fauſta interim cuncta tibi precamur, Dilecte Fili Noſter, cui paternæ noſtræ benevolentiæ argumentum, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die VI. Aprilis MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Jo: Chriſtophorus Battellus Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. Menſ.*, *& Anni præd. fol.* 120.

N O T A.

SYnopſim de Vita, & meritis hujus Viri vide Tom. I. fol. 152.

D E C R E T O

S. Cong. Epiſc., *& Regul.*

Quartam Funeralem â Fratribus loci Pergulæ Parocho non ſolvi, & econtra aliàs deſuper edita Decreta ſervari debere declaratur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſupplex InLat. trad. CApucini Conventûs Pergulæ humillimi Oratores exponunt, quod, poſtquam contra Parochum Ordinis S. Auguſtini, ê manibus alicujus Confratris Confraternitatis Stigmatum, occaſione cadaveris Filii Marchionis Herculani, ad Oratorum Eccleſiam pro ſepultura portati, intorticium ſub prætextu quartæ funeralis ſibi debitæ tollentem, ad EE. VV. recurſum ſumpſerunt, ſub 7. Februarii elapſi benignum obtinuerint Reſcriptum: *Epiſcopo pro Informatione, auditis &c.*, & ſub 29. Maii: *Epiſcopo, qui præfigat terminum partibus ad deducendum eorum jura.* Qui terminus jam ſub 6. Junii pariter elapſi præfixus eſt, uti apparet ex citatione, in publica forma facta, & hîc annexa, quin tamen Parochus voluerit comparere, præſertim cum nulla ratio motiva Quartam Funeralem ab Oratoribus prætendendi ei ſuffragetur, prout â S. Congregatione ſemper, & in ſpecie *in Tolentina Cadaverum* in eorundem Oratorum favorem ſub 1. Martii 1692. fuit deciſum. Quapropter ad EE. VV. recurrunt rogantes, quatenus ordinare dignentur, ut reſtituatur intorticium injuſtè ablatum, prout ex juſtificatione, pariter hîc injuncta liquet.

Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis Epiſc., *& Regul. præpoſita, audita relatione Epiſcopi Eugubini, ac attentis narratis cenſuit danda eſſe Decreta, aliàs deſuper edita, & ſignanter infraſcriptum ſub* 17. *Novembris* 1673. *nimirum:* Capucini; *Sacra &c: cenſuit Monaſteria, quamvis à quadraginta annis citra ædificata non teneri ad Quartam Funeralem Parochiali Eccleſiæ præſtandam, ſi ſint ejus Religionis, cui â Sede Apoſt. ante* 40. *annos indultum fuerit, ut hujuſmodi Quartam ſolvere non teneantur. Romæ* IV. *Septembris* MDCCXVI.

Ferd. Card. de Abdua.

L. S.

V. Archiep. Damaſc. Secret.

Copia Auth. in Arch. gen. Arm. Prov. Marchiæ.

D E C R E T O

S. Congreg. Epiſc., *& Regul.*

Parochum S. Martini Civitatis Firmanæ in aſſociatione Cadaverum, non poſſe Eccleſiam Fratrum cum Cruce elevata, & ſtola ingredi ſancitur, & concordiam Parochum inter & alios Regulares ibidem factam, Capucinos non afficere declaratur.

IN cauſa aſſociationis Cadaveris Lucæ de Salvatoribus ad Eccleſiam, tumulantem Patrum Capucinorum Civitatis Firmi, vertente inter Parochum S. Martini dictæ Civitatis, & eoſdem PP. Capucinos, & præſertim de, & ſuper ingreſſu in dicta Eccleſia facto ab eodem Parocho cum Cruce elevata, & ſtola, freto cuidam concordiæ initæ, uſque de anno 1606. inter ipſum, & Regulares ſupradictæ Civitatis.

Sacra &c. viſa relatione Archiepiſcopi Firmani, & relationibus hinc inde deductis maturè perpenſis referente Emo de Abdua, cenſuit, & declaravit, danda eſſe Decreta, aliàs deſuper edita, & ſignanter in una Albanen. funerum, inter Archiepiſcopum illius Cathedralis, & Obſervantes Reformatos S. Bernardini: Ad primum nempè: An liceat Archipresbytero, ſive ejus ſubſtituto in aſſociatione Cadaverum ingredi Eccleſiam PP. Reformatorum cum ſtola, & Cruce elevata, & intra illam dare ultimum vale: Sacra &c., die 30. *Aprilis* 1717.

Ad

Ad primum reſpondit negativè, & inſuper declaravit ſupradictam concordiam non afficere Patres Capucinos, Romæ XXVIII. *Januarii* MDCCXVIII.

I. D. Card. Paraccianus.

V. Archiep. Damaſc. Secret.

Ex Reg. Secret. Cong. Menſis, & Anni prędict.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Erectionem Sepulturæ in Sacello Eccleſiæ Domûs Mondavii ſeu Montis avium pro Pio Georgio, totaque ejus Familia ſuſtineri, & Quartam funeralem Parocho ibi non deberi declaratur.

Fanen. Sepulturæ, & Quartæ Funeralis.

ANno 1715. Pius Georgius poſt constructum in Eccleſia Patrum Capucinorum Sacellum, Sepulchrum, excavare fecit, in quo deinde ſepeliri curavit Cadaver Joannis Baptiſtæ Filii, in pupillari ætate defuncti, & ab hoc facto ortum habuit controverſia inter dictos PP. Capucinos, & Parochum Mondavii, intra cujus Parochiæ fines Conventus Capucinorum ſitus eſt, tum quoad Sepulturam, tum quoad quartam Funeralem.

Loquendo de Sepultura, Patres Capucini aſſerunt, eam fuiſſe factam â Pio Georgio pro ſe, & ſua Familia, nedum ipſorum accedente conſenſu, ſed etiam prævia licentia Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

Sermonem faciendo de Quarta funerali, ſuſtinent iidem, ſe eſſe exemptos ab ejus ſolutione: primò in ſequelam privilegiorum, quæ â Summis Pontificibus conceſſa ſunt Religioni S. Franciſci, cujus ipſi ſunt Filii juxta Bullam 54. Summi Pontificis Pauli V. Bullar. tom. 3. in qua, prævio hujus Sacræ Congregationis conſilio, decrevit, eoſdem eſſe verè Fratres Minores Sancti Franciſci, ejuſque Filios, & eorum Conſtitutiones eſſe Regulæ S. Franciſci conſentaneas: & ſecundò in ſequelam nonnullarum Reſolutionum hujus ejuſdem S. Congregationis, & ſignanter die 21. Maii 1678. uti habetur *lib.* 30. *Decretorum pag.* 76., & *pag.* 82.

Adversùs hæc, Parochus excipit obſtare Conſtitutiones Religionis humationi cadaverum in eorum Eccleſiis, & quod Sacræ Congregationis Epiſc., & Regul. licentia in hypotheſi præſenti, Patribus ſuffragari non poteſt, petente etenim Pio Georgio facultatem faciendi ſepulchrum in eorum Eccleſia pro ſe, ſuaque Familia, & inſinuante Procuratore Generali, quod id tantummodo concedi poterat ipſi, ſed non ejus Familiæ, Sacra Congregatio die 19. Julii 1715. reſpondit, *arbitrio Provincialis, & Definitorii*: quod Parochus prætendit importare tantummodo facultatem ſepulchri pro Georgio, ſed non pro ejus Familia, ne dicatur arbitrium Provinciali, & Definitorio fuiſſe conceſſum derogandi Conſtitutionibus Religionis.

Addit in eo, quod attinet ad Quartam, non poſſe PP. Capucinos ſuſtinere, ſe eſſe ab eadem exemptos, cum proprium exemptionis privilegium non afferant, munitum expreſsâ derogatione *Clementinæ dudum de ſepulchris*, quando in materia, de qua nunc agitur, communicatio privilegiorum non ſuffragatur, nec pariter ſuffragatur proprium privilegium, deſtitutum prædicta derogatione, uti reſolutum fuit ab hac S. Congregatione *in Aſten. Jurium Parochialium* 27. *Nov.* 1717., & 12. *Februarii* 1718. quodque notabilius eſt, cum idem Parochus aſſerat, ſe eſſe in centenaria, & immemorabili obſervantia exigendi Quartam Funeralem â Patribus Minoribus Conventualibus S. Franciſci, obſervantia hæc â fortiori dicenda erit militare adversùs PP. Capucinos.

Tandem Parochus diſtinguit inter Quartam Funeralem, & Quartam Sepulturæ, & contendit, quod, etiamſi Patres Capucini dici poſſent exempti â Quarta Funeralium, nunquam tamen inducta dici poſſet exemptio â Quarta Sepulturæ, cum hęc ſit illa portio pecuniæ, quæ ſolvitur ab hæredibus Defuncti proprio ejuſdem Parocho, cujuſque exemptio non tendit in Beneficium Eccleſiarum tumulantium, ſed in commodum prædictorum Defuncti Hæredum.

His Stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An erectio Sepulturæ ſuſtineatur pro Perſona tantùm Pii Georgii, vel potius pro tota ejus Familia in caſu &c., & quatenus affirmativè,*

II. *An debeatur Quarta Funeralis in caſu?*

Cum autem in Congregatione habita die 13. Auguſti 1718. nulla capta fuerit reſolutio, ſed duntaxat reſponſum: *dilata in omnibus, & coadjuventur probationes*; repropoſitâ causâ in Congregatione habita die 9. Maii 1719. fuit deciſum:

Ad Primum negativè, quoad primam partem, affirmativè quoad ſecundam.

Ad ſecundum negativè, & amplius non proponatur.

P. M. Card. Corradinus Præf.

P. de Lambertinis Secret.

Ex Theſauro Reſolut. Sacræ Cong. Concilii Tom. I. fol. 99., & 195., ac lib. 68. Secret. ejuſd. Cong. fol. 324. & lib. 69. fol. 223.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Petium terræ, partim ad Capellaniam S. Mariæ, partim ad Hoſpitale Petræ Rubeæ ſpectans, clauſuræ Domûs Fratrum ibidem includi, & aggregari indulgetur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Capucini Petræ Rubeæ Diœceſis Pennen. humillimi EE. VV. ſervi profundiſſimo cultu exponunt, qualiter ad impediendum, ne duo torrentes eorum Eccleſiam, & Conventum adaquent, unicum remedium eſſe exiſtiment, ſi quoddam ſolidæ, & incultæ terrę petium, muris Conventûs immediatè contiguum, cujus pars una ad Capellaniam S. Mariæ, altera verò ad Xenodochium Petræ Rubeæ ſpectat, clauſuræ includeretur. Unde EE VV. pro neceſſaria facultate, & permiſſione ſupplicant, cum Poſſeſſores ex motivo ſpecifico nullius exinde retracti, ſeu retrahendi fructûs plenum dederint conſenſum. Quod &c.

Sacra Congregatio Eminentiſsimorum, ac Reverendiſsimorum S. R. E. Cardinalium, negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attenta relatione P. Procuratoris Generalis benignè commiſit P. Provinciali, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo accedat conſenſus Poſſeſſorum dicti petii terrę, & contractus nomine Syndici Apoſtolici ipſius Conventûs fiat, petitam facultatem pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur. Romę XX. *Decembris* MDCCXX.

Card. Paraccianus.

V. Archiep. Damaſc. Secret.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Ob conſuetudinem in Civitate Piſauren. vigentem, medietatem ceræ, tam in Aſſociatione Cadaverum, quàm circa Cadaver in Eccleſia Fratrum accenſæ, Parocho ſolvendam eſſe ſancitur.

Piſauren.

Exortâ lite inter Patres Capucinos Civitatis Piſauri, & Capitulum Cathedralis, & Parochos Civitatis ſuper ſolutione Quartæ, quando Cadavera ſepeliuntur in Eccleſia dictorum Patrum, & ſuper puncto adigendi hæredes Defunctorum ad paranda funeralia juxta qualitatem, & gradum Perſonarum, poſt exquiſitam, & habitam Ordinarii informationem de menſe Septembris, proximè præteriti, bina dubia inter Summaria precum fuerunt diſputata. *Seſ. 23. c. 23. de Reform.*

Primùm, *an Patres Capucini teneantur tradere Parochis Quartam ceræ accenſæ in Aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & medietatem ceræ, & intorticiorum, quæ accenduntur circa Cadaver in eorum Eccleſia expoſitum?* & huic dubio fuit reſponſum, *Patres Capucinos teneri ad ſolvendum Parochis Quartam partem ceræ accenſæ in Aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & medietatem ceræ, & intorticiorum, quæ accenduntur circa Cadavera, quæ in eorum Eccleſia exponuntur ante humationem.*

Secundum, *an Parochi poſſint cogere Hæredes Defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem, & gradum Perſonarum?* & huic dubio fuit reſponſum, *ad Epiſcopum, qui auctoritate Sacræ Congregationis procedat, prout de jure.*

Impetratâque à Patribus Capucinis novâ audientiâ, diſputanda proponuntur dubia ad calcem reſtrictûs referenda.

Motivum reſolutionis præteritæ conſtitutum fuit in Conſtitutione VI. Sanctiſſimi Domini Noſtri, impreſſa poſt Concilium Romanum, in qua ſublatis omnibus privilegiis, aliàs Regularibus conceſſis, ſtatutum fuit, quod electâ à Parochianis alterius Parochiæ ſepulturâ in ipſorum Eccleſia ſolvatur Parocho Quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociatur, necnon omnium intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accenduntur, cum additione, quod, ubi

ubi conſuetudines legitimè probatæ, Conventiones, concordiæ, *vel* Statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illiſque pinguiorem prædictâ Quartâ Emolumentorum funeralium portionem aſſignarent, ea in his, in quibus vigent, locis, inconcuſsè ab omnibus obſervarentur; Cumque Epiſcopus in ſua informatione retulerit vigere in Civitate Piſaurenſi conſuetudinem, ſententiis etiam Judicum comprobatam, juxta quam non ſolùm Eccleſiæ Sæculares, ſed etiam Regulares ſolvunt Parocho abſque contradictione medietatem ceræ accenſæ in expoſitione circa Cadavera Defunctorum, quæ in ipſorum Eccleſiis ſepeliuntur, hinc factum eſt, quod Patres Capucini fuerunt condemnati ad ſolvendam Quartam partem ceræ accenſæ in Aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & ceræ, & intorticiorum medietatem, quæ accenduntur circa cadavera, quæ in eorum Eccleſia ante humationem exponuntur.

Celebris fuit in hac Sacra Congregatione anno proximè elapſo Cauſa Mantuana, cujus facti ſpecies eſt, quæ ſequitur:

Anno *1694.* Sacra hæc Congregatio reſolvit, quod Parochis Civitatis Mantuæ ſolveretur medietas omnium, quæ ratione funerum erogabantur, & reclamantibus Eccleſiis Secularibus, perſtitum fuit in deciſis anno ſequenti *1695.*

Poſt Eccleſias Sæculares inſurrexerunt Eccleſiæ Regulares, examinatiſque earum prætenſionibus, annis *1696. 1697.* & *1699.* reſponſum fuit, ſervandam eſſe conſuetudinem ſolvendi Quartam in medietate cereorum tantùm, quæ deferuntur per viam, ita, ut ab inde citra in Civitate Mantuana Eccleſiæ Sęculares ſolverint Parochis medietatem tam cereorum, quæ per viam, quàm aliorum, quæ circa Cadaver, & Caſtrum doloris accenduntur, ſed Eccleſiæ Regulares non perſolverunt niſi medietatem cereorum, quæ feruntur per viam.

Editâ ſupradictâ Sanctiſſimi D. N. Conſtitutione, inſtantibus Parocho Civitatis Mantuæ, ſub obtentu potiſſimum, quod in Conſtitutione demandatur obſervantia conſuetudinis, quæ magis Parochis faveret, diſputatum fuit die 25. Januarii 1727. dubium: *Quomodo, & in qua Summa liceat Parochis ſęcularibus exigere Quartam funeralem ab Eccleſiis Regularium in caſu?* & huic dubio die 8. Februarii ſubſequentis reſponſum fuit, *ſolvendam eſſe à Regularibus medietatem, tam cereorum, quæ deferuntur per viam, quàm aliorum, quę accenduntur in Eccleſia circa Cadavera, & Caſtrum doloris, & Altaria.* Sed impetrata à Regularibus nova audientia, diſputatoque die 24. Maji, *an eſſet ſtandum, vel recedendum à deciſis?* major pars ſuffragiorum fuit pro receſſu à deciſis, hoc eſt, quod Eccleſiæ Regulares ſolvere deberent medietatem cereorum, quæ per viam deferrebantur, & Quartam partem cereorum, & intorticiorum, quæ accenduntur in Eccleſia circa Cadavera, & Caſtrum doloris, & Altaria, ex quo videlicet Conſtitutio nihil aliud intendebat, quàm Quartæ ſolutionem, & præſervatio conſuetudinis, quæ eſſet Parochis magis favorabilis, non poterat ſibi locum vendicare in caſu, de quo agebatur, cum ea nunquam viguiſſet in Eccleſiis Regularium, quoad ſolutionem medietatis ceræ, quæ accendebatur circa Cadavera, & Caſtrum doloris, & Altaria, ſed cum ageretur de interpretatione Conſtitutionis editæ à Sanctiſſimo Domino Noſtro, adhuc feliciter vivente, reſponſum fuit: *ad Secretarium cum Sanctiſſimo juxta mentem*, quæ fuit, ut ipſe Sanctitati Suæ exponerem ſtatum controverſiæ, momenta rationum, & numerum ſuffragiorum; & factâ per Me Sanctiſſimo Domino Noſtro prædictorum omnium diſtincta, & clara expoſitione, Sanctitas Sua declaravit, mentem ſuam fuiſſe, quod ab Eccleſiis tumulantibus Parocho ſolveretur Quarta, quod perſiſterent conſuetudines, & concordiæ, in quibus pinguior portio Parochis aſſignabatur, uti contingit in Urbe, in qua portio, à Regularibus perſolvenda Parochialibus, Eccleſiis eſt ad medietatem redacta, uti latè firmant *Paſqualig. ad Lauret. de Franc. part. prima num. 29. Pignatel. conſult. 52. num. 9. tom. 1. Rota in Senogallien. Quartę funeralis 11. Januarii 1686. §. Denique coram bon. mem. Rondinino impreſſa apud Bertachin. vot.* 101. & ſe idcirco approbare ſenſum pluralitatis ſuffragiorum, quod medietas ceræ, quæ defertur per viam à Regularibus Mantuanis eſſet ſolvenda, cum in ordine ad eam conſuetudo jam eſſet introducta, & quartam tantùm partem ceræ, quæ accenditur circa Cadaver, & Caſtrum doloris, eſſe ab iiſdem Regularibus ſolvendam, cum nulla in hac parte Parochis conſuetudo faveret, & conſentaneè ad ſenſum Sanctitatis Suæ Decretum editum fuit in prædicta cauſa Mantuana, ex cujus ſerie, quæ ad rem, videntur inferri poſſe, alterum, Patres Capucinos non poſſe ſe eximere à ſolutione quartæ partis ceræ, quæ defertur in Aſſociatione Cadaverum in ipſorum Eccleſia ſepeliendorum, prout etiam ipſi ultro in ſuis Scripturis fatentur; alterum eſt, idem fortè judicium eſſe ferendum de quarta parte ceræ, & intorticiorum, quæ accenduntur circa Cadavera, quæ in eorum Eccleſia exponuntur ante humationem, & prætenſionem medietatis pendere à facto, à conſuetudine videlicèt, non ſolùm Eccleſiarum Sæcularium, ſed etiam Regularium eam ſolvendi, vel non ſolvendi.

Hæc quoad primum dubium: quoad ſecundum verò, Canonici, & Parochi Civitatis Piſauri inſtant pro ejus reſolutione, juxta firmata per *Rotam dec.* 22. *poſt Monacel. tom.* 4. unde ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere.

I. An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu?

II. An Parochi poſſint cogere Hęredes Defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem, & gradum Perſonarum, & reſpectivè, an ſit ſtandum, vel recedendum à Deciſis in caſu?

RESCRIPTUM.

Ad Primum in Deciſis.
Ad Secundum in Deciſis.

NOTA

Fratres ex ſecundæ partis, ſeu puncti deciſione, ob fundamentum, in quo hæc fundabatur, jus ſuum penitus non enervatum autumantes, pro nova ſupplicârunt audientia, in qua conceſſa, fuit cauſa repropoſita, & deciſa, ut ſequitur.

Piſauren. Quarta Funeralis.

ORta controverſia inter Patres Capucinos Civitatis Piſauri, & Capitulum Cathedralis, ac Parochos ejuſdem Civitatis ſuper ſolutione Quartæ funeralis, quando Cadavera ſepeliuntur in Eccleſiis dictorum Patrum, necnon ſuper puncto cogendi Hæredes Defunctorum ad paranda, & exponenda funeralia juxta qualitatem, & gradum Perſonarum, duo dubia diſputata fuerunt in Congregatione, habita die 20. *Septembris* 1727. *Primum nempe*, an Patres Capucini teneantur tradere Parochis Quartam ceræ accenſæ in Aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & medietatem ceræ, & intorticiorum, quæ accenduntur circa Cadaver, in eorum Eccleſia expoſitum? *& ſecundum*, an Parochi poſſint cogere Hæredes Defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem, & gradum Perſonarum? *Sacra Congregatio ſub dicta die ad primum reſpondit*, Patres Capucinos teneri ad ſolvendum Parochis Quartam partem ceræ accenſæ in Aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & medietatem ceræ, & intorticiorum, quæ accenduntur circa Cadavera, quæ in eorum Eccleſia exponuntur ante humationem. *Motivum quoad ſolutionem medietatis in eo ſtetit, quia in Civitate Piſauri adeſt conſuetudo, approbata etiam in judicio, per quam omnes Eccleſiæ tumulantes, tam Seculares, quam Regulares ſolvere tenentur prædictam medietatem ceræ accenſæ in expoſitione circa Cadavera Defunctorum, quaſque conſuetudines omnino ſervandas eſſe favore Parochorum diſponitur in Conſtitutione* 6. *Sanctiſſimi D. N. impreſſa poſt Concilium Romanum: ad Secundum verò reſpondit*: ad Epiſcopum, qui auctoritate Sacræ Congregationis procedat, prout de jure. *Et hujuſmodi reſolutio quoad utrumque dubium confirmata fuit in Congregatione die* 16. *Maji* 1728.

Conceſſa iterum nova audientia Patribus Capucinis, illi recedendum eſſe à deciſis hodie prætendunt, quoad ſecundam partem primi dubii, ſuper ſolutione ſcilicet medietatis ceræ accenſæ in expoſitione, ſub eo præcipuè fundamento, quod ſupradicta conſuetudo ſolvendi medietatem ceræ accenſæ in expoſitione Cadaverum, ortum habuerit ex privativa, quam ſibi competere aſſerebant Parochi, exponendi omnia Cadavera in eorum Eccleſiis Parochialibus, excluſivè ad Eccleſias tumulantes, quodque ſubinde uſus invaluerit exponere Cadavera in Eccleſiis tumulantibus, petitâ prius licentiâ à Parochis Defunctorum, & quod pro hujuſmodi licentia tradebatur Parochis libra una ceræ, & medietas totius ceræ, quæ accendebatur in expoſitione Cadaverum. Cumque in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium reſolutum fuerit ſub die 11. *Junii* 1728. Cadavera Defunctorum, qui elegerunt ſepulturam in Eccleſia Patrum Capucinorum, non eſſe prius exponenda in Eccleſia Parochiali, *non obſtante quacumque contraria conſuetudine petendi dictam licentiam; hinc deſumunt Patres Capucini, quod ſi hodie non amplius vigeat neceſſitas petendi præfatam licentiam, à qua oriebatur jus ſolvendi medietatem ceræ, nec etiam ſubſiſtere debeat illius effectus, conſuetudo ſcilicet ſolvendi medietatem ceræ, quæ accenditur in expoſitione Cadaverum.*

Super hoc novo facto dicenda, & ponderanda erunt, relatio Epiſcopi, quæ datur impreſſa in novo Summario eorumdem Patrum Capucinorum num. unico, *aliaque Jura circumferenda, quibus perpenſis, dignabuntur EE. VV. decernere:*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub diebus 20. Septembris 1727. & 16. Maji 1728.

Reſcriptum ſub die 14. *Maji* 1729.

In Deciſis, & amplius non proponatur.

C. Card. Origus Præf.

A. de Abbatibus Secret.

Reg. in Secret. S. Congreg. lib. 78. *fol.* 236. *& in Theſ. Reſolut. lib.* 4. *f.* 182. *&* 300.

PRO-

PROVINCIA BONONIENSIS.

E*X opere, & ſermone obtinuit hæc Provincia Anno Chriſtianæ Epochæ MDLIII. ſua auſpicia: opere quidem, quo Bononiam miſſi Fratres primò in S. Bartholomæi Hoſpitali operarium charitatis ſpiritum reddiderunt publicum, & poſtea in ædibus prope Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis* delle Lame *vocitatam, humilis modeſtæque vitæ ſtatum exornārunt: ſermone autem, dum enim eodem anno Fr. Angelus à Savona per tempus, ſecundo Dominico Adventui memoriale, in Metropolitana Sancti Petri Eccleſia, & per quadragintadiale jejunium in S. Petronii Eccleſia, de Evangelico ſuggeſtu liberiorem vitii curſum Apoſtolico caſtigabat zelo, Bononienſium affectum, ex viſo charitatis, & virtutis exemplo jam propenſum, ad Magiſtrale Decretum, Inſtituto noſtro Domicilium in ſuo celebri Italiæ Emporio erigendi, ex integro flexit: Conceſſus ad hoc fuit Situs, qui hodie Mons Calvarii audit, & 14. Septembris 1554. Crux Chriſti in Monte hoc, myſterioſo omine exaltata, & Pontificis manu Fabrica Cœlo fuit initiata.*

Munificentiâ Bononiæ plantante, ac Fratrum pietate rigante, Deus tale dedit incrementum, ut poſt modicam temporis intercapedinem exſurgeret Provincia ex Domibus in Statibus Bononiæ, & Lombardiæ, necnon in Ducatu Ferrariæ &c. conſtructis conſpicua.

Ex diviſione poſtmodum Lombardiæ concluſa fuit ad terminos anguſtiores, auguſtum tamen ſemper retinuit Regularis Obſervantiæ florem, protulitque tam in unionis, quam diviſionis Statu Viros, & Eccleſiæ Hierarchiæ, & Ordinis Imperio aptos.

I*n prima conſtitutum novimus Fr. Bonaventuram Barberinum à Ferraria, Tertium Patriæ Archiepiſcopum, Pontificii Solii Aſſiſtentem &c. cujus merita quidem Tomo primo fol. 195., & 196. tetigi, pro dignitate tamen, & voto non expreſſi.*

Generalem Ordinis Præfecturam (præter Reverendiſſimum Archiepiſcopum prædictum) adeptus eſt F. Jacobus à Foro Sarzinio, claro Æmiliæ loco, qui felici præſagio Ordini datus, ex vitæ innocentia, qua nituit, ex Angelico concentu, quem non ſemel audivit, ex imperio, quod in Dæmones exercuit, ex gratia curationum, Viſionum & Prophetiæ dono, quibus emicuit &c. Sanctitatis opinionem ſibi comparavit, & in Generalatûs munere teſte noſtro Arembergio (*) tanta prudentiæ laude, tamque præclaris vitæ exemplis excelluit, ut nominis immortalitatem &c. ſuâ virtute, ac rebus ſapientiſſimè geſtis adeptus fuerit.

(*) *Flor. Seraph. Tom. 1. fol. mihi 28.*

Paris gloriæ memoriam meretur, qui fuit paris officii Miniſter, Fr. Stephanus à Ceſena, de pervetuſta Comitum Claramontiorum Stirpe Oriundus, qui ſicut ſingulari ingenii acrimonia præcelluit, ita Flumen terreſtris Paradiſi, *quo Doctor Catalanus Ordinis Habitum impetiit,* aggere innocentiæ *potenter coercuit, & Boverium noſtrum contra calumnias, & criſin eruditâ apologiâ vindicavit.*

In

In F. Michaele Angelo ab Arimino, ex nobili Diotallevi Progenie, viſa fuit ea rerum agendarum prudentia, ut Ordo non ſolùm ipſum pro tractandis gravioribus negotiis ad diverſas Provincias Commiſſariâ auctoritate ablegaverit, verùm etiam Procuratoris Generalis munere honeſtaverit, ac P. Marcellinus Mantiſconenſis (*) præclara ejus geſta Poſteris effuſè commendaverit.

(*) Tom. 3. Anal. fol. mihi 578. §. 83.

Eandem Procuratoriam Provinciam in hodiedum Fr. Sigiſmundus à Ferraria, hujus Provinciæ bis Provincialis, ac olim Conſultor Generalis &c. ſerio labore, & ſtudio explet inexhauſto, juſtitia, & prudentia præſtans.

Definitorum Generalium Syllabo noſtris temporibus adſcriptum vidimus Fr. Joannem Franciſcum à Caſtro S. Petri, qui & cauſas Sanctorum Ordinis per plures annos digniſſima laude curavit.

Alios in virtute divites hujus Provinciæ Viros, qui poſtulat, Bononiæ ab Antonio de Paula Maſini perluſtratæ partem primam fol. mihi 28., *&* 319. *inſpiciat.*

Habet Provincia defacto Domos Fratrum XXVI.
Hoſpitia pro Itinerantibus XII.
Pro Quæſtuantibus IV.
Monaſteria Monialium Capuc. ſtrictè talium III.
Largè talium III.

Quotannis in Eccleſia Conventûs Veruchii pro Feſto S. Georgii, juxta inſtantias Communitatis ibidem, per miſſos Oratores expoſitas, Indulgentiam plenariam Chriſtifidelibus in perpetuum largitur.

GREGORIUS PAPA XIII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUnctorum Chriſtifidelium Animas Deo lucrifacere deſiderantes, ſingulos Fideles ad Sanctiſſima Dei Templa, quæ Domus Orationis exiſtunt, viſitanda, Indulgentiarum muneribus, & peccatorum remiſſionibus libenter invitamus, ut exinde ſuorum abolita macula delictorum, ſalutis æternæ præmia facilius conſequi mereantur. Ut igitur Eccleſia Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Terræ noſtræ Veruchii, Ariminenſis Diœceſis, in debita veneratione habeatur, ac Chriſtifideles ad eam libentius confluant, quo ex hoc dono Cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe uberiùs eſſe refectos. Precibus quoque dilectorum Filiorum Patritii Cupers, & Joannis Ambroſini, qui à Communitate dictæ Terræ Oratores ad Nos miſſi fuerunt, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, confeſſis, ac Sanctiſſima Communione refectis, qui Eccleſiam prædictam piorum elemoſynis, ut accepimus, fabricari ceptam, die Feſto Sancti Georgii de menſe Aprilis ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Sanctæque Matris Eccleſiæ tranquillitate, vel aliàs, prout unicuique ſuggeret devotio, ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Deo concedimus, & largimur, præſentibus perpetuò valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die X. Novembris MDLXXX. Pontificatus Noſtri Anno nono.

Cæſ. Glorierius.

Breve formatum in Archivo Conventus.

Altare Privilegiatum in eadem Eccleſia Fratribus ibi morantibus, pariter in perpetuum concedit.

GRE-

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti, inter tam multa pietatis officia, quæ Nos pro munere noſtro convenit exercere, ſacra interdum loca ſpeciali Privilegio inſignimus; ut inde Fidelium Animarum ſaluti amplius conſulatur. Quocirca, ut Eccleſia Domus S. Georgii, Oppidi Veruchuli, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Ariminenſis Diœceſis, ſimili uſque adhuc privilegio minimè decorata, & in ea Altare ſitum in Capella B. Mariæ Virginis, quod non eſt majus, hoc ſpeciali dono illuſtretur, Auctoritate Nobis à Domino tradita, concedimus; ut, quoties ab aliquo Sacerdote dictæ Domûs duntaxat, Miſſa Defunctorum ad prædictum Altare celebrabitur pro Anima cujuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de Theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus, à purgatorii pœnis liberetur. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, decimotertio Decembris, Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Cæſ. Glorierius.

Bulla form. in Arch. Conventus. Vide & de gratiæ hujus extenſione folium ſequens.

Venditionem horti ad Domum Dei nuncupatam ſpectantis, & ejuſdem donationem Conventui Forolivienſi, ratihabet.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Forolivienſi, ſeu Dilecto Filio ejus in Spiritualibus Vicario Generali.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecerunt dilecti Filii Deputati fabricæ Monaſterii, ſeu Domûs Fratrum Capucinorum Civitatis Forolivienſis, quod, cum aliàs quondam Nicolaus Solimbenius Forolivienſis in ejus ultimo teſtamento hæredem ſibi univerſalem Confraternitatem Charitatis ejuſdem Civitatis, cum onere emendi pro Fratribus Capucinis prædictis quemdam Hortum, ad Domum Dei nuncupatam ejuſdem Civitatis legitimè ſpectantem, eidem Domui Capucinorum contiguum, nec non quondam Petra Albizina de Urſis ſcuta ducenta in emptionem dicti horti pro iiſdem Fratribus convertenda reliquerint: Dilecti Filii Conſervatores, & Conſilium Generale, & Secretum dictæ Civitatis, ad quos, ut aſſeritur, Juſpatronatus, & adminiſtratio prædictæ Domus Dei, ex fundatione, vel aliàs ex antiquo uſu ſpectare dignoſcitur, commoditati dictorum Capucinorum proſpicere volentes, Hortum prædictum dictis Deputatis, ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito pretio ſcutorum auri quadringentorum ad rationem ſolidorum octuaginta quatuor pro quolibet ſcuto vendiderunt, quod pretium ad proximum Paſcha Reſurrectionis dicti Deputati ſolvere promiſerunt, prout in publico deſuper celebrato Inſtrumento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, venditio præfata in evidentem dictæ Domûs Dei utilitatem ceſſura ſit, & cedat, & tam Deputati, quàm Conſervatores, & Conſilium præfati pro ejus ſubſiſtentia firmiori cupiant venditionem hujuſmodi Apoſtolica Auctoritate confirmari, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Teſtamentorum, & Inſtrumenti prædictorum tenores, necnon horti prædicti ſituationes, confines, & verum etiam annuum valorem præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis per præſentes committimus, & mandamus, ut Vos, vel alter veſtrûm de præmiſſis Vos diligenter informetis, & ſi per informationem eandem, venditionem horti prædicti in evidentem Domus Dei præfatæ ceſſiſſe, & cedere utilitatem comperietis, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, venditionem prædictam, & deſuper celebratum inſtrumentum, omniaque in illo contenta, & inde ſecuta quæcumque, Apoſtolica Auctoritate perpetuò confirmetis, & approbetis, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ Confirmationis robur adjiciatis, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui ſint, ſupplentes, pretium verò dicti horti in emptionem aliorum bonorum ſtabilium converti curetis, & faciatis. Non obſtantibus præmiſſis, & felicis recordationis Pauli II., ac aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Domûs Dei, & Domûs

Ca-

Capucinorum, Ordiniſque illius, etiam juramento &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIII. Septembris MDXCV. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

Exemp. in Arch. Ordinis Armario Provincia Bononiæ.

Situm pro Fabrica Domûs, & Eccleſiæ prope Civitatem Ariminenſem in terris Emphiteuticis Monaſterii S. Gaudentii ibidem FF. concedi, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Ariminenſi, ſeu Dilecto Filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte Dilecti Filii Dionifii de Placentia Fratris Ordinis Capucinorum S. Franciſci, & Vicarii Bononiæ ejuſdem Ordinis, quod, cum prope Civitatem Ariminenſem nova Domus, & Eccleſia ejuſdem Ordinis neceſſariò conſtruenda ſit, nec locus aptior ad fabricandam Domum, & Eccleſiam hujuſmodi adſit, quam in Terris Emphiteuticis Monaſterii S.Gaudentii ejuſdem Civitatis, quas Terras dilectus Filius Joannes Franciſcus Gambalunga Laicus Ariminenſis in Emphiteuſim obtinet, cumque ipſe Jo. Franciſcus in eiſdem Terris ſitum ad fabricandam Domum, & Eccleſiam hujuſmodi cum horto, & aliis officinis neceſſariis, accedente tamen dilecti Filii Miniſtri Laurentii Preſbyteri Cardinalis Blanchetti nuncupati, ejuſdem Monaſterii ad præſens Commendatarii licentia, & conſenſu, concedere intendat, ſed quia ſitum prædictum in dictis Terris Emphiteuticis ſine Noſtra, & Apoſtolicæ Sedis licentia concedere non poteſt; Nobis pro parte dicti Dionifii humiliter ſupplicatum fuit, ut hujuſmodi licentiam concedere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Ordinis propagationi, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere cupientes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut de præmiſſis Te diligenter informes, & ſi dictus Jo: Franciſcus ſitum prædictum eiiſdem Fratribus gratis concedere voluerit, & prædictus Laurentius Cardinalis Commendatarius ſuum ad hoc conſenſum præſtiterit, eidem Jo: Franciſco ſitum prædictum dictis Fratribus concedendi, ipſiſque Fratribus Domum, & Eccleſiam in prædicto ſitu conſtruendi, & erigendi, licentiam auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Monaſterii S. Gaudentii, & Ordinis Capucinorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die VIII. Novembris MDCIV. Pontificatus Noſtri Anno decimotertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Autog. in Secret. Brevium Apoſt. Reg. Menſis, & Anni præd. fol. 538.

Privilegium Altaris in Eccleſia Conventûs Veruchii Fratribus inibi degentibus limitatè conceſſum, ad Fratres quoque advenas, & ibi tranſeuntes extendit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs, ſicut accepimus, fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor Noſter, Eccleſiam Monaſterii FF. Minorum Capucinorum Terræ Veruchii, Ariminenſis Diœceſis, & in ea quoddam Altare ſpeciali privilegio pro ſalute Animarum Fidelium Defunctorum decorare volens, auctoritate ſibi à Domino tradita conceſſit, ut, quoties ab aliquo Sacerdote ejuſdem Eccleſiæ duntaxat, Miſſa Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrâſſet, ad prædictum Altare celebraretur, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequeretur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis, ſibi ſuffagantibus, à Pur-

Purgatorii pœnis liberaretur, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut pro parte dilectorum Filiorum Procuratoris, & Fratrum dicti Monaſterii Nobis nuper expoſitum fuit, Fratres advenæ, & per dictam Terram tranſeuntes hujuſmodi privilegio frui non poſſint, cupiant propterea privilegium prædictum ad omnes Sacerdotes Capucinos, tam dicti Monaſterii, quam alios, ad dictam Terram pro tempore accedentes, per Nos extendi. Ideo pro eorundem Procuratoris, & FF. parte Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos eorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, privilegium pro Animabus Defunctorum per dictum Gregorium, ut præfertur, conceſſum, ad omnes tam dicti Monaſterii, quam aliorum ad dictam terram pro tempore accedentes Fratres Capucinos, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus, & ampliamus; ita ut impoſterum, quandocunque Sacerdos aliquis Capucinus, tam dicti Monaſterii, quàm aliorum pro tempore ad dictum Monaſterium accedens, Miſſam Defunctorum ad prædictum Altare pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sanctorumque omnium meritis, ſibi ſuffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIV. Novembris MDCIV. Pontificatus Noſtri Anno tertiodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Conventus. Vide ſupra fol. 222. primam hujus gratiæ conceſſionem.

Domum Sæcularem, Domui noſtræ Ferrariæ dominantem, vendi, ac canone ei annexo, aliter compenſato, deſtrui, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Ferrarien. ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs quondam Polidorus de Maranettis, in ſuo ultimo, quod condidit, Teſtamento, ſeu alia ejus voluntate, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, quandam Domum in Civitate Ferrarien., juxta ſuos notiſſimos fines ſitam vendi, & illius pretium in emptionem alterius rei ftuctiferæ collocari, ipſiuſque rei emptæ fructus pauperibus erogari mandavit, & ad hunc effectum eadem Domus ab Executoribus, ſeu Commiſſariis dicti Teſtamenti ad novennium locata fuit, prout in dicto Teſtamento, & Inſtrumento Locationis prædictæ pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, Domus prædicta, reſponſione annua, ſive Canone ſex Librarum monetæ illarum partium, in favorem Monaſterii Monialium Sanctæ Catharinæ dictæ Civitatis, ac præſtatione annua duodecim ſcutorum, ad commodum Dilecti Fili Vincentii Silone, Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Profeſſi, ejus vita durante, gravata ſit, illa verò loco, in quo nova Domus Fratrum Capucinorum conſtruenda eſt, ita dominetur, ut, niſi demoliatur, eorumdem Fratrum Domui Regulari conſtruendæ magno futura ſit incommodo, & propterea nonnulli pii Chriſtifideles ad hoc, ut illa demoliri poſſit, pro ſolutione reſponſionis, ſeu Canonis Librarum, & præſtatione prædictorum duodecim ſcutorum hujuſmodi, ſeſe obligare, & oneribus hujuſmodi Domum prædictam demoliendam liberare offerant, dictique Executores, ſeu Commiſſarii minimè reclament. Nobis idcirco dictus Procurator humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Procuratorem Generalem, & Fratres Minores Capucinos nuncupatos hujuſmodi, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam pro ſolutione onerum prædictorum Creditoribus idoneè fuerit cautum, Fratribus Minoribus Capucinis prædictis Do-

mum hujuſmodi de conſenſu Exequutorum Teſtamenti, ſeu voluntatis dicti Polidori, ex nunc, etiamſi illa ad novennium nondum elapſum, ut præfertur, locata reperiatur, Apoſtolica auctoritate concedas, & aſſignes, eamdemque demoliendi facultatem tribuas. Non obſtante voluntate dicti Polidori, quam, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XII. Januarii MDCXIII. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

Scipio Cobellutius.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 297. *Lege & in præſenti fol. literas incip.* Aliàs &c.

Annuum Legatum, à quondam Joanne Maria Rizzardo Domui Fratrum Ferrariæ relictum commutari, & in fabricam dictæ Domus converti, committit.

A Tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Ferrarien. ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi nuper Nobis fecit Dilectus Filius Syndicus Domûs Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Ferrarien. quod aliàs quondam Joannes Maria Rizzardi, in ultimo, quod condidit, & ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, Teſtamento, inter alia unum Modium Farinæ, vel tantum panis cocti, ac unum olei, & aliud ceræ penſa, menſuræ illarum partium Fratribus dictæ Domus reliquit, prout in dicto Teſtamento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Fratres Capucini Legatorum hujuſmodi incapaces exiſtant, fabrica verò dictæ Domus aliquo ſubventionis auxilio indigeat, Nos fabricæ prædictæ neceſſitatibus conſulere, ac aliàs in præmiſſis providere volentes, Fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut ſtantibus præmiſſis, tantum, quantum ſortem principalem dicti Legati æſtimaveris, Syndico prædicto ad effectum illud in fabricam dictæ Domûs omnino erogandi, Apoſtolica auctoritate noſtra conſignari cures, & facias, ac per conſignationem hujuſmodi, unica vice faciendam, voluntati dicti Joannis Mariæ ſatisfactum eſſe decernas, non obſtante voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon Domus, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die XVI. Julii MDCXIII, Pontificatus noſtri Anno nono.

Scipio Cobellutius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 337. *de quo Breve form. in Arch. Conventus.*

Alias Literas ſuas circa Domum Secularem, Domui noſtræ Ferrarienſi dominantem executioni dari, & primò dictam Domum, reclamatione unius Executoris Teſtamentarii non obſtante deſtrui, Epiſcopo &c. committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Ferrarien. ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Aliàs pro parte Dilecti Filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſito, quod quondam Polidorus de Maranettis, in ultimo per eum condito Teſtamento, quamdam Domum in Civitate Ferrarienſi, juxta ſuos notiſſimos fines ſitam vendi, & illius pretium in alterius rei fructiferæ emptionem collocari, ipſiuſque rei emptæ fructus pauperibus erogari mandaverat, & ad hunc effectum eadem Domus ab Executoribus, ſeu Commiſſariis dicti Teſtamenti ad novennium locata fuerat, & in eadem expoſitione ſubjuncto, Domum prædictam reſponſione annua, ſive Canone ſex Librarum monetæ illarum partium, in favorem Monaſterii Monialium Sanctæ Catharinæ dictæ Civitatis, ac præſtatione etiam annua duodecim ſcutorum, ad commodum Dilecti Filii Vincentii Silone, Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Profeſſi, ejus vita durante, gravatam eſſe, illam verò loco, in quo nova Domo

mus Fratrum Capucinorum conſtruenda erat, ita dominari, ut, niſi demoliretur, eorumdem Fratrum Domui Regulari conſtruendæ magno futura eſſet incommodo, & propterea nonnullos pios Chriſtifideles, ad hoc, ut illa demoliri poſſet, pro ſolutione Reſponſionis, ſeu Canonis Librarum, & præſtatione annua duodecim ſcutorum hujuſmodi ſeſe obligare, ac oneribus hujuſmodi Domum prædictam demoliendam liberare paratos eſſe, dictoſque Executores, ſeu Commiſſarios minimè reclamare: Nos dicti Procuratoris ſupplicationibus Nobis humiliter tunc porrectis inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per alias noſtra in ſimili forma Brevis expeditas literas commiſimus, & mandavimus, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam pro ſolutione onerum prædictorum Creditoribus idoneè cautum fuiſſet, Fratribus Capucinis hujuſmodi Domum prædictam de conſenſu Executorum Teſtamenti dicti Polidori, etſi illa tunc temporis ad novennium, nondum elapſum, locata eſſet, auctoritate noſtra concedas, & aſſignes, eamdemque demoliendi facultatem tribuas, & aliàs, prout in dictis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Procurator prædictus Nobis nuper exponi fecit, Tu ad executionem dictarum literarum, ex eo, quod unus ex duobus Executoribus Teſtamenti dicti Polidori præmiſſis conſentire noluit, non deveneris, Nos, ne Fratres Capucini prædicti literarum Noſtrarum hujuſmodi fruſtrarentur effectu, providere, illoſq; amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab Homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Supplicationibus dicti Procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter iterum porrectis inclinati, Eidem Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut ad executionem literarum Noſtrarum hujuſmodi, ſervata aliàs in omnibus earum forma, de conſenſu unius ex duobus Executoribus Teſtamentariis hujuſmodi, & altero eorum invito, & reclamante, eadem auctoritate noſtra procedas. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die VII. Februarii MDCXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

S. Cobellutius.

Autog. in Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Menſ. & Anni præd. fol. 191. de quo Breve formatum in Archivo Conventûs. Vide & ſupra fol. 225.

NOTA.

Cum huic Domui onus annuatim ſaccum grani Pauperibus dandi adhæreret, ab illo Pontificia Diſpenſatione per Epiſtolam, Epiſcopo ibi inſcriptam, & hîc ſubjungendam, fuit liberata.

Illuſtris, & Admodum Reverende Domine.

P*Rovincialis, & Fratres Capucini Provinciæ Bononienſis Sanctiſſimo Domino Noſtro ſupplicârunt, quatenus eos eximere dignetur ab obligatione ſolvendi annuatim pauperibus iſtius Civitatis Saccum grani juxta onus, cui ſubjecta erat Domus, cujus conductio pro ædificando ibi ipſorum Conventu fuit neceſſaria, & ratione cujus à Dominis Deputatis Domûs Pauperum dictæ Civitatis moleſtantur. Cumque Sanctiſſimus, præfatos Patres ipſam paupertatem eſſe, & ideo attentionis dignos meminiſſet, mihi, ut Dominationi Veſtræ ſcriberem, injunxit, quatenus provideat, ne memoratis Capucinis ex prædicti oneris motivo, nec de præterito, nec in futurum moleſtiæ inferantur, cum Sua Sanctitas eos in perpetuum liberos eſſe velit. Ita proin Dominatio Veſtra exequatur, & ego me Eidem toto conſecro animo.*

Romæ 29. Junii 1622.

Dom. Veſtræ

Affectuoſiſs. ad ſerviendum ſpiritualiter

F. Archiepiſcopus Volpius Epiſcopus Novariæ.

Exemp. in Arch. gen. Ord. Arm. Provincia Bononienſis.

DECRETO

Sacræ Congreg Epiſc. , & Regul.

Erectio Monaſterii Monialium Ceſenæ Ordinario committitur.

SAcra Congregatio erectionem petitam Illuſtriſſimi Ordinarii arbitrio committendam eſſe cenſuit, dummodo Hoſpitale, cui curæ erit de rebus neceſſariis Monaſterii, ac Monialibus hujuſmodi providendi, bona ſtabilia, vel redditus annuos certos omnino poſſideat, qui ſupportationi onerum Hoſpitalis, ac Monialium ſuſtentationi, Monaſteriique manutentioni ſatis ſint, illiuſque Adminiſtratorum ad id adſit obligatio. Et quoad exemptiones, privilegia, ac Indulta addatur clauſula, dummodo ſint in uſu, nec Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut Sacris Canonibus, vel Concilii Decretis repugnent Romæ XVII. Julii MDCXV.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſis, & Anni præd. fol. 91.

NOTA.

Statim â fundationis initio conceſſa fuit Virgineo huic Contubernio gratia Confeſſorii Extraordinarii ex noſtro Ordine, uti ex Sacræ Congregationis Epiſtola ſequente, & Ordinario loci inſcripta apparet.

Illuſtris, ac Reverendiſſime Domine uti Frater.

CVM Moniales Capucinæ illius Civitatis S. Congregationi pro Confeſſario Capucino quatuor vicibus per annum inſliterint, & P. Procurator Generalis Ordinis deſuper fuerit auditus, Illuſtriſſimi Domini mei ſtatuerunt, ut Amplit. Tua iis talem 2., vel 3. vicibus per annum juxta Sacrum Concilium Tridentinum concedat, ita tamen, ut prius juxta ejuſdem Concilii diſpoſitionem ab Amplit. Tua examinetur, & approbetur, accedatque Patris deputandi conſenſus, & non aliàs. Quod exequi poterit non obſtantibus literis á Gregorio XV., & Clemente VIII emanatis, aliiſque Conſtitutionibus Pontificiis, aut Ordinis in contrarium facientibus. Deus eam conſervet, Romæ XXVI. Januarii MDCXXIV.

Amplit. Tuæ.

Vti Frater

Cardinalis Bandinus.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſis, & Anni prædictorum.

Gratiam hanc continuatam, vel etiam poſt brevem interruptionem fuiſſe renovatam exhibent crebriora Sac. Congreg. Indulta, in Archivo Generali Ordinis Armario *Provincia Bononiæ*, cum aliis Decretis aſſervata.

Ut opportuna quotidiè S. Miſſam audiendi occaſio, quam paupertas nonnihil reſtringebat, aut reddebat rariorem, Monialibus non deeſſet, ſequente S. Congreg. Concilii Decreto Capellania perpetua cum onere Miſſæ quotidianæ de Eccleſia Parochiali de Buccaquatuor nuncupata, ad earum Eccleſiam translata eſt.

Cæſenaten.

Moniales Capucinæ Civitatis Cæſenaten. exponunt, quod in ſua Eccleſia una tantùm quotidiana celebratur, eaque ad breve tempus eſt duratura, quodque altiſſima maxime paupertate, qua laborant, non valent cum conſueta eleemoſyna Sacerdotes advocare, ad hoc, ut ſaltem binæ Miſſæ quotidianæ, quibus indigent, celebrentur, eiſque omnes Moniales qualibet die interſint.

Quare enixè rogant, ut ad ſuam Eccleſiam transferatur una Miſſa quotidiana, quæ ex fundatione Equitis Lælii de Lucatellis ſatisfacienda eſt in Eccleſia Parochiali Sanctæ Mariæ nuncupata de Buccaquatuor ejuſdem Civitatis.

Die 8. Auguſti 1722. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Epiſcopi Cæſenatenſis, benignè commiſit Eidem, ut veris exiſtentibus narratis, & accedente conſenſu tam Parochi dictæ Parochialis de Buccaquatuor, quam Patronorum, præfatam perpetuam Cappellaniam cum onere Miſſæ quotidianæ ad Ecclaſiam Monialium Oratricum pro ſuo arbitrio, & conſcientia gratis transferat.

Curtius Cardinalis Origus Præfectus.

P. de Lambertinis Secret.

Ex Reg., ſeu lib. 72. *Congreg. Menſ., & Anni præd. fol.* 377.

Præ-

Prætendente Parocho Duas Sorores, Monaſterio inſervientes, extra id tamen habitantes &c. Suæ juriſdictioni penitus eſſe ſubjectas, ad recurſum Monialium, à S. Congregatione Epiſc., & Regul. contra illum deciſum eſt, ut ſequitur:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Moniales Capucinæ Strictioris Obſervantiæ, ſub titulo Corporis Domini Ceſenæ, humillimæ Eminentiarum Veſtrarum Oratrices reverenter exponunt, à Parocho, in cujus Parochia morantur, prætendi, duas Sorores earum Monaſterio tam ratione quæſtuationis, quàm aliarum neceſſitatum inſervientes, & prope illud habitantes, Parochiali ſuæ juriſdictioni, tam pro præcepto Paſchatis, quàm articulo Mortis eſſe ſubjectas, non obſtante, quod Ordini ſint aggregatæ. Hinc ad EE. VV. recurrunt pro declaratione, quod à prædicta Parochiali juriſdictione non dependeant, ita quidem, ut adminiſtratio Sacramentorum, tam tempore Paſchatis, quàm ultimi agonis, ac jus Sepulturæ ad Oratricum Eccleſiam ſpectent, & quod earum Confeſſarius Ordinarius, pro Sacramento Pænitentiæ, dictis duabus Sororibus adminiſtrando, Sedem Confeſſionalem in dicta Oratricum Eccleſia publicè expoſitam retinere valeat, haud aliter, ac EE. VV. jam aliàs, & in ſpecie ad Capucinarum Forolivienſium favorem, uti hîc copialiter exhibetur, decreverunt. Quam &c. *Lib. Sup. in Lat. trad.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot., & Conſult. Epiſc., Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo D. Cardinali Gotti, Ponente, attenta relatione Epiſcopi Cæſenatenſis, ac re maturè perpensâ, cenſuit, ac decrevit in caſu, de quo agitur, danda, & obſervanda eſſe Decreta, aliàs ab eadem Sacra Congregatione emanata in Cauſa Forolivienſi inter Monaſterium, & Moniales Capucinas, ac Jo: Baptiſtam Luchinum Parochum S. Luciæ, ejuſdem Civitatis, ſub die 18. Auguſti 1719. ſub infraſcriptis dubiis, videlicet:

Primum: *An Miniſtratio Sacramentorum, tam tempore Paſchali, quàm in ultimis infirmitatibus, & jus Sepulturæ privativè ſpectet ad Parochum, quoad binas Sorores quæſtuantes, inſervientes Monaſterio Capucinarum in caſu?*

Secundum: *An, & pro quibus, invito Parocho dicto, liceat Confeſſario, Capellano ejuſdem Monaſterii Sedes Confeſſionales publicè expoſitas pro miniſtratione Sacramenti Pænitentiæ retinere?*

Tertium: *An idem Parochus jus habeat quæſtuandi in Eccleſia Capucinarum pro Sanctiſſimo Sacramento, & Animabus Purgatorii in caſu?*

Sacra Congregatio &c. viſâ relatione Epiſcopi Forolivienſis, Partibus auditis, & informantibus, referente Eminentiſſimo Corſino, ad ſupraſcripta Dubia infraſcriptum in modum reſcribendum eſſe cenſuit, videlicet:

Ad Primum negativè in caſu,
Ad Secundum affirmativè, quoad duas inſervientes tantùm.
Ad Tertium negativè, & amplius in omnibus non proponatur.

Romæ 6. *Jun.* 1738.

Card. Franciſcus Barberini.

C. Archiep. Damiat. Secret.

Ex Reg. Secret. S. Congreg. de quo Exempl. Auth. in Archivo Monaſterii Monialium.

Pium Legatum à Joanne Maria Rizzardo Monialibus Ferrariæ pariter relictum in fabricam Earumdem Monaſterii converti, Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali committit.

Venerabili Fratri Epiſc. Ferrarien. ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Syndicus Monaſterii Monialium Capucinarum nuncupatarum Ferrarien. quod quondam Joannes Maria Rizzardus, in ultimo, quod condidit, & ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, inter alia unum modium farinæ, vel tantumdem panis, ac unum olei, & aliud ceræ penſa, menſuræ illarum partium, prædictis Monialibus reliquit, prout in dicto Teſtamento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictæ Moniales legatorum hujuſmodi incapaces exiſtant, fabrica verò earum Monaſterii, quod noviter in dicta Civitate erectum eſt, ad finem debitum perduci non poſſit, niſi ei de aliquo ſubventionis auxilio provideatur; Nos prædictæ fabricæ neceſſitatibus conſulere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere volentes,

tes, ſupplicationibus Monialium prædictarum per eumdem Syndicum Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut ſtantibus præmiſſis, tanti quanti dictum legatum extimaveris, ſemel tantùm Syndico prædicto, ad effectum illud in fabricam dictæ Domus omnino erogandi, auctoritate noſtra conſignari cures, & facias, & per conſignationem hujuſmodi, unica vice faciendam, voluntati dicti Joannis Mariæ ſatisfactum eſſe decernas. Non obſtantibus voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Monaſterii, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Aprilis MDCXVI. Pontificatus Noſtri anno undecimo.

Scipio Cobellutius.

Autog. in Arch. Secret. Brevium Apoſt. menſ. & Anni præd. fol. 324.

N O T A.

A Monialibus prædictis pia legata tempore, quo fabrica antiqui earum Monaſterii ſubſidio egebat, acceptari, indultum eſt Epiſtolâ Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſequente, in latinum traducta, & Eminentiſſimo Cardinali Magalotto inſcripta.

CUM Moniales Capucinæ Monaſterii Sanctæ Claræ ibidem Sacræ Congregationi ſupplicaverint, quatenus legata pia, in adjuncto folio annotata, valeant acceptare, non obſtante, quod juxta regulam eorum incapaces ſint, ita tamen, ut ea vendere, & pecunias exinde redactas ad reparationem fabricæ Monaſterii, gravem, ut ſupponitur, neceſſitatem habentis, convertere poſſint, EE. Domini mei Eminentiæ Veſtræ arbitrio, & prudentiæ remittunt licentiam deſuper dandi, & opportunum Decretum, auctoritate, qua vigore præſentium Eidem conceditur, interponendi, appoſitâ tamen conditione, ut â Monialibus onera dictorum Legatorum, quoad ea, quæ regulæ, & inſtituto non contrariantur, perſolvantur. Poterit itaque Eminentia Veſtra &c.
Romæ 19. Julii 1630.

Ex Reg. Secret. Congregat. menſ. & anni prædicti.

Ad conſtructum poſthæc Domicilium novum, fuére prælibatæ Moniales translatæ, vigore Epiſtolæ à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ad Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Mariam Machiavellum, tunc Ferrariæ Epiſcopum datæ, in latinum traditæ, ut ſequitur:

Stante Relatione, ab Eminentia Veſtra; ſub 31. menſis elapſi datâ, quod novum Monialium Capucinarum Monaſterium, ad eam ſit reducta perfectionem, quæ requiritur, ut eædem Religioſæ illuc ad habitandum transferri valeant, aliâſque juxta Medicorum judicium, hanc translationem ante æſtivam temperiem fieri conveniat, EE. DD. mei, arbitrio Eminentiæ Veſtræ dandi deſuper licentiam opportunam remittendum eſſe, unitim ſtatuerunt, prout & remittunt, ita tamen, ut Moniales prædictæ tranſitum faciant in rheda clauſa, parte faciei tectâ, ſintque ſociatæ Matronis probatæ vitæ, ac ab Eminentia Veſtra deputandis, ac diſcedentes de Monaſterio, in quo defacto cunctantur, rectà ad novum tendant, quin ſubſiſtant, aut declinent, viamque ea decentia, ac modeſtia, quæ Sponſas, & Servas, Chriſto conſecratas decet, proſequantur. Pro quo Eminentiæ Veſtræ omnis neceſſaria tribuitur facultas &c.
Romæ 13. Aprilis 1646.

Ex Reg. Monialium Secret. Congregat. menſ. & anni prædict.

Fr. Sigiſmundo à Bononia librum de electione, & poteſtate Prælatorum, ab ipſo ante ſuſceptum Ordinis Habitum, & ſub nomine Jacobi Federici impreſſum, jam ſub nomine Sigiſmundi reimprimi concedit, & ab aliis in Urbe, vel Statu Eccleſiaſtico reimprimi vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilectus Filius Sigiſmundus de Bononia, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, Nobis nuper exponi fecit, ipſe quemdam Tractatum de Electione, & Poteſtate Prælatorum, & aliorum Officialium Regularium, aliàs per eum, antequam Habi-

Habitum per dicti Ordinis Fratres geſtari ſolitum ſuſcepiſſet, compoſitum, & ſub nomine Jacobi Federici, quo tunc ipſe nuncupabatur, impreſſum, de novo ſub Sigiſmundi, quo de præſenti uti Religioſus utitur, nomine, de Superiorum ſuorum licentia imprimi curare intendat, cupiatque dictum Opus à nemine abſque licentia ſua imprimi poſſe, & propterea ſibi per Nos, ut infra, indulgeri; Nos dictum Sigiſmundum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ipſius Sigiſmundi nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Sigiſmundo, ut decennio proximo durante à dicti Operis, dummodo tamen antea à Dilecto Filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbatum ſit, impreſſione, ſub nomine Sigiſmundi prædicti facienda computando, nemo tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico, mediatè, vel immediatè Nobis ſubjecto, Tractatum prædictum ſub ullo ex prædictis, aut aliis nominibus, ſine ſpeciali dicti Sigiſmundi, aut ab illo cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis, quam iis, qui ſimilem licentiam habuerint, impreſſum vendere, ſive venalem habere, ſeu proponere poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus, ſub quingentorum Ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium, pro una Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia partibus Accuſatori, ac Judici exequenti irremiſſibiliter applicandorum, & eo ipſo, abſque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne, dicto decennio durante, dictum Tractatum, aut aliquam ejus partem, tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine hujuſmodi licentia, ſub ullo ex prædictis, aut quocumque alio nominibus imprimere, vel ab alio, ſeu aliis, quam eo, ſeu iis, qui licentiam hujuſmodi habuerint, impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant; Mandantes propterea Dilectis Filiis Noſtris & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Status Noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus eidem Sigiſmundo, ſeu ab eo cauſam habentibus hujuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Sigiſmundo, ſeu alio, vel aliis prædictis fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſimiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam in ipſo opere impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI. Aprilis MDCXXVI. Pontificatûs Noſtri anno tertio.

M. A. Maraldus.

N O T A.

OPUS ſupra enuntiatum, ceu doctiſſimum, variè commendatur, cum Auctor æquè de ſua Proſapia, quàm Juris ſcientia clarus, in illo materiam priùs diſperſam, non ſolùm congerat in unum, verùm etiam eamdem adductis Theologorum, & Juriſconſultorum ſententiis nitido explanet ſtylo. Notandum tamen eſt, quod uſus Operis requirat attentionem ad correctionem, à Sacra Congregatione Indicis in nonnullis articulis factam.

DECISIONE ROTALI

Per Profeſſionem Fr. Alexandri de Deſideriis Fideicommiſſum purificari, ſeu ad alios vocatos tranſire, haud aliter, ac ſi naturaliter obiiſſet, declaratur.

R. P. D. MERLINO.

Bononien. Fideicommiſſi de Deſideriis

Die Veneris 30. *Maji* 1726.

HIeronymus de Deſideriis conſtitutis Hæredibus, Joanne, Alexandro, Bartholomæo, & Joanne Baptiſta Filiis invicem ſubſtitutis, & deinde vocatis Filiis Filiorum, & Deſcendentibus, poſtremò, ubi finita eſſet ejus Filiorum linea maſculina, ſubſtituit Bernardinum Fratrem Germanum, Bonifacium, & Franciſcum, ex Fratribus pariter Germanis Nepotes, & his non exſtantibus eorum Filios legitimos, & naturales maſculos, & per lineam maſculinam, defuncto autem Hieronymo, & poſtquam Alexander junior Pronepos, & ultimus ex Deſcendentibus ex linea Teſtatoris ingreſſus eſt, & Profeſſionem emiſit in Religione S. Franciſci Ordinis Capucinorum, Stephanus, & Æneas Pronepotes Bernardini petierunt declarari bona Hieronymi Fideicommittentis ad ipſos ſpectare, hujuſmodique cauſâ in gradu appel-

appellationis introducta coram Me, hodie propoſui Dubium, An conſtaret de Fideicommiſſo purificato ad favorem D. Stephani: & Domini in omnibus affirmativè reſponderunt, nempe primò conſtare de Fideicommiſſo, ſecundò, quod evenerit illius caſus, tertiò, quod evenerit in favorem Stephani,& Fratris.

De Fideicommiſſi exiſtentia non controvertebatur, nec controverti poterat, quia apertè Teſtator in ſupra relatis verbis Fideicommiſſum conſtituit, nedum in favorem Deſcendentium, ſed etiam Collateralium, ſcilicèt Bernardini Fratris, & Bonifacii, & Franciſci Nepotum, & eorum Filiorum, & per lineam maſculinam.

Quod autem defecerit linea maſculina deſcenſiva Hieronymi Teſtatoris, quam effectivam Doctores appellant, hinc inde à Partibus præſupponebatur, & exiſtentia Alexandri junioris non viſa eſt conſiderabilis, quia ſtatim, ac Religioni Patrum Capucinorum (quæ ſucceſſionis Bonorum, & cujuſcumque acquiſitionis, tam in particulari, quàm in communi, eſt incapax) juxta *Clementinam Exivi de Paradiſ. de verbor. ſignific.* Et in ſpecie de Religione Patrum Capucinorum cautum eſt à Sacro Concilio Tridentino *Seſs. 5. Cap.* 3. Ipſe Alexander nomen dedit, & Profeſſionem emiſit, perinde eſt, ac ſi naturaliter obiiſſet, adeo ut non exſpectato obitu apertum dicatur Fideicommiſſum ſubſtitutis, & vocatis poſt illius mortem, ita *Bart. in l. Cum Pater §. Hæreditatem il primo, ff. de Legat.* 2. ubi etiam *Bald. n.* 3. *Abbas in c. in præſentia n.* 58. *& ſeq. de probat. Dec. Conſ.* 259. *&* 419. *num.* 1. *Clar. in §. Teſtamentum quæſt.* 28. *num.* 4. *Graſs. de Succeſs. ex Teſtamento §. Teſtamentum quæſt.* 37. *n.* 1. *Guttierez quæſt. Canon. lib.* 2. *Cap.* 1. *num.* 18. 45. 51. *Molin. de Primogen. Hiſpan. Cap.* 13. *n.* 69. *Surd. conſ.* 90. *num.* 7. *& Conſ.* 577. *num.* 10. *Peregrin. de Fideicommiſs. art.* 28. *n.* 63. *Ruſticucc. in L. Cum Avus lib.* 5. *Cap.* 7. *num.* 1. 2. *&* 19. *Caſtil. quotid. Contr. lib.* 3. *Cap.* 22. *num.* 83. & meliùs *num.* 93. 94. 95. *& ſeqq.* plenè *Honded. Conſ.* 62. *num.* 16. *& ſeqq. per tot. lib.* 1. qui *Caſtill.* & *Honded.* loquuntur de profeſſo in hac eadem Religione Capucinorum, & in iiſdem terminis *Sanchez ſupra Decalog. part.* 2. *lib.* 7. *C.* 3. *n.* 69. qui alios quamplures recenſent, ac de veriori, & communiori atteſtantur, & fundamentis contrariæ opinionis benè reſpondent.

Neque huic opinioni adverſatur *deciſ.* 543. *part.* 2. *recent.* quia loquitur in Societate officiorum, & hujuſmodi Societatem non dici extinctam ob profeſſionem in Religione Capucinorum, in cujus vitam tertius Societatem inerat, & diſpar eſt ratio, quia ille, in cujus caput ſocietas inita fuit, nihil penitus præſtat, & nihil ei acquiritur, ſed ſolùm ab illius vita, & obitu regulatur ſocietas, ut duret, ſeu extinguatur. Unde nil mirum, ſi per Profeſſionem ejuſdem non extinguitur jus ſociorum, quia ex Profeſſione nihil immutatur, quod ſecus eſt in Fideicommiſſo, ipſe enim Profeſſus bona retinere non poteſt ob votum paupertatis emiſſum, nec Monaſterium, ob omnimodam incapacitatem, nec Hæredes illius ab inteſtato, ſeu ex Teſtamento, cum extet diſpoſitio Fideicommittentis, unde ne bona ſtent in ſuſpenſo, ſtatim poſt Profeſſionem, non expectatâ etiam morte naturali, dicitur purificatum Fideicommiſſum ad favorem ſubſtitutorum, ut tradunt ſupracitati Doctores, quæ ratio ceſſat in Societate, quia non obſtante Profeſſione, lucra continuant in eadem Perſona, quæ in caput alterius contraxit ſocietatem, licèt ingreſſus fuerit Religionem omnino incapacem &c. Et ita utraque parte informante &c.

Ex Tom. 1. *recent. Dec.* v. *part.* v.

Legatum pium, ab Alphonſo Piſtria relictum, in emptionem librorum pro Bibliotheca Ferrarienſi, ac aliàs in fabricæ reparationem converti indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecta in Chriſto Filia Æmilia Ferrari Uxor, ac Dilectus Filius Vincentius Piſtria Ferrarien. natus, ac Hæredes reſpectivè quondam Alphonſi etiam Piſtria Ferrarien. quod aliàs, poſt, quam dictus Alphonſus, in ſuo ultimo, quod condidit, Teſtamento, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, inter alia voluerat, quod quingentæ Libræ monetæ Ferrarien. quæ in Monte Pietatis Civitatis noſtræ Ferrarien. ad ſui creditum depoſitæ reperiebantur, inibi perpetuò remanerent, fructus verò ex eis provenientes Guardiano, & Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum dictæ Civitatis, tradi, & conſignari deberent, iidem Guardianus, & Fratres, uti ſimilium Legatorum, juxta Regularia dicti Ordinis inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata, incapaces, legato hujuſmodi ad favorem Æmiliæ, & Vincentii prædictorum expreſsè renunciarunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Bibliotheca dictæ Domus libris maximè indigeat, & propterea, ut tam hujuſmodi, quàm fabricæ, ſeu aliis ejuſdem Domûs neceſſitatibus provideatur, voluntatique dicti Alphonſi aliquo modo ſatisfacere videan-

videantur, Æmilia, & Vincentius prædicti, per Nos, ut infra, opportunè provideri, ſummopere deſiderent. Nos eidem Domui in præmiſſis, de aliquo ſubventionis auxilio providere, ipſoſque Æmiliam, & Vincentium ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine &c. inclinati, eiſdem Æmiliæ, & Vincentio, quatenus quingentas libras hujuſmodi, ê prædicto Monte ſumere, illaſque Syndico dictæ Domûs ad effectum illas in emptionem tot librorum pro dicta Bibliotheca, ſive in fabricæ, aut alias ipſius Domûs reparationes convertendi, tradere, & conſignare: ipſi verò Syndico, eaſdem quingentas libras ad effectum præmiſſum recipere liberè, & licitè reſpectivè poſſint, & valeant, dicta auctoritate, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus prædicti Alphonſi voluntate, quam in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die XIX. Septembris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri anno quarto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſtol. menſ. & anni præd. fol. 32.

ORDINE SANCTISSIMO

Per Epiſtolam S. Congregationis Epiſc., & Regul. Suffraganeo Bononię intimato.

Domum in loco Caſtri S. Petri erigi indulgetur, dummodo 10. ſaltem Fratres ibi ſubſiſtant.

Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſupplex In Lat. trad. FRatres Capucini Provinciæ Bononienſis, tam ob itineris de loco uno ad alium diſtantiam, quâm ob eorum paupertatem ſummopere indigent Conventu in loco Caſtri Sancti Petri, juxta viam regiam Immolam inter & Bononiam ædificando; cumque ſitus jamjam cum magna Communitatis ſatisfactione, nec non A. R. P. Generalis licentia fuerit ſelectus, & Crux ſolemniter plantata, antequam foret emanatum S. Congregationis Decretum, prohibens, ne erigerentur Conventus, in quibus ad minus 12. Fratres non poſſent ſubſiſtere, aliàs Ordinariorum juriſdictioni deberent eſſe ſubjecti, ideo ulterius ii non ſunt progreſſi. Jam verò Patres dictæ Provinciæ inſimul congregati, Illuſtriſ. DD. VV. humillimè ſupplicant, quatenus præfato Decreto pro hac vice tantum derogare dignentur, ad effectum dictum Conventum ibi conſtruendi, quin Ordinariis ſit ſubjectus. Et ob conceſſam gratiam pro Illuſtriſ. DD. VV. proſperitate Deum exorare non deſinent &c.

Perilluſtris, ac A. R. Domine uti Frater.

Sanctiſſimus Dominus noſter pro FF. Capucinorum illius Provinciæ commoditate indulget, ut Amplitudo Tua erectionem Conventûs in loco Caſtri S. Petri illius Diœceſis permittat, non obſtante, quod ibi 12. Religioſi non poſſint ſubſiſtere, dummodo tamen illorum decem ſaltem manuteneri queant. Quod Amplitudo Tua auctoritate, quæ eidem vigore præſentium conceditur, exequi poterit, ſervatâ de cætero exactè prædictarum Conſtitutionum diſpoſitione, & Deus eam præſervet. Romæ 18. Decembris 1626.

Amplitud. Tuæ

Uti Frater

Laudivius Cardinalis S. Sixti.

P. Fagnanus.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſis, & Anni prædicti.

Petium terræ ad Domum Regularem Patrum Eremitarum S. Auguſtini ſpectans, pro amplianda eadem noſtra Domo alienari, hocque alio petio ad Eccleſiam Parochialem, Archipresbyteratûs nuncupatam, pertinente compenſari &c. Apoſtolica Facultate conceditur.

ANTONIUS MISERATIONE DIVINA

S. Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus in toto Statu Eccleſiaſtico, & univerſa Italia, ac etiam extra eam, ad quoſcunque Principes SSmi in Chriſto Patris, & D. N. D. Urbani, Divina Providentia Papæ Octavi, & Sedis Apoſtolicæ de latere Legatus, necnon in Statu Eccleſiaſtico prædicto pro eodem SSmo Domino noſtro, & S. R. E. in Spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis.

Dilectis Nobis in Chriſto Archidiacono Eccleſiæ Bononienſis, ac Vicario Rmi Archiepiſcopi Bononienſis in Spiritualibus Generali ſalutem in Domino ſempiternam.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ Legationis officio his, quæ pro Domorum, & aliorum Regularium locorum comodo, & utilitate facta fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum â Nobis petitur, noſtri, ſeu potiùs Apoſtolici mandamus adiici muniminis firmitatem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Nobis in Chriſto modernorum Operariorum Fabricæ Eccleſiæ Domûs Regularis Fratrum Capucinorum loci Caſtri S. Petri, Bononienſis Diœceſis, ac Prioris, & Conventus ſeu Domus Regularis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, necnon Laurentii Dale Rectoris, Archipresbyteri nuncupati, Parochialis Eccleſiæ, Archipresbyteratus nuncupatæ, ejuſdem S. Petri dicti loci, & Antonii Galeatii Malvaſia Nobilis, & Patricii Bononienſis petitio continebat, quod ipſi aliàs providè conſiderantes, eoſdem Operarios pro neceſſaria ampliatione primodictæ Domus Regularis quodam terræ laborativæ petio in agro dicti loci, juxta ſuos notiſſimos fines ſito, ac fabricæ primodictæ Domus Regularis, ſeu illius hortalitiis adhærente, vel contiguo, capacitatis duarum Tornaturarum, & trium quartorum alterius Tornaturæ, ſcilicet menſuræ illarum partium, valoris & pretii in proprietate centum ducatorum auri de Camera, annui verò redditus decem ſcutorum cum dimidio alterius ſcuti, ſimilis monetæ Bononienſis, vel circa, ad Domum Regularem Fratrum Eremitarum hujuſmodi legitimè ſpectante indigere, prædictos verò Priorem, & Conventum ſecundò dictæ Domus Regularis mediante competente, vel ſaltem æquivalente compenſatione petium terræ hujuſmodi ipſis Operariis ad effectum ampliationis hujuſmodi vendere paratos eſſe. Ipſi igitur Operarii cum interventu, & præſentia prædictorum Laurentii Rectoris, & Antonii Galeatii dictum terræ petium, ad eum legitimè ſpectans, intuitu Fratrum Capucinorum, & ob ſuum, quem erga S. Franciſcum, & Ordinem dictorum Fratrum Capucinorum gerit, devotionis affectum, ut ad hujuſmodi compenſationem deveniri poſſet, gratis, & Amore Dei dedit, nec non Prior, & Conventus prædicti neceſſitati, & utilitati utriuſque Domus Regularis, ac Parochialis Eccleſiæ hujuſmodi reſpectivè conſulere cupientes, Prior ſcilicet, & Conventus Domus Regularis S. Auguſtini primodictum terræ petium eiſdem Operariis ad effectum ampliationis primodictæ Domus Regularis, Laurentius autem Rector aliud terræ petium, in eodem agro etiam ſitum, ſuis etiam notiſſimis confinibus circumſcriptum, aliiſque ſecundò dictæ Domus Regularis Bonis contiguum, capacitatis trium Tornaturarum, & perticarum ejuſdem menſuræ, & valoris etiam & pretii in proprietate centum, & quinque ducatorum parium, annui etiam redditus ſcutorum duodecim dictæ monetæ, vel circa, ad dictam Parochialem Eccleſiam, quam ipſe canonicè obtinet, legitimè ſpectans, Priori, & Conventui ſecundò dictæ Domus Regularis, Antonius Galeatius verò, eidem quoque Laurentio Rectori reliquum terræ arboribus plantatæ, & vitibus propagatæ, & aliàs fructiferæ petium, in eodem agro ſitum, ſuis ſimiliter notiſſimis confinibus circumſcriptum, ac aliis etiam dictæ Parochialis Eccleſiæ Bonis contiguum, valoris etiam in proprietate centum, & decem ducatorum auri parium, annui verò redditus quatuordecim ſcutorum ejuſdem monetæ, vel circa, ad eum, ut præfertur, legitimè ſpectans, in ſecundò dictorum terræ petiorum mutuam, & reciprocam compenſationem, ſeu recompenſam, ſalvo, & reſervato dictæ Sedis beneplacito reſpectivè dederunt, & conceſſerunt, illorumque Poſſeſſionem ante obtentum hujuſmodi beneplacitum reſpectivè tradiderunt, prout in inſtrumento publico, ſeu aliis ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Operariorum, ac Prioris, & Conventus ſecundò dictæ Domus Regularis, ac Laurentii Rectoris, nec non Antonii Galeatii prædictorum, aſſerentium dationes, & conceſſiones prædictas, aliaque præmiſſa in neceſſariam ampliationem primò dictæ, ac evidentem ſecundò dictæ Domorum Regularium, & Parochialis Eccleſiæ prædictarum ceſſiſſe, & cedere utilitatem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis pro firmiori illorum ſubſiſtentia, noſtræ, ſeu potius Apoſtolicæ Confirmationis robur adjicere, Eoſque à cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas ob traditam petiorum terræ prædictorum, ante obtentum dictæ Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, poſſeſſionem incurrerunt, in utroque foro abſolvere benignè dignaremur. Nos igitur attendentes dictæ Sedis exuberantem clementiam, gremium ſuæ pietatis poſt exceſſum veniam petentibus claudere non conſueviſſe, ſufficienti ad id ab eadem Sede per ejuſdem SSmi D. N. Papæ, & Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ſub dat. Romæ die decima ſeptima Menſis Junii proximè præteriti Nobis deſuper tranſmiſſas literas, ad quarum inſertionem minimè tenemur, facultate ſuffulti, certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac Operarios, & Priorem, & Conven-

ventum Domûs Regularis S. Auguſtini, nec non Laurentium, & Antonium Galeatium prædictos, ac eorum ſingulos, ſingulareſque Conventûs S. Auguſtini hujuſmodi perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis, præterquam præmiſſorum, occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, dummodo in illis per annum non inſorduerint, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec non fabricæ, & ſingulorum petiorum terræ prædictorum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, qualitateſque, & quantitates præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ, de qua in his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, Apoſtolica, & eorundem Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Cardinalium Nobis deſuper attributa auctoritate, qua fungimur in hac parte, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus Tu, Reverende Vicarie, Operarios, & Priorem, & Conventum Domus Regularis S. Auguſtini, nec non Laurentium Rectorem prædictos eorumque ſingulos, ſingulareſque Conventus Domus Regularis S. Auguſtini hujuſmodi perſonas, ſi id à Te humiliter petierint, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas ob traditam ante obtentum dictæ Sedis beneplacitum petiorum terræ prædictorum reſpectivè poſſeſſionem, aut aliàs præmiſſorum occcaſione quomodolibet incurrerunt, impoſitâ eis, & eorum ſingulis propterea pænitentia ſalutari in utroque foro, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, abſolvas, dictaſque pœnas eis gratiosè remittas, & condones: & deinde Vos conjunctim procedentes, ſi & poſtquam vocatis, qui fuerint vocandi, ſervataque forma litterarum felicis recordationis Pauli Papæ II. de rebus Eccleſiæ non alienandis, & ſingulis terræ petiis prędictis, eorumq; circumſtantiis univerſis, prius coram vobis ſpecificatis de præmiſſis diligenter Vos informetis, & ſi per informationem eandem præmiſſa in neceſſariam ampliationem primodictæ, ac evidentem ſecundò dictarum Domorum Regularium, & Parochialis Eccleſiæ præfatarum reſpectivè ceſſiſſe, & cedere utilitatem, reperietis, dationes, & conceſſiones prædictas, aliaque præmiſſa reſpectivè approbare, & confirmare, eiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicere, omneſque, & ſingulos, tam juris, quam facti, ac ſolemnitatum defectus, ſi qui forſan deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplere, dicta auctoritate curetis, non obſtantibus præmiſſis, ac prædicta Pauli Papæ II., aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domorum Regularium, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Peruſiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus ejuſdem Sſmi D. N. Papæ Anno octavo.

Cardinalis Barberinus.

Benedictus Ubaldus Rotæ Auditor Regens.

L. ✠ S.

Joannes Nardinus Abbreviator.

Exemp. Auth. in Arch. Ord. Arm. Provincia Bononienſis.

N O T A

Decretum S. Congregationis, quod prædicta conceſſio vocat, & ſupponit, fuit tenoris ſequentis:

A tergo: *Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Cardinali Antonio &c.*

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime Domine Colendiſſime.

Expoſitum fuit S. Congregationi Eminentiſſimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, fabricam Conventûs Capucinorum de novo conſtruendi in Caſtro S. Petri Territorii Bononienſis abſque quodam ſitu, ad Fratres Ordinis S. Auguſtini ſpectante, nequaquam perfici poſſe. Propterea iidem Patres facto verbo cum Sanctiſſimo D. N., Eminentiæ Veſtræ remittendum eſſe cenſuerunt, ut hac in re auctoritate ejuſdem S. Congregationis ſtatuat id, quod pro ſuo arbitrio expedire judicaverit. Quod reliquum eſt, Deum enixè rogantes, ut Eminentiam Veſtram diu ſervare dignetur incolumem, illi manus peroſſicioſè deoſculatur. Romæ Die XVII. Junii MDCXXX.

Eminentiæ Veſtræ Reverendiſſimæ.

Humiliſſimus Servus

R. Card. Ubaldinus.

Franciſcus Paulutius S. Congreg. Concilii Secret.

Fratribus pro fabrica Hoſpitii in terra S. Alberti Domunculam ibi inhabitabilem, vel vendi, vel donari permittit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Ravennaten., quod in Terra S. Alberti Ravennaten. Diœceſis, quædam Turricula, & duæ domunculæ ſub directo dominio Eccleſiæ ejuſdem S. Alberti, Terræ prædictæ, exiſtentes, & in Emphiteuſim conceſſæ reperiuntur, quæ propter annuas Padi inundationes inhabitabiles, & magna ex parte ruinam paſſæ ſunt, & â Rectore dictæ Eccleſiæ ad illam ob lineam finitam, vel non ſolutum Canonem reverſæ, ſeu devolutæ prætenduntur: Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Exponentes prædicti in dicta Terra quoddam hoſpitium dicti Ordinis, cum Oratorio, ſub invocatione ejuſdem S. Alberti conſtrui facere cœperint, materiam autem, ſeu cæmenta non habeant, quibus illa perficere poſſint, & propterea per Nos in præmiſſis ſibi, ut infra, opportunè provideri ſummopere deſiderent. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine &c. inclinati, Dominis Turriculæ, & Domuncularum prædictarum unam ex illis, fabricæ Hoſpitii, & Oratorii prædictorum, ſive illius Deputatis vendendi, vel donandi, quatenus verò illæ ad dictam Eccleſiam, ut præfertur, reverſæ, ſeu devolutæ ſint, eidem Rectori unam ex dictis Domunculis, & Turricula eidem Fabricæ ſimiliter donandi, Deputatis verò Fabricæ hujuſmodi illam ſibi, ut præfertur, venditam, vel donatam, ad effectum præmiſſum demoliri faciendi, facultatem, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus fel. record. Pauli Papæ II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & Eccleſiæ, Ordiniſque prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die XXIV. Februarii MDCXXIX. Pontif. Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Menſ., & Anni præd. fol. 49.

Situm â Canonicis S. Salvatoris in loco S. Archangeli emi, & Fratres illuc novâ fabricâ terminatâ transferri concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Ravennaten., ſeu Dilecto Filio, ejus Vicario in Spiritualibus Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Conventus loci S. Archangeli nuncupati, Provinciæ Bononienſis, Nobis expoſitum fuit, quod ipſi quemdam ſitum ſeptem tornaturarum cum dimidio terreni, menſuræ illarum partium, à dilectis Filiis Canonicis Regularibus Congregationis S. Salvatoris dicti loci emi facere, & in eundem ſitum, uti commodiorem, ſe & eorum Conventum hujuſmodi transferre, & poſtquam in eodem ſitu novo habitationem pro Fratribus Capucinis hujuſmodi, necnon Capellam, in qua Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebretur conſtrui fecerint, ſitum veteris Conventus vendi facere, & pretio inde redigendo in fabricam novi Conventus hujuſmodi uti, necnon tempore opportuno, oſſa defunctorum Fratrum hujuſmodi, in veteris Conventus hujuſmodi Eccleſia ſepultorum, inde ad novi Conventus Eccleſiam transferre poſſe deſiderant. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt dicti Exponentes, ut in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Archiepiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de præmiſſis, eiſdem exponentibus, quod ipſi præfatum ſitum à dictis Canonicis Regularibus emi facere, & ad eum ſe, & illorum Conventum transferre, perfectiſque habitationibus, & Capella præfatis, ſitum veteris Conventus hujuſmodi vendi facere, & pretio exinde proveniente in fabricam dicti novi Conventus uti, nec non

oſſa

oſſa defunctorum Fratrum hujuſmodi, & aliarum perſonarum, ſi quæ inibi ſepultæ ſint, cum ſuperficie terræ ab Eccleſia veteris Conventus ad Eccleſiam novi Conventus hujuſmodi transferre liberè, & licitè poſſint, & valeant, prædictam licentiam, Auctoritate Noſtra Apoſtolica concedas, dictamque veterem Eccleſiam profanare, & ad prophanos, non tamen ſordidos uſus, reducas. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVIII. Novembris MDCXLIII. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Menſ., & Anni præd. fol. 732.

Fr. Vitali à Bononia, Novitio, Alexandro Bonfioli in ſæculo nuncupato, cum ob æs alienum prius contractum, ad Sacram Profeſſionem admitti non poſſet, opportunè provideri, & debita ex Fideicommiſſo, ſine hujus præjudicio ſolvi, Archiepiſcopo Bononienſi, ſeu ejus Vicario Generali committit,

A tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Bononienſi, ſive Dilecto Filio, ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater, ſive Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Frater Vitalis de Bononia, Alexander Bonfioli antea in ſæculo nuncupatus, quod aliàs ab octo menſibus circiter Ordinem Fratrum Capucinorum ingreſſus eſt, verùm, quia ære alieno, ad ſcuta quatuor millia monetæ Romanæ aſcendente, gravatus reperitur, & illius Creditores inſtant ſatisfieri, Dilectus Filius modernus Generalis dicti Ordinis licentiam profitendi, niſi prius ſolutis debitis hujuſmodi, juxta dicti Ordinis Conſtitutiones, Exponenti prædicto concedere recuſat. Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, prædictus Exponens omnino intendat profeſſionem hujuſmodi emittere, nec aliunde æs alienum hujuſmodi diſſolvere poſſit, quàm venditione infraſcriptorum bonorum, Fideicommiſſo ſubjectorum. Ideo Nobis humiliter ſupplicari fecit Exponens præfatus, ut ejus votis, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Teſtamentorum Fideicommiſſi hujuſmodi tenores, etiam veriores, ac ſpeciales, præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque Exponentem ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Archiepiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, eidem Exponenti, ut prædium ducentarum Tornaturarum circiter, menſuræ illarum partium, in Territorio Bononienſi, juxta ſuos notiſſimos fines ſitum, & Fideicommiſſo, quem Nicolai Antonii, & Vitalis etiam de Bonfiolis, Majorum ſuorum ſuppoſitum, ac pretio quinque millium ſcutorum monetæ Romanæ circiter, Peritorum judicio æſtimatum, quod legitimè poſſidet, uni, ſeu pluribus perſonis, illud emere volentibus, & meliorem conditionem offerentibus, vendere, pretiumque inde redigendum, detractis ex eo prius ſcutis mille . . . . . pro multiplico, & reintegratione prædii hujuſmodi, in diſſolutionem dicti æris alieni convertere liberè poſſit, & valeat, de conſenſu tamen omnium vocatorum, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, judicari, & definiri debere, ac voluntatem dicti Nicolai Bonfioli, qui Fideicommiſſum hujuſmodi inſtituit, ſufficienter, & expreſsè, quatenus opus ſit, commutes, irritum quoque, & inane decernas, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis hujuſmodi ſtatútis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus,

bus,

bus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel ſpecie, aut aliàs in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & confirmatis, quibus omnibus, etſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio in præſentibus facienda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice tantùm derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod pretium ex venditione hujuſmodi proventurum, penes Montem Pietatis, ſeu perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, & inde non amoveatur, niſi ad effectum ſolvendi debita hujuſmodi ex dicto pretio . . . . & ſcuta in emptionem aliorum bonorum ſtabilium ab omni, & quocumque alio Fideicommiſſo, cenſu, canone, & devolutione prorſus liberorum convertendi, quæ, poſtquam empta fuerint, eidem Fideicommiſſo, & alienandi prohibitionibus, quibus prædictum Prædium obnoxium erat, ſubjecta remaneant, ac bonorum emendorum hujuſmodi fructus, ac fructuum fructus, donec ad ſummam quinque millium ſcutorum hujuſmodi aſcenderint, pro reintegratione dicti multiplici, obligati remaneant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Maji MDCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Joannes Baptiſta Labius.

Exemp. in Arch. Ord. Arm. Prov. Bononienſis.

Pretium Domuncularum ab Ulyſſe de Bolognettis, à Monialibus Bononiæ emptarum, in locis Montium Cameræ Apoſtolicæ non vacabilium inveſtiri concedit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales, Capucinæ nuncupatæ, Bononien., quod ipſæ aliàs pro fabrica earum Monaſterii indigentes quibuſdam domunculis, eidem Monaſterio contiguis, valoris in proprietate librarum trium millium, & quadringentarum circiter, monetæ illarum partium, quæ ſummam ſeptingentorum monetæ Romanæ etiam circiter conficiunt, deſuper litem, & cauſam contra dilectos filios Ulixem, & Fratres de Bolognettis, dictarum domuncularum Dominos moverunt, prætendentes illos ad venditionem domuncularum hujuſmodi, vigore Conſtitutionis fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris Noſtri, ſuper jure congrui editæ, ac etiam vigore cujuſdam Decreti Senatusconſulti Civitatis noſtræ Bononienſis de anno 1586. editi, nec non alterius Conſtitutionis rec. mem. Gregorii Papæ XV., etiam Prædeceſſoris noſtri cogi poſſe, ac in vim Conſtitutionum, & Decreti hujuſmodi Moniales prædictæ à tunc exiſtente Vicelegato Bononien. ſententiam ad ſui favorem obtinuerunt, cujus vigore prædictas domunculas emerunt, & illarum pretium penes Montem Pietatis dictæ Civitatis ad effectum inveſtiendi illud in tot bonis immobilibus, quæ ſubjacere deberent cuidam Fideicommiſſo, per quondam Joannem de Bolognettis ſeniorem facto, prout ipſæ domunculæ, ut præfertur, emptæ ſubjectæ erant, deponi fecerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, difficile ſit in eadem Civitate bona ſtabilia ad hunc effectum adæquata, & proportionata reperire, Nobis propterea dictæ Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eaſdem Exponentes ſpecialibus &c., volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, quod ipſæ de conſenſu eorumdem Ulixis, & Fratrum vice, & loco bonorum ſtabilium pretium ex venditione hujuſmodi redactum, & depoſitum, ut præfertur, in tot locis Montium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, non vacabilium de Urbe, quæ pro evictione dictarum Domuncularum perpetuò ſtare, & in illarum locum ſubrogata eſſe, eidemque Fideicommiſſo ſubjacere omnino debeant, inveſtire, illudque eiſdem Ulixi, & Fratribus in ſolutionem pretii hujuſmodi aſſignare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes loca Montium hujuſmodi aſſignanda pro ſumma pretii prædicti, ſeu in quibus pretium ipſum inveſtiatur, loco bonorum ſtabilium, in quibus illud inveſtiri deberet, ut præfertur, ſuccedere, aſſignationemque prædictorum locorum Montium, ſeu inveſtimentum ejuſdem pretii in locis Montium hujuſmodi perinde ſe habere, validaque, & fficacia fore, & eſſe, ac ſi pretium prædictum in tot bonis ſtabilibus inveſtitum fuiſſet, ſicque per quoſcunque &c. Auditores, ac quoſcumque alios, ac Sedis Apoſtolicæ in dicta Civitate de latere Legatos, ſeu Vicelegatos, judicari &c. attentari. Non obſtantibus fideicommiſſo prædicto, & quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non ipſius Monaſterii, & illius Or-

Ordinis, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut prædicta ſeptingenta ſcuta, ut præfertur, depoſita ad Urbem, tutiori, quo fieri poterit, modo, riſico, & periculo Ulixis, & Fratrum prædictorum tranſmittantur, & tranſmiſſa in Monte Pietatis de eadem Urbe deponantur, inde non amovenda, niſi ad effectum, illa in tot locis Montium, non vacabilium, Cameræ Apoſtolicæ de eadem Urbe inveſtiendi, quæ loca pro quacunque evictione dictarum domuncularum obligata, & in ſpecie hypotecata, ac dicto Fideicommiſſo vice earumdem domuncularum ſubjecta, & ſuppoſita eo ipſo ſint, & perpetuò remaneant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIII. Octobris MDCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 31.

N O T A.

HAbuit originem hoc Monaſterium Anno 1628. fuitque illius fundatio, & erectio Brevi Apoſtolico, eodem Anno 23. Septemb. emanato, confirmata. Moniales ob formatam ad noſtras Conſtitutiones vivendi methodum Capucinæ fuerunt appellatæ, & quamvis labente curſu temporis à primævo rigore nonnihil declinaverint, nomen tamen Capucinarum retinent, & ſub hoc ad Sanctam Sedem recurrunt, prout plurima, & recentia quoque Sacrarum Congregationum Decreta, in Archivo Generali Ordinis, Armario, *Provincia Bononienſis* conſervata exhibent.

Fr. Bernardo à Bononia Meſſinam, ad tractandum ibi Civitatis Bononienſis negotium, ſe conferendi facultatem largitur.

Dilecto Filio Bernardo à Bononia, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſori.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilecti Filii Regiminis Civitatis noſtræ Bononienſis Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Te, qui Habitum per Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum ſuſcepiſti, & Profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſsè emiſiſti Regulares, Meſſinam deſtinare decreverint, ut inibi exactionem pecuniarum, quas ipſis Exponentibus debent dilecti etiam Filii Communitas, & homines Civitatis Meſſanenſis pro tritico, ad Civitatem Bononien. prædictam ſpectante, de anno 1648. in portu Meſſanen. intercepto procures, eo maximè, quia in illis partibus notus es, & jam negocium hujuſmodi curaviſti, antequam Habitum prædictum ſuſcepiſſes. Idcirco Nos conſcientiæ tuæ ſecuritati hac in re, quantum cum Domino poſſumus, conſultum eſſe cupientes, Teque ſpecialibus &c., volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis &c. inclinati, Tibi, ut de Superiorum tuorum licentia Meſſinam Te conferre, & tam inibi, quàm Panormi cum ipſo Regni Siciliæ Prorege, & aliis, quibus opus fuerit, ſecundum rei, & caſus exigentiam, tanquam Procurator Deputatorum aſſumptorum, nuncupatorum Annonæ, dictæ Civitatis Bononienſis negocium exactionis pecuniarum hujuſmodi tractare, agere, conficere, & concludere liberè, & licitè, & abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, aut alicujus cenſuræ, & pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu poſſis, & valeas, dummodo tamen propterea extra clauſtra Domus Regularis tui, vel alterius Ordinis, loci, in quo Te negocium hujuſmodi gerere contigerit, minimè pernoctes, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die IX. Junii MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

G. Gualterius.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſis, & anni præd. fol. 495.

Monialibus Imolæ, pro fabrica earumdem Monaſterii à Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti ibidem, Domum quamdam vendi, & pretium in bona ſtabilia ad favorem dictæ Confraternitatis converti, Epiſcopo ibi committit.

A ter-

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Imolenſi.*

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales, Capucinæ nuncupatæ, Monaſterii Sanctiſſimæ Trinitatis, Civitatis Imolenſis, quod, cum ipſæ Inſulam dicti Monaſterii, & fabricam per eas inceptam abſolvere nequeant, niſi Domum, eidem Monaſterio contiguam, & ad Confraternitatem, Sanctiſſimi Sacramenti Eccleſiæ novæ nuncupatam, dictæ Civitatis, legitimè ſpectantem, illi includant, convenerunt cum Dilectis Filiis Officialibus, & Confratribus dictæ Confraternitatis de eadem Domo pretio ducentorum nonaginta ſex ſcutorum, & ſexaginta trium bajoccorum monetæ, per peritum Architectum, communi conſenſu electum, æſtimato emendâ, ſtipulandoque deſuper Inſtrumento publico, ſtatim atque noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum ſuper præmiſſis obtinuerint. Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, præfata Confraternitas nonniſi decem ſcuta paria annuatim ex locatione dictæ Domus de præſenti percipiat, ſi verò Domus hujuſmodi pretio jam dicto vendatur, ipſumque pretium in emptionem tot aliorum bonorum ſtabilium ad favorem ipſius Confraternitatis convertatur, ſeptemdecim ſcuta, & ſexaginta bajoccos monetæ prædictæ quotannis eidem Confraternitati ex bonis emendis hujuſmodi proventura ſint; ac proinde venditio dictæ Domus utrique partium perutilis ſit futura; Nobis propterea Exponentes, ac Officiales, & Confratres prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus &c. volen. & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de narratis, eiſdem Officialibus, & Confratribus, ut ipſi domum prædictam, pretio ſupra expreſſo, memoratis Monialibus vendere, & alienare, ipſumque pretium in emptionem tot aliorum bonorum ſtabilium hujuſmodi, ſicut præmittitur, ad favorem dictæ Confraternitatis, & non in alios uſus convertere, & erogare liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem, auctoritate Noſtra Apoſtolica, concedas, & impartiaris. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, & aliis Conſtitututionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dictorum Monaſterii, & Confraternitatis, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut venditio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem ipſum pretium penes Montem Pietatis, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi, & erogandi. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Novembris MDCLXIV. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 62.

Sacras Reliquias ex Eccleſia Domûs loci S. Joannis in Perſiceto extrahi, aut aliis Eccleſiis commodari, ſub cenſuris, & pœnis prohibet.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni Sacrarum, ut piè creditur, Sanctorum Reliquiarum, quas in Eccleſia Domûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Terræ ſeu Loci S. Joannis in Perſiceto, Bononienſis Diœceſis, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, & Dilectos Filios modernos Guardianum, & Fratres dictæ Domûs ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dictorum Guardiani, & Fratrum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ne de cetero quævis perſona, ſive Regularis, ſive Sæcularis, cujuſvis ſtatûs, ordinis, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacumque auctoritate, ſuperioritate, & officio fungens, etiam individua mentione digna, Reliquias prædictas, ſeu eorum aliquam partem, etiam minimam, aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu Locis piis commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione è dicta Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, & extrahantur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ; à qua

à qua nemo, niſi à Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo conſtitutus, obtinere poſſit: ac etiam quoad Regulares, privationis vocis activæ, & paſſivæ, per contrafacientes, eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis pœnis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius Sacriſtiæ, aut in alio proſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die x. Maji MDCLXXV. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

J. G. Sluſius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſis, & anni præd. fol. 595.

Provinciam in duas, Bononienſem, & Lombardiæ dividi, P. Miniſtro Generali committit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad Futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis divinitus paſtoralis officii ratio exigit, ut paternam Religioſorum Virorum, ſuave Chriſti jugum ſub arctioris vitæ inſtituto laudabiliter portantium, curam gerentes, felici, proſperoque illorum regimini, & gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, providere jugiter ſtudeamus. Expoſuit ſiquidem Nobis nuper Dilectus Filius noſter Nicolaus S. R. E. Diaconus Cardinalis Acciajolus nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, quod, cum Provinciæ Bononienſis, & Marchiæ dicti Ordinis, propter multitudinem Conventuum, & amplitudinem circuitûs utriuſque illarum, aliaſque difficultates, quæ in dies inſurgunt, vix poſſint à ſuis reſpectivè Miniſtris Provincialibus bis quotannis totæ, & ſicut Conſtitutiones Ordinis præfati præſcribunt, & ſpiritualis Religioſorum utilitas exigeret, viſitari, ipſe Nicolaus Cardinalis, & Protector de ſtatu Provinciarum hujuſmodi, ex Superiorum, aliorumque Fratrum qualificatorum ejuſdem Ordinis relationibus edoctus, recto earumdem Provinciarum gubernio, Regulariſque obſervantiæ in eis conſervationi plurimum conducibile fore exiſtimat, ſi utraque illarum in duas dividatur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ejuſmodi Provinciarum diviſiones, abſque ſpeciali Noſtro, & hujus S. Sedis indulto fieri nequeant; Nobis propterea dictus Nicolaus Cardinalis, & Protector humiliter ſupplicavit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Nicolai Cardinalis, & Protectoris votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Nicolao Cardinali, & Protectori, ac Dilecto Filio Miniſtro Generali dicti Ordinis, ut ipſi per ſe ipſos, vel per aliquos Fratres, expreſsè Profeſſos Ordinis prædicti, quos ad id cenſuerint delegandos, utramque ex Provinciis Bononien. & Marchiæ prædictis in duas dividere, ac quoſcumque Fratres cujuslibet ex Provinciis hujuſmodi reſpectivè ad concurſum paſſivum ad Definitoratum in Capitulo dicti Ordinis proximè celebrando, prout ſecundùm Deum expedire eis videbitur, pro hac vice tantùm habilitare, necnon, ſive in actu diviſionis hujuſmodi, ſive poſtea ſecundum temporis exigentiam, auctoritate Noſtra Apoſtolica ſegregare ab iiſdem Provinciis, & aggregare aliis contiguis, ac etiam ſegregare à Provinciis contiguis Ordinis, & aggregare illis Provinciis, quæ per diviſionem hujuſmodi noviter formabuntur, illos Conventus, quos ita reſpectivè ſegregari, & aggregari pro majori bono ejuſdem Ordinis expedire judicaverint, ac aliam quamcumque proviſionem, & diſpoſitionem circa diviſionem, formationem, & gubernium earumdem Provinciarum, quam quælibet emergens cauſa requirere poſſet, ſecundùm datam ſibi à Domino prudentiam, & pro eorum arbitrio facere liberè, licitè, & validè poſſint, & valeant, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate Apoſtolica prædicta, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitu-

ſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qua vis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Novembris MDCLXXVII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

J. G. Sluſius.

Autog. in Secret. Brevium Apoſt. Reg. Menſis, & Anni præd. fol. 15.

N O T A.

In executionem hujus Apoſtolici Brevis Diviſio in Comitiis Provincialibus, in Civitate Parmenſi celebratis, ſubſecuta eſt modo, & forma in ſequenti Decreto contentis.

IN NOMINE DOMINI. Nos Frater Bernardus à Portu Mauritio totius Fratrum Minorum Capucinorum Ordinis Miniſter Generalis. (l. 1.)

CUM Summus Pontifex Nobis concedat Provinciam Bononienſem in duas dividi, Nos ejuſdem Summi Pontificis Innocentii XI. mandatis obtemperare volentes, decrevimus, prout in præſenti Decreto decernimus ad majorem Dei gloriam, Religionis bonum, & incrementum, & Chriſtifidelium utilitatem, præfatam Provinciam Bononienſem in duas dividere Provincias, propter rationes, in ſupra poſito Brevi contentas, ſicut de facto auctoritate Apoſtolica Nobis in eodem conceſſa dividimus, videlicet in Provinciam Bononienſem, quæ habebit Conventus ſequentes: Bononiæ, Ferrariæ, Ravennæ, Arimini, Cæſenæ, Faventiæ, Forolivii, Imolæ, Sanctæ Agatæ, Sancti Arcangeli, Argentæ, Bagnacaballi, Bertinori, Butrii, Caſtri S. Petri, Ceſenatici, Centi, Comacli, S. Joannis in Perſiceto, Lugi, Mutilianæ, Veruchii, Caſtri Bononienſis, Mirandulæ, & Concordiæ. Et in Provinciam Lombardiæ, quæ habebit Conventus ſequentes, videlicet: Parmæ, Placentiæ, Mutinæ, Reggii, Carpi, Corriggii, Finalis, Scandiani, Florentiolæ, Burgi S. Domnini, Fontis vivi, Caſtri S. Joannis, S. Martini Eſtenſis, Saxoli, S. Secundi, Caſtri novi Carfagnanæ, Bozoli, Caſalis Majoris, Novellariæ, Sablonetæ, Vitilianæ, Vaſtallæ, Buxeti: & ita in duas diviſas Provincias, quarum prior, ſicut antiquitùs, nuncupanda erit Bononienſis, altera verò Lombardiæ: & ne per hanc diviſionem religioſa, & fraterna charitas in ullo ſentiat detrimentum, ſub mutuo amoris igne inter utramque Provinciam, ut decet Viros Religioſos, ſemper perurgeat, & magis in dies creſcat; ideò præcipuè injungimus, ut animabus Fratrum Defunctorum ex utraque Provincia, ab omnibus, tam Sacerdotibus, quàm Clericis, & Laicis conſueta in perpetuum ſuffragia fiant Miſſarum, Officiorum &c. ac ſi Provincia adhuc integra foret. Et, ut penitus ab iiſdem eliminentur omnia, quæ proceſſu temporis diſſidia, & contentiones gignere poſſent, per hoc idem Decretum decernimus, omnes Conventus tam ex Provincia Bononienſi, quàm Lombardiæ manere, ac ſubſiſtere, ſicut olim, cum iiſdem quæſtuationibus, eodem modo diſpoſitis. Super quibus nihil omnino à quopiam, quàm à Nobis, & Succeſſoribus Noſtris, ſub quovis prætextu valeat immutari, ſeu innovari: Declarantes ipſo facto irritum, quidquid aliter, & in contrarium fiet, ſeu attentari contigerit: Ita dicimus, decernimus, dividimus, nuncupamus, aſſignamus, declaramus, & volumus hoc, & omni alio meliori modo. In quorum fidem &c.
Datum in Conventu noſtro Parmæ die 20. Octobris 1679.

Fr. Bernardus Miniſter Generalis.

Locus Sigilli.

Patres Provinciæ Bononiæ.

Fr. Deodatus à Bononia, Miniſter Provincialis.
Fr. Franciſcus Maria à Bagnacaballo, Definitor.
Fr. Angelus à Caſtro S. Petri, Definitor.
Fr. Carolus Maria à Ceſena, Definitor.
Fr. Bartholomæus à Carpo, Definitor.

Patres Provinciæ Lombardiæ.

Fr. Bartholomæus à Zibello, Miniſter Provincialis
Fr. Vincentius à Parma, Definitor.
Fr. Bartholomæus à Caſtro Vetro, Definitor.
Fr. Innocentius à Carpo, Definitor.
Fr. Cherubinus à Corrigio, Definitor.

EPI-

EPISTOLA

Sacræ Congregat. Epiſcopor. & Regular.

Erectio Monaſterii Monialium Ravennæ Archiepiſcopo ibidem committitur.

In Lat. trad. RElatis in una Congregatione ſpecialiter Deputata iis, quæ Amplitudo Tua per Literas ſuas ſub Datum 11. Maji proximè elapſi, quoad inſtantias nonnullarum Puellarum in Conſervatorio inibi cum Ejuſdem licentia commorantium, & ſupplicantium pro facultate hoc ad formalem Monaſterii Clauſuram reducendi, ſtrictamque, & primam Sanctæ Claræ Regulam profitendi, expoſuit, Eminentiſſimi Domini mei benignè condeſcendentes cenſuerunt, Amplitudinis Tuæ arbitrio remittendam eſſe prædictæ fundationis conceſſionem ſub Regula Sanctæ Claræ, ſubjectione Ordinario pro tempore, & cum facultate duas ejuſdem Inſtituti Moniales, præcedente tamen harum, & Ordinarii earum conſenſu, illuc transferendi, quæ in dicto novo Monaſterio per tres annos duntaxat cunctentur, ſi tamen tot pro inducenda, & ſtabilienda Diſciplina Regulari neceſſarii Amplitudini Tuæ videantur. Translatio autem hujuſmodi fiat viâ rectâ, ſine diverticulo, & gravium Matronarum, &, ſi fieri poſſit, Conſanguinearum comitatu. Conceditur inſuper Amplitudini Tuæ facultas Puellas completo probationis anno ad Profeſſionem admittendi, & earum numerum præfigendi, in quo ad capacitatem habitationis, & quantitatem eleemoſynarum à piis Benefactoribus ſperandarum, ſpeciatim attendat. Cumque Monialibus Monaſterii prædicti ex eleemoſynis vivere conveniat, caſuſque, quo hæ deficiant, obtingere poſſit, Eminentiſſimi Domini mandant, ut in caſu neceſſitatis nonnullus Locus pius ad ſubminiſtranda neceſſaria in forma probante obligetur, haud aliter, ac hîc Romæ cum Monialibus Capucinis, idem Sanctæ Claræ Inſtitutum profitentibus practicatur. De cetero &c.

Romæ 22. Auguſti 1681.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni prædictorum.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Pro alienatione Domûs earundem Monialium Monaſterio incorporatæ, aut à Capitulo Cathedrali, & Communitate conſenſum præberi, aut hunc à Sancta Sede ſuppleri ſancitur.

Ravennaten.

ÆDificato nuper Conventu pro Monialibus Capucinis, & detecto nimis anguſto, pro illius decenti ampliatione, Joſeph de Sfortiis domum ſuam dicto Conventui contiguam, licet ſub directo dominio Capituli Cathedralis, vendidit dictis Monialibus pretio 570., quam Ordinarii permiſſu Clauſuræ incorporârunt, & ſex ab hinc menſibus circiter Moniales ipſæ inhabitant.

Supplicârunt ergo Moniales indulgeri Capitulo, ut illas de dicta Domo empta, & abſque Beneplacito Apoſtolico clauſuræ incorporata, inveſtire valeret ſub obligatione perſolvendi annuatim Capitulo Canonem duorum denariorum, & bononeorum ſex, ac ſolitum Laudemium Bononeorum ſex pro renovatione ſingulis 29. annis facienda, juxta ſolitum aliarum Inveſtiturarum.

Sacra Congregatio die 17. Martii præteriti attenta relatione Archiepiſcopi reſcripſit pro gratia, dummodo idonea Perſona loco Monialium ſe, ejuſque Hæredes in forma valida obliget ad ſolutionem Canonum, & Quindemiorum in perpetuum.

Decretum hoc, licet ad Partes in conſueta forma tranſmiſſum, nondum fuit executioni demandatum, quia in ſupplici libello erratum fuit in expreſſione Laudemii ſingulis 29. annis perſolvendi in Bononeis decem, non autem ſex, ac ulterius non expreſſum fuerat præciſè, quod vigore concordiæ, inter Capitulum, & Communitatem Ravennæ initæ de Anno 1434. prohibetur expreſsè Capitulo hujuſmodi bona tranſmittere ad manus mortuas, ac &c. ob præjudicium, quod evenit Capitulo, cum amplius nequeat Domus ad Eccleſiam titulo devolutionis reverti, ideoque his ſtantibus, Capitulum noluit præſtare aſſenſum.

Reformato itaque libello, modo nunc ſuperius expreſſo, ſuper eo iterum Archiepiſcopus informare juſſus expoſita comprobavit, ſuumque denuo protulit Votum his verbis: *Quibus non obſtantibus videtur concedi poſſe gratia petita, quæ Monialibus eſt omnino neceſſaria, cum jam Domus intra clauſuram poſita ſit, & in ea cæptæ ſint ædificari neceſſariæ officinæ, nec videtur conſiderandum præjudicium, quod Canonicis, & eorum Succeſſoribus accidere poteſt, cum illud valde remotum ſit, quandoquidem vigore concordiæ præfatæ poſſunt Laici ex quocunque contractu tam in-*

ter vivos, quàm in ultimis voluntatibus de bonis in ea comprehenſis diſponere, unde ſit, ut rarò admodum bona ex hoc capite ad Eccleſias revertantur, imò hoc novum non eſt, cum Capitulum prædictum, aliæque Eccleſiæ multa bona aliàs conceſſerint Locis Piis, & Eccleſiis, quemadmodum conſtat ex publicis documentis.

Die 17. *Novembris* 1685. *Sacra Congregatio reſcripſit: Capitulum, & Communitas deducant eorum jura in Congregatione.*

At Archiepiſcopus aſſerens hìc non agi de intereſſe Communitatis, & Capituli, neque ullum eis ex hujus gratiæ conceſſione præjudicium oriri poſſe, ſtante, quod pauperes Capucinæ domum, eis omnino neceſſariam, fabricæ incorporarunt, preces enixè fundit pro gratia.

Die prima Februarii 1687. *S. Congreg. attenta relatione Archiepiſcopi Ravennaten. cenſuit, ſi SSmo D. N. placuerit, poſſe per ſuas Literas Apoſtolicas in forma Brevis eidem committi, quatenus denuo requirat Capitulum, & Communitatem, ut præfatæ Domus alienationi, præſtare velint conſenſum, illiſque conſentire renuentibus, eumdem conſenſum Auctoritate Apoſtolicæ Sedis præſtet, & ſuppleat, ſervata cæteroquin forma Decreti, ab eadem Sacra Congregatione editi ſub die* XVII. *Martii* MDCLXXXV.

P. Columna Præf.

A. Altoviti Secret.

Ex Reg., ſeu lib. 37. *Decret. Congreg. Menſis, & Anni prçd. fol.* 63.

N O T A.

Numerum earumdem Monialium ad 23. augeri indultum eſt ſequenti Sac. Congreg. Epiſc., & Regul. Decreto.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot.; & conſult. Epiſc., & Reg. præpoſita, attentâ relatione Archiepiſcopi Ravennaten., eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis numerum Monialium ad 23. *pro ſuo arbitrio, & conſcientia juxta petita augeat. Romæ* 30. *Septembris* 1735.

Franc. Card. Barberinus.

C. Archiep. Calcedonen. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſis, & Anni præd.

Provinciam â ſuperintendentia duorum Hoſpitiorum Regni Poloniæ eximit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs pro parte tunc exiſten. Commiſſarii Generalis, Ordinis S. Franciſci Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſito, quod, cum Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Joannes Poloniæ Rex illuſtris, pro ſingulari ſua erga dictum Ordinem devotione, Fratres ejuſdem Ordinis in Regnum Poloniæ introduci, duoque pro illis Hoſpitia, unum quidem in Civitate Cracovienſi, alterum verò in Oppido Varſaviæ Poſnanien. Diœceſis erigi, & inſtitui plurimùm deſideraret. Definitorium Generale dicti Ordinis, ſuum ſuper ea re conſenſum præſtiterat, idque etiam â dilecto Filio noſtro Felice, S. R. E. Diacono Cardinali Roſpiglioſio, tunc Felice nuncupato, Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Comprotectore approbatum fuerat; Nos piis memorati Joannis Regis votis favorabiliter annuere cupientes, ſupplicationibus ejuſdem Commiſſarii Generalis, Nobis tunc ſuper eo humiliter porrectis inclinati, ipſi Commiſſario Generali duo Hoſpitia pro Fratribus dicti Ordinis, unum quidem in Civitate Cracovienſi, alterum verò in Oppido Varſaviæ prædictis, dummodo tamen Ordinariorum locorum reſpectivè ad id accederet aſſenſus, etiam nullo requiſito, nec deſuper interveniente quorumcumque Regularium, in Domibus Regularibus vicinis degentium conſenſu, ita tamen, ut duo Hoſpitia hujuſmodi â Provincia Bononienſi Ordinis prædicti dependerent, illique ſubordinata eſſent, nec Novitii ad Habitum Regularem in illis ullo modo recipi poſſent, niſi ſervatis aliàs ſervandis, Auctoritate noſtra Apoſtolica erigendi, & inſtituendi, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, eadem auctoritate conceſſimus, & impartiti ſumus, volentes & pari auctoritate decernentes, ut eadem duo Hoſpitia, poſtquam ſic erecta fuiſſent, & Fratres in eis pro tempore commorantes juxta Conſtitutiones, pro felici eorum gubernio â præfato Felice Cardinale, & Comprotectore faciendas regi, & gubernari deberent, nec ipſa Hoſpitia ſubinde â prædicto Ordine Fratrum Minorum Capucinorum abſque expreſſa hujus Sanctæ Sedis licentia deſeri unquam valerent, neque ſine pari ejuſdem Sedis licentia aliæ duæ Domus Regulares, ſive Hoſpitia præfati Ordinis in Regno ſupradicto erigi, & inſtitui ullo modo poſſent. Porrò prædictis duobus Hoſpitiis, poſtquam, ut præfertur, erecta fuiſſent, ac Fratri-

tribus in eis reſpectivè pro tempore degentibus, ut licet Fratres ipſi ſenarium numerum in quolibet eorundem Hoſpitiorum reſpectivè non implerent, nihilominus ab omnimoda Ordinariorum præfatorum reſpectivè juriſdictione, viſitatione, correctione, cura, & gubernio exempta, & exempti exiſterent, ac huic S. Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjacerent, nec non omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, gratiis, & indultis, quibus Conventus ejuſdem Ordinis, & Fratres in eis commorantes tam de jure, uſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & poſſent in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſent, & valerent, auctoritate prædicta conceſſimus, & indulſimus. Ac demum Fratribus, in dictis duobus Hoſpitiis pro tempore commorantibus, & in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutis, Sacramentales Chriſtifidelium Sæcularium ad eos recurrentium Confeſſiones, dummodo tamen priùs ad id à locorum Ordinariis reſpectivè approbati fuiſſent, audiendi, eoſque à ſuis peccatis pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ injungenda fuiſſent, eis injunctis, abſolvendi facultatem impartiti ſumus; & aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur. Cum verò poſtmodum dilectus Filius Procurator Generalis ſupradicti Ordinis Nobis exponi feciſſet, quod uno ex dictis Hoſpitiis jam in dicto Oppido Varſaviæ erecto, dilecti pariter Filii Miniſter Provincialis, & Definitores ſupradictæ Provinciæ Bononienſis, cui dicta Hoſpitia, ut præfertur, ſubordinata erant, experti, ſuperintendentiam præfati Hoſpitii jam erecti, & fundationem alterius rem ſibi eſſe valde oneroſam, tum propter magnam eorum locorum à dicta Provincia diſtantiam, & quod plenam eorum, quæ ad ſalubre gubernium ſpectabant, notitiam habere nequirent, tum, quod ipſi prædictis Hoſpitiis de Fratribus tantùm ſuæ Provinciæ præfatæ, ſeu ſaltem Provinciæ Lombardiæ providere deberent, quod ſibi admodum difficile erat, & magni incommodi, ſummopere deſiderabant à ſuperintendentia hujuſmodi, & gubernio dictorum Hoſpitiorum liberari, eaque relinquere diſpoſitioni Superiorum Generalium dicti Ordinis, unde propter majorem eorum auctoritatem, & quod ſibi eos Fratres ex toto Corpore ipſius Ordinis aſſumere valerent, quos ei rei magis aptos judicaſſent, extimabatur fundationem hujuſmodi, à dicto Rege ad perfectionem jam fere adductam, poſſe animarum ſaluti magis proficuam, zeloque, & pietati ejuſdem Regis magis reſpondentem, ac cum majore decore ipſius Ordinis provenire: Nobiſque propterea idem Procurator Generalis ſupplicari feciſſet, aſſerens vota dicti Regis, ac Felicis Cardinalis, & Comprotectoris, & Superiorum ipſorum antedictorum in id concurrere, ut dictos Miniſtrum Provincialem, & Definitores Provinciæ Bononienſis à ſuperintendentia, & gubernio Hoſpitiorum hujuſmodi liberare, ac ipſa Hoſpitia diſpoſitioni dictorum Superiorum Generalium committere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſupplicem libellum hujuſmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam remiſimus. Porrò dictaCardinaliumCongregatio per ſuum Decretum die 3. Octobris proximè præteriti emanatum, eundem ſupplicem libellum ſibi, ut præfertur, à Nobis remiſſum memorato Felici Cardinali, & Comprotectori remiſit, ut veris exiſtentibus narratis, circa ſupradictas Oratoris preces id ſtatueret, quod pro ſuo arbitrio, & prudentia in Domino expedire cenſuiſſet. Ac demum dictus Felix Cardinalis, & Comprotector, auctoritate ſibi à dicta Congregatione per ejus Decretum antedictum attributâ, ſupramemoratos Miniſtrum Provincialem, & Definitores Provinciæ Bononienſis, & Ordinis hujuſmodi præſentes, & futuros, à ſuperioritate, & gubernio memoratorum Hoſpitiorum Regni Poloniæ abſolvit, & liberavit, eademque Hoſpitia ſuperioritati, & gubernio Superiorum Generalium ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentium commiſit, ſubjecit, & commendavit, & aliàs, prout uberiùs in ejus Decreto continetur deſuper edito, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Felix Miſeratione Divina Sanctæ Agathæ Diaconus S. R. E. Cardinalis Roſpiglioſius Ordinis Fratrum Capucinorum apud S. Sedem Apoſtolicam Comprotector, Auctoritate Nobis in retroſcripto Decreto Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, PP. Provincialem, & Definitores Provinciæ Bononienſis dicti Ordinis Fratrum Capucinorum præſentes, & futuros à ſuperioritate, & gubernio memoratorum Conventuum, ſeu Hoſpitiorum Regni Poloniæ, tenore præſentium abſolvimus, & liberamus, eoſdemque Conventus, ſeu Hoſpitia ſuperioritati, & gubernio admodum RR. Patrum Superiorum Generalium dicti Ordinis pro tempore exiſtentium committimus, ſubjicimus, & commendamus, quibuſcunque non obſtantibus. Datum ex ædibus noſtris hac die 12. Novembris 1687. Fel. Card. Roſpiglioſius Comprotector L. ✠. S.

Cum autem, ſicut idem ſupradictus Procurator

rator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe hujuſmodi Decretum dicti Felicis Cardinalis, & Comprotectoris, quò firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ Confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſideret: Nos ejus votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententi s, cenſuris, & pœnis á jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine ſuper hoc Nobis humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinſertum à memorato Felice Cardinale, & Comprotectore editum, ut præfertur, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ Firmitatis robur adjimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus ſunt contraria, prædictis Noſtris literis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, Provinciæ Bononienſis, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIV. Decembris MDCLXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

I. F. Albanus.

Breve formatum in Archivo Generali Ordinis Armario, Cuſtodia Poloniæ.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Concordia Dominos Merlinos inter- & Moniales Forolivii ratione Domûs inita firmatur, & à Merlinis ad vices hujus ſcuta 500. Monaſterio ſolvi, Epiſcopo ibidem committitur.

FOROLIVIEN.

Moniales Capucinæ, quibus uſque de anno 1673. S. Mem. Clemens X. applicavit inter cetera Bona, quamdam Domum in Civitate poſitam, & ad præſens poſſeſſam à Comite Philippo, & aliis de Merlinis, renuentibus illius poſſeſſionem dimittere, prætextu, quod adimpletæ non fuerint conditiones appoſitæ in Teſtamento, quibus eadem Bona relicta fuerant, ad evitandas ulterjores lites, diuturnitates, & diſpendia, mediante communium Amicorum tractatu, devenerunt ad concordiam, qua Merlini ſolvunt ſcuta 500. Monaſterio, & vice verſa Oratrices cedunt eiſdem jura ſibi ſuper dicta Domo competentia, ſupplicant pro beneplacito.

Die 25. Junii 1695: Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Epiſcopi Forolivien. benignè commiſit ibidem, ut, veris exiſtentibus narratis, & poſtquam compererit Oratricibus expedire, petitam facultatem concordandi pro ſcutis quingentis, atque cum aliis pactis, & conditionibui neceſſariis, & opportunis pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratricibus gratis impartiatur. Ita tamen, ut eadem ſcuta quingenta in ſtabilibus tutis, atque fructiferis, ad commodum, & utilitatem Monaſterii reinveſtiantur, ſeu ad hunc effectum deponantur, donec inveniatur inveſtimentum.

B. Pallavicinus Secret.

Ex Reg. ſeu lib. 45. Secret. Congreg. menſ. & anni fol. 369.

NO-

N O T A.

Fuit ab hoc Monaſterio primò mota, & agitata cauſa contra Parochum, Sacramenta Sororibus Quæſtuantibus miniſtrare prætendentem, de qua ſupra fol. 229. & quæ in earum favorem deciſa eſt, ut ſequitur:

IN Cauſa Forolivienſi vertente inter Venerabile Monaſterium, & Moniales Capucinas, ac Joannem Baptiſtam Lacchinum Parochum Sanctæ Luciæ ejuſdem Civitatis, propoſita fuerunt infraſcripta dubia, nempe:

Primum. An miniſtratio Sacramentorum tam tempore Paſchali, quàm in ultimis infirmitatibus, & Jus ſepulturæ, privativè ſpectet ad Parochum Sanctæ Luciæ, quoad binas Sorores quæſtuantes inſervientes Monaſterio Capucinarum in caſu?

Secundum. An, & pro quibus, invito dicto Parocho, liceat Capellano Confeſſario ejuſdem Monaſterii, Sedes confeſſionales publicè expoſitas pro miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ retinere?

Tertium. An idem Parochus habeat jus quæſtuandi in Eccleſia Capucinarum pro Sanctiſſimo Sacramento, & Animabus Purgatorii.

Sacra Congregatio &c. viſa relatione Epiſcopi Forolivienſis, Partibus auditis, & informantibus, referente Eminentiſsimo Corſino, ad ſupraſcripta Dubia infraſcriptum in modum reſpondendum cenſuit, videlicet:

Ad Primum, negativè in caſu.
Ad Secundum, affirmativè, quoad duas inſervientes.
Ad Tertium, Negativè. Romæ 18. Auguſti 1719.

Ex Reg. Monialium Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Moniales Terræ Mutilianæ, Fratribus noſtris ibidem, ſingulis annis libras 200. olei, 25. ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ, & hebdomadatim ferculum bononeorum 20. [non obſtante prætensâ horum incapacitate] ſubminiſtrari debere ſancitur.

FAVENTINA LEGATORUM.

IN aſſignatione bonorum facta per Conſtantiam Severolam Anno 1657. ad effectum fundandi in Terra Mutilianæ vel Beneficium Eccleſiaſticum, vel Monaſterium Monialium, tria onera Fundatrix impoſuit. Primùm, annuæ præſtationis librarum centum olei, pro manutentione lampadis ante Sacras Reliquias in Eccleſia Patrum Capucinorum dictæ Terræ. Secundum, librarum vigintiquinque ceræ albæ. Tertium, unius ferculi valoris ſolidorum viginti ipſis Patribus Capucinis per ſingulas hebdomadas ſubminiſtrandi.

Sequuta de anno 1686. Monaſterii fundatione, recuſant Moniales ſubminiſtrare dictas Præſtationes, ſub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capucinorum, quare ad inſtantiam Alexandri Ronconi, tamquam unius de Populo, citatis, & informantibus quoque Monialibus declarari humiliter ſupplicatur.

Primò. An Monaſterium Monialium teneatur ſubminiſtrare ſingulis annis dictas libras centum olei, & 25. ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ Fratrum Capucinorum?

Secundò. An ſimiliter teneatur ſubminiſtrare ſingulis hebdomadis ferculum bononeorum 20. pro ipſis Capucinis?

Die 2. Martii 1697. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, ad primum reſpondet affirmativè. Ad ſecundum cenſuit, ſervanda eſſe Decreta Congregationis Fabricæ die 14. Februarii 1633.

J. Card. Sacripantes Præf.

F. Nunez Sac. Conc. Cong. Secr.

Ex Reg. ſeu lib. 47. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 81.

NO-

N O T A.

Decretum Congregationis Fabricæ S. Petri, quod circa cauſam agitatam, ſeu circa Legata Fratribus relicta communiter ſervandum eſſe decrevit, Sacra Congregatio Concilii ſancivit, eſt ſequens.

CUM ſæpius fuerit habitus recurſus ad Sacram Congregationem Vener. Fabricæ S. Petri ſuper annuis Legatis factis, ſeu faciendis ad favorem Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, cum onere Miſſarum, ſeu Officiorum, ſive gratis, ſive alio modo.

Prætendente Venerabili Fabrica Sancti Petri ad illam ſpectare, propter dictorum Fratrum incapacitatem hujuſmodi Legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus, poſſe annua Legata hujuſmodi recipere tuta conſcientia, quatenus Hæres ex ſua libera voluntate illa dare in eleemoſynam, & committere Fratribus dictas Miſſas, & Officia voluit, juxta ſententiam S. Bonaventuræ, & Decreta S. Congregationis, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Fratrum Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci Ciſmontanæ Familiæ conſultationibus præpoſita ſub die 4. Junii 1628. publicata.

Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmiſſorum proviſione, facta prius relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano Papæ VIII. de illius expreſſo ordine, & mandato decrevit, in futurum ſuper hujuſmodi Legatis obſervari, ut infra.

Quod hujuſmodi Legata per Debitores, vel Hæredes non extinguantur, vel reducantur per compoſitionem cum Miniſtris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo, ſed illorum Capitale, ſive ſors principalis, vel proprietas, abſque ulla diminutione conſerventur ſemper, & perpetuò ad effectum, ut in uſus, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti benè viſos applicari poſſint. Ita tamen, ut, quamdiu applicationem ſpecialem auctoritate Apoſtolica fieri non contigerit, Hæredes, vel Debitores poſſint liberè, ſi velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata, per eoſdem Fratres recipienda in eleemoſynam, non autem per eos exigenda.

Et quod quævis extinctio, reductio, ſeu diminutio Capitalis, ſeu proprietatis, aliter abſque Romani Pontificis ſpeciali permiſſione facta, eo ipſo nulla ſit, nec Debitoribus, aut aliis quibuſcumque ſuffragetur.

Quodque Commiſſarii, aliique Miniſtri Venerabilis Fabricæ ſuper hujuſmodi Capitali, ſeu proprietate ſupradicta, ſe de cetero non intromittant, nec dictos Hæredes, ſeu Debitores aliquo modo moleſtent, niſi ad effectum reinveſtiendi, in caſu reinveſtimenti, ſeu providendi, ut conſerventur, ut ſupra, aut aliàs in applicationis executionem, auctoritate Apoſtolica factam, vel faciendam.

Et quod volentibus dictis Hæredibus, vel Debitoribus dare dictis Fratribus dictas eleemoſynas, ſeu annuas præſtationes, ſive legata, ut ſupra, ſolvere, vel aliàs illa non ſolventibus, tunc in eo caſu, lapſis duobus annis à die obitûs Teſtatorum, ſi fuerit maturatum legatum, vel à die maturatæ ſolutionis illius, eadem Fabrica, vel illius Commiſſarii, & Miniſtri, id totum, quod ſolutum non fuit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut ſupra elapſum biennium, vel ultra, poſſit, & valeat annuas præſtationes hujuſmodi exigere, exigique facere, ad ſuum beneficium, juxta ſuas facultates, & privilegia, ſalvo ſemper Capitali, ſeu proprietate, ut ſupra ad effectum, quod Hæredes, vel Debitores (dummodo de iis per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem aliter non fuerit diſpoſitum, nec prædicta Legata in alios uſus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) poſſint, ſi velint, etiam quomodocumque fuerint, temporibus, & ſic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemoſinam, ut ſupra, nec Fabrica eoſdem Hæredes, vel Debitores moleſtare poſſit, & valeat, toties, & quoties caſus contigerit, niſi pro præterito, & tunc illis terminis tantum, poſt quorum maturationem fuerit elapſum biennium, vel ultra, ut ſupra: ſalva ſemper erectione Beneficiorum, & applicatione Legatorum, ſeu quorumcumque bonorum, & redditıuum, ac jurium eiſdem beneficiis, ſeu aliis uſibus piis Apoſtolica auctoritate facta, vel impoſterum, quandocumque, & quomodocumque facienda, & executione literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum, ſeu expediendarum, ita, ut præfata Decreta ad illas nequaquam ſe extendant, ſed illæ ſemper firmæ, & illæſæ remaneant, & ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri debeant, ita, quod neque Fabrica, neque Hæredes, vel Debitores præfati ullo modo illas impedire, retractare, vel controvertere valeant, & ſalvis ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac facultatibus competentibus dictæ Sacræ Congregationis Venerabilis Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus ſupradictis ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ne audeant, ſeu præſumant, neque quilibet eorum audeat, ſeu præſumat, per ſe vel per alios Syndicos, Miniſtros, ſeu Procuratores, tam Seculares, quàm Regulares, dictas annuas præſtationes, ſeu Legata, nec judicialiter, tam coram quocumque Judice Eccleſiaſtico, quam Sæculari, Ordinario, vel Delegato, nec aliàs, niſi juxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci, Ciſmontanæ Familiæ, conſultationibus à Sanctiſſimo Domino Noſtro deputatæ, ab Hæredibus, ſeu quibuſvis aliis eorum Debitoribus petere, minuſve dictis Hæredibus, ſeu Debitoribus facere aliquas receputas pro dictis annuis præſtationibus, niſi pro rata, & pecunia, ſeu eleemoſynis ſupradictis cum effectu, ac verè, & realiter eiſdem Fratribus data, vel ſoluta, ſeu datis, vel ſolutis, nec ſub alia data, niſi ſub ea, quâ verè fuerit iiſdem Procuratoribus, aut aliis pro eis facta realis ſatisfactio, & inſuper nec proviſos Apoſtolicos pro tempore de beneficiis, quibus Legata ſupradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & Miniſtros ſuper erectione Legatorum directè, vel indirectè impedire, vel moleſtare, quovis quæſito colore, vel prætextu audeant, vel præſumant. Datum Romæ ex Collegio ejuſdem Sacræ Congregationis die 14. Februarii 1633.

Dominicus Cardinalis Ginnaſius.

C. de Ghettis OEconomus.

Exempl. impreſſum, & Auth. in Arch. Ord. Arm. Provincia Bononienſis.

DE-

DECRETO

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Demolitio Hoſpitii in Civitate veteri Cerviæ, & fundatio novi in Civitate nova conceduntur.

Eminentiſs. ac Reverendiſs. Domini.

FR. Gregorius à Cervia, Guardianus Capucinorum Ceſenæ, Provinciæ Bononienſis, humillimus EE. VV. Orator reverenter exponit, quod Religio ejus in Civitate veteri Cerviæ pro Religioſorum itinerantium, & quæſtuantium commodo Hoſpitium habuerit, & ex ſumma Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementia, mediante Domino Theſaurario Generali, pro alio Hoſpitio in Civitate nova Cerviæ, quoddam ſubſidium aſſignatum fuerit. Dum autem Orator Hoſpitium antiquum, ceu inutile, & ſupervacaneum, ad materialia illius novæ Fabricæ applicanda, demolire parabat, EE. VV. licentiam pro hujuſmodi demolitione, ſibi neceſſariam ſuppoſuit: quapropter Orator & humillimè ad EE. VV. pro tali facultate ad finem expreſſum recurrit, ne quid, quod conſcientiam ejus aggravet, & EE. VV. diſpliceat, intraprendat. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſsimorum, ac Reverendiſsimorum S. R. E. Cardinalium, negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, audita relatione P. Procuratoris Generalis Ordinis, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore, benignè committit Epiſcopo Cervien., ut veris exiſtentibus narratis, petitam facultatem ad limites primì Hoſpitii pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratori impertiatur. Romæ die 9. *Maji* 1704.

G. Card. Carpineus.

N. Grimaldus Secret.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ. & anni præd.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Cong. Epiſc., & Regular.

Cauſa ex motivo Crucis, prope viam horti Domûs Ravennæ appoſitæ, à Parocho S. Joannis in Fonte excitata, poſt iteratam diſcuſſionem, Eminentiſſimo Dom. Cardinali Legato pro compoſitione remittitur.

IN Cauſa Ravennaten. inter Antonium Begardum Parochum S. Joannis in Fonte ex una, & Conventum, & Fratres Capucinos ejuſdem Civitatis Partibus ex altera, de, & ſuper infraſcriptis dubiis, nempe

Primò. An ſit removenda Crux appoſita ſupra vicum Horti, & impeditiva tranſitûs curruum, & reponenda in locum ſuum?

Secundò. An ſit reponenda in priſtinum ſepis attentatè abſciſſæ prope eumdem Hortum, in caſu &c.

Sacra &c. attenta relatione Archiepiſcopi Ravennaten. Partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Grimaldo, cenſuit, ac decrevit, quod Viſitator Apoſtolicus cum facultatibus ejuſdem Sacræ Congregationis curet omnino componere Partes. Romæ 17. *Septembris* 1712.

Repropoſita cauſa ſub 7. *Junii* 1715. *Partibus ipſis informantibus, & referente eodem Eminentiſſimo Grimaldo, Sacra Congregatio prædictam remittendam cenſuit, prout præſentis Decreti tenore benignè remiſit controverſiam hujuſmodi Eminentiſſimo Legato, ut cum prænarratis facultatibus curet omnino componere Partes. Romæ* 7. *Junii* 1715.

Card. Paraccianus.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ. & anni præd.

DECRETO

Sac. Congreg. Concilii.

Nominationem Capellani &c. à Guardiano Domûs Comacli ſuſtineri declaratur.

Comaclenſis Electionis.

JOannes Ognibene in ſuo ultimo, cum quo deceſſit, teſtamento, demandavit, ut Sacerdos eligeretur, qui Miſſas pro Anima ſua celebraret, & quod electio pertineret ad P. Guardianum Capucinorum, & ſub-Priorem S. Auguſtini Civitatis Comaclen., ad quos etiam pertinere deberet ſtatuere numerum Miſſarum celebrandarum, eos *rogando, quatenus ex amore Dei in hoc opere ex charitate ad gloriam Suæ Divinæ Majeſtatis, & dicti Teſtatoris beneficium ſe ſe occuparent*: & licet aliqua in Codicillo immutâſſet, firmam nihi-

nihilominus voluit remanere electionem per agendam â dd. PP. Guardiano videlicet, & ſub-Priore: *maneat in dictorum RR. PP. Guardiani, & Sub-Prioris prædicti facultate eligendi alios Religioſos, dummodo ſint Comachienſes*.

Ad tramites teſtamenti, & codicilli facta fuit Anno 1667. â P. Guardiano, & â Patre Sub-Priore nominatio Sacerdotis Natalis Caſſiani de Cavaleriis, nec ulla tunc orta fuit controverſia, ex quo uterque in eandem Perſonam conſenſit, ſed cum ſecuta vacatione Capellaniæ, P. Guardianus Capucinorum devenerit ad nominationem Sacerdotis Cavalerii, & P. Sub-Prior ad nominationem Sacerdotis Joſephi Feletti, controverſia inter nominatos excitata eſt, contendente Feletto, ſibi adjudicandam eſſe Capellaniam, ex quo propter incapacitatem P. Guardiani Capucinorum totum jus nominandi, per jus accreſcendi, ſeu non decreſcendi devenit ad Sub-Priorem: & excipiente Cavalerio, Capellaniam ſibi eſſe adjudicandam, tum, quia P. Guardianus capax eſt dicti juris nominandi, tum, quia ipſe nominatus eſt ex linea, â Teſtatore prædilecta.

Quoad incapacitatem P. Guardiani Felettus affert textum in Clementina Exivi §. *Verum etiam de verborum ſignificatione* ibi *prædictis Fratribus non licet, nec competit, quia potius conſiderata puritate ſtatus ſui, debent ſibi ſcire interdictum, quod hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant, & licet ſubdantur hæc alia verba, cum dicti Ordinis Profeſſores pro nulla re temporali poſſint in judicio experiri &c.: hæc autem ſæpius abſque litigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri*; quæ verba reſtricta eſſe videntur ad res temporales, cum tamen litigii ratio ſe extendat etiam ad quædam jura, vel ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, hinc deducit, Capucinos, & alios ſtrictiſſimam paupertatem profitentes, juris nominandi, ſeu præſentandi reputandos eſſe incapaces.

Cavalerius econtra capacem omnino reputat P. Guardianum, cum nedum propter præcedentem præſentationem ſit in poſſeſſione præſentandi, & nominandi, ſed etiam, cum actus pietatem concernat, & charitatem reſpiciat, & abſque ſuſpicione fraudis, vel mixtura uſus, ſeu adminiſtrationis pecuniarum, & bonorum, cujus ratione prohibitio inducta eſt, expleri valeat, ut in terminis Teſtatoris, qui bona reliquerat pro dotatione puellarum, & nominationem commiſerat P. Guardiano Capucinorum, & Priori Sanctiſſimi Sacramenti, argumentatur Cardinalis de Luca de teſtamentis *diſc.* 16. *num.* 10. & 11.

His ſtantibus dignabuntur EE. VV. decernere,

An nominatio P. Guardiani Capucinorum ſuſtineatur? & cui ex nominatis ſit adjudicanda Capellania in caſu &c.

Fuitque 19. *Decembris* 1722. *reſolutum, ut ſequitur: adjudicandam eſſe Capellaniam Thomæ de Cavaleriis in caſu &c., & ad mentem.*

Ex Theſauro reſolut. Tomo ſecundo fol. 246. & 252.

N O T A.

Quantumvis Deciſio hæc, allegatæ capacitatis, vel incapacitatis noſtræ rationem non tangat, & nominationem P. Guardiani duntaxat approbet, ceu factam in Perſona *de linea â Teſtatore prædilecta*, nihilominus adducta in Tomo primo fol. 187. & in hoc Tomo ſecundo ſupra fol. 145. Monumenta abunde juris nominandi nos capaces eſſe convincunt, hinc & P. Guardianus Comaclenſis idliberè exercere ſpecialiter perget.

D E C R E T O

S. Cong. Epiſc., & Regul.

Fundatio Novæ Domus in Terra Criſpini, Archiepiſcopo Ravennatenſi committitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Fratres Minores S. Franciſci Capucini, humillimi EE. VV. ſervi, neceſſitatem Conventûs in aere ſalubri Territorii Civitatis Ferrarien. ad FF. Infirmorum, & Convaleſcentium beneficium conſtruendi agnoſcentes, amplexi ſunt occaſionem illum erigendi in Terra Criſpini ſub Legatione Ferrarien., & Dioec. Ravennaten. ad littus Padi ſita, & 18. milliaribus â Civitate Ferrarien. diſſita, cum nec in dicta Terra, nec in ejus vicinia, alia Regularium Domus reperiatur. Quapropter, cum conſenſus Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Ravennaten. Archi-Presbyteri loci, & Communitatis juxta adjuncta authentica teſtimonia adſit, pro prædictæ fundationis facultate EE. VV. humillimè ſupplicant. Quam &c. *Lib. ſupplex in Lat. trad.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſc., & Regul. præpoſita, attentâ relatione Archiepiſcopi Ravennaten. referente Eminentiſſimo Paulutio Præfecto cen-

cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore committit eidem Archiepiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, ac auditis aliis Regularibus, & Parocho, intereſſe habentibus, poſtquam ſibi conſtiterit fabricam prædicti novi Conventus cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, dormitorio, hortis, & aliis Officinis neceſſariis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, quodque ex piorum Benefactorum eleemoſynis ſaltem 12. Religioſi commodè ali poſſint, ad præfatam erectionem, & reſpectivè Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio, & conſcientia, ſervatis ſervandis deveniat, ita tamen, ut ea omnia, quæ per Sacros Canones, S. Concilium Tridentinum, & Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti, circa hujuſmodi novarum Religioſarum Domorum erectiones præſcripta ſunt, Religioſè ſerventur. Romæ IX. *Julii* MDCCXXIII.

F. Card. Paulutius.

V. Archiep. Damaſc. Secret.

Ex Reg. Secret. Congr. Menſ., & Anni præd.

Petium terræ ad Montium Abbatiam SS. Perpetuæ, & Felicitatis, Ordinis S. Benedicti ſpectans, Fratribus Faventiæ pro ampliatione horti donandi, Emo Cardinali Bernardo Mariæ de Comitibus, Abbati, ſeu Commendatario perpetuo facultatem largitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Cuſtos Conventus Faventin. Provinciæ Bononienſis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod dictus Conventus præ nimia horti, quem habet, anguſtia, non modica eorum alimoniæ ſubſidiorum, quæ ex hujuſmodi cultura retrahi ſolent, penuria laboret, illiuſque Fratres versùs veſperum deambulandi, animumque laxandi facultate careant, ac inſuper grave incommodum ſentiant ex eo, quod dictus hortus ſupra viam publicam ſitus reperiatur, qua ratione juvenes ſtudentes congreſsus ſcholaſticos inſimul veſpere, juxta eorum morem, liberè peragere nequeunt: juxta verò clauſuram Conventûs prædicti reperiatur quoddam terræ petium quantitatis duarum tornaturarum, menſuræ illarum partium, ad Montium Abbatiam, nuncupatam Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis, S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis, Civitatis Faventinæ ſpectans, & à reliquis bonis dicti Monaſterii ſeparatum, annui redditûs ſex circiter ſcutorum monetæ, quod dilectus Filius noſter Bernardus Maria, S. R. E. Presbyter Cardinalis de Comitibus nuncupatus, modernus dicti Monaſterii Abbas, ſeu perpetuus Commendatarius memorato Conventui pro ampliando hujuſmodi horto gratìs concedere intendit, ſi noſtra, & hujus S. Sedis ſibi ſuper hoc licentia ſuffragetur, & facultas. Nobis propterea dictus Cuſtos humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Cuſtodem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Bernardo Mariæ Cardinali, Abbati, ſeu perpetuo Commendatario, ut ipſe præfatum petium terræ ſupradicto Conventui pro ampliatione dicti horti perpetuò concedere, & donare liberè, & licitè poſſit, & valeat, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Montis prædicti, etiam juramento &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die III. Martii MDCCXXVII. Pontificatûs Noſtri Anno tertio.

Pro F. Card. Oliverio.

C. Archiep. Emiſſenus.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ., & Anni præd. fol. 96.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Domui noſtræ Cæſenæ, duo petia Vinearum, partim ad Seminarium, partim ad Confraternitatem S. Homoboni inibi ſpectantia, pro inſtituenda ſylva alienari indulgetur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſupplex InLat. trad. Guardianus, & Capucini Civitatis Cæſenaten. humillimi EE. VV. Oratores, debita reverentia exponunt, quod Conventum ſitu Sylvæ neceſſariæ ampliare cogantur, cum quæſtuatio lignorum in dicta Civitate, ejuſque confinio ob tranſportationem ad Conventum in colle ſituatum, nimis ardua, & difficilis reddatur. Hinc, cum Pius Benefactor 100. ſcuta, in terreno hujus pretii inveſtienda ad hunc effectum obtulerit, Oratores ad DD. Electos Seminarii Cæſenaten. ad habendum petium Vineæ Conventui contiguæ, & ab aliis Seminarii bonis ſegregatæ, recurrerunt, qui etiam cum EE. VV. licentia id alienare intendunt, cum occaſio dictas pecunias in alio terreno, magis utili, inveſtiendi adſit. Inſuper Oratores partem dictæ Vineæ, cum petio ſimili ad Confraternitatem S. Homoboni, ſpectante unire cupiunt, cum Vinea Seminarii, Vineæ Confraternitatis ſit contigua, quatenus clauſuram perfectè quadrare valeant. Quapropter ſupplicant pro gratia &c., quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſs., & Reverendiſs. S. R. Eccleſiæ Cardinalium negot. & conſultat. Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Cæſanaten., Eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus expedire cenſuerit, facultatem juxta petita pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut pretium obventurum tam Seminario, quàm ſocietati, in aliis bonis ſtabilibus, liberis, & fructiferis, favore eorumdem Seminarii, & Societatis, ſub pœnis contra Regularium bona alienantes impoſitis, in caſu contraventionis omnino incurrendis, integrè, fideliter, unicoque contextu inveſtiatur. Romæ XI. *Januarii* MDCCXXXII.

Card. Franc. Barberinus Præf.

I. Archiep. Cor. Secret.

Ex Regeſto, Secret. Congreg. Menſis, & Anni præd.

RESCRIPTO.

Privilegium Altaris in Eccleſia Domûs S. Joannis in Perſiceto ad omnes hebdomadæ ferias extenditur.

Beatiſſime Pater.

Guardianus, & Religioſi Capucini Conventûs S. Joannis Diœc. Bononienſis obſequioſiſſimè Sanctit. Veſtræ exponunt, quod, licet in ipſorum Eccleſia S. Joannis in Perſiceto, gratioſiſſimè ab ipſa Sanctit. Veſtra conſecrata, ſit Altare per tres ferias hebdomadatim privilegiatum, nihilominus hoc non ſufficiat ad ſatisfaciendum continuæ Benefactorum petitioni, & inſtantiis pro Miſſis in Altari privilegiato celebrandis. Hinc, ut Sanctitas Veſtra privilegium hujuſmodi ad omnes hebdomadæ ferias extendere dignetur, humillimè ſupplicant. Quam &c. *Lib. ſupplex inLat. trad.*

Foris: *SSmo D.N.PP.* Benedicto XIV.

Pro Guardiano, & Religioſis Capucinis Conventûs S. Joannis in Perſiceto.

Reſcriptum: *Ex Audientia Sanctiſſimi Die* 2. *Menſis Decembris* 1740.

Sanctiſſimus benignè annuit pro extenſione dictæ gratiæ Altaris Privilegiati, uti petitur, voluitque ex actu Suæ Clementiæ, ut ſuffragetur, etiam abſque expeditione Brevis.

Joſeph Livizani Secret.

Orig. in Arch. Conventûs.

PRO-

PROVINCIA LOMBARDIÆ.

QVemadmodum clara hæc Inſubriæ Provincia communem cum Provincia Bononienſi habuit ortum, ita & promiſcuum Juſtitiæ Diſtributivæ cum eadem tenuit gubernium, uſque dum ſubſequa Anno 1679. partitio utrique ſingularis Provinciæ contulit prærogativas.

Ex ea, vel adhuc unita, vel diviſa, pullulârunt Viri tum officiis Ordinis, tum proſapiæ claritate, tum virtutis honore, tum ſanctioris vitæ odore conſpicui.

In Ordinis officiis, effulget P. Antonius à Mutina, Miniſter Generalis Fratrum, & Frater Germanus celebris in Hiſtoria Belli Ducis, & Comitis Raymundi Montecuculi, de quo primo videſis Tom. 1. fol. 92.

Ad munus Procuræ Generalis evectus eſt Fr. Felicianus Placentinus, qui hæreditariam ex Marchionum Lampugnanorum Sanguine nobilitatem peculiari vitæ integritate cumulavit, & jura Religionis, & auctoritatem noſtri P. Procuratoris Curiæ acriter defendit.

Officio Definitoris Generalis functi ſunt: Fr. Romualdus à Parma, ex Illuſtri Comitum Caſtellinarum Gente, quem Sereniſſimus Dux Odoardus Lue Epidemica Parmæ graſſante, ſuum Vice-Ducem, & Illuſtriſſimus D. Epiſcopus ſuum Vicarium conſtituêre; quem Sereniſſimus Raynutius II. ob gravia negotia ad Catholicum Hiſpaniarum Regem ablegavit, & in cujus exequiis turmatim confluens Populus illius exuvias, ſeu S. Reliquias collegit.

Fr. Joachimus à Soranea, ſacra & prophana eruditione illuſtris, & Linguæ Hebraicæ apprimè gnarus, ita, ut Hebræorum perfidiam ſæpius felici lucro confunderet.

Obit hoc idem munus in præſentia Fr. Joannes Maria à Parma, cui nativa virtus regimen Provinciæ, Commiſſiones extra Provinciam, & Officium Conſultoris Sancti Officii Inquiſitionis Parmæ prius impoſuerat.

Inter Viros proſapiæ claritate præſtantes recenſeo: Fr. Joannem Baptiſtam, ſeu Alphonſum II. Mutinæ Ducem, de quo in Bullarum ſerie fuſior redibit memoria.

Fr. Eleutherium à Placentia, ex antiqua Aragoniorum Appiani Familia, olim Plumbini Principe, qui in prædicta Hiſpanica Legatione P. Romualdi fuit Comes, & ultimus unitam adhuc Provinciam, ceu Miniſter Provincialis gubernavit.

Fr. Ludovicum à Sancto Secundo, ex præclaro de Rubeis Stemmate, Comitatûs S. Secundi Domino, de quo, dum avitos honores ille ſub raræ humilitatis Lacerna occultavit, Typus publicus ſplendorem virtutis exaltavit.

Oculis noſtris obverſantur Viri parto virtutis honore fulgentes, videlicet Fr. Antonius Maria Piſcatorius à Parma, Archiepiſcopus Epheſinus primò, & jam Eccleſiæ Gallipolitanæ Præſul, de quo Tom. 1. fol. 216.

Fr. Michael Angelus à Rhegio Lepidi, Sacri Palatii Apoſtolici Concionator, de quo in ſerie Bullarum. San-

Sanctioris vitæ odore poſt mortem vivunt: Fr. Remigius à Bozolo, Agri Mantuani loco, qui per Italiam, & Germaniam Commiſſarius Cœnobia utili luſtravit zelo, & cujus vitam, quam magis abſtinentia, quàm menſâ paſcebat; exiſtimationem, quâ ultimæ ejus luctæ Sereniſſimi Bavariæ Principes Maximilianus Elector, & Albertus cum Conjugibus aſtiterunt; & effuſum ad ejus funeralia Populi confluxum, quem noſtra Sacra Ædes Monachii non capiebat, amplè in ſua Bavaria Pia R. P. Mathæus Raderus Societaiis Jeſu deſcribit.

Fr. Joſephus Maria à Carpio, Eremita dictus, ob Eremitorium Mutinę abs eo conſtructum, & pœnitentis innocentię exemplo ſanctificatum.

Fr. Peregrinus à Paullo, qui ob morum candorem Sanctus, ob zelum Prædicationis Apoſtolus, & ob mirabilia, quæ operatus eſt, Thaumaturgus ſuit appellatus.

Fr. Bonaventura à Mutina, ex Marchionum Bevilaquiorum Stirpe, cujus vita, virtute, & prodigiis ita corruſcavit, ut Typus publicus eam reddiderit mundo perennem.

Tandem (ut plures alios reticeam) Fr. Franciſci à Banione fama per totam pene Europam ita percrebuit, ut Supremi Principes, præſertim Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, illius videndi, & penes ſe habendi cupidine traherentur, quin Sereniſſimus Raynutius II. illum à ſe avelli pateretur. Schedis Benedictionum, quas typis impreſſas, & manu ſua ſignatas Franciſcus diſpenſaverat, Deus mirorum effectuum addidit virtutem, ita ut adhuc noſtro hoc tempore devotâ conquirantur aviditate.

Rara denique hujus Provinciæ gloria eſt, ex tenero Seren. Ducum Farneſiorum in eam affectu dimanans: præterquam enim, quod Alteſati Principes benignâ liberalitate Domos fundaverint, fundataſque continuis elemoſinis foverint, etiam eorum cineres Fratribus relinquere conſueverunt, ita quidem, ut in eiſdem cryptis, in quibus Fratrum cadavera ſepeliuntur, eodem, & ipſi Ordinis Habitu, eodemque humili apparatu, ſemota, die humationis, omni pompa, & faſtu, ad exemplum Magni Alexandri Ducis, qui primus hoc conditorium, & Habitum, emiſsâ quoque votorum noſtrorum Profeſſione, ſibi ſelegerat, quieſcere voluerint, Hinc dum Capharonia Ducis Eſtenſis Alphonſi, ſeu Fr. Joan. Baptiſtæ oſſibus gloriatur, Parma Farneſiorum exuviis decoratur.

Numerat pro præſenti ſtatu:
Domos Fratrum XXXI.
Monaſteria Monialium Strictæ Obſervantiæ V.
Capucinarum Privilegiatarum I.
Capucinarum Tertiariarum II.



Hor-

Hortum, aliàs per Teſtamentum Conſtantiæ Zobolæ Pauperibus Chriſti hypotheticè relictum, à Comite Horatio Malegutio Hærede, Fratribus pro fundatione Domûs, & Eccleſiæ Rhegii tradi, Epiſcopo Loci committit.

A tergo. *Venerabili Fratri, Epiſcopo Regienſi.*

GREGORIUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Horatius, natus quondam Annibalis Malegutii Regien. quod aliàs quondam Conſtantia Zobola, dum vixit relicta quondam Sigiſmundi, etiam Malegutii, Patritii Regien. in ſuo ultimo, quod condidit, Teſtamento, Hæredem ſibi univerſalem inſtituit dictum Annibalem, ipſius Sigiſmundi Fratrem, dictique Annibalis Filios, & Deſcendentes in perpetuum, cum legatis diverſis ad ſummam duorum millium ſcutorum aſcendentibus, vel excedentibus, volens, & mandans, quod deficiente linea præfati Annibalis, hæreditas ipſius, quæ conſiſtit in una poſſeſſione in Villa Argeni, Regien. Diœceſis, & in uno horto, in Civitate Regienſi in vicinia Sancti Blaſii, & in via, quæ dicitur Tiradora, juxta ſuos confines, donetur Pauperibus Chriſti, declarandis per ſuos Fideicommiſſarios; poſtea verò idem Annibal, ſolutis de ſuis propriis bonis illis legatis duorum millium ſcutorum, ſuum ultimum condidit Teſtamentum, in quo duos ejus Filios, videlicet dictum Horatium, & quondam Flaminium, ſuos inſtituit Hæredes univerſales, volens, & màndans, quod ipſis decedentibus abſque filiis, ſeu illorum linea deficiente, poſſeſſio, & hortus hujuſmodi, prius Conſtantiæ, deberent poſſideri à quibuſdam ſuis Conſanguineis, & hoc quouſque eis ſolverentur præfata duo millia ſcutorũ, per ipſum Annibalem, pro diverſis ejuſdem Conſtantiæ legatis ſolutis, ut ſupra: qua ſumma præfatis Conſanguineis ſic ſoluta, tunc poſſeſſio, & hortus prædicti pervenirent ad Pauperes Chriſti, eligendos per dictos Fideicommiſſarios, juxta formam Teſtamenti dictæ Conſtantiæ, & aliàs, prout in dictis Teſtamentis, ſeu illorum inſtrumentis reſpectivè plenius contineri dicitur.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, nunc cupientes Fratres Ordinis Capucinorum in dicta Civitate Regienſi novam ibi Eccleſiam, & Domum fundari, ac erigi, ipſique non habentes, nec invenientes alium locum pro hujuſmodi ædificiis conſtruendis, niſi præfatum hortum, rogaverint dictum Horatium, ipſius Annibalis Filium, & Hæredem, ut ipſum hortum illorum Religioni, ſeu Congregationi amore Dei donare, & offerre vellet, dictuſque Horatius conſiderans ſalutiferum eſſe in Cœlo theſaurizare, piæ illorum petitioni libentiſſimè annuit, nihil de ſuo, & Filiorum, & Deſcednentium ſuorum damno cogitans: qui Horatius, quamvis etiam huc-uſque ſolutus, & ſine filiis exiſtat, habilis tamen eſt ad habendum, & procreandum, ſed, quia dubitat, quod, ſi ipſe præfatum hortum daret eiſdem Capucinis, & poſtea ſine Filiis decederet, Conſanguinei ipſius poſſint adire ipſum hortum, quouſque ſibi ſolverentur illa duo millia ſcutorum, & etiam Fideicommiſſarii præfatæ Conſtantiæ poſſent nolle habere Capucinos pro Pauperibus Chriſti, ſed ad ſuum libitum illa bona diſpenſare, unde in eo caſu expellerentur dicti Capucini ab hujuſmodi horto.

Propterea idem Horatius cupiens in vita ſua, non obſtante quocumque damno ſuo, ac ejus Filiorum, & Deſcendentium, dictis Capucinis ſatisfacere; hortum ipſum eiſdem Capucinis dare, Conſanguineis verò pro ſumma duorum millium ſcutorum ab ipſa poſſeſſione extrahendorum, ac pauperibus Chriſti pro reſiduo pretii dictæ poſſeſſionis talem cautionem, ut ſtatim deficiente ejus linea, & Conſanguineis ipſa duo millia ſcutorum ſolvantur, & Pauperibus Chriſti per Fideicommiſſarios dictæ Conſtantiæ reſiduum pretii dictæ poſſeſſionis diſtribuatur, præbere intendat.

Sed, quia ſtante Teſtamento præfatæ Conſtantiæ, in quo ipſa Teſtatrix vult, hortum ipſum, deficiente linea dicti Horatii diſtribui pauperibus Chriſti, arbitrio ſuorum quorumdam Fideicommiſſariorum, ſuum, & dictorum Capucinorum hac in parte nequeat adimplere deſiderium, niſi per Nos de opportuno ſuper hoc provideatur remedio, idcirco ipſe Horatius Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ſibi ſuper his opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac dicti Teſtamenti, ſeu illius Inſtrumenti tenorem, necnon poſſeſſiones, & horti prædictorum ſituationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, denominationes, & . . . . etiam annuos valores præſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ præſentibus committimus, & mandamus, quatenus, ſi præmiſſa Nobis expoſita, ita eſſe Tibi legitimè conſtiterit, eidem Horatio, ut di-

ctum

ctum hortum præfatis FF. Capucinis pro eorum Domo, & Eccleſia in dicto horto ædificandis, cum juribus, & pertinentiis ſuis univerſis in perpetuum dare, tradere, & aſſignare, ipſis verò Fratribus Capucinis, ut eumdem hortum ab eodem Horatio ad effectum eorum Eccleſiam, & Domum ibidem, ut præfertur, conſtruendi, recipere, & perpetuò retinere, liberè, & licitè reſpectivè valeant, data per ipſum Horatium, ut præfertur, cautione Conſanguineis, videlicèt pro ſumma duorum millium ſcutorum, à præfata poſſeſſione extrahendorum, pauperibus verò Chriſti præfatis pro reſiduo pretii ejuſdem poſſeſſionis, ad hoc, ut ſtatim deficiente ejuſdem Horatii linea, dicta duo millia ſcutorum Conſanguineis ſolvantur, & pauperibus per Fideicommiſſarios dictæ Conſtantiæ reſiduum pretii ipſius poſſeſſionis diſtribuatur, ita quod ipſi Fratres Capucini nullo unquam tempore ab horto præfato, illiuſque ſitu, & eorum poſſeſſione per Fideicommiſſarios, & pauperes Chriſti præfatos, aut alios quoſcumque, quavis auctoritate, vel prætextu ejici, expelli, vel amoveri, aut aliàs deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri poſſint, vel debeant, quinimo ipſi pro veris pauperibus Chriſti, quoad dictum hortum conſequendum, etiam tamquam ſi ipſi Fratres Capucini ab eadem Conſtantia ad hujuſmodi hortum habendum expreſsè electi, ac nominati fuiſſent, ipſaque Conſtantia illos in ejuſdem horti poſſeſſionem etiam ex tunc immiſiſſet, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas; necnon ipſos Fratres Capucinos, etiam tamquam pauperes Chriſti in locum ſupradictorum, & quorumcumque aliorum Pauperum Chriſti, per dictam Conſtantiam, in ejus Teſtamento præfato, in genere, ut præfertur, vocatorum, quoad eumdem hortum in omnibus, & per omnia ex nunc etiam in perpetuum ſurroges, ponas penitùs, & ſubſtituas, dictæ Teſtatricis voluntatem, etiam quoad hoc opportunè, & ſufficienter commutando. Non obſtantibus præmiſſis, ac voluntate Teſtatricis hujuſmodi, & Fideicommiſſo præfato, & quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon etiam Civitatis Regien. & Ordinis Capucinorum prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, legibus, etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam motu proprio, conſiſtorialiter, ac aliis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, & ſpecifica mentio habenda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

Breve form. in Archivo Provinciæ.

Eccleſiam ruralem Sancti Laurentii, in Territorio Caſalis Majoris exiſtentem, à Præpoſitura S. Abundii Cremonæ, prius ad Ordinem Humiliatorum ſpectante, & poſtea in Commendam Archangelo Cardinali Theanen. nuncupato conceſsâ, cum agro contiguo diſmembrari, & Fratribus pro habitatione, & uſu conſignari indulget.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

AD exequendum Paſtoralis officii debitum vigilantibus ſtudiis intendentes, votis illis, per quæ Religioſarum Domorum erectionibus, & in illis divinis laudibus inſiſtere cupientibus, præſertim ſub Regularis obſervantiæ diſciplina, mundanis abjectis illecebris, ſtudio piæ vitæ vacantium Perſonarum ſuſtentationi, & commoditati, vel divini cultûs augmento valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac ea, prout expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis.

Sanè Dilectus Filius Noſter Archangelus Tituli S. Cæſarii in Palatio, Presbyter Cardinalis Theanen. nuncupatus, qui Præpoſituram S. Abundii Cremonen. olim Ordinis Humiliatorum, nunc ſuppreſſi, & ad ſecularitatem Apoſtolica auctoritate redacti, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica in Commendam, ad ejus vitam obtinet, Nobis nuper expoſuit, quod ipſe Archangelus Cardinalis animadvertens, Fratres Ordinis Minorum Capucinos nuncupatos, diverſarum Domorum Cremonenſis, & aliarum vicinarnm Diœceſum eleemoſynas, pro eorum ſubſtentatione neceſſarias, præſertim tempore hyemali, in illis partibus, à Civitatibus, & locis, ſeu oppidis remotis, propter magna frigora, nives, & glacies exquirere coactos, maxima incommoda pati, & propter eorum vitam exemplarem, & regularem divini cultûs obſervantiam, populo illarum partium gratos, & acceptos eſſe; ut illorum neceſſitatibus ſubveniatur faciliùs, & commoditatibus conſulatur, ruralem, & ſine cura Eccleſiam

ſiam S. Laurentii, ſitam in Territorio Caſalis Majoris Cremonen. Diœceſis, eidem Præpoſituræ Apoſtolica auctoritate unitam, annexam, & incorporatam cum quodam agro ſedimine, aliàs *proprietate* nuncupato, perticarum paulò plus vel minus decem, & octo, eidem Eccleſiæ contiguo, juxta ſuos veros confines, ſub Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito concedere, ejuſque rei causâ diſſolutioni unionis, annexionis, & incorporationis hujuſmodi ad effectum prædictum conſentire decrevit.

Quare dictus Archangelus Cardinalis, tam ſuo, quàm Dilectorum Filiorum Generalis Miniſtri, & Fratrum Capucinorum hujuſmodi nominibus, Nobis humiliter ſupplicavit, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad Partes, vocatis quorum intereſſet, alioquin unio non valeret, Generalem Miniſtrum, & Fratres præfatos, eorumque ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incorporationem præfatas, ipſius Archangeli Cardinalis ad hoc expreſſo accedente conſenſu, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò diſſolvimus, & remanentibus ipſi Præpoſituræ ceteris omnibus dictæ Eccleſiæ bonis, proprietatibus, juribus, & actionibus, agrum prædictum à Præpoſitura præfata diſmembramus, & ſeparamus, necnon Domum prædicti Ordinis apud eamdem Eccleſiam Sancti Laurentii cum clauſtro, Dormitorio, & ceteris officiis, & officinis pro uſu, & habitatione unius Guardiani, & Fratrum ipſius Ordinis erigimus, & inſtituimus, ac Eccleſiam Sancti Laurentii prædictam, cujus fructus, redditus, proventus, jura, bona, proprietates, & actiones eidem Præpoſituræ (ut præfertur) remanent, per diſſolutionem hujuſmodi, aut aliàs vacantem, necnon agrum ſic ſeparatum, ac diſmembratum eidem Guardiano, & Fratribus, qui illam juxta ritus, & mores ſuos inhabitent, & reforment, pro Eccleſia, Domo, clauſtro, ac horto, ac aliis ædificiis, illi neceſſariis, conſtruendis aſſignamus, illaque acceptandi, conſtruendi, & in illis ſic erectis habitandi licentiam concedimus, ita, quod Generalis Miniſter, & Fratres præfati illorum poſſeſſionem corporalem per ſe ipſos, vel alium, ſeu alios, Ordinarii, vel cujuſvis alterius licentiâ minimè requiſitâ, apprehendere abſque cenſurarum incurſu, liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus, non obſtantibus voluntate Noſtra præfata, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis, necnon fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, qua cavetur expreſsè inter alia, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſores, loca ad habitandum de novo recipere, ſeu recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione ejuſmodi expreſſam mentionem faciente, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac Ordinis prædicti, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordini, illiuſque Superioribus, & Perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, Decretis, ſeu aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis; quibus omnibus, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret &c. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Proviſo, quod Eccleſia Sancti Laurentii præfata debitis non defraudetur obſequiis, ſed ejus ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Noſtræ abſolutionis, diſſolutionis, diſmembrationis, ſeparationis, inſtitutionis, conceſſionis, indulti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, die vigeſima prima Septembris, Pontificatus Noſtri anno quarto.

Autograph. in ſecretioribus Archivi Vaticani Tabulariis, de quo Bulla formata in Archivo loci Caſalis Majoris, & copia authentica in Archivo generali Ordinis Arm. Provincia Lombardiæ.

Fr. Petrum à Placentia, ab Archiconfraternitate Confalonis de Urbe pro Captivorum redemptione Algerium, & ad alias Africæ partes ablegatum, variis facultatibus communit.

Dilecto Filio Petro Placentino, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Algerium, aliaſque ad partes Africæ nomine Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe pro captivis redimendis ſis propediem de licentia noſtra profecturus: Nos ſalutem animarum ipſorum captivorum expetentes, Tibi facultatem tribuimus confeſſiones quorumcumque Chriſtianorum Algerii, & in aliis Africæ partibus præfatis, ad quas Te declinare contigerit, exiſtentium audiendi, illoſque à quibuſvis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, & in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac etiam contentis in literis, die Cœnæ Domini legi ſolitis (non tamen hæreſis, læſæ Majeſtatis, & delationis prohibitorum ad partes infidelium) necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, injuncta illis ſalutari pœnitentia, abſolvendi, atque ſuper quacumque irregularitate quomodolibet (præterquam ex homicido voluntario, & bigamia) contracta cum perſonis, etiam in Presbyteratus Ordine conſtitutis in foro conſcientiæ duntaxat, ita, ut Miſſas celebrare, & aliàs in divinis miniſtrare valeant, diſpenſandi; præterea ſuper bonis, quæ captivi habuerint malè parta, erogatâ ſaltem aliquâ portione in beneficium aliorum captivorum, ſeu in aliam eleemoſynam arbitrio Tuo diſponendi, illaque eis concedendi, & condonandi. Necnon cum iis, qui aliquo conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu prohibito conjuncti (exceptis primo, & ſecundo gradibus) aut impedimentis Cognationis ſpiritualis, non tamen inter levatum, & levantem, ſeu publicæ honeſtatis juſtitia obſtantibus, matrimonium inter ſe contraxerint, illis abſolutione ab excommunicatione, & inceſtus reatu, ac exceſſibus hujuſmodi in utroque foro priùs impertita, & pœnitentia ſalutari injuncta, ad hoc, ut non obſtantibus graduum, & aliis hujuſmodi impedimentis, matrimonium hujuſmodi inter ſe de novo, etiam abſque ullis ſolemnitatibus contrahere, & in eo, vel, ſi id ex juſtis cauſis fieri non poterit, in contracto hujuſmodi matrimonio remanere licitè poſſint, misericorditer diſpenſandi, proleſque inde ſuſceptas, & ſuſcipiendas legitimas decernendi: ac etiam pro uſu locorum, & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum dictarum partium paramenta Eccleſiaſtica benedicendi. Denique, ut uberior, & certior animarum ubique fructus provenire poſſit, Tibi, ut, ſi hæc omnia prædicta commodè facere nequiveris, unum, vel plures Sacerdotes, tam ſeculares, quàm regulares, quatenus opus fuerit, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, loco Tui, cum ſimili, vel limitata poteſtate deputare liberè, & licitè valeas, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Decembris MDLXXXIV. Pontificatus Noſtri anno tertiodecimo.

N O T A.

(a) *Tom. 2. Annal. fol. mihi 167.*
(b) *Part. 2. Flor. Seraph. fol. mihi 382.*

MAgni nominis Virum fuiſſe Fr. Petrum ſupramemoratum teſtantur æquè noſtri Boverius (*a*) & Arembergius (*b*) quorum uterque ejus vitam zelo prædicationis, & ſpiritu charitatis celebrem fusè collaudat, ac fortius id innuit Apoſtolica illius Algerium (quod alii Juliam Cæſaream vocant) legatio, ut ibi Chriſtianos, ſub diro ſervitutis jugo gemenres, redimeret. Opus hoc ut facilitaretur, illi, præter Fr. Philippum à Roccacontrata, duo viri ſeculares, videlicet Joannes Sanna, & Ludovicus Grummius adjuncti fuére. Fauſtus fuit illorum ibi appulſus, cum plures illico, ſolutis captivitatis vinculis, beneficium libertatis adepti ſint, quos dicti Viri ſeculares Romam cum exultatione conduxére, Petro in reliquorum ſolatium ibi permanente, & *Domino* in proximo *ſerviente, cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, & teſtificeante* tum Chriſtianis, tum *Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Lues Epidemica dum locum invaſit, & Petrum corripuit, ferventiore ſtudio infectis miniſtrantem, eumque charitatis ſacrificium fecit & ſpolium mortis; hanc in conſpectu Domini pretioſam fuiſſe docet, quæ eam præceſſit, res admiranda, à prædictis Auctoribus in locis citatis ita deſcripta: *Cum in Sacello, in quo Petrus Sacra Miſſæ Myſteria celebrare ſolebat, geminæ Sancti Rochi, & Sancti Sebaſtiani imagines, diſtinctis tabulis depictæ eſſent, quæ medium Sancti Leonardi iconem, velut oſtio concludebant, hoc tempore illæ ſudorum, ac lachrymarum guttas effundere viſæ, quæ ſæpius à Fratre Philippo Petri ſocio exterſæ, haud tamen exſiccari poterant, ſed tamdiu tum ex fronte, tum ex oculis erumpere cernebantur, donec Petrus ſpiritum Deo redderet: quo tempore, uterque poſtis, præfatis imaginibus inſignitus, nullo, præterquam Dei imperio occluſus, imaginum aſpectum hominibus ſubripuit.*

INDULTO PONTIFICIO.

Curam Animarum ab Eccleſia Parochiali S. Joannis Baptiſtæ Corrigii ſeparari, hancque pro conſtructione Domûs Fratribus conſignari decernitur.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

Epiſtola commendationis. PRO parte Domini Fabritii â Corrigio Illuſtriſſimæ Dominat. Veſtræ pro gratia, â Sanctiſſimo procuranda ſupplicatur, ut cura Animarum de Eccleſia Parochiali S. Joannis Baptiſtæ, diſtrictûs dictæ Terræ Corrigienſis ſeparetur, & 3. aliis Eccleſiis Parochialibus magis vicinis, & opportunis aſſignetur, quatenus prædicta Eccleſia cum Domo, & contigui terreni parte FF. Capucinis pro conſtruendo ibi Conventu tradatur, & ex ejuſdem Eccleſiæ redditibus Altare in beneficium ſimplex, quo impræſentiarum Rector ejuſdem Parochialis gaudet, intra dictam Terram in Eccleſia Collegiata S. Quirini, cum onere Miſſæ, pro quolibet die feſto erigatur. Ad quod tam Reverendiſſimus Epiſcopus Regii, & modernus ejuſdem Eccleſiæ Rector, quàm homines ejuſdem Parochiæ, in parvo numero exiſtentes, ob Eccleſiam, cui aſſignabuntur, cuilibet eorum magis opportunam, tam ipſi Rectores Parochiarum ob utile, ex emolumentis incertis (uti ex Inſtrumentis publicis, quorum copia Illuſtriſſimæ Dominat. Veſtræ jam fuit communicata, conſtat) iis accedens, conſentiunt.

3. *Julii* 1585. *Sanctiſſimus D.N. annuit, conſentiente Ordinario, & Rectore, præſertim, cum Animarum cura in ea Parochia ſit admodum exigua.*

A. Card. Caraffa Præf.

Ex Reg., ſeu lib. 4. *Congreg. Conc. fol.* 52.

NOTA

Indulto ejuſdem Sacræ Congregationis, D. Vicario Regii per epiſtolam intimato, pro quadrando Conventûs horto permutatio petii terræ cum alio contiguæ Eccleſiæ conceſſa eſt, ut ſequitur:

ILluſtriſſimi Domini mei indulgent, ut PP. Capucini Corrigii &c. terrenum cum alio Eccleſiæ, eorum Conventui vicinæ permutent, quatenus hortus, qui difformis dicitur, quadrari poſſit, ita tamen, ut conſenſus Beneficiati illius Eccleſiæ accedat. Hinc ita fieri permittet &c. Romæ 16. *Auguſti* 1604.

Ex Reg. Secret. Congreg. Anni, & Menſis præd. fol. 38.

EPISTOLA

Sacræ Congreg. Epiſcopor. & Regul.

Conſtructio Monaſterii Monialium in Civitate Parmæ, Epiſcopo committitur.

In Lat. trad. FActæ ſunt inſtantiæ S. Congregationi â Civitate Parmæ pro licentia erigendi Monaſterium Monialium Capucinarum ſimile illi, quod eſt in hac alma Urbe, & pro ſecuritate victûs fuit expoſitum, quod quædam illius Civitatis Confraternitas ad providendum tam neceſſitati ipſarum Monialium, quàm erectioni Monaſterii ſe obliget: hinc Illuſtriſſimi Domini reſolverunt, quod, ſi Amplit. Tua de obligatione taliter facta ut defectus neceſſitatis timeri non debeat, fuerit informata, Monaſterium conſtruendi licentiam largiatur, & quando clauſura ad perfectionem fuerit redacta, & ſecura, poterit Monialibus Capucinis ingreſſum concedere, præfigendo tamen earum numerum, qui Amplit. Tuæ conveniens videbitur, & diſponendo, quod pro hujuſmodi effectu neceſſarium judicabit, ad quod vigore præſentium Eidem omnis tribuitur facultas. Romæ 10. Dec. 2606.

Ex Reg. Secret. Congreg. Anni, & Menſis præd. fol. 101. *Vide & infra conceſſionem Confeſſarii ex Ordine.*

Fr. Nicolao Mantuano Sereniſſimæ Annæ Catharinæ Auſtriæ Archiduciſſæ Confeſſario, in hujus ædibus cum Socio morari indulget.

Dilecto Filio Nicolao Mantuano Fratri Ordinis Capucinorum.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.

PIis, ac devotis ſupplicationibus Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobilis Mulieris, Annæ Catharinæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui, ut accepimus, ejus Confeſſarius exiſtis, ut de Tui Miniſtri Generalis licentia, & conſenſu in certis caſibus, & anni temporibus, quibus dicta Anna Catharina, Archiduciſſa, Te ad conſulendum illius conſcientiæ ſecuritati vicinum habere voluerit, cum altero ſocio ejuſdem Ordinis in ædibus ejuſdem Annæ Catharinæ Archiduciſſæ licitè, ac tuta conſcientia degere, & morari diu, noctuque valeas, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus: Admonentes Te nihilominus, & ſocium tuum, ut diſtrictè divini judicii memores, in ſeculari domo commorantes, regularis vitæ, & profeſſionis legibus Vos in reliquis adſtrictos eſſe cogitando, vita, & exemplo omnibus aliis ædificationi ſitis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis tui, etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die 11. Januari MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol. 323.

Monaſterium Monialium in Civitate Placentina erigi; eas ſub perpetua clauſura, & juriſdictione Ordinarii viventes, â Confraternitate, in Eccleſia S. Mariæ de Turricella erecta ſuſtentari, iis omnia Ordinis privilegia communicari, ac Confeſſarios, & Capellanos ex Ordine deſignari, Vicario Generali ibidem committit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio, Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Placentini in ſpiritualibus Generali, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis Officii Nobis ex alto commiſſi requirit, & Nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quæ prudentes, & aliæ honeſtæ Mulieres, ſub ſuavi Religionis jugo, & debita clauſura Altiſſimo famulari, ſuique ſexus fragilitatem effugere valeant, ac exinde flores honoris, & fructus honeſtatis, Regulariſque vitæ propagatio proveniant, libenter intendamus, ac in his Officii noſtri partes libenter interponamus, prout rerum, ac temporum, & locorum circumſtantiis debitè penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Placentiæ Provinciæ Bononienſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum in dicta Civitate, quæ ſitûs amplitudine, Palatiorum, & ædium magnificentia, aeris ſalubritate, annonæ, & aliarum rerum ad humanæ vitæ uſum neceſſariarum copia, & commerciis, Procerum quoque, Equitum, Nobilium, ac aliorum opibus, & divitiis affluentia, Virorum frequentia, populique multitudine, ac Nundinis ter, aut quater ſingulis annis maximo cum fere omnium Europæ Nationum Mercatorum interventu fieri ſolitis, inter alias Galliæ Cyſalpinæ Civitates celeberrima exiſtit, nullum Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum Ordinis S. Franciſci, in quo ejuſdem Civitatis Virgines, & puellæ Deo Optimo Maximo in humilitate ſpiritûs, & candore Virginitatis ſub ſuavi Religionis jugo famulari intendentes vivere, inibique perpetuam clauſuram ſervare poſſint, inſtructum, ſeu inſtitutum reperiatur. Dicti verò Communitas, & Homines pro ea, qua ſunt, pietate, & erga Ordinem ipſum propenſione, unum Monaſterium, ſeu Domum Regularem ejuſdem Ordinis eorum ſumptu, & impenſis conſtrui facere propoſuerint, & forſan jam conſtruxerint. Si igitur in dicta Civitate, & loco decenti, & opportuno unum Monaſterium Monialium, ſeu Domus Regularis Ordinis hujuſmodi pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & ſufficientis numeri non minoris, quàm duodecim aliarum Monialium ejuſdem Ordinis per Nos, & Sedem Apoſtolicam erigeretur, & ea, quæ ſequuntur, fierent, & decernerentur, procul dubio, non ſolum ſpirituali Virginum prædictæ Civitatis commodo, dictique Ordinis propagationi, ſed etiam Divini Cultûs, & piorum operum incremento, & ejuſdem Civitatis ornamento plurimùm conſuleretur. Quare pro parte Communitatis, & Hominum præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Monialium prædictarum piæ vitæ inſtituto, & votis, ac aliàs in præmiſſis favorabiliter annuere, ac in his deſuper opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum locorum quorumlibet, illorum præſertim, qui piæ, ac ſalutaris educationis in-

inſtitutionem reſpiciunt, vota paternis ſemper proſequimur affectibus, intimiſque exoptamus deſideriis, Communitatem, & Homines prædictos in hoc eorum laudabili propoſito confovere, & illud, quantum cum Deo poſſumus, promovere volentes, necnon Communitatis hujuſmodi ſingulares perſonas â quibuſvis excommunicationis &c., & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Communitati, & Hominibus, ut unum Monaſterium Monialium Capucinarum nuncuparatum, Ordinis S. Franciſci hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cæmeterio, area, cellis, hortis, hortalitiis, aliiſque ſolitis officinis, & membris neceſſariis, & opportunis conſtrui facere liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem, ſine tamen alicujus præjudicio, liberè, ac licitè, auctoritate noſtra concedas, & impartiaris; ſeu, quatenus jam conſtructum, & debita clauſura munitum fuerit, illud in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis S. Franciſci, pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & competentis, nec minoris duodecim, nec majoris numeri triginta Monialium, quæ Habitum, per alias Moniales Capucinas nuncupatas dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, ac Profeſſionem, per eaſdem Moniales emitti conſuetam, expreſsè emittere valeant, necnon perpetuam clauſuram, &, quoad fieri poterit, ritus, mores, conſuetudines, & regularia inſtituta ejuſdem Ordins ſervare, Diviniſque Officiis, & laudibus inſiſtere, ac ſub obedientia, viſitatione, correctione, ſubjectione, & omnimoda ſuperioritateOrdinarii loci pro tempore exiſtentis vivere debeant; Cum hoc, quod ipſæ Moniales nihil prorſus, niſi in communi poſſidere poſſint, ac dilecti filii Confratres Confraternitatis, Capucinorum nuncupatæ, in Eccleſia S. Mariæ de Turricella nuncupatæ ejuſdem Civitatis, canonicè inſtitutæ, eidemque Monaſterio, & Monialibus in eo pro tempore futuris, nedum de victu, & veſtitu, ſed etiam de aliis rebus ad earum commoditatem, ac Divini Cultûs decorem, & venuſtatem, eorundem Monaſterii, & Eccleſiæ reſtaurationem ſpectantibus providendi curam perpetuò gerant, prout ad id ſe obligarunt, dicta auctoritate, dummodo dicta Confraternitas, cui cura erit de rebus neceſſariis, Monaſterio, & Monialibus hujuſmodi, ut præfertur, providere, cum bona ſtabilia, vel redditus annuos certos non poſſideat, quatuor, aut quinque Fidejuſſores idoneos conſtituat, qui ad Monialium earundem ſuſtentationem, ac Monaſterii ejuſdem manutentionem ſe, tamquam principales principaliter, & in ſolidum obligent, perpetuò erigas, & inſtituas, illique ex nunc, prout poſtquam erectum, & inſtitutum fuerit, ac illius Abbatiſſæ, & Monialibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, cæteriſque gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibuſvis aliis Monaſteriis Monialium Capucinarum nuncupatarum, prædicti Ordinis S. Franciſci, illorumque Abbatiſſis, Miniſtris, etiam Monialibus in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs pro tempore quomodolibet conceſſis, & pro tempore concedendis, quibus omnibus illa, & illæ de jure, uſu, privilegio, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen ſint in uſu, nec revocata, & ſub ullis revocationibus comprehenſa, neque Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut Sacris Canonibus, vel Decretis Concilii Tridentini repugnent, ſimiliter, & pariformiter abſque ulla prorſus differentia, uti, frui potiri, & gaudere valeant: necnonCapellanos, & Confeſſarios idoneos ex eodem Ordine Fratrum Capucinorum, à dilectis Filiis Capitulo Generali, ſeu Provinciali ad id pro tempore deputatos, qui in Eccleſia Monaſterii, ut præfertur, erigendi, Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, illique in Divinis deſervire, ipſaſque Abbatiſſas, & Moniales, ac earum ſingulas in ſuis Confeſſionibus audire, illiſque Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare liberè, & licitè poſſint, etiam perpetuò concedas: Nec non Communitati, & Hominibus prædictis quæcunque ſtatuta, ordinationes, capitula, & decreta, ad idem Monaſterium ſpectantia, vigore earundem præſentium erigendi, illiuſque perſonarum, & rerum curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, dictarumque Monialium receptionem, admiſſionem, ætatem, qualitatem, victum, amictum, inſtructionem, & diſciplinam pertinentium, & aliàs utilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini, ac Inſtitutis Regularibus præfati Ordinis S. Franciſci non contraria, à Te examinanda, & approbanda faciendi, & edendi, ac quoties pro rerum, & temporum qualitatibus, ſeu aliàs expediens videbitur, cum interventu, ſeu prævio examine, & approbatione tua illa commutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi: ac præterea pro Monialium in dicto Momaſterio, ut præfertur, erigendo, introducendarum proſpera directione, ac in ritu, moribus, & Regularibus inſtitutis inſtructione duas, vel tresMoniales, ad id volun-

luntarias, ex Monaſterio Monialium, Capucinarum nuncupatarum, Parmenſium, ejuſdem Ordinis, ſeu aliò per dictas Communitatem, & Homines eligendo, hac prima vice duntaxat, de Superiorum ſuorum licentia aſſumendi, & in dicto Monaſterio, ut præfertur, erigendo, transferendi, ita, ut Moniales prædictæ, poſtquam ad illud translatæ fuerint, ritibus, & inſtitutis, aliiſque omnibus, & ſingulis obligationibus Ordinis Capucinorum hujuſmodi ſe conformare, ac ibi perpetuò, vel ad tempus, ipſis Superioribus beneviſum, ita ut interim ab omni, & quacunque obſervatione prioris earum Regulæ penitus, & omnino liberæ, & abſolutæ ſint, permanere poſſint, & debeant, eiſque Abbatiſſatûs, & alia officia diſtribuendi, licentiam, & facultatem eadem auctoritate impartiaris: præſentes quoque literas, & in eis contenta quæcunque, nullo unquam tempore ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, Sedemque prædictam, ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, ac formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, pro tempore quomodolibet factis comprehendi, vel confundi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, & ſub quacunque poſteriori Data per Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, & Moniales Monaſterii, ut præfertur, erigendi pro tempore eligenda conceſſas eſſe, & fore: Sicque per quoſcunque Judices, Commiſſarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuntios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, decernas. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac noſtris de gratiis, & indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſextodecimo. Nono Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

N O T A.

Receptas haſce Literas Apoſtolicas Illuſtriſſimus D. Vicarius Generalis executioni dedit, ut ſequitur:

Alexander Cariſſimus V. J. Doctor, & Canonicus Parmenſis, Protonotarius Apoſtolicus, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Claudii Rangoni Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Placentini & Comitis, in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarius, & Locumtenens Generalis, in hac parte Delegatus Apoſtolicus &c.

UNiverſis præſentes inſpecturis ſalutem in Domino, eiſque pateat, & notum ſit, quod ſuperioribus menſibus, & ſic ſub die 13. Menſis Martii proximè præteriti nomine Illuſtris Communitatis, & Hominum hujus Civitatis Placentiæ Nobis præſentatæ fuerunt SSmi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Pauli Divina Providentia Papæ Quinti Literæ Apoſtolicæ, ejus vera Bulla plumbea in cordulis canepis pendentis bullatæ, eaſque ſanas, & integras, non vitiatas, nec cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, Nos debita cum reverentia recepimus, vidimus, & legimus humiliter ſub tenore, ut ſupra, exarato.

Et pro parte dictæ Illuſtris Communitatis, & Hominum apud Nos inſtitum fuit pro literarum hujuſmodiexecutione, & ad eam, ſervatis ſervandis, & viſitatis viſitandis devenire Nos obtulimus. Et cum per dictam Communitatem jam fabricata fuerit in loco commodo, & vicinantia S. Pauli, & omnibus neceſſariis inſtructa Eccleſia interior, & exterior pro Monaſterio, & Monialibus, de quibus in prædictis literis, & fabricari ceptum Monaſterium, de quo in eiſdem literis, & cum loco Domorum, quæ juxta Eccleſiam prædictam, & ei annexæ exiſtunt, pro Monaſterio interim uti intenderetur, at loco hujuſmodi Monaſterii fabricari cepti habuerint Domini ad id deputati, cum licentia Illuſtriſſimi D. Epiſcopi noſtri, & deſtinaverint Domos Seminarii Clericorum cum ſuis ſtantiis, dormitorio, officinis, clauſtro, curia, horto, & aliis adjacentibus in eadem vicinantia ſitas, & dictæ Eccleſiæ commodas, debitaque, & tuta clauſura munitas, quæ commodè deſervire poterunt pro Monaſterio Monialium hujuſmodi, donec perfecta fuerit fabrica amplior, & commodior jam cæpta, ut ſupra, prout facta viſitatione, etiam adhibitis peritis, oculatâ fide cognovimus, & judicavimus: & quia etiam nobis conſtitit, prævia diligenti examinatione ita eſſe, prout in eiſdem literis habetur, fuiſſe SSmo D. N. expoſitum, & quia etiam per Venerabilem Confraternitatem, Capucinorum nuncupatam, S. Mariæ de Turricella, nedum facta fuit obligatio, de qua in ipſis literis ſuperioribus diebus, ſed etiam dati fuere Fidejuſſores idonei, qui principaliter, & in ſolidum ſe obligarunt ad ea, de quibus in eiſdem literis; ſuperioribuſque diebus pro Monialium in hujuſmodi Monaſterio introducendarum proſpera directione duas Moniales, ad id voluntarias, ex Monaſterio Capucinarum Mediolani, ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Borromæo illarum Superiore obtinuimus, videlicet Sororem Praxedem pro Abbatiſſa, & Sororem Catharinam pro Vicaria, etiam ipſæ huc conductæ, & aſſociatæ fuerunt, & in dictis Domibus, ſub clauſura pro Monaſterio deſtinatis, de Ordine noſtro reperiuntur, cum nonnullis Puellis ad numerum quatuordecim, inſtantibus ſe admitti ad Habitum Monialium hujuſmodi Capucinarum, & in hoc Monaſterio, ut

ſupra

ſupra, inſtituendo ſub jugo Religionis, & obedientia Superiorum, Altiſſimo famulari cupientibus; conditaque fuerunt ſtatuta, ordinationes, capitula à nobis examinata, & approbata ad prædicti Monaſterii, in hac Civitate, ut ſupra, inſtituendi, illiuſque Perſonarum, & veram curam, & regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, dictarumque Monialium receptionem, & ad alia opportuna; & cum alia executa fuerint exequenda, & de omnibus neceſſariis fuit proviſum, prout expedire, & neceſſe eſſe cognovimus, facta Nobis pro parte dictæ Illuſtris Communitatis, & Hominum ulteriori inſtantiâ, pro totali earundem literarum executione, & ſic Monaſterii prædicti erectione, & inſtitutione, & pro aliis. Nobis in dictis literis demandatis. Nos petitioni hujuſmodi annuere decrevimus. Quare Nos Alexander Cariſſimus Vicarius, & in hac parte Delegatus, ut ſupra, prædictis attentis, eidem Illuſtri Communitati, & Hominibus concedimus, ut Monaſterium hujuſmodi Monialium Capucinarum, Ordinis S. Franciſci cum Eccleſia, campanili; campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cæmeterio, area, cellis, hortis, hortalitiis, aliiſque ſolitis officinis, & membris neceſſariis. & opportunis in dicta vicinantia S. Pauli fabricari cæptum, ut ſupra, conſtrui, & perfici facere liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem, ſine tamen alicujus præjudicio, Auctoritate Apoſtolica concedimus, & impartimur: & poſtquam conſtructum, & debita clauſura munitum fuerit, & interim dictas Domos Seminarii cum Eccleſia fabricata, ut ſupra, debita clauſura munitas, ut ſupra, in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis S. Franciſci, pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & competentis, non tamen minoris duodecim, nec majoris numeri triginta Monialium, quæ Habitum per alias Moniales Capucinas nuncupatas dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eaſdem Moniales emitti conſuetam expreſſè emittere regularem, necnon perpetuam clauſuram, & quoad fieri poterit, ritus, mores, conſuetudines, & Regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſervare, diviniſque officiis, & laudibus inſiſtere, & ſub obedientia, viſitatione, correctione, ſubjectione, & omnimoda ſuperioritate R̃mi Ordinarii hujus loci, pro tempore exiſtentis, vivere debeant, cum hoc, quod ipſæ Moniales nihil prorſus, niſi in c mmuni poſſidere poſſint, Auctoritate Apoſtolica perpetuò erigimus, & conſtituimus, illique, ac illius Abbatiſſæ, & Monialibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, cæteriſque gratiis tam ſpiritualibrs, quam temporalibus, de quibus, & prout in prædictis Literis Apoſtolicis habetur, uti, frui. & gaudere liberè, & licitè poſſint, etiam perpetuò concedimus, & auctoritate prædicta etiam cum aliis conceſſionibus, licentiis, facultatibus, decretis, clauſulis irritantibus, de quibus, & prout in eiſdem literis habetur, & in omnibus, & per omnia, juxta tenorem earum, & formam. Non obſtantibus his, quæ SS̃mus D. N. voluit non obſtare, & aliàs omni meliori modo &c. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum exinde fieri, & per Notarium, & Cancellarium Curiæ hujus Epiſcopalis infraſcripti ſubſcribi, ac Sigillo ejuſdem Curiæ communiri juſſimus, & fecimus, & Nos manu propria ſubſcripſimus.

Actum &c., & Datum Placentiæ in Palatio Epiſcopali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo decimoſeptimo, Indictione prima, Die verò duodecimo Menſis Novembris, hora tertiarum, Pontificatûs prælibati SS̃mi D. N. Papæ Anno tertiodecimo. Præſentibus ibidem, & M. R. Juris utriuſque Doctore D. Vincentio Rainerio, Parochialis S. Margaritæ Placentiæ Rectore, Auditore Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Placentiæ. Illuſtris Artis, & Medicinæ Doctore D. Bernardo de Bernardis, RR. DD. Petro Maria de Parma, & Sfortia de Aſſaticatis Clericis, & DD. Joanne Angelo de Borſellis, & Marcello Antonio de Parma Notariis Placentinis Teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis &c.

Subſcript. in Originali: *Alexander Cariſſimus Vicarius Generalis, & Delegat. Apoſt.*

Jo: Franciſcus de Parma Notarius Placentinus, & Curiæ Epiſcopalis Cancellarius.

Autograph. in Archivo Monaſterii Monialium.

Legatum pium, aliàs per Teſtamentum Franciſci Gandini, Domui Fratrum Conventualium Reformatorum, & poſtea ſuppreſſorum relictum, pro Fabrica noſtræ Domûs Caſtri S. Joannis applicari indulget.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſc. Placentino.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut accepimus, aliàs quondam Franciſcus Gandinus, Civitatis Placentiæ, dum vixit, Procurator, in ſuo ultimo, quod condidit, Teſtamento, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, inter alia ſex mille libras monetæ Placentinæ fabricæ Domûs, & Eccleſiæ S. Margaritæ, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Reformatorum, Conventualium nuncupatorum, dictæ Civitatis, per Nos nuper ſuppreſſorum, legaverit, & reliquerit, ex illis verò, quatuor mille duntaxat ante ſuppreſſionem eorumdem Fratrum perſolutæ fuerint, reliquæ verò penes Dilectum Filium Hieronymum Ruſcam, dicti Franciſci Executorem Teſtamentarium remaneant. Nos fabricæ Domus Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, Caſtri Sancti Joannis, Placentinæ Diœceſis, Provinciæ Bononienſis, quæ, ut etiam accepimus, jamdiu cæpta eſt, quod faci-

faciliùs ad debitum finem perduci valeat, de aliquo ſubventionis auxilio providere, ac Guardianum, & Fratres ejuſdem Domus ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus bis mille libras prædictas, nondum, ut præfertur, ſolutas, Syndico dictæ Domus Capucinorum per dictum Hieronymum integrè, & abſque ulla diminutione, ad effectum præmiſſum tantùm tradi, & conſignari omnino cures, & facias. Contradictores quoslibet per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, Non obſtantibus voluntate dicti Teſtatoris, quam, in, & quoad effectum præmiſſum tantùm ſufficienter commutes, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrari is quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV. Auguſti MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 203.

N O T A.

Fratres hujus Domûs ad ſolitas Proceſſiones ab Archipresbytero pro more invitari, commiſſum fuit ſequenti Sacræ Congregationis Rituum epiſtolâ, Epiſcopo Placentino inſcriptâ.

Reverendiſſime Domine: uti Frater.

PRO Fratribus Capucinis Conventûs Caſtri Sancti Joannis iſtius Diœceſis Congregationi Sacrorum Rituum præpoſitæ expoſitum fuit, ipſos ſemper ad ſolitas Proceſſiones, invitatos tamen, accedere conſueviſſe: modò autem Archipresbyterum ejuſdem loci renuere ejuſmodi invitationem continuare. Supplicantes propterea mandari, ut hæc laudabilis conſuetudo etiam in poſterum ſervetur, & Eminentiſſimi Patres Amplitudini Tuæ ſcribendum duxerunt, ut juxta ſuam Paſtoralem prudentiam opportunè provideat. Et Deus Amplitudinem Tuam diu ſervet incolumem. Datum Romæ die 24. *Septembris* 1651.
Amplitudinis Tuæ

Uti Frater.
Al. Card. Capponius.

Steph. Boncompag. S. Congr. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 36. *de quo exemp. Auth. in Arch. gener. Ord. Armar.* Provincia Lombardiæ.

Diſpoſitioni huic, quæ præter Edictum per plateas affixum, Fratres, Curſore expreſsè ad Monaſterium miſſo, ad Proceſſiones ſaltem particulares invitari debere ſupponit, contrariatur Decretum à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium emanatum, ut ſequitur:

In Cauſa Burgi Sancti Domnini Proceſſionis, vertente inter Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis ejuſdem Civitatis ex una, & Patres Capucinos ipſius Burgi ex altera, Partibus.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultat. Epiſc. & Regular. præpoſita, referente Eminentiſſimo Domino Cardinale Petra Ponente, Partibus hinc inde auditis, ac re maturè perpenſâ decrevit, ac declaravit, Patres Capucinos teneri accedere ad Proceſſiones, etſi vocentur per Edictum. Et amplius Cauſam hujuſmodi non proponi mandavit.
Romæ 27. *Januarii* 1736.

Card. Firrao Præf.

C. Archiep. Calcedon. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

Al-

Alphonſum II. Mutinæ, Regii Lepidi &c. Ducem ſuſcepto Ordinis Habitu, immediatè ad votorum ſolemnium Profeſſionem admitti, P. Provinciali Tyrolenſi committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex, ſicut ad univerſi Gregis Dominici, curæ ſuæ divinitus crediti ſalutem jugiter invigilat, ita illos peculiari, ac præcipuo paternæ charitatis affectu complectitur, qui obliti Populum ſuum, & domum Patris ſui, ſemetipſos abnegarunt, charitatemque ſectantes, & ſpiritualia æmulantes, ſub regulari arctioris vitæ diſciplina Divini Numinis obſequiis ſe mancipârunt, ut reddant Altiſſimo vota ſua in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Cum itaque, ſicut dilectus Filius Nobilis Vir Alphonſus Eſtenſis, Mutinæ Dux Nobis nuper exponi fecit, ipſe ob melioris vitæ frugem, Habitum per Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſsè emittere deſiderans Regulares, à dilecto Filio Priori Provinciali Provinciæ Bononien., ejuſdem Ordinis inter eoſdem Fratres receptus, & admiſſus fuerit, Nos, qui receptionem, & admiſſionem præfatas à Commiſſario ejuſdem Ordinis in Italia Generali approbatam, & confirmatam, vivæ vocis Mraculo etiam approbavimus, & confirmavimus, laudabile dicti Alphonſi Ducis deſiderium plurimum in Domino commendantes, utque dictus Alphonſus Dux voti ſui hujuſmodi quamprimum compos fiat, quantum cum Domino poſſumus, providere, ipſumque Alphonſum Ducem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exſtitit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Alphonſi Ducis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Provinciæ Tirolis ejus Ordinis Priori Provinciali per præſentes committimus, & mandamus, ut in receptionis, & admiſſionis præfatarum executionem per ſe, vel per alium ejuſdem Ordinis Profeſſorem Habitum præfatum eidem Alphonſo Duci, quandocunque illum ſuſcipere voluerit, exhibeat, eundemque Alphonſum Ducem ad Profeſſionis, etiam in continenti, & non expectato Novitiatus, ſeu probationis anno, emiſſionem, ſi illam dictus Alphonſus Dux, ut præfertur, emittere ſimiliter voluerit, auctoritate noſtra admittat. Nos enim Alphonſo Duci, ut in manibus Prioris Provincialis præfati, ſeu alterius dicti Ordinis Profeſſoris hujuſmodi profeſſionem eandem, quandocunque illi placuerit, etiam in continenti poſt Habitus præfati ſuſceptionem, etiam anno Noviciatus, ſeu probationis hujuſmodi in toto, vel in parte minimè elapſo, emittere liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes facultatem emittendi, & recipiendi reſpectivè profeſſionem, ipſamque profeſſionem, etiam non expectato Noviciatûs, ſeu probationis anno emittendam, poſtquam, ut præfertur emiſſa, etiamſi vel de conſenſu, conſilio, & voto Fratrum illius, in qua eundem Alphonſum Ducem Habitum præfatum ſuſcipere, ſeu cujuſvis alterius dicti Ordinis Regularis Domus, in qua ipſum Alponſum Ducem pro tempore eſſe contigerit, emiſſa non fuerit, nihilominus validam, firmam, & efficacem exiſtere, & fore, dictoque Alphonſo Duci pleniſſimè ſuffragari in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi profeſſio facta juxta regularia dicti Ordinis ſtatuta, Apoſtolica Auctoritate confirmata, ac ſervatis aliis ſervandis, emiſſa, ac recepta, & admiſſa reſpectivè fuiſſet, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quovis, quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, & univerſalibus, Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis, Edictis Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dicti Ordinis, & quarumcunque illius Domorum Regularium, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Domibus Regularibus, earumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Ma-

riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Julii MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ Lombardiæ, cujus exemplar in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Lombardiæ.

Eidem Alphonſo, duos Fratres ad obſequia deſtinari concedit.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Alphonſo Eſtenſi, Mutinæ Duci.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilir Vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie à Nobis emanârunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicèt: *Urbanus Papa VIII. Romanus Pontifex.*

Idcircò Te in Tuo hujuſmodi pio deſiderio, quantùm cum Domino poſſumus, confovere, Teque amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus extiteris, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus etiam Tuo nomine, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut ad Provinciam Tirolis præfatam, pro Habitu hujuſmodi ſuſcipiendo proficiſcens, à Dilectis Filiis Joanne de Seſtola Presbytero, & Petro de Mutina, dicti Ordinis Profeſſoribus, rheda aſſociari, dictoque Joanni, ut tam in itinere hujuſmodi, etiam abſque ulla Ordinariorum, & aliorum Superiorum, quocumque nomine nuncupatorum, locorum licentia, quàm poſtea in Domo Regulari, in qua Te degere contigerit, ſacras tuas confeſſiones audire, Teque à peccatis tuis, injunctis injungendis, abſolvere, ipſi autem Petro, ut ſervitiis tuis inſiſtere, Tibique famulatum exhibere liberè, & licitè poſſit, & valeat, ac reſpectivè poſſint, & valeant, ita tamen, ut tam Tu, quàm Joannes, & Petrus præfati, Domorum Regularium, in quibus Vos pro tempore degere contigerit, & aliis ipſius Ordinis Superioribus ſubjecti ſemper ſitis, Apoſtolica auctoritate præfata, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, felicis recordationis Gregorii Papæ XIV. Prædeceſſoris Noſtri, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Julii MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Sereniſſimo Duci Franciſco, Alphonſi Filio, pium Patris propoſitum, è Vulneribus Crucifixi, & Sancti Franciſci Stigmatibus petitum eſſe reſpondet.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Eſtenſi, Duci Mutinæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUave Religionis Jugum, dum aviti Principatûs Sceptris, inſtructus divino Numine, nuper antetulit Parens Nobilitatis Tuæ, videtur ab ipſo Dominantium Domino, & victoriarum arbitro vocatus eſſe ad triumphum, humanis omnibus trophæis potiorem. Certè Nos, dum Apoſtolicam Benedictionem detulimus Mutinenſi Duci, ab Aula in Cellam ſecedenti, credebamus, conſilium hoc è Vulneribus Crucifixi, & S. Franciſci Stigmatibus petitum, non poſſe ſine plauſu Angelorum, & hominum admiratione, ad tam glorioſum exitum deduci.

Plerique Mortalium Dominationi vitam poſthabentes, quos non ſubeunt labores? quibus periculis caput non objiciunt, ut Solium conſcendant potentiæ Regnatricis? Proh quanta furentium cupiditatum, ac Dœmonum agmina devicit, quàm perfectè de ſeipſo triumphavit, qui pollens opibus, imperitans Civibus, florens ætate, in Sacram Capucinæ Paupertatis ſervitutem addixit vitam, populorum obſequiis, ac tributis cultam, ut mortificationem Jeſu Chriſti in proprio corpore circumferret! Poterit ille ſubditis, ad tam illuſtre facinus obſtupeſcentibus non minus oratione prodeſſe, quàm nuper profecerit auctoritate. Dum verò Te, fœcunditatis Suæ Prolem, & Eſtenſis Principatûs Hæredem iis præfecit, videtur conſuluiſſe beneficam illam charitatem, quæ non

poteſt

poteſt unquam publicæ felicitatis oblivisci. Nobilitas Tua, lacte pietatis nutrita, & ſcientiam ſalutis edocta, creditur eâ mente Paternam Hæreditatem adiiſſe, ut populi iſti nunquam conqueri poſſint, ſe ab optimo Principe, Parente Tuo, fuiſſe deſertos. Jacta cogitatum tuum in Dominum, Nobilis Juvenis, & ipſe Te enutriet manna ſalutarium conſiliorum, & ſtabit à dextris tuis, ne commovearis. Nos certè paternam benevolentiam Noſtram nunquam deſiderari patiemur à Nobilitate Tua, quæ dum debitam Beato Petro obedientiam Nobis defert, videtur Principatûs ſui fundamenta jacere in ea Petra, contra quam portæ Inferni non prævalebunt.

Ceterùm eximiam illam Tuæ in Nos obſervantiæ profeſſionem, quanti faciamus, ipſe Comes Camillus Molza, luculentus Tuæ mentis interpres, poterit prolixè teſtari. Complectimur Te brachiis Apoſtolicæ Charitatis, Dilecte Fili, quem, dum proprio Parente ipſe Pater miſericordiarum tam piè, ac feliciter orbavit, carere nunquam patietur Paternæ Divinitatis patrocinio. Tantum auxilium, & Decus precamur Nobilitati Tuæ, cui iterum intimo paterni cordis affectu benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Septem. MDCXXIX. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

Autog. in Secr. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 53.

Ejuſdem Alphonſi, jam Fr. Joannis Baptiſtæ, Confeſſiones Sacramentales à Socio, Fr. Joanne de Seſtola, abſque Ordinariorum, & Superiorum licentia ubique excipi, aliumque Socium ſubrogari confirmat.

Dilecto Filio Joanni Baptiſtæ de Eſte, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori:

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs Nos Tibi, ut ad Provinciam Tirolis pro Habitu, per Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, geſtari ſolito ſuſcipiendo proficiſcens, à Dilectis Filiis Joanne de Seſtola, & Petro de Mutina, Laico, dicti Ordinis Profeſſoribus, rheda aſſociari, dictoque Joanni, ut tam in itinere hujuſmodi, etiam abſque ulla Ordinariorum, & aliorum Superiorum quocumque nomine nominatorum, locorum licentia, quam poſtea in Domo Regulari, in qua Tu degere contigiſſet, ſacras Tuas confeſſiones audire, atque de peccatis tuis, injunctis injungendis, abſolvere, ipſi etiam Petro, ut ſervitiis tuis inſiſtere, Tibique famulatum exhibere, liberè, & licitè poſſes, & valeres, ac reſpectivè poſſent, & valerent, ita tamen, quod Joannes, & Petrus prædicti, Domorum Regularium, in quibus Vos pro tempore degere contigiſſet, & aliis ipſius Ordinis Superioribus ſubjecti eſſetis, Apoſtolica auctoritate licentiam, & facultatem conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in noſtris, in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum &c. continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, prædictus Petrus, ob infirmitates, quibus detinetur, ſervitiis tuis inſiſtere minimè poſſit, cupiaſque propterea ejus loco alium, ejuſdem Ordinis Profeſſorem ad ſervitia prædicta ſubrogari; Nos Te amplioribus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus Tuo nomine &c. inclinati, Dilectum Filium Joſephum Mariam à Finali, pariter dicti Ordinis Profeſſorem, in prædicti Petri locum, quoad ea omnia, ad quæ in dictis literis pro tuo ſervitio deputatus erat, firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus, quoad dictum Joannem eiſdem literis, in omnibus, & per omnia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſubſtituimus, & ſubrogamus. Non obſtantibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Jan. MDXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno XV.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 85.

NOTA.

DEUS, *in quo non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio,* (a) in ſuæ Providentiæ cum filiis hominum luſu mutat aliquoties tranſeuntium operationum ſuarum ordinem, & dum ſæpiùs, quæ *ſtulta ſunt mundi eligit, ut confundat Sapientes, & infirma mundi eligit, ut confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia eligit, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtruat;* (b) uſus eſt retroactis temporibus in talem

(a) *Jacob.* 1.

(b) 1. *ad Corinth.* 1.

talem divini ſui conſilii finem gloriâ, & magnificentiâ Sereniſſimi Alphonſi II. Mutinæ, Regii &c. Ducis: inopino enim divortio Hic avitos honorum faſces, ancillantiſque fortunæ pompam ſprevit, Ducale Sceptrum depoſuit, & genitam ad Imperia manum, Religioſæ ſervitutis manicis ſubdidit. Alphonſus Dux, in fortium, & ſapientûm hujus mundi confuſionem, factus eſt Capucinus.

Sacra hæc metamorphoſis, quæ mundum Europæum in ſui ſtuporem olim rapuit, prolixiore quidem ſtylo deſcribi mereretur, mei tamen inſtituti cum hoc non ſit, lectori hîc in microcoſmo dabo, quæ alii Scriptores, & Hiſtoriographi in vaſto tradunt macrocoſmo.

Prodiit itaque ex Auguſto Ducis Cæſaris Eſtenſis, & Duciſſæ Virginiæ Medices thalamo Alphonſus 21. Octobris 1591. ad vitæ lucem ſine luce, cum coagulatæ ſanguinis guttæ, oculorum pupillas, denſo veluti peplo obduxiſſent. Devovent mœſti Sereniſſimi Parentes Seraphico Patri Franciſco cœcum partum, & obtinent repentè gratiam: fuit pari effectu ad Sanctum Franciſcum duplicata oratio, dum gravior in foveam lapſus Alphonſo vitæ jacturam minitabatur. De Faventia, ubi reſtituto Sanctæ Sedi Ducatu Ferrarienſi, Alphonſus obſes manſerat, Mutinam vocatum, Pater Regalium virtutum diſciplinâ erudiri curavit, & ſicut ætate, ita & ſapientia taliter profecit, ut Clemens Papa VIII. Genitori in gratulatione deſuper applauderet, & Franciſcus Maria Dux Urbini, Filio ſphæram mundi argenteam, & varia Matheſeos inſtrumenta in donum mitteret.

Anno ætatis 16. completo, Sereniſſimam Infantem Iſabellam, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Filiam hymenæo fœdere ſibi junxit, Cœlo Sacrum connubium copioſâ virili ſtirpe fœcundante. Dum Iſabella Natorum educationi ſedulâ curâ invigilat, Alphonſus ſubditum populum timore, & amore, ceu gemino polo gubernat, & utrinque communi virtutis exemplo communes applauſus ſibi comparant, mutatus eſt ſubitò color optimus, receſſit à ſemita legis Alphonſus, honoriſque ſimul, & vindictæ ſtudio incenſus in varios declinavit exceſſus.

Teneræ Duciſſæ preces, & lachrymæ induratum quidem Ducis animum emollire non poterant, infirmitas autem, qua Deus eum corripuit, illico effecit, ut ad cor rediret, & ſupercilia furoris virtute temperaret. Feſta gaudia tamen de converſione diu per Aulam non reſonabant, quin triſti miſcerentur leſſu, Ducisſâ à Deo, vitæ, mortiſque Domino, ad ſortem æternitatis vocatâ.

Cœpit ex funeſto hoc caſu Alphonſum mundanæ vanitatis contemptus, & rerum cœleſtium cupido animum ejus ita affecit, ut Ducalem Purpuram, & illuſtre nomen ſub Monaſticæ vitæ tenebris ſepelire, memorque, quod Habitum Capucinum puſio in anathema geſtaverit, & Duciſſa in eodem ſepeliri voluerit, Religionem noſtram poſt matura conſilia ingredi decerneret.

Acceſſit ſtupefacta Roma per Brevia Apoſtolica ſupra poſita ſancto propoſito. Hinc Ducalis Imperii Sceptro, Filio Franciſco conſignato, Alphonſus, *velut alter Roboam, aſcendit currum ſuum, & fugit in Jeruſalem*, ſeu ad Provinciæ Tirolenſis Conventum loci Merani, ibique die, quo Beata Virgo Maria nata eſt mundo, ipſe mundo denatus, & S. Ordinis Habitu ſub infinito propemodum mirantis populi affluxu inauguratus eſt, nomine Joannis Baptiſtæ ex ſorte aſſumpto.

Novitas facti Patrem Miniſtrum Generalem, tunc Joannem Mariam à Noto, eo affecit gaudio, ut, dum Religionem Joanne Baptiſta honorari reflectebat, illum & ab hac ſpecialibus gratiis decorari æquum reputaret. Hinc illum abſque ulterioris ſtudii onere, Concionatorem deſignavit, de illius ſolida doctrina, vaſtique ingenii acrimonia dudum perſuaſus.

Diu Joannes Baptiſta, veluti paſſer ſolitarius, inter anguſtæ cellæ parietes manſit, abnegans ſæcularia deſideria, & ſobriè, juſtè, ac piè vivens; ſenſim poſtea ebullire cœpit in illius animo Apoſtolicus zelus, ita, ut ad partes Orientis pro ſalute gentium, aut ad plagas Germaniæ pro converſione Acatholicorum ablegari, enixè deſideraret. Votorum effectum diſtraxit triſtis de Epidemica lue, Ducatum Mutinenſem acerbè concutiente nuntius; compaſſione enim motus, ſumpſit baculum, & in adjutorium populi, cujus temporale gubernaculum dimiſerat, pedeſter properavit. Viæ tamen ubique clauſæ, & cuſtodia militum munitæ retinuerunt impetum ſpiritûs, & acceſſum ad Ducatum negaverunt, ita quidem, ut ad Provinciam, itinere per Tergeſtum confecto, redire ſtatueret. Appulſum Joannis Baptiſtæ in hac maritima Civitate exploſio tormentorum bellicorum reddidit publicum, accurſus populi celebrem, iterata cum Sereniſſimo Auſtriæ Archiduce Leopoldo, ejuſdemque Nepte Maria, Philippi III. Hiſpaniarum Regis Filia collocutio glorioſum. Quantùm verò Archidux Joannem Baptiſtam videndi cupidine trahebatur, tantùm de illius humili modeſtia ædificabatur, ut etiam aliquoties lachrymæ, in colloquio abſorpta præ tenero amore verba ſupplere deberent.

Itinere tandem, hyemante cœlo, per Goritiam, & Carinthiam traducto, Provinciam denuo attigit, poſtquam in tranſitu Œniponti ab altefato Archiduce, & à Sereniſſima Maria Magdalena, Magna Hetruriæ Duciſſa petium de Habitu Sancti Patris Franciſci, & Crucis Imaginem ex ligno, ejuſdem Sancti Patris nuncupato, quæ, & quod in Eccleſia noſtra Mutinæ publico cultui adhuc exponuntur, in donum memoriale accepiſſet.

Brevis fuit in Provincia mora, & nonniſi publicæ pietatis exercitiis dicata, ſpiritus enim, & dilatandæ Fidei ardor, quo æſtuabat, illum Viennam pergere, & Auguſtiſſimo Imperatori Ferdinando ſui cordis de converſione Saxonum ſecreta patefacere compulerunt.

Excepit Imperator Capucinum honore, Principi proprio, diſſuaſit autem idæatum opus, & Joannes Baptiſta ſacris donis, inter quæ Caput Virginis, ex Sanctæ Urſulæ Societate, in Eccleſia noſtra Scandiani adhuc conſervatum, reperiebatur, cumulatus, *nec confuſus, dum zelatus eſt bonum*, ad Provinciam ſuam regreditur.

In Styriæ ingreſſu literas Superiorum invenit, dantes ei optionem, vel in Provincia Styriæ permanendi, vel in Provincia Bononienſi, Lombardiæ adhuc unita, Conventum, & quidem in Ducatu Mutinenſi ſitum ſibi ſeligendi. Extracta poſt fervidas preces ſcheda, Mutinam ipſi exhibuit, quò & indutus virtute ex alto conceſſit. De gaudii ſenſu, quo Filius Franciſcus Dux, cum Sereniſſima Familia, Patrem excepit, ille ſolus æquè judicare poteſt, qui amoris talem Patrem inter & tales Filios vigentis noſcit virtutem. Nihil hîc de aſſumpto Capucinæ vitæ rigore immutavit, anguſta cella, ſolitaque Refectorii parſimonia contentus, ſtuduit *in omnibus ſeipſum præbere exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & in gravitate*. Bachanaliorum libertati, ut derogaret, 40. Horarum orationem inſtituit, & ad eam concione, quam ex Sancti Patroni ſui verbis: *Vox clamantis in Deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*, appoſitè deductam, ipſe de ſuggeſtu habuit, populum invitavit. Solvebatur in copioſas lachrymas congregatus cœtus, dum, quem

olim Ducem ſibi imperitantem, & aureo fulgentem coluit oſtro, audivit in Evangelii roſtro Baptiſmum pœnitentiæ ſibi prædicantem, quando & poſtmodum vidit per vicos, & plateas diſcurrentem, corruptos caſtigando mores, legis Chriſtianæ obſervantiam inculcando &c. quando vidit Hæreticos ad lumen veritatis ducentem, Hebræos de perfidia convertentem, & omnibus ſe in oſtenſione ſpiritûs exemplum virtutis præbentem.

Compendio unius Civitatis non contenta, quæ diffuſa erat in corde ejus, Charitas, Regium Lepidi eum perduxit, ubi pari zelo mores reformavit, leges invexit, Cathecumenos inſtruxit, pagos luſtravit, ſacro animarum quæſtu, Domino labori ejus benedicente.

Tandem vitæ ſuæ declinium perſentiſceſcens, ad Conventum Caſtri novi, quem pro ſuæ quietis loco ædificari curavit, ſe contulit, ubi & labore manuum ſuarum fabricam adjuvit, & ſolitariâ aſceſi aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.

Mirandi copiam Fratribus præbuit, dum locum ſepulturæ ante omnes alias Officinas compleri juſſit: præſago autem animo id factum eſſe, adverterunt, dum poſt modicum temporis intervallum illum pertinaci febre correptum dolentes conſpexére. Quò magis autem hæc in dies incaluerat, eò magis divinæ ſe conformabat voluntati. Decollante poſtmodum valetudinis ſpe, duo à Superiore loci petiit, Eccleſiæ videlicet Sacramenta, quæ & ſtipante lectum Fratrum coronâ, ſuſcepit, & Habitum eleemoſynæ ergò, quo Cadaver ejus humaretur. Ultimò de Fratribus veniam petens, & Sereniſſimæ ſuæ Familiæ, velut alter Jacob benedicens, 14. Maji 1644. ætatis ſuæ 53. annorum, quorum 16. in Religione conſumpſit, inter ſuaves Crucifixi amplexus, efflavit animam dignam, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat æternæ.

Amplitudo funeris monſtravit, quantùm omnes Joannem Baptiſtam diligerent, dum evulgata ejus morte, omnes Religione ſuccenſi, ad ſolemnes accurrebant exequias, & oculis ſuis ereptum plangebant, qui in omnibus ferebatur animis. Clauſo in Arcâ plumbea Cadaveri, appoſitum fuit Epitaphium, legendum in Scriptorum Ordinis Bibliotheca P. Dionyſii à Genua, *verb.* Joannes Baptiſta, *fol. mihi* 274. cùm hîc illud annecti, ejus diſſuadeat ligatus excurſus.

LITERIS

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regul.

Capellam, horto Domûs loci Scandiani contiguam à Confraternitate Sanctæ Crucis deſeri, & tandem penitus demoliri, Epiſcopo Regienſi committitur.

Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Domini.

Lib. ſupplex in Lat. trad. CApucini loci Scandiani, Diœceſis Regienſis in Lombardia, EE. VV. exponunt, qualiter annis elapſis, circa muros horti eorum, plures devotionis Capellæ, mediantibus quorumdam illius Terræ Benefactorum eleemoſynis fuére ædificatæ, & inter hos una, reliquis grandior, & Capellæ terminos excedens, in Eccleſiæ platea fuit erecta, in qua poſtmodum Confraternitas Laicorum, ſub titulo Sanctæ Crucis, fuit inſtituta. Cum autem hujuſmodi inſtitutio Oratoribus varia incommoda, & gravia præjudicia cauſet, ita, ut ad deſerendum Monaſterium ſe coactos conſpiciant, EE. VV. ſupplicant, quatenus ordinare dignentur, ut Confratres dicti Capellam deſerant, & Oratores pace, & quiete ſine moleſtiis gaudeant. Quam &c.

Illuſtris, & A. R. Dom. uti Frater.

Ex injuncto Libello Supplici Amplitudo Tua inſtantias Sacræ Congregationi, ſub nomine Patrum Capucinorum Scandiani factas perſpiciet, ob quas Eminentiſſimi Domini mei, ut Amplitudini Tuæ ſcriberem, mihi impoſuerunt, quatenus Confratres laicos Confraternitatis S. Crucis à Capella ad uſum ſumpta, & muro horti Patrum Capucinorum contigua diſcedere adſtringat, cum horum vitæ ſolitariæ, & inſtituto, quod profitentur, non modica pariat incommoda. Interponat proin Amplitudo Tua ſuas partes, pro executione eorum, quæ Ei præſcribuntur, & quæ menti Eminentiſſimorum ſunt conformia, dando opportunè relationem factorum, præſertim, ſi omnia cum ſatisfactione ipſorum Confratrum ſuccedant, prout à dexteritate, & prudentia Amplitudinis Tuæ percipiendum fore creditur. Deus Eam conſervet. Romæ 3. Julii 1631.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater
Card. S. Onuphrii.

A. Torniellius.

NOTA.

Pro executione harum literarum, cum Illuſtriſſimus D. Paulus Coccapanus, Epiſcopus, & Princeps Regii &c. ſuum Vicarium Generalem D. Joannem Baptiſtam Ciarlinium ablegaſſet, hic autem Confratres ad voluntariam dictæ Capellæ ceſſionem nullo modo inducere potuiſſet, illis ſub pœna ſcutorum aureorum 500. & in ſubſidium ſub pœna excommunicationis ulteriorem ad eam acceſſum, & ingreſſum inhibuit, affixâ ad Capellæ oſtium, prædictæ pœnæ ſcheda, & P. Guardiano clavem, uſque ad ulteriorem Sacræ Congregationis diſpoſitionem, cuſtodiendam reliquit.

Cum-

Cumque Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus, ex relatione Domini Vicarii Generalis, plenam dictæ Capellæ demolitionem, pro Fratrum quiete neceſſariam ſibi videri, Sacræ Congregationi reponeret, & pro hac Fratres novo libello ſupplici inſtarent, executio, ſequente Epiſtola, Epiſcopo Regien. fuit commiſſa:

Illuſtris, ac Admodum Reverende Domine, uti Frater.

Supplicant Patres Capucini Scandiani Sacræ huic Congregationi pro facultate demoliendi Capellam, ipſorum Monaſterio incorporatam, cum obſervantiæ Regulæ, & quotidianis eorum exercitiis præjudicet, hinc Eminentiſſimi mei ſpeciali Amplitudinis Tuæ zelo confiſi, ad Eamdem libellum ſupplicem remittunt, quatenus circa illum id, quod ſuggeret conſcientia, exequatur. Deus eam conſervet.

Romæ 18. *Septembris* 1637.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater

Card. S. Onuphrii.

Cæſar Fachenettus Secret.

Exempla literarum ſupra poſitarum, & aliorum Documentorum in Arch. Gen. Ord. Arm. Prov. Lombardiæ.

Monialibus Parmæ Confeſſarium Extraordinarium quater in anno concedi mandat.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Parmenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Spirituali conſolationi, & conſcientiarum tranquillitati Dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium Monaſterii Capucinarum nuncupatarum Parmen. quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, ipſaſque ſpecialibus &c. volen. & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſen. ſupplicationibus earumdem Monialium Nobis &c. inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut iiſdem Monialibus Confeſſarium extraordinarium quater in anno, cui omnes omnino Monaſterii hujuſmodi Moniales tunc confiteri teneantur, auctoritate Noſtra offeras, & concedas. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Monaſterii, & illius Ordinis, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die IX. Decembris MDCXLI. Pontificatus Noſtri anno XIX.

M. A. Maraldus.

Autog. in Secr. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 161.

NOTA.

Jam ab anno 1619. fuit Monialibus prædictis gratia Confeſſarii Extraordinarii ex Ordine ſub 3. Auguſti à Sacra Congregatione conceſſa: anno 1622. ſub 8. Novembris &c. innovata, & tandem ſuprapoſito Apoſtolico Brevi confirmata. Gratiam dein ampliari, & Confeſſarium Ordinarium ſibi concedi, Monialibus anno 1660. ſupplicantibus, earum preces Eminentiſſimo Cardinali Farneſio, tunc Ordinis Protectori, pro executione fuerunt remiſſæ, Decreto ſequenti:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultat. Epiſc. & Regular. præpoſita, attentis narratis, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore committit Eminentiſſimo Farneſio, Ordinis Capucinorum Protectori, ut, quatenus in Domino expedire judicaverit; atque accedente conſenſu, & approbatione Ordinarii, petitam facultatem pro ſuo arbitrio, & conſcientia concedat, citra ullam præfati Monaſterii exemptionem ab ipſius Ordinarii juriſdictione.

Romæ 10. *Decembris* 1666.

Cumque anno 1673. triennium ſuum in hoc munere Ordinario Fr. Carolus Maria à Cæſena explevíſſet, & Moniales ejus arbitra directione privari gravarentur, ad factas illarum inſtantias per aliud triennium, ceu Confeſſarius Ordinarius confirmatus eſt Epiſtola, Epiſcopo inſcripta, ſub ſequenti tenore:

Cum Moniales Capucinæ Sacræ Congregationi ſupplicaverint pro licentia, quatenus P. Fr. Carolus Maria à Cæſenâ, earum Confeſſarius Ordinarius, Vir peculiaris integritatis, communiſque ſatisfactionis, completo ſuo triennio, idipſum munus pro ulteriore tempore proſequi valeat, Eminentiſſimi Domini mei benignè con-

condeſcendere, & Oratrices conſolari voluerunt, Amplitudinis Tuæ arbitrio remittentes, ut Patrem prædictum ad aliud triennium proximum duntaxat confirmet, dummodo tamen duæ tertiæ partes Monialium Choralium Capitularium per vota ſecreta conſentiant. Terminato autem hoc triennio, Amplitudo Tua Oratricibus de alio idoneo Viro providebit. Romæ 13. Julii 1673.

Documenta auth. in Arch. Gener. Ord. Arm. Provincia Lombardiæ.

Duciſſæ Mutinenſi Lucretiæ per Viridarium Conventûs Mutinæ cum ſuo famulatu rectè ad Eccleſiam Fratrum ire permittit.

A tergo. *Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri Lucretiæ, Mutinæ, & Regii Duciſſæ.*

ALEXANDER PAPA VIII.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, pro ſpirituali conſolatione Tua ad Eccleſiam Domûs Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Mutinenſis, per viridarium eorumdem Fratrum, quod Palatio Dilecti Filii Nobilis Viri Franciſci Mutinæ, & Regii Ducis, Filii tui, contiguum exiſtit, & illud per portam è dicto Palatio ingredi poteſt, interdum ire ſummopere deſideres. Nos piis votis tuis, quantùm cum Domino poſſumus annuere, Teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, ſupplicationibus Tuo nomine Nobis porrectis inclinati, Tibi, ut Eccleſiam prædictam, de conſenſu tamen Superiorum dictæ Domus, per viridarium, & cum tuo proprio ſolo famulatu ingredi, ita tamen, ut non per clauſtra, aut alia dictæ Domus Loca, ſed per dictum viridarium tantùm, recto tramite, eundo, & redeundo tranſeas, ac abſentibus omnibus Fratribus prædictis, liberè, & licitè valeas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, præſentibus ad beneplacitum noſtrum duntaxat valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis. & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Septembris MDCLV. Pontificatus Noſtri anno primo.

Gualterius.

Autograph. in Arch. Secr. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 46. de quo Breve format. cum aliis in Arch. Provinciæ.

Conventus Lombardiæ à Provincia Bononienſi ſeparari, & ex iis Provinciam diſtinctam erigi, committit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis divinitùs Paſtoralis officii ratio exigit, ut paternam Religioſorum Virorum. *Reſiduum Brevis, & Decretum ſeparationis, & erectionis, vide ſupra fol. 241. & 242.*

Aliud Monialium Monaſterium à Sereniſſima Duciſſa Maria in Civitate Parmæ, pro duodecim Choralibus & quatuor Converſis fundari; ex Partenone Guaſtallæ Sororem Luciam cum aliis Monialibus ad illius inſtructionem transferri: ab alteſata Duciſſa, ac pro tempore exiſtentibus Ducum Parmæ Uxoribus, vel Tutricibus, aut in harum defectu ab ipſis Ducibus quatuor Puellas ſine præſtatione dotis in Moniales recipiendas nominari: ac eaſdem Duciſſam, Uxores, Tutrices duodecim vicibus per annum, Monaſterium de conſenſu Superiorum, & Monialium ingredi poſſe concedit.

Ve-

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Parmen.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater, ſive Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcroſancti Apoſtolatûs officium, quod inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ, meritis licet, & viribus longe impari, imponere dignata eſt, ſalubriter exequi, adjuvante Deo, jugiter ſatagentes, ad ea, per quæ Monaſteria, & alia Regularia loca devoti Fœminei ſexus ad religionis & Divini Cultus incrementum, Animarumque ſalutem ubique locorum erigi, & inſtitui valeant, ſingulari ſtudio intendimus, Paſtoraliſque muneris Noſtri partes peculiari charitate deſuper interponimus, ſicut pia perſonarum, non minus Chriſtianarum virtutum decoribus, quàm generis ſplendore illuſtrium vota flagitant, & Nos omnibus maturè perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, pietatiſque augmentum, & felicem progreſſum conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilecta in Chriſto Filia Nobilis Mulier Maria Eſtenſis Farneſia, Parmæ, & Placentiæ Duciſſa, quod ipſa pio religionis propagandæ, Animarumque ſalutis promovendæ ſtudio ducta, novum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupatarum, ſub prima Regula S. Claræ in Civitate Parmen. pro duodecim Monialibus Choralibus, & quatuor Converſis ædificari curare, illique pro ejus dote, & Monialium prædictarum ſuſtentatione, annua quadringenta ſcuta monetæ Romanæ aſſignare intendit, interea verò, dum novum Monaſterium hujuſmodi ædificatur, Hoſpitium quoddam in forma Monaſterii redactum, & à proſpectu, ſeu inſpectu liberum, debitaque clauſura munitum cum Eccleſia, choro, dormitorio, clauſtris, aliiſque membris, & officinis neceſſariis in loco opportuno parari curavit, ſeu parari curare conſtituit, in quo dictæ Moniales, earumque Inſtitutrices tantiſper commorari valeant: ad ipſum autem novum Monaſterium, & interea ad dictum Hoſpitium, pro illius, & Monialium in illud introducendarum directione, ac in vitæ diſciplina, & moribus regularibus inſtitutione, & inſtructione dilectam in Chriſto Filiam Luciam à Guaſtalla, & alias quinque Chorales, & unam Converſam, Moniales expreſsè profeſſas Monaſterii Monialium Capucinarum Oppidi Guaſtallæ transferri, ibique etiam Puellas Sæculares, quæ ibidem bonis moribus inſtruantur, & charitatis, aliarumque virtutum ſtudiis operam dare, fallaceſque mundi illecebras contemnere condiſcant; recipi, & educationis cauſa ad quinquennium commorari poſſe; ac tam ſibi, quàm aliis Duciſſis Parmen. pro tempore exiſtentium Ducum Parmen. viventium Uxoribus, ſive minorennium Cælibum Tutricibus vel Curatricibus novum Monaſterium & interea Hoſpitium hujuſmodi unà cum Ancillis, & Matronis, ſuis ſervitio, & dignitati neceſſariis, & congruentibus ingredi, ibique pernoctare, necnon quatuor puellas, quæ ad Habitum, & profeſſionem Regulares in dicto novo Monaſterio abſque ullius dotis ſeu eleemoſynæ dotalis præſtatione recipi, & admitti debeant, arbitrio ſuo nominare, illiuſque ſeu earum aliqua morte aliove quocumque caſu deficientibus, alias ad ſui libitum in locum deficientium pariter abſque dote, ſeu eleemoſyna dotali recipiendas toties, quoties caſus evenerit, ſubrogare licere, eamque nominandi, & ſubrogandi facultatem, quatenus nulla Duciſſa Parmen. Ducis viventis Uxor, aut minorennis Tutrix, vel Curatrix reperiatur, etiam Duci Parmen. pro tempote exiſtenti competere; reliquas vero Moniales in novum Monaſterium hujuſmodi cum dote, ſeu eleemoſyna dotali per Te præfinienda recipi, ac ad Habitum, & profeſſionem regulares cum Tua, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Parmen. approbatione admitti, ipſumque novum Monaſterium, & illius Moniales ordinariæ tuæ, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi prædicti juriſdictioni, atque ſuperioritati perpetuò ſubjacere plurimum deſiderat. Nobis propterea eadem Maria Duciſſa humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ipſius Mariæ Duciſſæ votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eamque à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, & attenta relatione dilecti Filii, Vicarii Tui in ſpiritualibus Generalis, ſuper præmiſſis ad eoſdem Cardinales transmiſſa, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut, veris exiſtentibus narratis, & poſtquam Tibi conſtiterit fabricam prædicti novi Monaſterii cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, & aliis officinis, hortis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili, tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, necnon annuum redditum ſcutorum quadringentorum monetæ Romanæ fuiſſe verè, & cum effectu eidem Monaſterio aſſignatum, ad petitam erectionem novi Monaſterii Monialium Capucinarum in

dicta

dicta Civitate Parmen. Auctoritate noſtra Apoſtolica, pro Tuo arbitrio, & conſcientia procedas, cum facultate recipiendi puellas ad Habitum, & ſubſequenter, ſervatis ſervandis, illas ad profeſſionem admittendi cum præfixione numeri ſanctimonialium, & cum dote, per Te præfinienda; ita,ut etiam puellæ educationis causâ in eodem novo Monaſterio admitti,ibique per quinquennium degere valeant, quarum tamen numerus â Te præfigatur: ac cum facultate transferendi ex ſupradicto Monaſterio Monialium Capucinarum,Oppidi Guaſtallæ ad dictum novum Monaſterium, & interim, donec illius fabrica abſoluta, cæteraque præmiſſa adimpleta fuerint, ad Hoſpitium præfatum, commodum tamen, & decens, ac ſæcularium inſpectui minimè obnoxium, omnibuſq; tam quoad ſpiritualia,quam temporalia neceſſariis,prædictæMariæ Duciſſæ impensâ inſtructum, debita clauſura munitum, poſtquam illud à Te approbatum fuerit, memoratam Luciam à Guaſtalla, & alias quinque Chorales, & unam Converſam, Moniales expreſsè profeſſas ipſius Monaſterii, illarum, & Ordinarii accedente conſenſu, quæ prudentia, & zelo valeant in hujuſmodi novo Monaſterio uſum, &obſervantiam Conſtitutionum prædictæ Regulæ introducere, ac ſtabilire, ibique per annos ſex., ſi tamdiu ob eundem finem neceſſarium, aut expediens fuerit, permaneant; ita tamen, ut in earum adventu aut reditu nulla fiat ad extraneum locum diverſio, ſed-recto, quantum fieri poſſit, tramite ab earum Monaſterio ad novum hunc Conventum, honeſtis Matronis, ac, ſi commodè fieri poſſit, proximioribus Conſanguineis ipſarum Monialium comitantibus pergant: in reliquis verò ea omnia, quæ circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum ſanctimonialium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur.

Præterea eidem Mariæ Duciſſæ quatuor puellas, ad id cæteroquin habiles, & idoneas, quæ in Moniales novi Monaſterii prædicti ſine ullius dotis, ſeu eleemoſynæ dotalis præſtatione recipi, ac ad Habitum, & profeſſionem Regulares ibidem, ſervatis ſervandis, admitti debeant, arbitrio ſuo nominandi, & tam ipſi Mariæ Duciſſæ, quàm poſt eam pro tempore exiſtentium Ducum Parmæ viventium Uxoribus, ſive eorundem minorennium, & Cælibum Tutricibus, vel Curatricibus, quatenus autem nulla harum adſit, pro tempore exiſtentibus Parmæ Ducibus alias in locum dictarum quatuor puellarum, primo loco nominandarum, ſeu alicujus earum morte, ſeu alio quocunque caſu deficientium, quotieſcumque caſus deficientiæ hujuſmodi evenerit, pariformiter abſque ullius dotis, ſeu eleemoſynæ dotalis præſtatione in Moniales novi Monaſterii hujuſmodi recipiendas, & admittendas ſubſtituendi, & ſubrogandi, ac pariter nominandi: nec non ipſi Mariæ Duciſſæ, ac pro tempore exiſtentium Ducum Parmæ, & viventium Uxoribus, ſive eorundem Ducum minorennium, & Cœlibum Tutricibus, vel Curatricibus prædictis idem novum Monaſterium, & interim, donec, ut præfertur, abſolutum fuerit, hoſpitium. ſupradictum unà cum ſex ad ſummum Matronis, ſeu Ancillis, modeſto ac decenti habitu indutis, quotieſcunque eis placuerit de ipſius Monaſterii Moinalium, & illarum Superiorum conſenſu. ingrediendi, & cum eiſdem Monialibus converſandi, & refectionem etiam ſumendi corporalem,ac etiam ibidem,in manſionibus tamen à communi Monialium dormitorio ſeparatis, duodecim vicibus quolibet anno, per quinque dies ad ſummum, pro qualibet vice unà cum eiſdem Ancillis, ſeu Matronis pernoctandi, & commorandi,quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, & formis, etiam motu proprio pro tempore faciendis, minimè comprehendi, vel comprehenſas cenſeri, ſed tamquam pro fundatione Monaſterii erigendi ad Religionis,Divinique Cultus, & bonorum, piorumque operum augmentum conceſſas, ſemper ab illis excipi, & exceptas, ac quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacumque poſterioreData,per Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, vel alterius nominis Superioriſſam, & Moniales novi Monaſterii erigendi prædicti quandocunque eligenda conceſſas intelligi, firmaſque, validas & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quas, & quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam &c. Auditores, ac S.R.E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Apoſtolicæ Sedis Nuncios, ſublata &c. attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon, quatenus opus ſit,prædicti Monaſterii Oppidi Guaſtallæ, & illius Ordinis, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamns, cæteriſque

que contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xv. Julii MDCLXXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

J. G. Sluſius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſis, & anni præd. fol. 322.

NOTA.

Sororis Luciæ, quæ in ſuprapoſito Apoſtolicò Brevi ad novum Partenonem, Parmæ formandum vocata fuerat, laudes epitome vitæ enarrari, æquitatis eſt officium, ut, quæ Religionem noſtram virtute ſua illuſtravit, ac felici Monaſteriorum fœtu multiplicavit, in perenni Religionis memoria vireſcat.

NAta itaque eſt Soror Lucia Doralice 2. Kal. Octobris 1603. â piis, honeſtiſque Parentibus, Joanne Ferrario, & Victoria Lucina, in Civitate Regii Lepidi, & ideo dum ſuperiùs in Brevi Apoſtolico â *Guaſtalla* memoratur, ob fixum ibi Domicilium duntaxat, ita ſcribi notandum eſt. Per 30. annorum ſpatium morata eſt in paterna domo, & quamvis re domeſticâ ſat lautâ potiretur, modicum tamen de ea ad uſum aſſumpſit, tritâ vulgarique incedens veſte, qua aliam rudem, & ruvidam, Habitui Monialium Capucinarum ſimilem occultavit. Hoc tempore, ſolitas horas divinarum rerum commentationi impendere, corpus vario afflictationum genere conterere, ſacras ædes frequentare, Noſocomia adire, Catechumenos inſtruere, Pauperum egeſtati (larga ſæpe) ope ſuccurrere, ac crebriore Sacramentorum uſu ſuſceptam vitæ rationem firmare, potiſſimum fuit Luciæ ſtudium. Crevit exinde ita illius exiſtimatio, ut annos juventutis necdum egreſſa, Gynæceo Sanctiſſimæ Trinitatis Regii fuerit præfecta, ſibique viam ad majora, ad quæ Deus illam ſelegerat, ſtraverit. Hanc & currere incepit fortiùs Anno 1634. dum die Sanctæ Agneti ſecundò Sacrâ, Virgineum Tertiariarum Capucinarum Regii ingreſſa eſt Contubernium, & ſervato ad unguem illo Inſtituto, cultam Seraphici Patris Filiam ſe probavit. Increverat autem in pectore Luciæ ita dilatandæ divinæ gloriæ ardor, ut unius Civitatis compendio coarctari haud potuerit; hinc divino afflata ſpiritu, ſubſtantiâ patrimonii, in pauperes erogatâ, & nonniſi modicâ illius parte ſibi, & ſociæ reſervatâ, Guardaſtallum, ſeu, ut ajunt, Guaſtallam ſe contulit, ibiquè auſpice Deo, & aſpirante Sereniſſimi Ducis Ferdinandi III. favore, multiſque ſuperatis difficultatibus, Monaſterium Monialium Capucinarum ſub prima Sanctæ Claræ Regula inſtituit, additis huic Conſtitutionibus, apicem vitæ Capucinæ ſpecialiùs exprimentibus.

Ita Lucia de Tertiaria cœpit eſſe vera Capucina, & Matris nomen inde ſortita eſt, & Magiſtræ; manum enim mittens ad fortia, ponenſque veſtimentum ſuum cilicium, ſpiritum Regularis Obſervantiæ verbo, & exemplo virtutis, Filiabus inſtillavit, & intentum ab oratione ſpiritum non relaxans, eo conatu iter perfectionis proſecuta eſt, ut haud aliter, ac Scriptura de Ruth Moabitica dicit, *ſciverit*, & dixerit *omnis populus, qui habitavit intra portas Vrbis* Guaſtallæ, Luciam *Mulierem eſſe virtutis*. Exivit, & in vicinam terram ſonus mirabilis, quam Lucia duxit, vitæ, ita, ut ad inſtituenda plura hujuſmodi Monaſteria fuerit vocata: quemadmodum etiam Anno 1663. illud Taraviſii, Anno 1664. aliud Mantuæ, aliud Venetiis Anno 1668. Collegium dictum, & illud Novo Comi 1674. fundavit. Poſtremò, & Sereniſſimi Parmæ Duces, ut & novum ibi Capucinarum Domicilium ſpiritu ſuo fœcundaret, Luciam interpellârunt, & quamvis corpore attrita, & ob febriles, plurium jam annorum æſtus emaciata, ſpiritu tamen integra, non recuſavit laborem, ideoque Anno 1682. Parmæ in Hoſpitium, ſeu ædes S. Floræ, aſſiſtente Sereniſſimo Ducali Familia deducta fuit, ubi decrepitâ ætate, & ingraveſcente morbo oppreſſa, 8. Auguſti 1682. uncta Oleo lætitiæ in reſpectione Animarum, quæ in ejus ſequelam currebant, de terreno exilio ad Sponſum, quem in terris poſita tota dilectione quæſivit, migravit.

Numerus Monialium in fundationis principio ad numerum 12. Choralium, & 4. Converſarum fixus, fuit poſtmodum ad numerum 16. Choralium, & 6. Converſarum cum facultate adaugendæ pariter dotis extenſus, prout apparet ex S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium epiſtola, Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo inibi inſcripta, ut ſequitur:

Cum Moniales Capucinæ ſub prima Sanctæ Claræ Regula illius Civitatis â Sacra Congregatione ſub 9. Decembris 1695. facultatem obtinuerint numerum Choralium, uſque ad 16., & Converſarum uſque ad ſex adaugendi, noviterque pro gratia adaugendæ dotis, videlicet illam Choralium ad ſummam ſcutorum 325., & Converſarum ad ſcuta 122. monetæ Romanæ ſupplicaverint, Emin. Domini Mei benignè condeſcendentes permittunt, ut eleemoſyna dotalis Choralium ad ſcuta 250. duntaxat, & Converſarum ad ſcuta 100. monetæ prædictæ adaugeatur. Quod dum ſignifico &c. Romæ 25. Januarii 1697.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſis, & Anni præd.

Alta-

Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia Domûs Parmæ ad inſtantias Seren. Ducis Franciſci in perpetuum privilegiat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti, paternâ charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, ex purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Cum itaque, ſicut pro parte Dilecti Filii, Nobilis Viri, Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis, Nobis nuper expoſitum fuit, in Eccleſia Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Parmenſis, Cadavera Principum ex Familia Farneſia ſepulta ſint, ibique Altare, ſub invocatione Sanctiſſimi Crucifixi erectum, ad ipſum Franciſcum Ducem pertinens reperiatur, Nos Eccleſiam, & Altare hujuſmodi hoc ſpeciali dono illuſtrare volentes, & quodcunque aliud Altare privilegiatum pro Animabus Fidelium Defunctorum â purgatorii pœnis hujuſmodi liberandis, ſi quod in eadem Eccleſia generaliter conceſſum ſit, harum ſerie revocantes, piis ſupplicationibus memorati Franciſci Ducis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, benignè inclinati, Auctoritate Nobis â Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus â purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XX. Octob. MDCCIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

F. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Conventûs Parmen.

Breve Apoſtolicum pro privilegio Altaris Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia prædictæ Domûs expediri, à ſe jam juſſum eſſe, eidem Franciſco Duci reponit.

Dilecto Filio Nobili Viro Franciſco Parmæ, & Placentiæ Duci.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUI à Pontificia Charitate, ſpiritualibus muneribus augeri poſtulat, ille nedum ſuæ pietatis, ac devotionis affectum explicat, ſed animum quoque noſtrum peculiari modo demeretur. Quod cum à Nobilitate Tua factum eſſe advertamus in precibus Nobis oblatis, pro aſſequendo enunciato in ipſis precibus Privilegio, ad Altare Sanctiſſimi Crucifixi, in Eccleſia Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum iſtius Civitatis, Nos eiſdem annuendo Diploma expediri mandavimus, & plurimùm in Domino commendantes ſtudium, quo piè ſuffragari Majoribus tuis curas, in teſtimonium, ac pignus benevolentiæ noſtræ Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Die XXVII. Octobris MDCCIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Ulyſſes Joſeph Gozzadinus Archiep.

Autog. in Secr. Brev. ad Principes *Reg. menſ., & anni præd. fol.* 121.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

Monialibus Tertiariis Capucinis Terræ Fagnani, feria V. majoris hebdomadæ Miſſam privatam in earum Capella, Eccleſiæ Parochialis, celebrari permittitur.

Nullius Nonantulæ.

CUM Tertiariæ Ordinis Capucinorum Terræ Fani Diœceſis Nonantularum, ob nondum conſtructam earum Eccleſiam, Miſſam in una ex Capellis Parochiæ audire ſoleant, cum-

cumque Feria v. majoris hæbdomadæ in eadem Capella Miſſa ſolemnis celebrari nequeat, propterea pro facultate, ut ultra Miſſam Parochialem in Altari majori decantandam alia privata in memorata Capella, ad ſpiritualem ipſarum conſolationem celebrari poſſit, Sac. Rit. Congregationi enixè ſupplicarunt, & eadem S. Congregatio attentis circumſtantiis, Oratricibus gratiam petitam, concedendam eſſe cenſuit, quibuſcunque Decretis in contrarium non obſtantibus, Die xi. Martii MDCCXIX.

F. Card. Paulutius Præf.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparit. S. R. C. Secretarius.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

In cauſa, inter Domos Parmenſes, & Mutinenſes verſante, conſilia, quibus & malis occurreretur, & aliàs optatis obſecundaretur, ſuſcepta eſſe, Seren. Rainaldo Duci Mutinæ ſignificat.

A tergo: *Dilecto Filio Nobili Viro Rainaldo Eſtenſi Duci Mutinæ.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM occaſiones ultrò, ac libenter arripiamus Paternæ noſtræ benevolentiæ Tibi ampliùs declarandæ, claritate Domus tuæ, meritorumque tuorum amplitudine, ſingularis ſtudii noſtri officia poſtulante, ſatis intelligit Nobilitas tua, quàm amanter, cupidèque complexi ſimus vota, preceſque Tuas, quas ad Nos detuliſti per dilectum Filium Dominicum Mariam Jacobatium Adminiſtratorem tuum, cujus ſolertia, integritas, & fides apprimè Nobis perſpecta, & approbata eſt. Quoniam autem cauſa ipſa haud ſegniùs Nos excitabat, ut per opportuna remedia, & malis occurrere, & optatis tuis obſecundare niteremur, ea conſilia ſuſcepimus, quæ Nobilitati Tuæ fuſiùs explicabit Venerabilis Frater Noſter Franciſcus Epiſcopus Præneſtinus S. R. E. Cardinalis Barberinus, qui Tibi, & virtutis, & generis neceſſitudine conjunctus, & Capucinorum ſimul Familiæ Protector paribus Nobis cum ſtudiis curat, & ſatagit tam votis tuis ſatisfacere, quàm Religioſi Ordinis diſciplinam, concordiamque tueri. Minimè autem dubitamus, quin Tibi gratiſſima futura ſint noſtræ ſolicitudinis officia, quibus conſtiturum Nobilitati Tuæ confidimus, quanti faciamus dignitatem, ac ſapientiam tuam, & quàm præclaram, veteriſque amicitiæ memorem erga Te voluntatem geramus, cujus teſtem Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, Nobilis Vir ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die vii. Februarii MDCCXXV. Pontificatus noſtri Anno primo.

Archiepiſcopus Emiſſenus.

Ex Archivo Secret. Brev. ad Principes *Reg. Menſ.*, *& Anni præd. fol.* 434.

Petitas de B. Seraphino â Monte Granario S. Reliquias Sereniſſimæ Duciſſæ Parmæ, & Placentiæ Dorotheæ Sophiæ mittendas eſſe ſignificat.

Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobili Mulieri Dorotheæ Sophiæ, Parmæ, & Placentiæ Duciſſæ Viduæ.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.

EXimiæ pietati tuæ, qua Te charitati Noſtræ inſigniter probare pergis, pari cum paterni animi alacritate obſecundantes, quas Nobilitas tua exquiſierat, Reliquias B. Seraphini ex Ordine Capucinorum, Dilecto Filio Comiti â Porta tradendas mandavimus, ut in noſtræ erga Te ſtudioſæ voluntatis argumentum ad Nobilitatem tuam mitti curaret. Ex quo perſuaſum Tibi fore confidimus, gratiſſimas Nobis eſſe occaſiones, per quas Pontificiæ benevolentiæ præcipua ſtudia Nobilitati tuæ comprobemus. Novam interea gratificandi Tibi opportunitatem cupidè præſtolantes, Nobilitati Tuæ, Apoſtolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die iv. Decembris MDCCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Archiep. Emiſſenus.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ.*, *& anni præd. fol.* 563.

Do-

Domos Cuſtodiæ, ſeu Ducatûs Mantuani cum Domo Caſtellionis Stiverorum, â Provincia Brixiæ ſeparata, Provinciæ uniri ratihabet, & confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatûs officium, humilitati noſtræ per abundantiam Divinæ Bonitatis, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio creditum,ſalubriter exequi,adjuvante Domino jugiter ſatagentes, ad ea, quæ felici, proſperoque Chriſtifidelium, Altiſſimi obſequiis, ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum regimini conſulitur, libenter intendimus, munerisque noſtri Paſtoralis partes, propenſa deſuper parte, interponimus, ſicut Nos, locorum, perſonarum, rerum, & temporum qualitatibus maturè penſatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Exponi ſiquidem Nobis fecerunt Dilecti Filii Superiores, & Religioſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Lombardiæ, & Cuſtodiæ Mantuanæ, quòd, cùm de conſenſu etiam, ac approbatione chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Catholici, nec non Romanorum Regis, in Imperatorem electi inter ſe convenerint, ut in unam, eamdemque Provinciam uniantur, atque ſecundò dicti Superiores, & Religioſi Cuſtodiæ Mantuanæ declaraverint dilectis pariter Filiis Miniſtro Generali, & Diffinitoribus Generalibus prædicti Ordinis, tum memoratam Cuſtodiam Mantuanam, propter penuriam & defectum, præſertim Lanificii, unde Religioſis commodum veſtitûs provenit, aliter non poſſe ſubſiſtere, tum maximè Regularem obſervantiam, in ſuis reſpectivè Conventibus, per eam contiguæ Provinciæ unionem magis magiſque, adjuvante Deo firmatum iri. Quam quidem unionem cum acceſſione Conventûs Caſtellionis Stiverorum, à Provincia Brixiæ, quemadmodum ipſe Carolus Rex in Imperatorem electus exoptat, ſeparandi, ac diſmembrandi, & aliorum quinque Conventuum, videlicet Mantuæ, Terræ Hoſtiliæ, Aquænigræ, Goiti, & Sermini vici, iidem Miniſter Generalis, & Generales Definitores, utpote laudabilem, & Regularis Obſervantiæ in primis conducibilem, neceſſariam approbarunt. Cum autem,ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes unionem hujuſmodi per Nos ſtabiliri, ſibique propterea in præmiſſis opportunè provideri,& ùt infra, indulgeri plurimùm deſiderent; Nos piis utrorumque Superiorum ac Religioſorum votis ad Religionis incrementum, & felicem progreſſum tendentibus, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eoſque, & illorum ſingulares perſonas à quibuſvis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſupradictam Provinciam Lombardiæ cum Cuſtodia Mantuana perpetuò unimus, conjungimus, adnectimus, & incorporamus, nec non Conventum Caſtellionis Stiverorum, quem à Provincia Brixiæ ſeparamus, ac diſmembramus, cum quinque aliis memoratis Conventibus, ſcilicet Mantuæ, Terræ Hoſtiliæ, Goiti, Aquænigræ, & Sermini vici, eidem Provinciæ Lombardiæ perpetuò etiam unimus, conjungimus, adnectimus, & incorporamus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter obſervari, & illis reſpectivè in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſuetudinibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Provinciarum, ac Conventuum prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXI. Januarii MDCCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

F. Card. Oliverius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ., & Anni præd. de quo Breve format. in Arch. Provinciæ.

Fr.

Fr. Michaelem Angelum à Regio Lepidi in munere Concionatoris Palatii Apoſtolici ad dies vitæ confirmat, eique varias prærogativas impertitur.

Dilecto Filio Michaeli Angelo Franceſchi, Fratri expreſsè Profeſſo Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Prædicatori Palatii Noſtri Apoſtolici.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXimia religioſarum virtutum merita, quibus apud Nos maximoperè commendaris, & doctrina, prudentia, ac zelus, quibus Officium Prædicatoris Palatii Apoſtolici Noſtri, Tibi aliàs demandatum, laudabiliter obire pergis, Nos inducunt, ut, quemadmodum Nos ad Ordinem Sancti Franciſci Minorum Capucinorum nuncupatorum, cujus Frater expreſsè Profeſſus exiſtis, aliqua Prærogativa decorandum, Prædicatores ejuſdem Palatii Apoſtolici, ex memorato Ordine deinceps futuris temporibus eſſe aſſumendos, per alias Noſtras, in ſimili forma Brevis, literas, hac ipſa die datas, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ita Tibi etiam non obſcurum Noſtræ Apoſtolicæ Benignitatis argumentum exhibeamus: Itaque Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Te modernum Prædicatorem ejuſdem Palatii Apoſtolici, primùm in munere hujuſmodi, quoad vixeris, confirmamus; Deinde volumus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus omnibus, & ſingulis Ordinis Tui Superioribus Generalibus, & Subalternis, ut ab ipſis, ceteriſque, ad quos ſpectat, Tu habearis, ac ſis, ad inſtar aliorum Regularium Palatio Apoſtolico proximè addictorum, ita, ut Rheda, vel Curru uti eodem prorſus modo, quo alii Concionatores Apoſtolici ejuſdem Ordinis ad hanc uſque diem uſi ſunt; necnon, ut pecuniam, ſive ex honorario conſueto, ſive aliunde, licitè tamen, & legitimè Tibi provenientem, licitè, & liberè, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, pro Tuis, & Sociorum Tuorum neceſſariis, decentibuſque uſibus impendere poſſis, & valeas. Præterea Tibi, ut aliquem ex Alumnis dicti Ordinis experiri, inſtruere, & informare, atque Tuum in officium hujuſmodi, Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, deſignare ſucceſſorem valeas, tam Prædicatorem per Sacratiſſimam Quadrageſimam in Eccleſia ſub Titulo S. Mariæ in Vallicella, Presbyterorum ſæcularium, Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii, quàm Prædicatorem infra annum in Eccleſia Archiconfraternitatis, ſub invocatione Stigmatum Sancti Franciſci de Aſſiſio, de eadem Urbe, de more prædicare, & ex Alumnis dicti Ordinis Capucinorum eligi ſolitum, eligendi omnimodam facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Capucinorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Pro D. Cardinali Paſſioneo

Cajetanus Amatus.

Breve form. in manibus P. Concionatoris Apoſt. ſupradicti.

NO-

N O T A.

FRater Michael Angelus, in Brevis Apoſtolici inſcriptione nominatus, Regii Lepidi, ex claro Franceſcorum Satu, anno 1688. natales ſuos habuit, & capto ingenii cultu, animoque pubeſcentis ætatis virtutibus imbuto, anno 1705. in leges Sancti Patris Franciſci juravit. Ut talenta à Deo ipſi collata, otioſa non torpeſcerent, Lectoris officium Provincia ei commiſit, ad 14. annos, inductâ Dogmaticæ Theologiæ docendæ methodo continuatum. Ex merito, quod inde collegit, ſuſcepit gubernacula Conventuum, ac Provinciæ, eaque viriliter tenuit, & primus Sereniſſimi Ducis Mutinenſis Theologus, & Conſultor Sancti Officii Regii fuit conſtitutus.

Ex Evangelico zelo, quo eelebriora Italiæ pulpita illuſtravit, eum ſibi conciliavit applauſum, ut Vaticani Palatii Concionator ſeligeretur. Accidit, ut in primo triennio, quo ſpartâ hac fungebatur, BENEDICTUS XIV. Apoſtolico Brevi, in Tomo Supplementi videndo, Pulpitum Sacri Palatii, Religioni noſtræ conſignaret perpetuum, Eidemque, & Succeſſoribus prærogativas, in præpoſito Brevi expreſſas concederet.

Deductum per vias rectas Dominus conſervet, & eum in laboribus ſuis Divinæ gratiæ illapſu honeſtet.

PRO-

PROVINCIA VENETA.

DEcora illa, quæ Provinciam formant, & ornant, ac potiſſimum in antiquitate originis, in Domuum, ſeu Conventuum copia, gratiâ Principis, virore Regularis Obſervantiæ, ac prolixa Virorum illuſtrium ſerie conſiſtunt, reddunt gloriam Venetæ ex horum omnium concurſu illuſtriorem.

Antiquitatem ejus ingerunt Conventus, quos iu Sereniſſimo Dominio, tempore adhuc Novitiæ noſtræ Religionis, Veronæ, Patavii, Scledii &c. conſtructos fuiſſe, Chronici teſtantur libri.

Copia horum fuit & mirabilis, cum Provincia, quæ grano Sinapis ſimilis ad tempus manſit, fœcundo tandem incremento creverit in arborem, quæ folia regiminis uſque ad partes Germaniæ extendit, & aliorum quoque Statuum, veluti Mantuani, Tridentini &c. Pampinos, ſeu Cuſtodias, ab illa jam abſciſſas, complexa fuit.

Gratiam Principis in ſe effuſam, eâque uſque ad invidiam quaſi ſe ſemper prædilectam fuiſſe, æqua fatetur Provincia, clamantque hanc muti teſtes, tum lapides, quas Sereniſſima Reſpublica ære ſuo formavit in Conventus, tum Conventus, quos vel ſenio fatiſcentes eodem ære reparavit, vel larga ſemper Stipe nutrivit; tum magnificum illud Templum, lue contagioſa, per Dominium magna hominum ſtrage ſæviente, ex pio, ſolemni voto Reipublicæ (*ut verba lapidi fundamentali inſculpta ſonant*) ad arcenda fulgura dictæ peſtis, Redemptori Deo ſanctè dicatum, Gregorio XIII. Pont. Max. Venetiarum Duce, Aloyſio Mocenico, & Joanne Treviſano, Patriarcha 1577., *& centum mille prope aureorum pondere erectum, ac ex Apoſtolica conceſſione Miniſterio noſtro conceſſum. Fuit & ejuſdem gratiæ, & prædilectionis effectus, dum noviſſimis temporibus Sereniſſimus Senatus Fr. Franciſcum Antonium Corrarium ad Patriarchalem Sedem, & Fr. Vincentium Bragadenum ad Scardonenſes Inſulas nominavit, de quo utroque, ſuperficiem geſtorum viſuro præbet Tomus primus fol.* 198., *&* 199.

Viror Regularis Obſervantiæ, & in ſuo principio, & progreſſu enituit ſingularis: quantumvis enim Provincia in ſuis incunabulis variorum (uti dictum) Statuum Domos, Fratreſque, variis loquentes linguis concluderet, mira tamen animorum concordia, & unitate ſpiritûs cultum Regularium Sanctionum ſervavit. In progreſſu Eandem idem ſemper animavit ſpiritus, ita quidem, ut & hujus præſidio, Venerabilis Dei Servus, Laurentius à Brunduſio, non ſolùm ad culmen Generalatûs per gradus humilitatis aſcenderit, verùm etiam in diebus ſuis ita placuerit Deo, ut Apoſtolica Curia de cultu Altaris ei decernendo, deliberare jam cœperit.

Eo-

Eodem ſpiritu Duce Fr. Marcus ab Aviano virtutem ſuam eo cumulavit acceſſu, ut introiverit in potentias Domini, & mirabilium, quæ fecit, memoria, æquum in illius laudes regreſſum in ſequenti Literarum Apoſtolicarum ſerie mereatur: necnon ad Generalia Ordinis ſubſellia pervenère (præter V. Dei S. Laurentium à Brunduſio) tum Fr. Fortunatus à Cadubrio, quem binâ vice dominantem in poteſtatibus ſuis, Hominem magnum virtute, & prudentia præditum *Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi III. Galliæ, & Hiſpaniarum Regum, ac aliorum Europæ Principum literæ oppidò teſtantur, tum Fr. Auguſtinus à Tiſana, de quo, quod Religio Generalem Sanctiorem, & Doctiorem (quamvis & ipſe fuerit piiſſimus, ac Doctiſſimus) non tamen attentiorem habere potuiſſe, ex auctoritatis effato tenuit Fama.*

Horum veſtigia veloci greſſu ſecutus eſt Fr. Aloyſius à Verona, & ideo dignè ad Senatum Definitorii Generalis admiſſus.

Viri alii, quos palmaris Virtutis nota, ſanguinis claritas, & ingenii acrimonia reddit memoriâ dignos, huic nunquam deſuère Provinciæ. Inter primos refero Fr. Marianum Venetum, qui ex Nobiliſſimo Corneliorum Germine, poſtquam Ampliſſimo Senatûs conſenſu Equeſtri dignitate, Cytherorumque, Tenos, & Illirici extraordinarii Proviſoris, necnon Cretæ, vel Candiæ Ducis honore ornatus fuiſſet, mundanæ vanitatis fulgorem, bracteatoſque honorum titulos calcavit, & ſuſceptum Capucinæ Paupertatis Habitum eo virtutis apparatu, & mundo decoravit, ut Annales Ordinis vitam ejus poſteris in exemplum deſcribant, & commendent.

Fr. Bartholomæus Veronenſis à Sereniſſima Republica ſpiritualis Triremium Gubernator conſtitutus, ſpartam hanc tam glorioſo fructu adimplevit, ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide referente Eminentiſſimo D. Cardinale Cornelio literas Nuntii Venetiarum, & Archiepiſcopi Sadrenſis, ſignificantium ea, quæ pro Animarum ſalute, & Catholicæ Fidei propagatione geſſit in Dalmatia unà cum P. Michaele Gandavenſi, ejus ſocio, *ſub ſeptimo Septembris* 1649. juſſerit dictorum Patrum labores commendari, & in muris, ac tabulis Ædium Congregationis, nomina eorum notari.

Eximium Fr. Sanctes, pariter Veronenſis, zelum, æquè Provincialatus Officium bina vice ei impoſitum, ac Sanguis in Bello contra Turcas ab eo glorioſè effuſus ſignat.

Nimius forem, ſi, quos Sanguine claros habuit, enarrarem, Alumnos: ſufficiat per tranſennam dixiſſe, tales fuiſſe, & eſſe ex Familiis Bonlina, Bragadena Calba, Coraria, Collalta, Delphina, Juſtiniana, Baduaria, Querina, Recanata, Zane, Zenobia, &c. &c.

Editis libris, acrimoniam ingenii probàrunt FF. Joannes Maria ab Utino, Laurentius Veronenſis, Mathias, Michael Angelus & Valerius, Veneti, &c. &c. quorum Opera, & virtutes, Bibliotheca Scriptorum Ordinis ſpecificè recenſet.

Complectitur Domos Fratrum XXXVI.
Miſſiones ſtabiles III.
Hoſpitia pro itinerantibus &c. VII.
Monaſteria Monialium XI.

Monaſterium S. Hieronymi in Civitate Vicentina, â Monaſterio Fratrum Sanctæ Mariæ Gratiarum diſmembrari, Regularem ſtatum Ordinis S. Hieronymi in illo ſupprimi, prophanos Habitatores ex eo expelli, ac Fratribus Noſtris, pro perpetuo uſu id concedi, mandat.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Vicentino ſeu Dilecto Filio ejus in Spiritualibus Vicario Generali.*

PIUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Eccleſiæ, & Monaſteria quælibet debitis ftequententur honoribus, &, ut id felicius ſubſequi poſſit, nonnunquam illorum Ordínum perſonis provideri curamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Accepimus ſanè nuper, quod, poſtquam ſuperioribus diebus Tu, Frater Epiſcope, qui antea intellexeras Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi in Vinarolo prope, & extra muros Vicentin. dudum à Dilectis Filiis Fratribus Sanctæ Mariæ Gratiarum, etiam Vicentin. ejuſdem Sancti Hieronymi, vel alterius Ordinis derelicta fuiſſe, illaque à Perſonis laicis, & infamibus, ac uxoratis inhabitari, ibidemque multa turpia, & inhoneſta committi in grave dictorum Fratrum damnum, & ſcandalum plurimorum, cupiens pro Tui paſtoralis Officii debito in præmiſſis providere, tunc exiſtenti Tuo, in Spiritualibus Vicario Generali, verbo, vel in ſcriptis mandaveras, ut Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi hujuſmodi viſitaret, ipſeque Vicarius Mandato Tuo hujuſmodi ad ipſum Monaſterium, & Eccleſiam, cauſa illa viſitandi perſonaliter acceſſerat, in viſitatione hujuſmodi Eccleſiam ipſam mirificè conſtructam, ſed immunditiis plenam, ab ejuſque feneſtris lapides, & crates ferreas ablatas, nec non omnia illius ornamenta (excepta tamen quadam palla veteri & corroſa) deleta, ac ab illius Altaribus lapides ſacros ſimiliter ablatos invenit, ac â dicti Monaſterii habitatoribus accepit, in dicta Eccleſia pilæ luſus, aliaque profana exerceri, inibique tria altaria, quatuor ſepulchra, eandemque Eccleſiam, magnam alioquin venerationem præſeferre, & campanile ſatis honorabile, licet campanis deſtitutum habere, in illiuſque Sacrario quemdam Virum conjugatum unà cum ipſius uxore, & filiis commorari, ibidemque etiam ſuem nutriri, in ipſius verò Monaſterii cellulis mulieres partim viduas, partim conjugatas, & alias etiam non conjugatas reperiri, & per eum nonnullis inibi teſtibus, medio juramento examinatis, etiam mulieres meretrices illic habitare, ex eorum depoſitione cognovit, ac tam in Eccleſia, quam Monaſterio hujuſmodi multa inhoneſta perpetrari, quinimo in ipſamet luſus exerceri, & quoſdam hiſtriones aliquando ſuam, vel ſuas egiſſe ibidem comœdias, & alias, prout in inſtrumento viſitationis hujuſmodi, & dictorum teſtium depoſitione latius dicitur contineri.

Nos tantam abominationem, & deſolationem, ut Eccleſia, quæ domus Orationis, & Monaſterium, quod Religionis habitaculum erant, nedum â perſonis profanis inhabitentur, ſed & quaſi publicum proſtibulum, & hiſtrionum, aliarumque perſonarum infamium receptaculum facta ſint, conniventibus oculis nequaquam præterire, imò ex injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis Officio, in præmiſſis remedium opportunum adhibere, nec non Religionem, & Divinum cultum in eiſdem Monaſterio, & Eccleſia inſtaurare, omnemque immundum, & profanum ſtatum exinde penitus eliminare volentes, & conſiderantes id non poſſe magis ex animi Noſtri ſententia ſuccedere, quam, ſi dilecti Filii Fratres Ordinis Sancti Franciſci, Capucini nuncupati, qui in quodam loco extra dictam Civitatem Vicentinam minus commodè habitant, ad Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi hujuſmodi transferantur, ipſaque Monaſterium, & Eccleſia Sancti Hieronymi eis perpetuò concedantur, ac propterea tam eoſdem Fratres Capucinos, quam totam eorum Congregationem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi cupientes, eoſque & eorum quemlibet â quibuſvis excommunicationis, &c. abſolutos fore cenſentes, nec non inſtrumenti Viſitationis hujuſmodi tenorem, præſentibus pro expreſſo habentes, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum Capucinorum, vel alicujus eorum Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa Noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, contemplatione etiam requiſitionis Dilectorum Filiorum Deputatorum Communitatis Vicentinæ adducti, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus & mandamus, ut Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis illorum circumſtantiis, adjacentiis, membris, juribus, & pertinentiis, â Monaſterio Fratrum Sanctæ Mariæ Gratiarum, & illius Ordine

præ-

præfatis, perpetuò ſeparare, & diſmembrare, omnemque dicti Ordinis Sancti Hieronymi, vel alterius dependentiam, & Regularum ſtatum, in eiſdem Monaſterio, & Eccleſia Sancti Hieronymi etiam perpetuò ſupprimere, & extinguere, nec non Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi hujuſmodi cum dictis illorum circumſtantiis, adjacentiis, membris, juribus & pertinentiis, præfatis Fratribus Capucinis, & univerſæ illorum Congregationi pro perpetuis dictorum, & aliorum pro tempore exiſtentium Fratrum Capucinorum uſu, & habitatione ſimiliter perpetuò concedere, & aſſignare, ac eidem Congregationi Ordinis Capucinorum perpetuò unire, annectere, & incorporare, omnemque profanum ſtatum, & profanos habitatores ab eiſdem Monaſterio, & Eccleſia Sancti Hieronymi eliminare, abolere, ejicere, expellere, & amovere, ac Monaſterium, & Eccleſiam Sancti Hieronymi hujuſmodi adverſus præfatas, & quaſcumque alias profanationes, & pollutiones Deo reconciliare, ac etiam de novo benedicere, & conſecrare, nec non in Monaſterium dicti Ordinis Capucinorum perpetuò erigere, inſtituere, & immutare, dictoſque Fratres Capucinos in præfato loco extra Civitatem Vicentin. habitantes cum omnibus, & ſingulis illorum, & dicti loci, in quo de præſenti habitant, ac ejus Eccleſiæ privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remiſſionibus, prærogativis, conceſſionibus, indultis, & aliis gratiis Spiritualibus, & Temporalibus, nec non etiam paramentis, & ornamentis Eccleſiaſticis, Campanis, Crucibus, Calicibus, & etiam Sanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, aliiſque tabernaculis, & Sanctorum Reliquiis, cœteriſque bonis, juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, ab ipſo loco, in quo de præſenti habitant, & Eccleſia hujuſmodi, ac aliis, ubi conſiſtunt, ad Eccleſiam Sancti Hieronymi præfatam ad inibi perpetuò habitandum, & gratum Altiſſimo famulatum, juxta Regularia dicti eorum Ordinis inſtituta exhibendum perpetuò transferre, ac ibidem ſtatuere, & collocare, eoſdemque Fratres Capucinos, univerſamque eorum Ordinis Congregationem, vel eorum, & ejus Procuratorem in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Monaſterii, & Eccleſiæ S. Hieronymi, ac circumſtantiarum, adjacentiarum, membrorum, jurium, & pertinentiarum, prædictorum, amotis exinde quibuslibet detentoribus, inducere, inductoſque defendere, & perpetuò manutenere, aliaque omnia, & ſingula in eiſdem præmiſſis omnibus, & ſingulis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, ac alia, Veſtrûm cuilibet beneviſa facere, dicere, ordinare, diſponere, gerere, exercere, mandare, & exequi, auctoritate noſtra cures, contradictores quoslibet, & rebelles per Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & etiam pecuniarias, aliaſque pœnas, Tibi bene viſas, cœteriſque juris, & facti opportuna remedia, omni appellatione, & recurſu poſtpoſitis, eadem auctoritate Noſtra compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Nos enim Veſtrûm cuilibet in, & ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac illorum incidentibus, dependentibus, & emergentibus cauſis plenam, amplam, & omnimodam, ac etiam Regiam poteſtatem, licentiam, & facultatem, ac auctoritatem per eaſdem præſentes concedimus, ac impertimur: Decernentes eaſdem præſentes litteras de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, vel impugnari, aut revocari, ſuſpendi, limitari, vel eis in aliquo derogari, aut ad viam, vel terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionem in integrum peti, aut aliàs quomodolibet infringi ullo unquam tempore minimè poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri debere, ac ſub quibuſvis illarum, aut ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, derogationibus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, ex quavis cauſa, & ad cujuſvis inſtantiam, quavis etiam Apoſtolica Auctoritate, ac aliàs quomodolibet factis nullatenus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas exiſtere, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debere. Irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, ac una de non tollendo jure quæſito, nec non altera noſtris, per quam voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in omnibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, nec non Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, & aliis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Monaſterii, & Ordinum hujuſmodi, etiam juramen-

mento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores hujuſmodi præſentibus, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque non obſtantibus, aut, ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die IV. Decemb. MDLXVII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

B. Melchiorius.

Breve formatum in Archivo Conventus.

Separationem Curæ animarum à Monaſterio Sanctæ Crucis, de Cittadella nuncupato, aliàs Cœnobio Monialium Sancti Silveſtri, Ordinis Sancti Benedicti Veronæ unito, necnon illius cum Eccleſia aſſignationem, pro habitatione Fratrum, ibidem confirmat.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Veronenſi & Dilecto Filio, Uni obtinenti dignitatem in Eccleſia Veronenſi.*

PIUS PAPA V.

Venerabilis Frater, & Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX commiſſi Nobis deſuper Paſtoralis Officii debito Monaſteriorum, aliorumque Regularium locorum quorumlibet utilitati intendentes, illa, quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, ut perpetuò firma, & illibata perſiſtant, cum à Nobis petitur, mandamus Apoſtolico munimine roborari. Dudum ſiquidem à fel. record. Paulo Papa II. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus Judiciis ſit rectitudo Juſtitiæ, & conſcientiæ puritas obſervanda, id multo magis in commiſſionibus alienationum rerum Eccleſiaſticarum convenit obſervari, in quibus de Chriſti patrimonio, & diſpenſatione pauperum, non de proprio cujuſque peculio agitur, aut tractatur. Quapropter oportet, ut in examinandis hujuſmodi alienationum cauſis, quæ à Sede Apoſtolica in forma, ſi in evidentem utilitatem cedant, oneratis Eccleſiaſticorum Judicū conſcientiis delegantur, nihil favor uſurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmii juſtitiam, conſcientiamque ſubvertat. Monemus igitur, & ſub interminatione Divini Judicii omnibus Commiſſariis, & Delegatis hujuſmodi diſtrictè præcipimus, ut cautè, & diligenter attendant cauſas, in literis Apoſtolicis per ſupplicantes expreſſas, illaſque ſollicitè examinent, atque diſcutiant, teſtes, & probationes ſuper narratorum veritatem recipiant, & ſolum Deum præ oculis habentes, omni timore, aut favore depoſito, Eccleſiarum indemnitatibus conſulant, nec in læſionem, aut detrimentum earum Decreta quomodolibet interponant. Si quis autem Commiſſarius, aut Delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus in gravamen, aut detrimentum Eccleſiæ per gratiam, timorem, vel ſordes alienationi conſenſerit, aut Decretum, vel auctoritatem interpoſuerit, inferior quidem Epiſcopi ſententiam excommunicationis incurrat, Epiſcopus verò, aut Superior ab executione Officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad extimationem detrimenti Eccleſię illati. Nihilominus condemnandus ſciturus, quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe in Divinis, irregularitatis laqueo ſe involvat, à quo nonniſi per Summum Pontificem poterit liberari. Is verò, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter in detrimentum Eccleſiarum alienationem fieri procuraverit, aut per ſordes, vel impreſſionem alienationis Decretum extorſerit, ſimilem ſententiam excommunicationis incurrat, à qua nonniſi per Romanum Pontificem poſſit abſolvi, ad reſtitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de præmiſſis conſtiterit, condemnandus. Volumus autem, quod Delegati, & Commiſſarii præfati de pœnis Conſtitutionis noſtræ ſpecificè moneantur, & in quibuſcumque literis commiſſionum hujuſmodi hoc Statutum noſtrum inſeratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, præcepti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Idus Maji, Pontificatus noſtri anno primo.

Et

Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ac Civium Civitatis Veronenſis, necnon Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii Sancti Silveſtri, aliàs Sanctæ Mariæ Matris Domini nuncupati Veronenſis, Ordinis Sancti Benedicti petitio continebat, quod, quando dicti Fratres primò in Civitate ipſa acceſſerunt, bonæ memoriæ Joannes Matthæus, dum viveret, Epiſcopus Veronenſis, eiſdem Fratribus de Eccleſia, & quadam Domo, in qua ipſi hucuſque cum ſumma vitæ innocentia, ac vera Religionis norma, totiuſque populi dictæ Civitatis benevolentia permanſerunt, munus prædicationis jugiter exercentes, ac aliis divinis aſſiduè deſervientes, ſingulare ſuæ probitatis exemplum tradiderunt, prout tunc potuit, providit: Sed quoniam, elargiente Domino, Congregatio iſtorum Fratrum non mediocre in dies ſuſcepit incrementum, dicta eorum Domus anguſta valde, & neceſſitatis ſuæ incapax (præſertim cum ipſi ultra numerum Fratrum jam inibi adauctum unam Academiam ad honorem Omnipotentis Dei, ac Chriſtiani Nominis decorem, Fideique Catholicæ augmentum in ea erigere ſtatuerint) reperta eſt. Quæ omnia, cum permulti dictæ Civitatis Cives conſideraſſent, ipſorum Fratrum puritatem, & Chriſtianam intentionem cognoviſſent, Fratribus ipſis de alio aptiori, & magis habili, idoneo, & capaci Monaſterio, ſeu Domo providere volentes, cum dictis Abbatiſſa, & Monialibus pertractaverunt, & convenerunt, quod illæ Monaſterium Sanctæ Crucis, de Cittadella nuncupatum Veronen. dicti Ordinis Sancti Benedicti, quod prædicto earum Monaſterio Sancti Silveſtri unitum erat, cum Eccleſia, & Domo, necnon terra duntaxat adjacente, quantitatis in totum ſex camporum, vel circa, menſuræ illarum partium, juxta ſuos veriores confines, eiſdem Fratribus, ita, quod liceret eis inibi habitare terram dictam, uti neceſſitati ſuæ apprimè commodam tenere, & poſſidere, necnon Academiam præfatam pro eorum voto erigere, reliquis tamen bonis, juribus, jurifdictionibus, pertinentiis, & obventionibus univerſis ad dictum Monaſterium Sanctæ Crucis ſpectantibus, & pertinentibus Abbatiſſæ, & Monialibus, earumque Monaſterio Sancti Silveſtri hujuſmodi integrè, & ſine diminutione in omnibus, juxta dictæ ſuæ unionis tenorem, ita quod illa in reliquis omnibus ſuis partibus firma, illæſa, & illibata remanerent, permanentibus, darent, & concederent, prout tunc cum effectu dederunt, & conceſſerunt. Et quoniam Abbatiſſa, & Moniales ipſæ ex fructibus, redditibus, & proventibus Monaſterii Sanctæ Crucis, illiuſque Domus, & terræ adjacentis hujuſmodi, triginta Ducatos ad ſummum, & quandoque minus de groſſis triginta unius, monetæ illarum partium, pro quolibet Ducato percipere conſueverunt. Et ne ex præmiſſis illæ minimum diſpendium paterentur, quidam Nobilis Civis Veronenſis, Chriſtiana Religione commotus, ut hoc opus tam pium, tamque dictæ Civitati gratum ad finem perduceretur, tot de bonis ſuis, ex quibus illæ triginta ſimiles Ducatos annis ſingulis liberè conſequi valerent, donec collectis à Civibus ipſis tot à Chriſtifidelibus eleemoſynis, ex quibus idonei fundi in agro Veronenſi, quorum redditus jure annui affictus ad ſummam triginta Ducatorum hujuſmodi aſcenderent, quique Abbatiſſæ, & Monialibus ipſis obnoxii perpetuò remanerent, emerentur, eiſdem Abbatiſſæ, & Monialibus aſſignavit.

Præterea, cum Eccleſiæ Monaſterii S. Crucis hujuſmodi cura immineret animarum, Tu Frater Epiſcope, Eccleſiam ipſam curæ animarum, & Sacramentorum adminiſtratione ordinaria Tua auctoritate (ſalvo etiam ſuper hoc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito) penitus liberaſti, curamque animarum hujuſmodi ab ipſa Eccleſia ſeparaſti, & illam, ejuſque exercitium ad Parochialem Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis Veronenſis, uti viciniorem, & commodiorem transtuliſti, & illi applicaſti, prout in inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Idcirco pro parte tam Fratrum, & Civium, quam Abbatiſſæ, & Monialium prædictorum aſſerentium donationem, conceſſionem, & aſſigationem, aliaque præmiſſa in evidentem dicti Monaſterii S. Silveſtri utilitatem ceſſiſſe, & cedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, conceſſioni, & aſſignationi, aliiſque prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiore robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac Miniſtrorum prædictorum veriores tenores præſentibus pro expreſſis haberi volentes, ipſoſque Fratres, & Cives, necnon Abbatiſſam, & Moniales, ac ſingulares eorumdem Monaſteriorum perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, ad id, qui fuerint vocandi, ac ſervata forma præinſertarum literarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, & Monaſterio S. Crucis, illiuſque Eccleſia, Domo, & Terra adjacente hujuſmodi

modi prius coram vobis ſpecificatis, ac donatione, conceſſione, & aſſignatione, aliiſque præmiſſis, ac, quod illa in evidentem ipſius Monaſterii S. Silveſtri utilitatem ceſſerint, & cedant, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, donationem, conceſſionem, & aſſignationem, aliaque præmiſſa, ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, licita tamen, & honeſta, approbare, & confirmare &c. omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere, aliaque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna dicere, & facere, auctoritate noſtra curetis, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXX. Novembris MDCLXXVIII. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Cæſar Glorierius.

Breve formatum in Archivo Conventus.

Eccleſiam S. Redemptoris ex Voto in Civitate Veneta ædificatam, à Sereniſſimo Senatu Fratribus aſſignari, & non obſtante religioſæ paupertatis lege eam ab hiſce acceptari, Apoſtolicæ Benedictionis largitione indulget.

A tergo: *Dilectis Filiis, Nobili Viro Duci, & Senatui Venetiarum.*

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod Vos pro liberatione peſtis, quæ iſtam veſtram Civitatem multos per menſes vehementer vexavit, unam Eccleſiam ſub invocatione S. Salvatoris ædificare voviſtis, quæ quidem propè Monaſterium Fratrum Capucinorum ejuſdem Civitatis jam concedente Domino ſatis ampla, & magnifica constructa fuit, deſideratiſque, ut dicti Fratres Capucini Miſſas, & alia Divina officia in eadem Eccleſia S. Salvatoris celebrare valeant, quod ipſi Fratres facere contenti ſunt, ſi ad id Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia, & facultas ſibi ſuffragetur. Quare Nobis humiliter ſupplicari curâſtis, ut ſuper his opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur votis veſtris, præſertim, quæ ex Religionis devotione prodire conſpicimus, paternè annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis, ut dictis Fratribus Capucinis eandem Eccleſiam S. Salvatoris, ad effectum, ut ipſi ibi Miſſas, & alia divina Officia celebrare poſſint, dare, & concedere; iiſdemque Fratres illam ad effectum præmiſſum cum benedictione noſtra recipere, & habere valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis dictorum Fratrum ſtatutis, & Conſuetudinibus, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, Privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, illis quomodolibet conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunq;. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die x. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Cæſar. Glorierius.

Breve form. in Arch. Provinciæ, dequo Auth. copia in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Veneta.

Emptionem fundi pro conſtruenda Domo in Oppido Aſoli, ac remiſſionem livelli, ſeu annui censûs, eidem annexi confirmat.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui, ut Religione, claris vitæ exemplis comprobatâ, cœleſtis nos patriæ Cultores efficeret, de ſummis cœlorum ad mundi infima deſcendere dignatus eſt, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, illorum curam libenter amplectimur, per quæ Religio ipſa multiplicatis illius Cultoribus, quorum aſſiduis precibus, & fructuoſis operibus Omnipotens Deus propitius redditur, noſtris etiam temporibus ſuſcipiat incrementum, & ubique locorum propagetur.

Ut verò id optatum conſequatur effectum, quæ propterea libera voluntate proceſſiſſe comperimus, ut inconcuſſa remaneant, Officii

noſtri

noſtri partes more Pii Patris interponimus, prout Fidelium pia vota expoſcunt, & in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, ac Syndicorum, & Fabriceriorum Terræ Aſoli Tarviſinæ Diœceſis, exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod, cum ipſi Miniſter Generalis, & Fratres, ex eleemoſyna, eis per quamdam Nobilem Mulierem Venetam, nunc vitâ functam, aliàs relicta, certum fundum in Territorio dictæ Terræ ſitum annuo cenſu, ſeu livello, undecim librarum, monetæ illarum partium, & duarum gallinarum pro tempore exiſtenti Epiſcopo Tarviſino annuatim perſolvendarum gravatum, ad effectum conſtruendi inibi Domum Fratrum Ordinis hujuſmodi, emerint, Venerabilis Frater noſter, modernus Epiſcopus Tarviſinus, ipſum cenſum Miniſtro Generali, & Fratribus prædictis, ex ſua mera liberalitate, Dei amore, ac gratis ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito perpetuò remiſit, pro parte Miniſtri Generalis, ac Fratrum, & Syndicorum, necnon Fabriceriorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus emptionem, & remiſſionem hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ Confirmationis munimine roborare, cumque in dicta Terra nulla Domus Ordinis ejuſdem exiſtat, unam Domum hujuſmodi ad Religionis propagationem inibi conſtrui, & ædificari faciendi licentiam concedere, & erigere, & inſtituere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Religionis propagationem, ac Domorum Regularium multiplicationem, Divinique cultus augmentum ſinceris deſideramus affectibus, ipſos Miniſtrum Generalem, ac Fratres, & Syndicos, necnon Fabricerios, eorumque ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, ac venditionis deſuper factæ, & emptionis, ac remiſſionis tenores, dictique fundi ſituationes, & confines, ac illius, & cenſus hujuſmodi veros valores, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, venditionem ipſis Miniſtro Generali, & Fratribus factam, ac emptionem, & remiſſionem prædictas, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan deſuper intervenerint, ſupplemus: necnon Miniſtro Generali, & Fratribus prædictis dictum fundum, ab eodem cenſu librarum immunem, & exemptum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, auctoritate, & tenore præmiſſis, & perpetuò concedimus, & elargimur: ita, quod liceat Miniſtro Generali, & FF. prædictis fundi hujuſmodi, illiuſque omnium jurium, & pertinentiarum corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, eorum nomine, propria auctoritate, liberè apprehendere, aut jam apprehenſam perpetuò retinere, ipſiſque, ut in eodem fundo, aliquam Domum conſtruere, & ædificare, ſeu conſtrui, & ædificari facere poſſint, indulgemus: necnon prædictam Domum ex nunc, prout ex tunc, & econtra, poſtquam conſtructa, & ædificata fuerit, in Domum Fratrum Ordinis hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, Refectorio cellulis, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis, & fabricis neceſſariis, & ſolitis pro uno Miniſtro, ſeu Guardiano, vel Priore, & competenti Fratrum dicti Ordinis numero in eam introducendorum, ac ibidem etiam perpetuò juxta eorum Regularia Inſtituta, Altiſſimo famulantium, illorumque uſu, & habitatione, auctoritate prædicta, earumdem præſentium tenore ſimiliter perpetuò ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus, necnon Domui, & Miniſtro, ſive Guardiano, vel Priori, ac Fratribus introducendis prædictis, pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, indulgentiis, etiam plenariis, ac perpetuis, & peccatorum remiſſionibus, conceſſionibus, & aliis gratiis ſpiritualibus, & temporalibus, quibus alii Miniſtri, ſeu Guardiani, vel Priores, & Fratres aliarum Domorum dicti Ordinis, in genere quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac in futurum uti, frui, potiri, & gaudere poterunt, ipſi ſimiliter, & pariformiter uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, pariter perpetuò concedimus, & indulgemus: necnon approbationem, confirmationem, ſuppletionem, conceſſionem, elargitionem, indulta, erectionem, inſtitutionem, ac præſentes litteras nullo unquam tempore revocari, ſeu de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, vel impugnari, aut ſub quacunque revocatione, modificatione, declaratione, ſeu alia huic contraria diſpoſitione comprehendi poſſe, ſed ſemper valida, & efficacia, ac exempta eſſe, & cenſeri: ſicque per quoſcunque Judices, Ordinarios, & Delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & definiendi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon, quicquid ſuper his à quocunque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii VIII. prohibentis, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum acquirere, & erigere præſumant, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia, de prohibitione hujuſmodi ſpe-

ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, ac Pauli II. Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Terræ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, ac Legibus Imperialibus, Regiis, Ducalibus, & Municipalibus, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod, ſi in eventum, in quem contingat, introducendos, aut pro tempore exiſtentes Miniſtrum, ſeu Guardianum, aut Priorem, ac Fratres prædictos ab eodem loco recedere, idem fundus cenſui, ſeu Canoni prædicto in favorem menſæ Epiſcopalis Tarviſinæ, ut prius, ſubjaceat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, defectum ſublationis, elargitionis, erectionis, inſtitutionis, utriuſque conceſſionis, & indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimoſeptimo, Nonis Septembris Pontificatus noſtri Anno tertio.

I. Gallaterius.

Bulla formata in Archivo Conventus.

Venerabili Fratri Epiſcopo Bellunen. ſeu Dilecto Filio, ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Provincialis Ordinis Fratrum Capucinorum, Provinciæ Venetæ, quod in Eccleſia Sancti Rochi Bellunen. Fratribus Ordinis, & Provinciæ prædictorum canonicè conceſſa, quoddam legatum cum onere celebrandi in eadem Eccleſia quotidie unam Miſſam inſtitutum reperitur: Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, dicti Fratres, juxta Regularia eorum inſtituta, legatorum hujuſmodi incapaces exiſtant, ideo Provincialis prædictus Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut legatum, & onus celebrandi Miſſam quotidianam hujuſmodi ad alteram Eccleſiam Civitatis Bellunen. transferre, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Provincialem, & Fratres prædictos ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut legatum, & onus celebrandi Miſſam quotidianam prædictum ad majorem, ſeu aliam dictæ Civitatis Eccleſiam Tibi beneviſam, de conſenſu Jacobi, & aliorum de Familia San-Martina, Fundatoris ipſius legati, ut aſſeritur, Hæredum, Apoſtolica auctoritate transferas. Non obſtantibus fundatione, & inſtitutione ejuſdem legati, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XII. Junii MDCVIII, Pontificatus noſtri anno quarto.

S. Cobellutius.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 484.

Legatum Miſſæ perpetuæ ex conceſſa Fratribus Eccleſia Sancti Rochi Belluni ad aliam Eccleſiam transferri, Epiſcopo ibi, aut ejus Vicario Generali committit.

Venerabilem Servum Dei Fr. Laurentium à Brunduſio ad exercitum Catholicorum Germaniæ Principum abeuntem, variis facultatibus ſpiritualibus communit.

Dile-

Dilecto Filio Laurentio à Brunduſio, Fratri Ordinis Capucinorum.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM Tu ad exercitum Dilecti Filii, Nobilis Viri Maximiliani Bavariæ Ducis, & aliorum Catholicorum Sacri Romani Imperii Principum confœderatorum contra Hæreticos Germaniæ comparatum, ut ibi ſpiritualia exercitia ad Chriſtifidelium, in dicto exercitu militantium ſpiritualem conſolationem, & animarum ſalutem facias, de tuorum Superiorum licentia, & juſſu noſtro propediem acceſſurus ſis; Nos Te infraſcriptis ſpiritualibus gratiis proſequendum duximus. Propterea Tibi, ut quorumcumque Chriſtifidelium in dicto exercitu militantium Confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, & cenſuris Eccleſiaſticis in quibuſcumque caſibus, etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi quomodolibet reſervatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, in foro conſcientiæ tantum, injuncta illis ſalutari pœnitentia abſolvere, necnon eorum vota quæcumque (Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac illis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare; necnon Miſſas ſuper Altari portatile in loco clauſo, & à ventis tuto, in terra cum debitis honore, & reverentia celebrare; Præterea, ut ægrotantibus ejuſdem exercitus plenius ſatisfacere valeas, ut Tu, ſi opus fuerit, pro ipſorum Ægrotantium neceſſitatibus in exercitu, aut alibi eleemoſynas petere, quæ tamen penes Syndicum, aut Procuratorem aliquem abs Te eligendum conſerventur, & in infirmorum neceſſitatibus exponantur, ita, quod Tu hujuſmodi eleemoſynas nec recipias, nec adminiſtres, niſi, quatenus tua Regula permittit: Inſuper, quod Tu, quandocumque ventum fuerit ad arma contra Hæreticos, Catholicis, & Pugnantibus dicti exercitus nomine Noſtro benedictionem impendere valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus. Præterea omnibus, & ſingulis Fidelibus de dicto exercitu, iis videlicet, qui gratis militaverint, pro prima vice, qua contriti, & confeſſi Sacram Euchariſtiam devotè ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; ſtipendiatis verò militibus, contritis, & confeſſis, Sacram Communionem devotè ſumentibus, prima vice decem annos, & totidem quadragenas; omnibus verò, tam ſtipendiatis, quàm non ſtipendiatis, ceteris vicibus, quibus contriti, & confeſſi communicaverint, quinque annos, & totidem quadragenas qualibet vice. Item omnibus, qui Miſſæ, Sermonibuſve, aut Concionibus Tuis, aut horis matutinis, & veſpertinis habendis interfuerint, toties quinquaginta dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus; in mortis verò articulo conſtitutis, atque in prædicta expeditione, vel pugna, ſeu præliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam Tu à Nobis conceſſam eſſe pronunciare poteris, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, concedimus, & impartimur; Ne autem Tu, dum aliis prodeſſe ſtudes, animæ tuæ detrimentum patiaris, Tibi, ut propriam Regulam obſerves, mandamus, Tibique, donec in dicto exercitu præmiſſis pietatis Officiis fungendo manſeris, ut ex defectu lenitatis, dummodo in alicujus mortem non opereris nullam irregularitatis notam incurras, auctoritate, & tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Octobris MDCX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

S. Cobellutius.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 135.

N O T A.

ALia, quæ de hoc Venerabili Dei Servo jam impreſſa ſunt, vide in Tom. I. fol. 51. & alia, quæ in illius gloriam narranda reſtant, partim infra fol. 392. inſpice, partim in aliis Tomis edendis expecta.

Monaſterium Monialium Capucinarum ſub Regula Sanctæ Claræ in Civitate Vicentina erigi, committit, iis ſub juriſdictione Ordinarii viventibus, privilegia Ordinis Sanctæ Claræ communicat, & pro Earum regimine Statuta condi jubet.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis Officii ex alto commiſſi requirit, ut ad eæ, per quæ prudentes Virgines, ſub ſuavi Religionis jugo, perpetuaque clauſura, præpotenti Deo, in mentis puritate, & humilitatis ſpiritu, ſpretis ſæculi illecebris, famulari valeant, & exinde honeſtatis, & pietatis fructus, vitæque Regularis propagatio proveniant, ſollicita animi cura intendamus, & in eis ejuſdem Officii noſtri partes favorabiliter interponamus, prout comperimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Virginum, & Puellarum, ac Doratricis Thiene, Nobilis Viduæ Vicentinæ, & Dilectorum Filiorum Æneæ, etiam Thiene, Caroli dal Corſo, Franciſci Borini, Octavii Mori, Valentini de Muranis, Hieronymi Mantuani, & Franciſci Garbinati, Civium Vicentinorum, & dictæ Domus Adminiſtratorum petio continebat, quod à duobus annis, vel circiter, nonnullæ ex ipſis Virginibus, & Puellis, amoris, & charitatis zelo erga Deum accenſæ, & de animarum ſuarum ſalute ſollicitæ, Sacroſancta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentare, & aliis devotis ſpiritualibus, & piis exercitiis vacare cœperunt, paulatim in via ſpiritus progredientes, veſtem exteriorem ex rudi panno, ejus coloris, qui vulgò griſus, ſeu berettinus vocatur, uti eam, quæ pœnitentiam agentibus maximè conveniens eſt, ſibi geſtandam elegerunt, abindeque non ſolum prioribus pietatis, & devotionis exercitiis conſtanter inſiſtere, ſed etiam auſterioris Regulæ deſiderio ductæ, vitam ex pœnitentiæ operibus inſtituere propoſuerunt, in eoque tantopere divino beneficio profecerunt, ut & univerſam Civitatem prædictam ad pietatis ſtudium peramplius erexerint, & pleriſque materiam ad meliorem frugem redeundi, ſuo exemplo præbuerint. Quod promovit diverſas Perſonas pias, & præ ceteris dictam Doratricem, ut de confovenda Domo pro communi habitatione dictarum Virginum cogitarent; Quò ſimul unitæ, & cohabitantes facilius in ſuſcepto ſpiritus fervore conſervari, & promoveri poſſent: ſucceſſitque res ipſa proſperè, & feliciter, nam dicta Civitate propitiante, Domus hujuſmodi in ea, & loco ad id commodo, liberalitate, & ſumptu Doratricis, & aliarum Perſonarum prædictarum cœpta, & eleemoſynis, aliiſque elargitionibus piis, quæ à Chriſtifidelibus ejuſdem Civitatis copioſæ fiunt, ad debitum finem perducta fuit, &, ne aliquid ad complementum ipſius operis pii deſideraretur, Dilectus Filius Petrus Juſtinianus, Nobilis Venetus, & dictæ Civitatis Capitaneus, prope ipſam Domum unam Eccleſiam, ſeu Capellam pro earumdem Virginum uſu, ſua impenſa, eleganti artificio conſtrui curavit. Unde prædictæ Virgines, ex tota Civitate præfata, in qua ſeparatim habitabant, ad prædictam Domum ſe receperunt, in eaque hactenus piè, & religiosè ſub dicto inſtituto, ac etiam dictæ Doratricis, quam etiam Æneæ, Caroli, Franciſci Borini, Octavii, Valentini, Hieronymi, & Franciſci Garbinati prædictorum regimine, & gubernio vivere continuarunt.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dictæ Virgines melioris, & arctioris vitæ zelo cupiant ſub Regula Sanctæ Claræ Deo famulatum exhibere, ac dictam Domum in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum Ordinis Sanctæ Claræ ad inſtar, aliorumque Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis, per Nos, & Sedem Apoſtolicam erigi, ac inſtitui, & tam Doratrices, quam Æneas, Carolus, Franciſcus Borinus, Octavius, Valentinus, Hieronymus, & Franciſcus Garbinatus prædicti, peculiari Chriſtianæ charitatis affectu moti, intendant ipſi Monaſterio ſic erigendo, & illius Monialibus pro tempore exiſtentibus, de omnibus, & ſingulis ad commodam earum ſuſtentationem, & manutentionem neceſſariis, ex bonis, & facultatibus ſibi à Deo collatis, quantum opus erit, benignè providere, ſeſeque, & Hæredes, ac Succeſſores ſuos, ſuaque, & communia bona ad id per publicum Inſtrumentum validè, & efficaciter obligare. Quare pro parte Virginum, ac Doratricis, Æneæ, Caroli, Franciſci Borini, Octavii, Valentini, Hieronymi, & Franciſci Garbinati prædictorum, Nobis humiliter fuit ſupplicatum, quatenus earumdem Virginum pio, & laudabili deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, & deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, noſtris potiſſimum temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, Virgines, & Doratricem, Æneam, Carolum, Franciſcum Borinum, Octavium, Valentinum, Hieronymum, & Franciſcum Garbinatum prædictos, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad harum effectum duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per præſentes mandamus, quatenus ex nunc, prout ex tunc, poſtquam Domus præ-

prædicta ad formam Monaſterii reducta, debitaque clauſura convenienter munita fuerit, ſi nondum ſit, necnon, ſi, & poſtquam Doratrices, Æneas, Carolus, Franciſcus Borinus, Octavius, Valentinus, Hieronymus, & Franciſcus Garbinatus prædicti, ſeſe, ac ſuos hæredes, & ſucceſſores, ſuaque, & eorumdem hæredum bona, & ſucceſſorum pro Monaſterii, illiuſque Monialium hujuſmodi ſuſtentatione, & manutentione in forma valida obligaverunt, eamdemque Domum in Monaſterium Capucinarum nuncupatarum dicti Ordinis Sanctæ Claræ, ſub invocatione ipſis Virginibus beneviſa, cum dicta Eccleſia, ſeu Capella, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cœmeterio, area, hortis, hortalitiis, cellis, aliiſque officinis, ac membris ſolitis, & conſuetis, ac neceſſariis, & opportunis, pro perpetuo uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, ſive Miniſtræ, ac viginti Monialium, quæ Habitum per Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eaſdem emitti conſuetam, tempore debito, expreſsè emittere, Regulares, perpetuamque clauſuram, ac ritus, mores, conſuetudines, & inſtituta Regularia ejuſdem Ordinis ſervare, diviniſque laudibus inſiſtere, necnon ſub juriſdictione, viſitatione, correctione, obedientia, & omnimoda ſuperioritate Ordinarii loci pro tempore exiſtentis vivere debeant, & teneantur, perpetuò, ſine alicujus præjudicio, auctoritate Noſtra erigas, & inſtituas, necnon dicto Monaſterio, ut præmittitur, erigendo, ac illius Abbatiſſæ, ſeu Miniſtræ, & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, privilegiis, antelationibus, præeminentiis, conceſſionibus, indultis, aliiſque favoribus, & gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, dicto Ordini Sanctæ Claræ, illiuſque Monialibus, Monaſteriis, & illorum Abbatiſſis, & aliis Perſonis, illarumque intuitu, & contemplatione, per quoſcumque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, & quoſvis alios, ſub quacumque verborum forma, & expreſſione, ac quavis, tam Apoſtolica, quam ordinaria, ſeu alia auctoritate, tam in genere, quàm in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel aliàs conceſſis, hactenus etiam iteratis vicibus confirmatis, & approbatis, ac in futurum concedendis, confirmandis, & approbandis, ac quibus illa Monaſteria, illorumque Abbatiſſæ, Conventus, & aliæ Perſonæ hujuſmodi utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, dummodo ſint in uſu, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non repugnent, ſimiliter, & pariformiter uti, frui, potiri, & gaudere: Necnon pro felici ejuſdem Monaſterii per præſentes erigendi, illiuſque Perſonarum, & rerum regimine, & adminiſtratione, quæcumque Statuta, ordinationes, capitula, & decreta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini, ac inſtitutis Regularibus dicti Ordinis minimè contraria, ab eodem tamen loci Ordinario examinanda, & approbanda, facere, & condere, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, vel aliàs expediens videbitur, præviis examine, & approbatione ejuſdem Ordinarii limitare, corrigere, moderare, reformare, & alia etiam ex integro, & de novo condere, liberè, & licitè valeant, & poſſint, etiam perpetuò, auctoritate noſtra prædicta, concedas, & indulgeas. Necnon, ſi opus ſit, pro Monialium in dicto Monaſterio per præſentes erigendo introducendarum felici directione, moribus, & inſtitutis Regularibus, & inſtructione, duas, vel tres ejuſdem Sanctæ Claræ, ſi commodè fieri poterit, alioquin alterius Ordinis regularis obſervantiæ Moniales, quas ad id voluntarias repereris, ex earum Monaſterio, ſeu Monaſteriis, de Superiorum ſuorum licentia, aſſumas, & ad idem Monaſterium per præſentes erigendum, ita, ut ipſæ ibi perpetuò, vel ad tempus Tibi beneviſum permanere, & ſi alterius Ordinis fuerint, ſe in Habitu, & Regularibus Inſtitutis ejuſdem Ordinis Sanctæ Claræ, donec in Monaſterio per præſentes erigendo eas permanere contigerit, conformare poſſint, & debeant, transferas, eiſque Abbatiſſæ, vel Miniſtræ, & alia Officia, quæ ad triennium duntaxat, juxta Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem durare debeant, diſtribuas. Nos enim, veris exiſtentibus narratis prædictis præſentes has, de nullitatis vitio notari, ſeu impugnari, aut aliàs qumodolibet infringi, ſeu retractari non poſſe, ſed validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri poſſe, & debere, ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac loci Ordinarium hujuſmodi, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, necnon, quidquid ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus quibuſcumque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis hujuſmodi Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indutis, & literis Apoſtolicis, illi, ejuſque Superioribus, & Perſonis quibuſvis, cum dictis, & de-

decretis in genere, vel in ſpecie, aut aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Januarii MDCXVII. Pontificatus noſtri anno undecimo.

Scipio Cobellutius.

Breve formatum in Arch. Monialium præd.

Pietatem Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi, ſacros honores Fr. Laurentio à Brunduſio Augma cum Imperatrice decerni poſtulantis commendat.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ferdinando Hungariæ, ac Bohemiæ Regi Illuſtri, in Imperatorem electo.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

BEne eſt. Videmus etiam hâc ætate triumphatores armatos ab egenis Sacerdotibus auxilium implorare, & eorum laudibus inſervire. Declarant id eæ literæ Majeſtatis tuæ, quibus invictam, & Cœlo dignam prædicas virtutem Laurentii à Brunduſio Capucini, cui mortem occumbenti petis ſolemnes beatiudinis titulos. Gratias agimus Deo, qui mirabilis eſt in Servis ſuis, cum inermis Sacerdos, præferens vexillum Crucis, & Sacro tonans eloquio, inter cruentos bellorum ſævientium gladios, non ſolùm Cæſareas Majeſtates, Religionis propagatione triumphantes, ſed barbariem etiam, Divinitatis contemptricem, ad chriſtianæ charitatis, & Apoſtolicæ fortitudinis admirationem traduxerit. Quare miris laudibus tum Majeſtatis Tuæ, tum optimæ Imperatricis pietatem coronandam tam piâ petitione cenſemus. Porrò autem rogabimus Deum, qui Sanctorum principatum tenet, ut id hac in deliberatione aliquando decernatur, quod Eccleſiæ ſalutare ſit, & gratum Majeſtatibus Veſtris, quibus conjugalis concordiæ felicitatem precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVIII. Decembris MDCXXIV, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ.*, *& anni præd. fol.* 100.

Repetit idem Sereniſſimo Bavariæ Duci & Electori Maximiliano, eaſdem preces repetenti.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro Maximiliano Duci Bavariæ, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ILluſtris planè hic eſt dicendus Evangelicæ paupertatis triumphus: Viri, contemptores opum, & inopiam ſectantes obſtringunt ſibi Reges, ac Principes magnitudine beneficiorum. En Bavariæ Dux Maximilianus, ille perduellium hæreticorum Domitor, pauperem Sacerdotem Capucinum, tanquam Divinæ benevolentiæ Conciliatorem, & Poſſeſſorem beatæ æternitatis veneratur, ac Laurentio à Brunduſio, qui nuper ex hac miſeriarum valle deceſſit, Beati cognomentum, & cœleſtes honores petit. In bellicis expeditionibus fortitudo, in ejuſmodi officiis pietas triumphat Nobilitatis Tuæ.

Quare conſilium tanti Ducis laudantes, orabimus Deum, qui Sanctorum principatum tenet, ut id in hac deliberatione decernatur aliquando, quod ſit Eccleſiæ ſalutare, ac gratum Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXX. Decembris MDCXXIV. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ.*, *& anni præd. fol.* 48. *Vide ſupra fol.* 389.

EPI-

EPISTOLA

Sac. Congreg. Epiſc., & Regul.

Ad Illuſtriſſimum D. Nuntium Venetiarum data, Poſſeſſiones, naves &c. à Fratribus privatim benedici poſſe, & eos à Parochis deſuper non moleſtari debere ſancitur.

Foras: *Perilluſtri, ac Reverendiſſimo Domino, uti Fratri Nuntio, Apoſtolico Venetiarum.*

Perilluſtris, ac R.me Domine uti Frater.

CUM pro parte Provincialis Capucinorum Provinciæ Venetæ S. Congregationi fuerit expoſitum, quod aliqui Parochi, & ſpeciatim Archipresbyter loci Nogarolæ, Diœceſis Veronenſis, Fratres ſuos moleſtare, & impedire moliantur, ne moribundis animam commendent, nec privatim, & ſine ulla ſolemnitate benedicant poſſeſſiones, & naves Benefactorum, & Habitum devotarum Perſonarum, prout aliquoties ab iis requiruntur, Illuſtriſſimi Domini mei, Amplit. Tuæ ſcribere mihi impoſuerunt, ut, cum in prædictis actionibus, Capucini nihil, quod privativè ad officium Parochi ſpectet, agant, Eadem iis remediis, quæ illius prudentia expedientia judicaverit, provideat, quatenus in memoratis actibus à nullo moleſtentur, ſed econtra adjuventur, defendantur, cum cooperentur in bonum proximi, & animarum ſalutem. Tantum proin, etiam cum S. Congregationis auctoritate, quæ virtute præſentium Ei pro neceſſitate conceditur, exequi ſtudeat, & Deus eam præſervet.
Romæ 31. Auguſti 1629.

Amplit. Tuæ.

Affectionatiſſimus.

F. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

NOTA.

ET vide ſimilem Sac. Congregationis Epiſtolam Tomo primo fol. 110. in qua ſuperius poſita citatur, & vocatur; vide, & Indicem generalem totius operis verbo *Benedicere*.

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſc., & Regul.

In novo Conventu Terræ, *Abbatia* nuncupatæ, ſex Fratres duntaxat morari poſſe indulgetur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

PRovincialis Capucinorum Provinciæ Venetæ EE. VV. humillimè exponit, qualiter in Terra *Abbatia* nuncupata *del Poliſene* Diœc. Adrien. Fratres ſuæ Religionis ædificârunt Conventum, pro quo aliud non reſtat, quàm, ut Familia in illum introducatur. Cum autem ob temporis penuriam ibi non poſſint degere duodecim Religioſi, prout Conſtitutiones Apoſtolicæ ordinant, Idem Provincialis EE. demiſiſſimè ſupplicat, quatenus numerum Fratrum ibi ad 8. reduci, concedere dignentur. Quam gratiam &c.

Sacra Congreg. &c. negotiis Regularium præpoſita attentis narratis benignè annuit, ut in Conventu prædicto, ut proponitur, noviter fundato, octo duntaxat Religioſi Ordinis hujuſmodi de Familia commorari valeant, ſervata in reliquis forma Decretorum SS. D. N., necnon fel. rec. Clementis VIII., ac ſim. mem. Gregorii XV. ſuper novorum Conventuum erectione editorum. Romæ Die 21. *Maii* 1632.

F. Ant. Card. S. Honuph.

L. ✠ S.

A. Torniellus.

Ex Reg. Autog. Secret. Congreg. menſ., & anni præd. fol. 16.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Erectio novi Conventus in Terra Glemonæ Patriarchæ Aquilejæ committitur.

EXponente Communitate Glemonæ Diœc. Aquilejæ, quod Populus ibi Conventum Capucinorum in dicta Terra fabricare cum plenitudine votorum determinaverit, & quod in Capitulo, ultimò Venetiis celebrato, ab iis jam datus fuerit conſenſus, ſub conditione tamen, ſi San-

ſi Sanctiſſimo placuerit, & ſupplicante pro hujuſmodi gratia.

Sacra &c. attentis narratis, & viſa atteſtatione Patriarchæ Aquilejæ atteſtantis de conſenſu aliorum Regularium, necnon de redditibus, *qui poſſint ſufficere pro ſuſtentatione 12. Fratrum, annuente Sanctiſſimo D. N. commiſit eidem Patriarchæ, ut conſito ſibi de prædictis, necnon de omnibus requiſitis juxta formam Conſtitutionum Apoſtolicarum, & in ſpecie fel. rec. Clementis VIII. ſuper erectione novorum Conventuum, petitam licentiam Oratrici benignè concedat. 2. Aprilis 1657.*

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 42.

D E C R E T O

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Erectio Monaſterii Monialium in Civitate Tarviſina, & formalis clauſuræ introductio, Epiſcopo ibidem committitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

IN Civitate Tarviſii eſt jam Domus, pro Monaſterio Capucinarum juxta piam diſpoſitionem erigendo, redacta ad ſtatum clauſuræ: Puellæ ad id recipiendæ, ut quamplurimum maneant cum admiſſione conſolatæ, & inibi vocationi ſuæ attendere queant, EE. VV. humillimè ſupplicant, quatenus Illuſtriſſimo Civitatis Epiſcopo injungere dignentur, ut data prius EE. VV. de hujuſmodi erectione neceſſaria informatione procedat ad clauſuram Monaſterii Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Tarviſini, ac referente Eminentiſſimo Cardinali Baſſadonio, cenſuit committendum, prout præſentis decreti tenore committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam compererit fabricam dicti Monaſterii cum Eccleſia, choro, ſacriſtia, dormitorio, refectorio, aliiſque officinis, hortis, & ſpatiis eſſe numeris omnibus abſolutam, à ſervitute proſpectuum liberam, & immunem, ac ſupellectilibus, tum ſacris, tum prophanis ſufficienter inſtructam, quod perpetuus annuus redditus ſaltem ſcutorum quingentorum verè, & cum effectu fuerit aſſignatus, ad ejuſdem Monaſterii erectionem, & formalis Clauſuræ introductionem, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, ſub juriſdictione, & Gubernio ipſius, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi, cum obſervantia regulæ, & inſtituti Capucinarum à Sancta Sede approbati, ac cum omnibus juribus, privilegiis, & exemptionibus, quibus cætera ejuſdem Ordinis Monaſteria potiuntur, & gaudent, pro ſuo arbitrio, & conſcientia procedat, ſervatis quoad reliqua omnibus, quæ per Conſtitutiones Apoſtolicas ſancita ſunt. Non obſtantibus &c. Romæ 14. Aprilis 1679.

G. Card. Carpineus.

L. ✠ S.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ., & anni præd.

D E C R E T O

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Laici ad portandos de una menſa ad aliam libros &c. juxta diſpoſitionem Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris tenentur.

Eminentiſsimi, ac Reverendiſsimi Domini.

CUM aliqui noſtrorum FF. Laicorum ad Eminentiſſimum Acciajolum noſtrum Protectorem ob librum de una menſa ad aliam non portandum, quando in refectorio legitur, recurſum ſumpſerint, non obſtante, quod ſit actio juxta ordinationem Bullæ ſan. memoriæ Pauli V. ad eorum ſtatum pertinens, & Eminentiſſimus cauſam terminaverit, uti EE. VV. ex originali Eminentiſſimi Protectoris epiſtola conſpicient, ordinando, ut obediant portando librum juxta officium ſtatui ſuo proprium. Quapropter Fr. Sanctes à Verona Miniſter Provincialis Capucinorum Venetiæ humillimè ſupplicat, quatenus ordo Eminentiſſimi Protectoris pro hujus Provinciæ quiete, & pace formali Decreto confirmetur. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſsimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis narratis, cenſuit circa præmiſſa exequendas eſſe litteras Eminentiſsimi Acciajoli dicti Ordinis Protectoris, prout præſentis Decreti tenore exequi mandat. Romæ 21. Aprilis 1684.

G. Card. Carpineus.

L. S.

B. Panciaticus Secret.

Exemp. Authen. in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Venetiarum.

NO-

NOTA.

Epiſtola Eminentiſsimi Protectoris ſuperius memorata, & ad R. P. Provincialem Venet. ſcripta, fuit tenoris in ſua traductione ſequentis:

Reverende Pater.

Mihi fuit expoſitum, quod in illa Provincia aliqui Religioſi Laici librum de una menſa ad aliam in Refectorio portare, vaſa de menſa tollere, aliaſque actiones ad ipſorum Profeſſionem ſpectantes, facere renuant, prætendentes, ut in hoc Sacerdotibus, & Clericis contra Decretum Pauli V. anteponantur. Inde Paternitas Veſtra diſponat, ut à dictis Religioſis Laicis ipſorum debitum peragatur, cum memarata actiones ad illos pertineant, utpote ex hoc fine ad Religionem receptos, & ad Profeſſionem admiſſos. Et ubi hujus Ordinis executioni recalcitrantes invenerit, illos debito caſtiget rigore, in quo me ſuæ prudentiæ, Charitati, & zelo remitto, & Eidem à Deo omne bonum auguror. Ferrariæ 12. Decembris 1683.

P. V.

Affectionatiſſimus.

Card. Acciajolus Protector.

Fr. Marco ab Aviano ad Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi exercitum ablegato, varia ſpiritualia privilegia largitur.

A Tergo. *Dilecto Filio Marco de Aviano Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncti Nobis divinitùs Paſtoralis Officii debito, ſpiritualibus militum in Claſſibus, & Exercitibus Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, nunc, & pro tempore exiſtentium, neceſſitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, Teque, qui Frater expreſsè Profeſſus Ordinis Minorum Sancti Fraucisci Capucinorum nuncupatorum, & in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutus exiſtis, à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac de tua prudentia, charitate, integritate, vigilantia, religioſitate, & Catholicæ Fidei zelo plurimùm in Domino confiſi, Te Miſſionarium Apoſtolicum ad inſerviendum militibus prædictis in ſpiritualibus, cum infraſcriptis facultatibus, videlicèt: Prædicandi Verbum Dei, & adminiſtrandi omnia Sacramenta (præter Confirmationem, & Ordinem) in Caſtris militantium, & ubi non ſunt Parochi: abſolvendi ab Hæreſi, & Apoſtasìa à Fide, & à Schiſmate quoſcumque, etiam Eccleſiaſticos, tam Seculares, quam Regulares: abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis: tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros hæreticorum, vel aliorum Infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi; celebrandi Miſſam in quocumque loco decenti, etiam ſub dio, & ſub terra, unâ horâ ante Auroram, & aliâ poſt meridiem, & ſuper Altari portatili, etiam fracto, aut læſo, & ſine Sanctorum Reliquiis, ac præſentibus Hæreticis, dummodo inſerviens Miſſæ non ſit hæreticus, aut excommunicatus, concedendo Indulgentiam plenariam primò converſis ab hæreſi, atque fidelibus quibuſcumque in articulo mortis, ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt: lucrandi tibi eamdem Indulgentiam: ſingulis ſecundis feriis non impeditis, vel die immediatè ſequenti celebrando Miſſam de Requiem in quocunque Altari, etiam portatilii liberandi animam, ſecundum tuam intentionem, Purgatorii pœnis, per modum ſuffragii; commutandi in aliquod opus pium vota quæcumque ſimplicia, etiam Religionis, & caſtitatis perpetuæ, non tamen ſolemniter emiſſa, & juramento relaxandi: recitandi Roſarium, vel alias preces ſi Breviarium tecum deferre non poteris, vel Officium Divinum recitare non valeas: ac demum cōmunicandi ſupradictas facultates in totum, vel in parte, prout opus eſſe ſecūdum tuam con-

Fr. Rochum à Venetiis, Viſitatorem Miſſionum in Peloponneſo conſtituit.

Dilecto Filio Rocho à Venetiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes ad animarum ſalutem, divinumque cultum promovendum, Miſſiones in Peloponneſo exiſtentes, auctoritate noſtra Apoſtolica viſitari, ac de Tua fide, charitate, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, Teque à quibuſvis &c. cenſentes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Te earumdem Miſſionum in Peloponneſo hujuſmodi exiſtentium Viſitatorem, cum facultate quaſcumque, & ſingulas ex dictis Miſſionibus, ſive Presbyterorum Secularium, ſive Regularium ſint, ac illarum Eccleſias, Capellas, Monaſteria, Conventus, Domos, Hoſpitia, Collegia, Reſidentias, & alia pia, & religioſa Loca quæcumque, illorumque Prælatos, Superiores, & alias Perſonas Eccleſiaſticas, tam Seculares, quàm Regulares, cujuſvis ſtatus, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, tum in capite, quàm in membris, ſemel tantum, auctoritate noſtra prædicta viſitandi, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, ac aliàs pro ejuſmodi munere ritè, & rectè explendo, à Congregatione memoratorum Cardinalium concedi ſolitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, conſtituimus, & deputamus, Tibique ſeriò injungimus, ut in earumdem Miſſionum ſtatum, Chriſtifidelium in illis partibus commorantium indigentias, necnon Miſſionariorum, ibidem pariter degentium, vitam, mores, ritus, & diſciplinam diligenter inquiras, deque iis omnibus eamdem Cardinalium Congregationem certiorem facere non prætermittas. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis earumdem Miſſionum Præfectis, ac Miſſionariis, ceteriſque Perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quàm Regularibus, in eiſdem partibus degentibus prædictis, ut Te, tamquam eorum Viſitatorem Apoſtolicum, à Nobis, ut præfertur, Deputatum, reverenter recipiant, & recognoſcant, ac Tibi, in omnibus ad Viſitationem hujuſmodi ſpectantibus omnino pareant, & obſequantur, Tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus autem, ut, ubi impoſitum Tibi munus hujuſmodi impleveris, acta ejuſdem Tuæ Viſitationis, ſub Tuo ſigillo clauſa, ad Nos, vel ſupradictam Cardinalium Congregationem quamprimum diligenter tranſmittas, ut, quod deſuper ſtatuendum fuerit, matura conſultatione adhibita, decernamus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac Ordinum quorumcumque, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Aprilis MDCLXXXXIV. Pontificatus noſtri Anno tertio.

J. F. Card. Albanus.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſis, & anni præd. ſol. 27.

Moniales Collegii Nobilium Capucinas prope Eccleſiam S. Antonii â Caſtello, Civitatis Venetiarum, omnibus privilegiis, Indulgentiis, aliàs Monialibus Ordinis S. P. Franciſci conceſſis, uti & gaudere poſſe declarat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis cœlitus Paſtoralis Officii ratio poſtulat, ut Paternam Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ diſciplina mancipatarum, uberesque bonorum operum fructus, incrementum dante Deo, aſſiduè proferre ſatagentium curam gerentes, piis, & laudabilibus earum deſideriis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Volentes itaque Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Collegii Nobilium Capucinis nuncupatis, Ordinis Sancti Franciſci prope Eccleſiam Sancti Antonii a Caſtello, &c. nuncupatam ſiti, Civitatis Venetiarum, gratiam facere ſpecialem, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus

nibus earum nomine Nobis porrectis inclinati, Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui Dilectos Filios modernos Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, & Vice - Commiſſarium Generalem Curiæ, Ordinis Fratrum Minorum memorati Sancti Franciſci, de Obſervantia pariter nuncupatorum ſuper præmiſſis audiverunt, conſilio, eiſdem modernis, & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Collegii, ut ipſæ omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus, indulgentiis, indultis & gratiis ſpiritualibus, quæ Monialibus Ordinis prædicti â Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, & quibus ipſæ Moniales ex privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi privilegia, favores, indulgentiæ, & indulta hujuſmodi præfatis modernis, & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Collegii ſpecialiter conceſſa fuiſſent, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Abbatiſſæ, & Monialibus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis prædictorum, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Octobris MDCCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

F. Oliverius.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 21.

N O T A.

De hiſce Monialibus, quas & Capucinellas vocare ſolent, emanatum eſt & Decretum Sacræ Congregationis ſequens.

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regularium præpoſita, attentis narratis cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, poſſe Oratricibus permitti admiſſionem Puellarum ad Habitum, & ad ſolemnem Profeſſionem cum emiſſione trium Votorum ſimplicium, nec non cum juramento inibi perpetuò perſeverandi, ſervata in reliquis diſpoſitione pii Fundatoris, Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis non obſtantibus. Romæ 24. *ſept.* 1706.

Et die 9. *Octob. ejuſdem anni Sanctitas Sua, audita relatione, prædictæ Sacræ Congregationis ſententiam benignè approbavit, ac debitæ executioni demandari juſſit.*

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Monialium in Secretaria Sac. Congregat. prædictæ.

Fratribus Deputatis, Milites in Triremium claſſe exiſtentes, ab omnibus peccatis, & caſibus abſolvēdi, & cum illis quoad lacticiniorum eſum diſpenſandi, facultatem impertitur, ac indulgentiam plenariam, in Articulo mortis, omnibus in expeditione contra Turcas cum contritione decedentibus concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ut animarum Chriſtifidelium in Triremium Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Dominii Veneti Claſſe, unâ cum Noſtris, & Sedis Apoſtolicæ, aliiſque illis unitis Triremibus, ac Navibus bellicis prope diem in Auxilium Chriſtianorum adverſus Turcas, benedicente Domino, navigatura, pro tempore exiſtentium ſaluti uberius conſuli valeat: Motu proprio, ac ex certa

Fr. Rochum à Venetiis, Viſitatorem Miſſionum in Peloponneſo conſtituit.

Dilecto Filio Rocho à Venetiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes ad animarum ſalutem, divinumque cultum promovendum, Miſſiones in Peloponneſo exiſtentes, auctoritate noſtra Apoſtolica viſitari, ac de Tua fide, charitate, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, Teque à quibuſvis &c. cenſentes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Te earumdem Miſſionum in Peloponneſo hujuſmodi exiſtentium Viſitatorem, cum facultate quaſcumque, & ſingulas ex dictis Miſſionibus, ſive Presbyterorum Secularium, ſive Regularium ſint, ac illarum Eccleſias, Capellas, Monaſteria, Conventus, Domos, Hoſpitia, Collegia, Reſidentias, & alia pia, & religioſa Loca quæcumque, illorumque Prælatos, Superiores, & alias Perſonas Eccleſiaſticas, tam Seculares, quàm Regulares, cujuſvis ſtatus, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, tum in capite, quàm in membris, ſemel tantum, auctoritate noſtra prædicta viſitandi, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, ac aliàs pro ejuſmodi munere ritè, & rectè explendo, à Congregatione memoratorum Cardinalium concedi ſolitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, conſtituimus, & deputamus, Tibique ſeriò injungimus, ut in earumdem Miſſionum ſtatum, Chriſtifidelium in illis partibus commorantium indigentias, necnon Miſſionariorum, ibidem pariter degentium, vitam, mores, ritus, & diſciplinam diligenter inquiras, deque iis omnibus eamdem Cardinalium Congregationem certiorem facere non prætermittas. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis earumdem Miſſionum Præfectis, ac Miſſionariis, ceteriſque Perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quàm Regularibus, in eiſdem partibus degentibus prædictis, ut Te, tamquam eorum Viſitatorem Apoſtolicum, à Nobis, ut præfertur, Deputatum, reverenter recipiant, & recognoſcant, ac Tibi, in omnibus ad Viſitationem hujuſmodi ſpectantibus omnino pareant, & obſequantur, Tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus autem, ut, ubi impoſitum Tibi munus hujuſmodi impleveris, acta ejuſdem Tuæ Viſitationis, ſub Tuo ſigillo clauſa, ad Nos, vel ſupradictam Cardinalium Congregationem quamprimum diligenter tranſmittas, ut, quod deſuper ſtatuendum fuerit, matura conſultatione adhibita, decernamus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac Ordinum quorumcumque, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Aprilis MDCLXXXXIV. Pontificatus noſtri Anno tertio.

J. F. Card. Albanus.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſis, & anni præd. ſol. 27.

Moniales Collegii Nobilium Capucinas prope Eccleſiam S. Antonii â Caſtello, Civitatis Venetiarum, omnibus privilegiis, Indulgentiis, aliàs Monialibus Ordinis S. P. Franciſci conceſſis, uti & gaudere poſſe declarat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis cœlitus Paſtoralis Officii ratio poſtulat, ut Paternam Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ diſciplina mancipatarum, uberesque bonorum operum fructus, incrementum dante Deo, aſſiduè proferre ſatagentium curam gerentes, piis, & laudabilibus earum deſideriis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Volentes itaque Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Collegii Nobilium Capucinis nuncupatis, Ordinis Sancti Franciſci prope Eccleſiam Sancti Antonii a Caſtello, &c. nuncupatam ſiti, Civitatis Venetiarum, gratiam facere ſpecialem, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus

nibus earum nomine Nobis porrectis inclinati, Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui Dilectos Filios modernos Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, & Vice - Commiſſarium Generalem Curiæ, Ordinis Fratrum Minorum memorati Sancti Franciſci, de Obſervantia pariter nuncupatorum ſuper præmiſſis audiverunt, conſilio, eiſdem modernis, & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Collegii, ut ipſæ omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus, indulgentiis, indultis & gratiis ſpiritualibus, quæ Monialibus Ordinis prædicti â Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, & quibus ipſæ Moniales ex privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi privilegia, favores, indulgentiæ, & indulta hujuſmodi præfatis modernis, & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Collegii ſpecialiter conceſſa fuiſſent, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Abbatiſſæ, & Monialibus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis prædictorum, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Octobris MDCCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

F. Oliverius.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 21.

N O T A.

De hiſce Monialibus, quas & Capucinellas vocare ſolent, emanatum eſt & Decretum Sacræ Congregationis ſequens.

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regularium præpoſita, attentis narratis cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, poſſe Oratricibus permitti admiſſionem Puellarum ad Habitum, & ad ſolemnem Profeſſionem cum emiſſione trium Votorum ſimplicium, nec non cum juramento inibi perpetuò perſeverandi, ſervata in reliquis diſpoſitione pii Fundatoris, Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis non obſtantibus. Romæ 24. *ſept.* 1706.

Et die 9. *Octob. ejuſdem anni Sanctitas Sua, audita relatione, prædictæ Sacræ Congregationis ſententiam benignè approbavit, ac debitæ executioni demandari juſſit.*

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Monialium in Secretaria Sac. Congregat. prædictæ.

Fratribus Deputatis, Milites in Triremium claſſe exiſtentes, ab omnibus peccatis, & caſibus abſolvēdi, & cum illis quoad lacticiniorum eſum diſpenſandi, facultatem impertitur, ac indulgentiam plenariam, in Articulo mortis, omnibus in expeditione contra Turcas cum contritione decedentibus concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

UT animarum Chriſtifidelium in Triremium Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Dominii Veneti Claſſe, unâ cum Noſtris, & Sedis Apoſtolicæ, aliiſque illis unitis Triremibus, ac Navibus bellicis prope diem in Auxilium Chriſtianorum adverſus Turcas, benedicente Domino, navigatura, pro tempore exiſtentium ſaluti uberius conſuli valeat: Motu proprio, ac ex certa

ta ſcientia noſtra, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, qui nuper ad inſerviendum pro Cappellanis, & Spiritualibus Directoribus in eiſdem Triremibus, & Navibus bellicis Venetis deputati fuerunt, ac aliis, quos pro tempore deputari contigerit, omnes, & ſingulos Chriſtifideles Claſſis prædictæ, à quibuſvis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, etiam quantumvis gravibus, & enormibus, ac Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis Apoſtolicis, quæ die Cœnæ Domini legi conſueverunt, contentis, pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvendi; illiſque, ut Quadrageſimæ, & aliis Anni temporibus, quibus eſus lacticiniorum eſt prohibitus, lacticiniis hujuſmodi abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo in eadem Claſſe veſci poſſint, concedendi facultatem ad annum proximum dumtaxat duraturam, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium impartimur. Nec non iiſdem Chriſtifidelibus in mortis articulo conſtitutis, atque in expeditione contra Turcas morientibus, contritis tamen, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Junii MDCCXVI. Pontificatus Noſtri Anno decimoſexto.

F. Card. Oliverius.

Breve form. in Arch. Provinciæ.

NOTA.

Pluries jam antea hujuſmodi facultates Fratribus ad Spiritualia Triremium Venetarum obſequia ſelectis fuere conceſſæ, prout in ſpecie de anno 1643. 1684. 1690. emanatorum Brevium Apoſtolicorum exemplaria, in Archivo Generali Ordinis Armario *Provincia Veneta* reſervata exhibent.

DECRETO

Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regul.

Fabricam Clodiæ completam, Monaſterium Monialium Capucinarum, ſub Regula S. Claræ, & ſubjectione Ordinario loci, declarari, Epiſcopo ibidem committitur.

Sacra &c. attentis relationibus Vicarii Capitularis, & moderni Epiſcopi Clodienſis referente Eminentiſſimo Grimaldo, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore benignè committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam ſibi conſtiterit, Fabricam præfati Monaſterii cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Refectorio, Dormitorio, Hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quam prophana ſufficienter inſtructam, nec non ex eleemoſynis piorum Benefactorum viginti hujuſmodi Religioſas, modò ibi degentes, commodè ſuſtentari poſſe, ac præfatum Mercatorem verè, & cum effectu in forma valida ſe obligâſſe in omni caſu, quo ipſis eleemoſynæ deficerent, ad danda, & ſolvenda dicto Monaſterio, & Monialibus, vel earum legitimo Procuratori ſcuta centum monetæ, ad petitam Monaſterii declarationem ſub Regula Capucinarum Sanctæ Claræ Ordinis S. Franciſci, & ſubjectione Ordinario loci pro tempore, pro ſuo arbitrio & conſcientia ſervatis ſervandis procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones. Sac. Concil. Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum Sanctimonialium Erectiones præſcripta ſunt, Religioſè ſerventur. 24. Jul. 1716.

Ex Reg. Monial. Secret Congreg. menſ. & anni prædict.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congreg.

Fabriam loci Valdagni in formale Monaſterium Capucinarum erigi, & ad id duas Inſtitutrices ex alio Monaſterio transferri, Epiſcopo Vicentino mandatur.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſa relatione Epiſcopi Vicentini, Referente pro Eminentiſſimo de Schrotenbach Ponente, Eminentiſſimo Parracciano Præfecto, benignè commiſit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam

quam ſibi conſtiterit ſabricam prædicti novi Monaſterii cum Eccleſia, campanili, choro, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſuppellectili, tam ſacra, quam prophana ſufficienter inſtructam, necnon ex eleemoſynis piorum Benefactorum duodecim Religioſas commodè ſuſtentari poſſe, renovata tamen obligatione in forma valida per acta Curiæ Epiſcopalis prænarratarum Familiarum in omni caſu, quo eleemoſynæ ipſis non ſuppetant, dandi, & ſolvendi ſingulis annis ipſi Monaſterio, & Monialibus, vel earum legitimo Procuratori ſummam pecuniæ neceſſariam pro earum ſuſtentatione, & Monaſterii manutentione, ad petitam prædicti Collegii declarationem in Monaſterium formale ſub Regula Capucinarum S. Claræ, Ordinis S. Franciſci, & ſubjectione Ordinario pro tempore, pro ſuo arbitrio, & conſcientia ſervatis ſervandis procedat, cum facultate enuntiato Epiſcopo duas Moniales ejuſdem Ordinis, ipſarum tamen, & Ordinarii loci conſenſu accedente, transferendi, ita tamen, ut translatio ipſa recta via, & abſque ulla ad extraneum locum diverſione, comitantibus honeſtis Matronis, ac, ſi commodè fieri poſſit, proximioribus Conſanguineis Monialium transferendarum fiat, quæ quidem in dicto novo Monaſterio per ſexennium tantum, ſi tamdiu pro introducenda, & ſtabilienda Regulari Diſciplina neceſſarium reputabitur, commorentur, in reliquis verò ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum Sanctimonialium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur. Romæ 13. Januarii 1719.

Jo: Cardinalis Paraccianus.

Ex Reg. Monialium, Secret. Sac. Congreg. menſ., & anni præd.

DECRETO

Sac. Congreg. Concilii.

Onera Miſſarum, Anniverſariorum, & precum ex alienatione Conventûs, & bonorum Suppreſſæ Religionis Sancti Hieronymi de Feſulis Monialibus Capucinis Venetiarum incumbentia in celebtationem menſtruæ Miſſæ, & Communionem menſtruatim pariter â Monialibus faciendam, nec non quotidianam recitationem pſalmi Miſerere &c. converti, Patriarchæ ibidem committitur.

Venetiarum.

SUppreſsâ de anno 1669. per f. m. Clementem IX. Religione S. Hieronymi de Feſulis, Conventus, & bona ejuſdem exiſtentia in Inſula Civitatis Venetiarum, per Nuncium, tunc temporis Apoſtolicum, alienata fuerunt nobili Mulieri Claræ Duodo pretio Ducatorum 10500. quæ bona, Mulier prædicta acquiſivit pro portione nomine Monialium Capucinarum, & pro alia portione ſuipſius favore, ſubindeque ſoluto â Benefactoribus dictarũ Monialium pretio præfatæ Mulieri, ut dictæ Moniales commodius in clauſura vivere poſſent, eadem Mulier totum favorem Monialium ceſſit. Verùm, quia in alienatione prædicta diverſa Miſſarum onera, nec non Anniverſariorum Oratrices ſibi accollarunt, quæ uſque adhuc fideliter adimplentur; Et ulterius dictæ Moniales tenentur ad onus quotidie recitandi Officium B. M. V. Septem Pſalmos Pœnitentiales, & veſperas Defunctorum, & ſemel in Menſe certa determinata die integrum Officium Defunctorum, & Pſalmos Pœnitentiales, nec his Orationibus dictæ Moniales incumbere valent, dum ex obligatione propriæ Regulæ, Choro adſtrictæ, alias vocales, & mentales per horas decem, & ultra ſingulis diebus adimplere tenentur, ultra opera ſervilia, quæ præſtant in communi ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria; ſupplicant ideo pro gratia commutationis dictarum obligationum in unam Miſſam ſolemnem, quolibet anno celebrandam, vel in menſtruam Sacramentalem Communionem ab eiſdem faciendam.

Patriarcha enarrata confirmat, cenſetque Oratrices exaudiendas, cum dictæ obligationes evidenter appareant impoſſibilis executionis ob incompatibilitatem in reſtricto ſingulorum dierum tempore cum cœteris, quibus ex regulæ obligatione tenentur.

Die 5. Aprilis 1732. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Patriarchæ Venetiarum cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, eidem Patriarchæ committi poſſe, ut, veris exiſtentibus narratis, pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratricibus indulgeat, ut loco illarum precum, ad quas ipſæ tenentur ex enuntiata obligatione, unam Miſſam lectam, quolibet menſe in earum Eccleſia celebrari facere debeant, cum applicatione Sacrificii pro animabus Fundatorum dictorum onerum, addita etiam applicatione unius Communionis quolibet menſe per ipſas Moniales faciendæ, nec non quotidiana recitatione Pſalmi = Miſerere = cum oratione

ne = Fidelium = factaque de præmiſſis per infraſcriptum Secretarium relatione Sanctiſsimo, Sanctitas ſua benignè annuit, ac Sacræ Congregationis ſententiam approbavit eadem die 5. Aprilis 1723.

C. *Card. Origus Præf.*

I. de Lanfredinis.

Ex Reg. ſeu lib. Dec. 82. Sec. Con. præ. f. 184.

Ad Moniales Utini participatio omnium Indulgentiarum, ſuffragiorum, privilegiorum, aliis Monialibus Capucinis ſub Regula S. Claræ conceſſorum extenditur, ita tamen, ut (exceptis Sororibus Converſis ad colligendas eleemoſynas deſtinatis) in clauſura inviolabiliter perſeverent.

Vincentius Miſeratione Divina Tituli Sancti Honufrii S. R. E. Presbyter Cardinalis Petra, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Major Pœnitentiarius.

Dilectis in Chriſto Monialibus, nuncupatis Monaſterii Capucinarum Civitatis Utini, Aquilejenſis Diœceſis, ſalutem in Domino.

POrrecta nuper Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ Clementi XII. in Apoſtolico Throno ſedenti, pro parte veſtra, & eximia Paſtorali ſollicitudine Venerabilis in Chriſto Patris Aquilejenſis Patriarchæ humilis ſupplicatio continebat, quod vos jam à primæva inſtitutione, quinquaginta circiter retro annis, cum permiſſione, ſeu conſenſu Ordinarii peractâ, Monialium Capucinarum inſtitutum ſub Regula Sanctæ Claræ fideliter obſervatis, & juxta illam in manibus ipſius Ordinarii Aquilejenſis, cujus ſub juriſdictione manetis, profeſſionem, licet non ſolemnem, emittere conſueſcitis: Monaſterium verò, etſi habeatis ad Regularem Diſciplinam, quæ inibi viget, ſatis accommodatum, & ſervetur ab omnibus clauſura, attamen uſque adhuc Sancta Sedes præfatum nuncupatum Monaſterium cum apoſtolica clauſura non erexit. Cum autem, ſicut eadem ſupplicatio ſubjungebat, in his circumſtantiis maximè ſollicitæ ſitis de participatione Indulgentiarum, Officiorum Divinorum, ſuffragiorum, Privilegiorum, aliorumque bonorum, & gratiarum, quarumcumque ſpiritualium, quibus quomodolibet fruuntur Moniales Capucinæ, Ordinis S. Claræ cum perfecta clauſura viventes, ideo pro majori animarum veſtrarum profectu, & ſpirituali conſolatione eidem Sanctiſſimo Domino Papæ enixè ſupplicari feciſtis, ut quibuſcunq; non obſtantibus, Vobis univerſis de præſenti exiſtentibus, & in futurum extituris in dicta Domo, ſeu Monaſterio, nuncupato Capucinarum Utini optatam participationem, communicationem, ſeu conceſſionem omnium, & ſingularum indulgentiarum, Officiorum Divinorum, ſuffragiorum, Privilegiorum, aliorumque bonorum, & gratiarum ſpiritualium quarumcunque, quibus Moniales Capucinæ ſub Regula S. Claræ, cum perfecta clauſura potiuntur, & gaudent, Apoſtolica Auctoritate, & benignitate impartiri, ſeu concedere dignaretur. Et Sanctiſſimus Dominus Fidelium quarumlibet ſtatui, ſpiritualibus favoribus, ac Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris conſulere pia charitate intentus, remiſſit ad Nos ſupplicem libellum, cum reſcripto, ut ſuper his Sanctitatem Suam alloqueremur, auditoque prius per Nos Dilecto in Chriſto Religioſo Viro Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, ipſoque pro petita gratia ſuffragante, ac habito, ut par erat, à præfato Venerabili in Chriſto Patre moderno Patriarcha Aquilejenſi commendabili teſtimonio, de iiſdem Sacris Virginibus Oratricibus, numero, & pietate conſpicuis, pro quibus ſuper præmiſſis efficaciores preces luculenter expoſuit, factaque deinde per Nos prædictorum relatione Sanctitati Suæ, hujuſmodi ſupplicationibus ex Apoſtolica Benignitate annuendo dictæ Domui, ſeu Monaſterio nuncupato, veris exiſtentibus narratis, indulſit, & perpetuò ſpecialiter conceſſit, favore omnium, & ſingularum, nuncupati Monialium Monaſterii Capucinarum, Civitatis Utini, de præſenti exiſtentium, & in futurum extiturarum, illiuſque Converſarum, participationem, ſeu Communicationem omnium, & ſingularum Indulgentiarum, Officiorum Divinorum, ſuffragiorum, Privilegiorum, aliorumque bonorum, & gratiarum ſpiritualium quarumcumque, ita uti, frui, & gaudere valeant prædictis omnibus Indulgentiis, Divinis Officiis, privilegiis, bonis, & gratiis ſpiritualibus, quibus quomodolibet fruuntur, & gaudent Moniales Capucinæ, ſub Regula S. Claræ cum perfecta clauſura canonicè inſtitutæ: Ita tamen, ut inviolabiliter perſeverent in Clauſura, præter Converſas, ad quæſtuandas eleemoſynas certis temporibus deſtinatas, ac ſalva, & firma remanente Ordinarii Aquilejenſis, cui ſubſunt, juriſdictione; Literaſque, Apoſtolicas hujus ſpecialis gratiæ, favoris, ſeu conceſſionis idem SSmus Dominus per Officium noſtrum Sacræ Pœnitentiariæ expediri mandavit. Nos igitur, qui ejuſdem Pœnitentiariæ ipſius

SSmi

SSmi Domini Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, curam gerimus, hujuſmodi Mandatis Sanctitatis Suæ, qua decet, reverentia obſequentes, has literas, ad Memoriam, & Documentum prædictæ gratiæ, favoris, & ſpecialis conceſſionis, Vobis, & pro tempore exſtituris in nuncupato Monaſterio, Auctoritate Apoſtolica ſpeciali, & ſic expreſſa expediri, ſigilloque ejuſdem Pœnitentiariæ communiri mandavimus. Ita tamen, ut hujuſmodi Conceſſio ad effectum dumtaxat gaudendi prædictis Indulgentiis, & prærecenſitis gratiis ſpiritualibus ſuffragetur, & non aliter, nec ad ullum alium effectum. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & declarationibus Apoſtolicis, dictarum Monialium Capucinarum ſtatutis, ac Privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Sigillo Officij Pœnitentiariæ Kalendas Januarij Pontificatus SSmi Domini Clementis PP. XII. duodecimi anno ſeptimo.

Autog. in Arch. Monaſt. Monialium.

Monialibus Coloniæ Conſtitutionem Pauli Papæ V. de earum Monaſterii erectione, conceſſa iis Sancti Petri Eccleſia ibidem &c. ex Secretaria Apoſtolica communicat, & illi plenam fidem adhiberi ſancit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

PRoviſionis Noſtræ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum unicuique conſervetur. Proinde Nos tenorem quarumdam Literarum in forma Brevis expeditarum, fel. rec. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri in Secretaria Noſtra (tunc ipſius Pauli Prædeceſſoris) repertum tranſcribi, & præſentibus adnotari fecimus, pro eo quod hujuſmodi tenore Dilectæ in Chriſto Filiæ Virgines Terræ Coloniæ, Vicentinæ Diœceſis, ſe indigere, Nobis nuper ſignificari fecerunt, qui quidem tenor talis eſt, videlicèt:

A Tergo. Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Epiſcopi Vicentini in ſpiritualibus Generali. *Intus verò*. Paulus Papa V. Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. In ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, ſuperna diſpoſitione, meritis licèt imparibus, conſtituti, ad ea, per quæ piarum Virginum, ſub Religionis Habitu, & Clauſura perpetua Creatori ſuo famulari deſiderantium votis conſulitur, divinique cultûs, & pietatis opera augmentum conſequuntur, præcipua animi cura, & vigilantia ex debito paſtoralis Officii Nobis deſuper commiſſi, libenter intendimus, ac in his ejuſdem Officii noſtri partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Sanè pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Virginum Terræ Coloniæ, Vicentinæ Diœceſis in infraſcripta Domo degentium, ac Dilectorum Filiorum Procuratoris, & Protectoris ejuſdem Domus Nobis nuper expoſitum fuit, quod à paucis annis citra nonnullæ piæ Virgines dictæ Terræ ad cœleſtia, & æterna bona anhelantes, totas ſe pietatis, & aliarum Chriſtianarum virtutum exercitio tradere, & præſertim Sacroſancta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentare cœperunt, tantuſque earum in vita ſpirituali progreſſus fuit, ut in prædicta Terra multi earum exemplo ad amorem virtutis, & exercitiorum ſpiritualium invitati, & nonnulli etiam à malè acta vita ad meliorem frugem revocati fuerint, etenim Virgines ipſæ cœleſtis gratiæ in dies uberiùs affluentes, ad pœnitentiæ opera ſe converterunt, & exteriorem tunicam ex panno rudi, berettini, ſeu griſii coloris, ut vulgò vocant, aſſumentes, vitam ex pœnitentiæ operibus, & exercitiis inſtitutam, amplecti propoſuerunt. Unde quamplures piæ perſonæ, ejuſdem Terræ, charitatis zelo permotæ, non ſolùm dictis Virginibus copiosè eleemoſynas contulerunt, verùm etiam de commoda habitatione, & aliis rebus neceſſariis eiſdem providendum eſſe cenſuerunt, quo ipſæ Virgines in unum, & eumdem locum coadunatæ, eò meliùs ſuſceptum ſpiritus fervorem conſervare, & in cœpto vitæ inſtituto facilius perſiſtere poſſent.

Hoc autem opus pium, non modo cum publico applauſu totius Terræ præfatæ inceptum, ſed etiam ſingulari illius beneficentia promotum extitit. Nam Dilecti Filii Homines Concilii ipſius Terræ conſiderantes, Eccleſiam ſub invocatione, & ad honorem Sancti Petri in eadem Terra, egregio, & amplo ædificio conſtructam, in titulum Beneficii Eccleſiaſtici minimè erectam eſſe, & ab ipſo Concilio regi, & adminiſtrari conſueviſſe, ac in ædibus, & ſitu, ſeu terreno, & adjacentibus, dictas Virgines commodè habitare poſſe, conceſſioni ejuſdem Eccleſiæ unà cum ædibus, & ſitu, ſeu terreno prædictis, quæ notabilis valoris erant, dictis Virginibus per publicum Decretum, non exiguo pietatis, & liberalitatis Chriſtianæ exemplo conceſſerunt; & ad ædes ipſas ex eleemoſynis, & largitionibus piis Chriſtifidelium prædictæ Terræ debita, & convenienti fabrica inſtauratas, Virgines prædictæ ex diverſis locis, ejuſdem Terræ, in quibus antea habitabant, ſeſe receperunt, in eiſque ex prædicto earum inſtituto, ſub gubernio, & adminiſtratione Dilectorum Fi-

Filiorum Joſephi Manzoni Rectoris, Archipresbyteri nuncupati Parochialis Eccleſiæ, Archipresbyteratus etiam nuncupatæ, dictæ Terræ, ac Bernardini Soprani, Dominici Manzoni, & Laurentii etiam Manzoni Civium ejuſdem Terræ, in Procuratores, & Protectores ipſius Pii loci, ab Hominibus dicti Concilii ſpecialiter deputatorum, & electorum, piè, & religiosè in hunc uſque diem vivere perſeverarunt.

Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat expoſitio, dictæ Virgines perfectioris vitæ deſiderio ductæ, cupiunt ſub Regula Sanctæ Claræ Deo famulatum exhibere, ac dictas ædes in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum Ordinis ejuſdem Sanctæ Claræ, adinſtar aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis, per Nos, & Sedem Apoſtolicam erigi, & inſtitui, dictamque Eccleſiam pro earum uſu ſibi concedi, & Joſephus, ac Bernardinus, & Dominicus, necnon Laurentius prædicti, peculiari Chriſtianæ charitatis affectu moti, parati ſint, ſeu intendant ipſi Monaſterio ſic erigendo, & illius Monialibus pro tempore exiſtentibus, de omnibus, & ſingulis ad commodam earum ſuſtentationem, & manutentionem pro tempore neceſſariis, ex bonis, & facultatibus, ſibi à Deo collatis, quantum opus erit, benignè providere, ſeſeque, ac Succeſſores, & Hæredes ſuos, ſuaque, & eorum bona ad id per publicum Inſtrumentum validè, & efficaciter obligare. Quare pro parte Virginum, ac Joſephi, & Bernardini, necnon Dominici, & Laurentii Procuratorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus earumdem Virginum pio, & laudabili deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, ac deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem noſtris potiſſimum temporibus ſinceris deſideramus affectibus, Virgines, & Joſephum, ac Bernardinum, & Dominicum, necnon Laurentium præfatos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ex nunc, prout &c. poſtquam Domus prædictæ ad formam Monaſterii reductæ, debitaque, & convenienti clauſura munitæ fuerint, ſi nondum ſint, necnon ſi, & poſtquam Joſephus, Bernardinus, & Dominicus, necnon Laurentius prædicti, ſe, ac ſuos Hæredes, & Succeſſores, ſuaque, & eorumdem Hæredum, & Succeſſorum bona, pro Monaſterii, illiuſque Monialium hujuſmodi ſuſtentatione, & manutentione in forma valida obligaverint, eas in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum dicti Ordinis Sanctæ Claræ, ſub invocatione ipſis Virginibus beneviſa, cum campanili. *Reſiduum de Verbo ad Verbum vide ſupra fol. 291. col. 1.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Januarii 1616. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

Cœterum, ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, Apoſtolica Auctoritate decernimus, ut idem robur, eamdemque vim, & eumdem vigorem dictus tenor in omnibus, & per omnia habeat, quem haberent Originales literæ prædictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque, & ubicumque, ſive in judicio, ſive alibi fuerit oſtenſus, ac illi pariter ſtetur ſicut, eiſdem literis originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus, cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Aprilis MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

M. A. Maraldus.

Autogr. in Arch. Monial.

N O T A.

Breve enarratum nimium contra ordinem Chronologicum diſtractum, & hoc in loco collocatum eſſe, nemo miretur, cum id primum monumentis aliis jam impreſſis, mihi, ad manus venerit.

PRO-

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

SVA prima jecit fundamenta Anno 1535., quo à Franciſco Sfortia, tunc Ducatûs Mediolanenſis habenas moderante, locus, & Domus S.Joannis alla Vipera dictus, extra Portam Vercellinam, Fratribus fuit conceſſa. Formiter autem in Provinciam erecta videtur Anno 1542., quo Capitulum celebratum, & P. Franciſcus Calaber in Provincialem fuit electus.

Provincia ita inſtituta enutrivit ſemper Filios Religioſi nominis, & virtutis ſplendore æquè, ac doctrinæ laude celebres, quos cum hîc enarrare copia reddat arduum, Lectorem ad Annales Ordinis, Flores Seraphicos Arembergii, Bibliothecam Scriptorum Ordinis &c. deſuper remitto. Ilicio hujus virtutis tracti plures, quos illuſtris Natalium conditio ad honorum faſces deſtinaverat, pauperem Ordinis Habitum in ea ſuſceperunt: inter quos præcenſeo Ambroſium à Mediolano, ex præclara Stampa Stirpe, Marchionatus Soncinnatis Domina, qui ê vivis ſublatâ, quam Matrimonio ſibi junxerat, Aſculani Principis Filiâ, ad Caſtra D. Franciſci tranſivit, ac â Clemente VIII. ad publicandum Jubilæum Algerium fuit miſſus, ubi & inter carceris ſqualores, & inediam in pace quievit:

Fr. Petrum Paulum â Mediolano, ex Marchionibus Caſtelli, Sancti Officii Inquiſitionis Conſultorem, Miſſionarium Apoſtolicum, Seren. Ducis Alexandri Farneſii Theologum.

Fr. Joannem Baptiſtam à Pavìa, ex Comitibus Mandelli, qui antequam baptiſmus ſanguinis, cujus cupidine arctabatur, in eo perficeretur, inter infideles Fidei hoſtia obiit.

Fr. Antonium â Pavìa, ex nobili Fornara Stemmate, de Equite Jeroſolymitano factum Capucinum:

Fr. Zacchariam â Pavìa, ex Marchionibus de Beccaria. Pluresque ex Familiis Vice-Comitum, Marchionum Litta, Arcimboldi &c. ſilentio prætereo.

Ad prima Ordinis, ſeu Generalis Miniſterii Subſellia ex hac Provincia virtute ſua evecti ſunt.

Fr. Joannes Evangeliſta â Canobio, qui ob ſingularem doctrinam, & eximiam res arduas tractandi prudentiam ad OEcumenicum Tridenti Senatum ablegatus, â Gregorio Papa XIII. peculiari in honore habitus, & Peruſii indefeſſi ſui laboris præmia, placidâ morte fuit conſecutus.

Fr. Simplicianus â Mediolano, in quo ſicut matura ſemper emicuit virtus, ita maturè quoque omnes Ordinis gradus, & officia acquiſivit.

Fr. Joannes Petrus â Buſto, Vir doctrinæ univerſalis, Concionator egregius, Myſterii de Immaculata B. V. Mariæ Conceptione acer Defenſor, ac â pluribus Europæ Principibus, præſertim ab Aula Brunſvich peculiariter dilectus.

Habuit Curia quoque ex Provincia hac Procuratorem Generalem Fr. Franciſcum â Mediolano, qui Collegium, in quo Pauperes Puellæ Virginitatis diſcrimen evitarent,

publico Civitatis Mediolanenſis ære erigi curavit, ob Apoſtolicum Spiritum, quo Verbum Dei diſſeminavit, Apoſtoli nomen acquiſivit, & Romæ biennio muneris dicti necdum exacto, vitam terminavit, ſignis glorioſam.

Habuit & ex hac Provincia Ordo Definitorem Generalem Fr. Joſephum Fernenſem, quem Orationis 40. Horarum Auctorem fuiſſe Tomo 1. Bull. ſol. 58. memoravi, & qui fundationem Congregationis S. Pauli Decollati, ſeu Barnabitarum, ac aliam Clericorum Regularium, ſeu Somaſchorum ſuo conſilio, elevatoque ſpiritu plurimum juviſſe legitur.

Matrem denique ſuam, hanc Provinciam, Brixiæ adhuc unitam, agnoſcunt gratæ Filiæ, Provincia Helvetiæ, Auſtriæ anterioris, Cataloniæ &c., & ſua quoque initia ex parte eidem adſcribunt Provinciæ Pariſienſis, Lugdunenſis &c.

Numerat de facto:
Domos Fratrum LIII.
Miſſiones ſtabiles VII.
Hoſpitia pro itinerantibus, & quæſtuantibus IX.
Monaſteria Monialium Strictæ Obſervantiæ VIII.
Tertiariarum I.

Ex Præpoſiturâ S. Joannis Baptiſtæ in terra Domaſii cum omnibus ædificiis contiguis, & connexis Conventum Fratrum erigi, Epiſcopo Comenſi committit,

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo Comen. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis Fidelium votis, præſertim Sacræ Religionis propagationem, ac Divini Cultus augmentum, & Animarum ſalutem concernentibus libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem fel. rec. Pius Papa V., Prædeceſſor noſter, Ordine Fratrum Humiliatorum ſuppreſſo, & extincto, ac præfati Ordinis Fratribus, qui ejuſdem Ordinis Præpoſituras, & Beneficia tunc temporis obtinebant, illis privatis, necnon ad ſæcularitatem Præpoſituris, & Beneficiis hujuſmodi demum reductis, inter alias Præpoſituram S. Joannis Baptiſtæ, Terræ Domaſii, Præpoſituræ Sanctæ Urſulæ, Terræ Sorigi, Comen. Diœceſis, olim dicti Ordinis, Apoſtolica Auctoritate perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, ac Præpoſituram S. Urſulæ præfatam, per privationem hujuſmodi tunc vacantem, & diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatam, cum illi unita, annexa, & incorporata S. Joannis Baptiſtæ, dilecto Filio Magiſtro Alexandro Glorierio, Præpoſito ejuſdem Præpoſituræ S. Urſulæ, in utraque Signatura noſtra Referendario, ac Prælato Domeſtico noſtro, necnon Litterarum Apoſtolicarum Abbreviatori, & in illarum expeditione Venerabili Fratri noſtro Alexandro, Epiſcopo Tuſculano, Cardinali Farneſio nuncupato, S. R. E. Vicecancellario Aſſiſtenti contulit, & de illa etiam providit, prout in diverſis literis dicti Prædeceſſoris deſuper confectis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Congregationis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, ac Alexandri prædicti petitio continebat, dicta Terra Domaſii eo in loco ſita exiſtat, ut plures Sathanæ fraudibus ſeducti, & de Fide Catholica malè ſentientes nonnullas Terras, & loca illi proxima inhabitent, & Catholicæ Perſonæ non ſolùm dictæ Terræ, verùm etiam alii plerique Civitatis, & Diœceſis Comen. præclari Viri, ob ſincerum, quem ad Congregationes, & Fratres Capucinos hujuſmodi gerunt devotionis affectum, cupiant in dicta Terra Domum pro Fratribus Capucinis, adinſtar aliarum Domorum eorundem Fratrum, erigi, & inſtitui, quæ ſit quaſi ad præſidium ob Fratrum Capucinorum hujuſmodi vitæ, ac morum ſanctitatem adverſus eoſdem hæreticos, qui etiam alios in ſuam depravatam opinionem adducere procurant, ac in eam curam audacter in eorum Animæ perniciem incumbunt, quod Tibi etiam, prout per tuas literas Nobis ſignificaſti, maximè probatur, & ad hoc opus Dilectis Filiis Univer-

verſitati, & Hominibus prædictæ Terræ Domaſii, & aliis perſonis maximè ſalutare perficiendum, magis opportunus, vel commodus locus in dicta Terra non reperiatur, quàm Domus dictæ Præpoſituræ S. Joannis Baptiſtæ, & nonnulli Chriſtifideles certas eleemoſynas ſe in eam cauſam elargituros offerant: quare pro parte Fratrum Capucinorum, & Alexandri præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Fratres, & Alexandrum, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Eccleſiam dictæ Præpoſituræ S. Joannis Baptiſtæ unà cum Domo illius, & continentibus ædificiis quibuſcunque, ac viridariis, hortis, & terris, cæteriſque juribus, & actionibus, in aliis terris Domui, vel Eccleſiæ, ſeu ædificiis dictis contiguis, & connexis ad illa quomodolibet, & quacunque cauſa ſpectantibus, & pertinentibus, necnon pertinentiis ſuis univerſis, ab ipſa Præpoſitura S. Urſulæ, ejuſdem Alexandri ad id expreſſo accedente conſenſu diſmembrare, dividere, & ſeparare, ac in eadem Eccleſia nomen, titulum, & denominationem Præpoſituræ S. Joannis Baptiſtæ extinguere, & abolere, ac apud eandem Eccleſiam ſic diſmembratam, & ſeparatam, Domum dicti Ordinis Fratrum Capucinorum pro uno Guardiano, & nonnullis Fratribus Capucinis, cum omnibus privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus, quibus aliæ Domus Fratrum Capucinorum hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, perpetuò, ſine tamen alicujus præjudicio, de licentia dilecti Filii moderni Generalis ejuſdem Ordinis, & Fratrum Capucinorum erigere, & inſtituere, ac in eis ſtatum, & eſſentiam Regulares dictorum Fratrum Capucinorum introducere, ita quod liceat eiſdem Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Eccleſiæ S. Jo: Baptiſtæ, Domus, ædificiorum, viridariorum, hortorum, terrarum, & eorum, in quibus, & ad quæ jus ratione dictæ Præpoſituræ S. Jo: Baptiſtæ competit, poſſeſſionem, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, dummodo præfatis Fratribus Capucinis in aliis ejuſdem Præpoſituræ S. Jo: Baptiſtæ rebus, bonis juribus, fructibus, & proventibus quibuſcunque aliquod jus, præter præmiſſa, non acquiratur, nec in aliquo eidem Alexandro, & pro tempore exiſtenti Præpoſito dictæ Præpoſituræ S. Jo: Baptiſtæ præjudicium inferatur, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur expreſsè, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſores loca ad habitandum de novo recipere, ſeu recepta mutare præſumant abſque dictæ Sedis licentia, ſpecialiter de prohibitione hujuſmodi expreſsam mentionem faciente, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Idibus Februarii, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Bulla formata in Arch. Provinciæ, de qua Exempl. in Arch. Ord. Scrinio Provincia Mediolanen.

In duabus Ædibus, onere annuæ penſionis, Capitulo Sancti Nazarii Mediolani præſtandæ, gravatis, & pro conſtructione Monaſterii Monialium donatis, Cœnobium hujuſmodi ſub invocatione S. Claræ erigi, reſponſiones dicto Capitulo debitas, ex parte reddituum à quondam Joanne Thoma Cribello ad ſimilem finem pro ſumma conventa liberari, in Eccleſia Capellaniam pro Capellano ſimul & Confeſſore amovibili fundari, S. Carolo Card. Tit. S. Praxedis committit, ac Monialibus varia privilegia concedit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula à Summi Sacerdotii Cathedra, meritis licet inſufficientibus, demandata, tenentes in terris, ac numerum Religioſarum Perſona-

rum, præſertim Sacrarum Virginum, per quarum preces aſſiduas, & ſacras deprecationes propitiatur Altiſſimus, ubilibet ptopagari piæ mentis deſiderantes affectu, illa libenter concedimus, per quæ Monaſteria, & Loca religioſa plantari, & in illis divinus cultus augeri valeat. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Noſter Carolus Tituli Sanctæ Praxedis, Presbyter Cardinalis, quod aliàs quondam Johannes Thomas Cribellus, Civis Mediolanenſis, tunc in humanis agens, & ſuum ultimum de bonis ſibi à Domino collatis condens Teſtamentum, inter alia voluit, quod in quadam Domuncula prope Domum piam nuncupatam, Sanctæ Mariæ, Succurſus etiam nuncupatæ, Mediolanen. Nobiles Mulieres, quæ quandoque, & præcipuè Quadrageſimali tempore, à ſæculari converſatione ſe ipſas ſegregare, & vitam ſpiritualem ibidem peragere vellent, reciperentur, eidemque Domunculæ, ac pro ea Deputatis, in eodem Teſtamento nominatis, quoſdam redditus annuos, præſtationes, ſeu ficta livellaria nuncupata, ad ſummam trium millium noningentarum, & octuaginta librarum monetæ illarũ partium quolibet anno aſcendentes reliquit, ac redditus hujuſmodi in certos pios uſus ab eo præſcriptos, ſeu ſpecificatos, & præſertim pro cujuſdam Monaſterii Monialium Capucinarum, vel alterius regulæ, ſive Ordinis, cujus erectio in Civitate Mediolanenſi per dictum Carolum Cardinalem tunc tractabatur, ac in quo plures Puellæ gratis penitus reciperentur, & alerentur, conſtructione, ſeu munitione, vel perfectione, aut Monialium ejuſdem Monaſterii victu, per dictos Deputatos exponi juſſit, & ordinavit. Ita tamen, quod quantitas, modus, & forma diſtribuendi redditus hujuſmodi in ſingulos pios uſus, & præcipuè dicti Monaſterii neceſſitates, & utilitates, ejuſdem Caroli Cardinalis arbitrio, relinqueretur. Præterea idem Joannes Thomas etiam voluit, redditus, & bona tam mobilia, quàm immobilia, per eum ad effectum præmiſſum relicta, ullo unquam tempore in toto, vel parte, directè, vel indirectè, etiam ex quovis caſu urgentiſſimo, & neceſſitate extrema, vendi, aut alienari non poſſe, ſed inalienabilia perpetuò ad effectum præmiſſum permanere. Et ſi contrarium factum foret, id totum nullum, nulliuſque roboris, & momenti eſſe, ac pro non facto haberi, illiuſque Propinquiores, tamquam hæredes, propria auctoritate hujuſmodi bona ad priſtinum ſtatum reduci procurare debere. Et deinde quidam alter Civis Mediolanenſis terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare deſiderans, duas domos onere annuæ penſionis, ſeu ficti livellarii nonaginta librarum ſimilium, ſingulis annis, Dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Sancti Nazarii Mediolanen. præſtandarum gravatas, quas in Civitate Mediolanen. obtinet, unà cum illarum viridariis decem perticarum, vel circa, ad effectum Monaſterium prædictum ibidem erigendi, ſponte, & liberè donavit, prout in Inſtrumentis, vel aliis ſcripturis, tam ſuper Teſtamento, & donatione hujuſmodi confectis, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in dictis domibus ſic donatis, multæ honeſtæ, & pauperes Puellæ, arctam admodum Capucinarum vitam affectantes concurrerint, & inibi numero viginti ſimilem vitam, donec ibidem Monaſterium erigatur, obſervantes collocatæ fnerint, ac neceſſe ſit, ut Domus prædictæ à dictis annuis reſponſionibus, ſeu fictis, quibus gravantur, liberentur, & Capitulum prædicti contenti ſint, reſponſiones, ſeu ficta hujuſmodi, cum tot ex redditibus per dictum Joannem Thomam legatis, pro ſumma hinc inde jam conventa permutare, dictuſque Carolus Cardinalis redditus præfatos per dictum Joannem Thomam legatos dividendo, quintam eorum partem pro dicti Monaſterii erigendi conſtructione, & perfectione, ſeu munitione, vel etiam ipſarum Monialium victu, ac aliàs modo, & forma tunc expreſſis, aſſignaverit, ac Nobis humiliter ſupplicari fecerit, quatenus ſibi in Domibus prædictis Monaſterium hujuſmodi erigendi licentiam concedere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Religionis propagationem ſinceris deſideriis affectamus, inſtrumentorum, ſeu ſcripturarum hujuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Carolo Cardinali in Domibus prædictis unum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, ſub invocatione Sanctæ Claræ Ordinis primæ Regulæ ejuſdem Sanctæ Claræ, pro una Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, ac Monialium numero, per eumdem Carolum Cardinalem ſtatuendo, quæ Habitum per Moniales Capucinarum, ſeu aliorum ejuſdem Ordinis Monaſteriorum geſtari ſolitum ſuſcipere, & Profeſſionem per eaſdem emitti conſuetam, in dicti Caroli Cardinalis, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicarii Generalis, pro hac prima introductione duntaxat, & deinde in pro tempore exiſtentis Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ ipſius Monaſterii manibus emittere regulares, ac clauſuram, regulam, ſtatuta, ordinationes, & conſuetudines prædicti Ordinis, juxta normam, & formam, Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Monaſterii earumdem Capucinarum in Urbe noviter erecti præſcriptas ſervare, & ad electionem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, quoties officium Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ hujuſmodi quovis modo vacare contigerit, nec non Officialium Mona-

naſterii erigendi hujuſmodi deputationem, juxta prædicti Monaſterii Urbis morem, & conſuetudinem procedere, Miſſarum quoque ſolemnia audire officia, reſponſoria, & alias orationes, juxta normam, & formam eiſdem Monialibus Monaſterii de Urbe hujuſmodi præſcriptas, perpetuis futuris temporibus recitare teneantur, ac eleemoſynas, oblationes, mortuaria, funeralia, & quævis alia bona eiſdem futuris Monialibus, & Monaſterio erigendo, pro tempore elargienda, & donanda recipere, ac retinere, juxta tamen prædicti Ordinis regulam, ſtatuta, & conſuetudines, liberè, & licitè valeant, ac unam Eccleſiam ibidem vicinam, ſeu contiguam, ubi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum perpetuò, juxta formam Concilii Tridentini conſervetur, cum Capella, campanili, & campanis humilibus, nec non cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, & aliis membris, & officinis neceſſariis, nec non in eadem Eccleſia unam perpetuam Capellaniam pro uno Capellano in Presbyteratus Ordine, & ætate provecta conſtituto, virtute, & bonis moribus ornato, ab ipſius Caroli Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Mediolanenſis nutu amovibili, qui Miſſas prædictas celebrare, dicere, & recitare, ac earumdem futurarum Monialium confeſſiones audire, eaſque in caſibus, in quibus Monialium aliorum ejuſdem Ordinis Monaſteriorum Confeſſores abſolvere poſſunt, abſolvere, ac illis Sacramenta Eccleſiaſtica, etiam tempore Paſchali, abſque Rectoris Parochialis Eccleſiæ, in cujus Parochia dictum Monaſterium erigendum conſiſtet, licentia, miniſtrare liberè, & licitè valeat, ſine alicujus præjudicio erigendi, & pro felici regimine, ritu, ac in moribus, & regulari obſervantia, inſtructione prædictarum futurarum Monialium quatuor, vel ſex, aut plures, ſeu tot, quot neceſſariæ erunt, aliorum Monaſteriorum, & in aliis Civitatibus exiſtentium Ordinis prædicti Moniales, Superiorum ſuorum licentiâ petitâ, & obtentâ, quæ inibi perpetuò, ſeu quoad expediens viſum fuerit, manere valeant, pro illa prima vice, ſeu neceſſitate extrahendi, & ad ipſum Monaſterium erigendum transferendi, necnon reſponſiones, ſeu ficta livellaria prædictis Capitulo debitas, ſeu debita hujuſmodi, pro ſumma cum ipſis Capitulo ex dictis redditibus, per dictum Joannem Thomam legatis conventa, ſeu convenienda permutandi, & ſummam, ſeu ratam conventam ex dictis redditibus pro Domorum ab annua reſponſione, ſeu annuo cenſu nonaginta librarum hujuſmodi liberatione, in permutationem dandi, & aſſignandi, plenam, amplam, & liberam auctoritatem, licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, dictaſque aſſignationes quintæ partis ex prædictis redditibus, pro dicti Monaſterii erigendi conſtructione, & perfectione, ac etiam operis, ſeu fabricæ manutentione per dictum Carolum Cardinalem factam, ac etiam conventionem inter eum, & Capitulum prædictos, ſuper hujuſmodi permutatione jam forſan factam, ſeu quæ fiet, auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in iiſdem ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel alio quopiam defectu, nullo unquam tempore notari, impugnari, invalidari, vel in jus, & controverſiam vocari, aut ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, &, quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe: ſicque ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque Judices, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus dicti Teſtatoris voluntate, & alienandi prohibitione, aliiſque præmiſſis, ac fel. record. Pii Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, necnon aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Perſonis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſvis aliis quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo

go hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, quinto Kal. Septembris, Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

Aut. in Arch. Bullarum, Secretar. Brev. Reg. ſeu lib. 2. fol. 83.

Moniales Peruſio Mediolanum ablegari, & ab iis Monaſterium prædictum inibi inſtitui &c. indulget.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

AD inſtituendam in Monaſteriis Monialium, nunc primùm ad Omnipotentis Dei laudem erectis, regularem diſciplinam apprimè intenti, Perſonas illis præficere ſtudemus idoneas: unde, cum acceperimus in Civitate Mediolanenſi, à Dilecto Filio Noſtro Carolo, Tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali, ejuſdem Civitatis ex Diſpenſatione Apoſtolica Præſule, Monaſterium Monialium Ordinis primæ Regulæ Sanctæ Claræ Capucinarum nuncupatarum, inſtitutum fuiſſe, & ad illud feliciter regendum, & informandum regularibus inſtitutis Perſonas ætate provectas, vitæ, ac morum ſanctitate præditas, neceſſariò introducendas eſſe, Dilectis in Chriſto Filiabus quatuor Monialibus Monaſterii Capucinarum Civitatis noſtræ Peruſii, quas Ordinarius uti idoneas ad hoc elegit, licentiam damus, ut ejuſdem Ordinarii conſenſu de eodem Monaſterio Capucinarum, in quo nunc degunt, ac profeſſæ ſunt, ad dictum Monaſterium Mediolanen. aliquibus Propinquioribus, earumdem, vel aliis honeſtis Perſonis ab eodem Ordinario deputandis, ad concomitandum eas in itinere aſſumptis, quamprimùm ſe transferre poſſint, eleemoſynis nihilominùs Monaſterio, in qua profeſſæ ſunt, tempore illarum Profeſſionis elargitis, remanentibus, ac, poſtquam illæ ſic translatæ fuerint, ut præfertur, in Superiores, ſeu Officiales dicti novi Monaſterii, juxta providam diſpoſitionem prædicti Caroli Cardinalis, & Archiepiſcopi deputari permittimus. Ac quò honeſtiùs eædem Moniales in itinere ex Civitate Peruſina ad Civitatem Mediolanenſem hoſpitio excipiantur, univerſis, & ſingulis Abbatiſſis, & Monialibus Monaſteriorum Civitatum, Terrarum, & Locorum ejuſdem, vel eo deficiente, alterius cujuſvis Ordinis, ab ipſis aſſociantibus eligendorum, per quæ eaſdem Moniales iter facere, ac hoſpitari contigerit, in virtute Sanctæ Obedientiæ per præſentes mandamus, quatenus viſis præſentibus, nulloque alio ab earum Superioribus, vel à Nobis exſpectato mandato, vel licentia, aut conſenſu, eaſdem quatuor Moniales intra Septa, & Clauſtra Monaſteriorum earumdem benigno hoſpitio excipiant, ſinceraque in Domino charitate tractent. Injungentes ejuſdem Monaſterii Mediolanen. Monialibus tum ſingulis, tum in univerſum, & aliis ſubditis, & Perſonis quibuſcumque, ut eiſdem, poſtquam in Officiales fuerint electæ, in his, quæ officium earum concernunt, ac animarum ſalutem, Regulariſque diſciplinæ obſervandæ rationem reſpiciunt, promptè, ac humiliter pareant, & obediant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, eiſdem Monaſteriis, illorumque Superioribus, & Perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorumque tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Auguſti MDLXXVIII. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

Cæſar Glorierius.

Ex Arch. Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Reg. anni prædicti, fol. 483.

Reſiduam partem bonorum ſtabilium, à prædicto Joanne Thoma eidem Monaſterio Monialium relictorum, ob incapacitatem Monialium bona ſtabilia poſſidendi, alienari, ac pretium inde proveniens, in opus fabricæ, ac Clauſuræ, & in emptionem paramentorum converti, eidem Cardinali, ac Archiepiſcopo committit.

Di-

Dilecto Filio Noſtro Carolo Tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A Summo Patrefamilias in Domo Domini diſpenſatores effecti, interdum pias Teſtamentorum voluntates commutamus, prout Monaſteriorum, & Perſonarum in illis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium ſtatui conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem pro parte Tua Nobis expoſito, quod quondam Joannes Thomas Cribellus, Civis Mediolanenſis, in ejus ultimo Teſtamento, inter alia voluerat, quod in quadam Domuncula, prope Domum, piam nuncupatam, Sanctæ Mariæ Succurſus &c. nuncupatæ, Mediolanen. Nobiles Mulieres, quæ quandoque, & præcipuè Quadrageſimæ tempore à ſeculari converſatione ſe ipſas ſegregare, & vitam ſpiritualem ibidem peragere vellent, reciperentur, eidemque Domunculæ, ac pro ea Deputatis, in eodem Teſtamento nominatis, quoſdam redditus annuos, præſtationes, ſeu ficta livellaria nuncupata, ad ſummam Trium millium noningentarum, & octuaginta librarum monetæ illarum partium, quolibet anno aſcendentia, reliquerat, ac redditus hujuſmodi in certos pios uſus, ab eo præſcriptos, ſeu ſpecificatos, & præſertim pro cujuſdam Monaſterii Monialium Capucinarum, vel alterius Regulæ, ſive Ordinis, cujus erectio in Civitate Mediolanenſi per Te tunc tractabatur, ac in quo plures Puellæ gratis penitus reciperentur, & alerentur, conſtructione, ſeu minutione, vel perfectione, aut Monialium ejuſdem Monaſterii victu, per dictos Deputatos exponi juſſerat, & ordinaverat; ita tamen, quod quantitas, modus, & forma diſtribuendi redditus hujuſmodi in ſingulos pios uſus, & præcipuè dicti Monaſterii neceſſitates, & utilitates Tui arbitrio relinqueretur: volens etiam redditus, & bona tam mobilia, quàm immobilia, per ipſum ad effectum prædictum relicta, nullo unquam tempore in toto, vel parte, directè, vel indirectè, etiam ex quovis caſu urgentiſſimo, & neceſſitate extrema vendi, aut alienari non poſſe, ſed inalienabilia perpetuò, ad effectum præmiſſum permanere, & ſi contrarium factum fuerit, id totum nullum, nulliuſque roboris vel momenti eſſe, ac pro non facto haberi, illiuſque Propinquiores, tamquam Hæredes, propria auctoritate, bona ad priſtinum ſtatum reduci procurare debere: quodque alius Civis Mediolanenſis duas Domos onere annuæ penſionis, ſeu ficti livellarii nonaginta librarum ſimilium, ſingulis annis Dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Sancti Nazarii Mediolanenſis præſtandarum gravatas, quas in Civitate Mediolanenſi obtinebat, unà cum illarum viridariis decem perticarum, vel circa, ad effectum Monaſterium prædictum ibidem erigendi, ſponte, & liberè donaverat, ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod in dictis Domibus ſic donatis multæ honeſtæ, & pauperes Puellæ, arctam admodum vitam Capucinarum affectantes concurrerant, & inibi numero viginti ſimilem vitam, donec ibidem Monaſterium erigeretur, obſervantes, collocatæ fuerant, ac conceſſerat, ut Domus prædictæ à dictis annuis reſponſionibus, ſeu fictis, quibus erant, gravatæ liberarentur, & Capitulum prædictum contentum erat, reſponſiones, ſeu ficta hujuſmodi, cum tot ex redditibus, per dictum Joannem Thomam legatis, pro ſumma hinc inde tunc conventa permutare, Tuque redditus per dictum Joannem Thomam legatos hujuſmodi, dummodo quintam eorum partem pro dicti Monaſterii conſtructione, & perfectione, ſeu munitione, vel etiam ipſarum Monialium victu, ac aliàs modo, & forma tunc expreſſis aſſignaveras; Nos Tuis in ea parte ſupplicationibus tunc inclinati, Tibi in Domibus prædictis unum Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupandarum ſub invocatione Sanctæ Claræ, pro una Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, ac Monialium numero per Te ſtatuendo, quæ Habitum per Moniales Capucinarum, ſeu aliorum ejuſdem Ordinis Monaſteriorum geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eas emitti conſuetam emittere, & clauſuram regularem, ſtatuta, ordinationes, & conſuetudines prædicti Ordinis, juxta formam, & normam Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Monaſterii earumdem Capucinarum, in Urbe noviter erecti præſcriptas ſervare tenerentur, erigendi, ac reſponſiones, ſeu ficta prædictis Capitulo debitas, ſeu debita hujuſmodi pro ſumma cum ipſo Capitulo ex dictis redditibus per dictum Joannem Thomam legatis conventa, ſeu convenienda permutandi, & ſummam, ſeu ratam conventam ex dictis redditibus pro Domorum ab annua reſponſione, ſeu annuo cenſu nonaginta librarum hujuſmodi liberatione in permutationem dandi, & aſſignandi, licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, dictaſque aſſignationes quintæ partis ex eiſdem redditibus pro dicti Monaſterii erigendi conſtructione, & perfectione, ac dicti Operis, ſeu Fabricæ manutentione per Te factas, ac etiam conventionem inter Te, & prædictum Capitulum, ſuper hujuſmodi permutatione, tunc forſan faciendam, ſeu quæ fieret, dicta auctoritate confirmavimus, & approbavimus, prout in noſtris inde confectis literis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut

Nobis

Nobis nuper exponi feciſti, Moniales prædictæ, ex ſui Ordinis Inſtituto aliqua Bona ſtabilia poſſidere non poſſint, ſicque prædicti Joannis Thomæ pia voluntas, quoad redditus annuos ipſis, ſeu dicto eorum Monaſterio, ut præfertur, legatos, ſuum debitum effectum ſortiri nequeat, ad Fabricam antedictiMonaſterii Sanctæ Claræ, & illius Eccleſiæ, in ſuis ſtructuris, & ædificiis abſolvendam, ac Monaſterium ipſum debita clauſura muniendum, paramentiſque, ornamentis, ſupellectilibus, etiam utenſilibus, aliiſque rebus tam ad divini cultus, quam ipſarum Monialium uſum neceſſariis fulciendum, maximas impenſas ſuſtinere oporteat: & veriſimile ſit, quod dictus Joannes, ſi adhuc ſuperſtes eſſet, & animadverteret, Moniales prædictas bonorum ſtabilium incapaces fore, ipſe opus Fabricæ hujuſmodi ſuis facultatibus promoveret, ac etiam venditioni, & alienationi reddituum hujuſmodi ad eumdem effectum facilè conſentiret, & propterea Tu eoſdem redditus, qui inſimul ad ſummam octingentarum librarum ſimilium annuatim aſcendunt, perpetuò vendere, & alienare, pretiumque exinde proveniens in opus Fabricæ, ac emptionem paramentorum, ornamentorum, ſupellectilium, & utenſilium hujuſmodi convertere ſummopere deſideres. Nos, qui honeſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, Teſtamenti, & literarum noſtrarum hujuſmodi tenores, ac reddituum prædictorum qualitates præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Circumſpectioni Tuæ, de qua in his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, ut redditus prædictos uni, vel pluribus perſonis laicis, ſeu Clericis, meliorem conditionem offerentibus, pro ſe, eorumque Hæredibus, & Succeſſoribus ſimul, vel ſucceſſivè perpetuò vendere, & alienare, pretiumque exinde proveniens in opus Fabricæ, ac Clauſuræ, ac emptionem paramentorum, ornamentorum, ſupellectilium, utenſilium, & aliarum rerum hujuſmodi, arbitrio tuo convertere liberè, & licitè valeas, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem, dicta auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Et nihilominus venditiones, & alienationes hujuſmodi ex nunc, prout ex tunc, & è contra, poſtquam factæ fuerint, ac omnia, & ſingula in Inſtrumentis deſuper conficiendis contenta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus non contraria, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, ac illis plenariæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenerint, in eiſdem ſupplemus. Non obſtantibus voluntate ipſius Joannis Thomæ, quam in, & quoad hoc commutamus, aliiſque præmiſſis, necnon, quatenus opus ſit, fel. record. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Monaſterii, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod pretium ex dicta venditione proveniens, donec in prædictos uſus convertatur, penes Ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decima Januarii MDLXXIX. Pontificatùs Noſtri anno ſeptimo.

Cæſar Glorierius.

Ex Archivo præd. Reg. anni præd. fol. 3.

Alia Pia Legata, commutata Teſtatorum voluntate Fabricæ eidem applicari, Archiepiſcopo eidem committit.

Dilecto Filio Carolo Tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod, cum aliàs inter Te, & nonnullos alios, ac Religioſos Viros tractatum fuiſſet de fabricando in Civitate Mediolanen. Monaſterio Monialium, in quo Virgines pauperes ſine dote reciperentur, ac multi obtuliſſent ſatis notabiles pecuniarum ſummas ad fabricam hujuſmodi faciendam, & ad emendum aliqua bona ſtabilia, ſeu jura & proprietates, ex quorum fructibus dictis Virginibus alimenta præſtarentur, inter alios, qui ſe dicti operis Fautores, & adjutores exhibuerunt, quondam Brocardus de Perſicis legavit pro dicto opere perficiendo, quamdam pecuniarum ſummam, necnon trecentos aureos, poſt ejus deceſſum per hæredem ſuum perſolvendos, & in uſum pium arbitrio tuo diſtribuendos, ac Franciſcus Bernardinus, vulgò Franceſinus nuncupatus ſummam, ducentorum ſcutorum auri per hæredes ſuos, poſtquam dictum opus ſtabilitum foret, ſolvendam eidem Monaſterio legavit, prout in eorum teſtamentis, ſeu inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Et deinde poſt mortem Brocardi, & Bernardini

ni prædictorum propter nonnullas difficultates tunc exortas, quod loco dicti Monaſterii fabricaretur aliud Monaſterium Monialium Capucinarum ſub prima Regula S. Claræ, ex cujus Regulæ forma Virgines puellæ gratis ad Religionem admitterentur, decretum fuit. Cum autem dicti Teſtatores illius fuerint intentionis, ut pia Legata prædicta opem ferrent pauperibus Virginibus Mediolanenſibus, vitam Regularem ducere cupientibus, & propter dotis defectum id conſequi nequeuntibus, quarum numerus in dicta Civitate copioſus exiſtit, ipſumque Monaſterium Monialium Capucinarum in locum illius, de quo antea fabricando tractatum fuerat, ſurrogatum ſit, & propterea deſideres legata prædicta novæ fabricæ ejuſdem Monaſterii Monialium Capucinarum in eadem Civitate nuper erecti, & in quo jam plures Virgines, etiam profeſſæ, reperiuntur, applicari, & appropriari, hinc pro parte Tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſtatui, & ſubventioni Monialium, & Virginum puellarum præfatarum in præmiſſis conſulere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur teſtamentorum, ſeu inſtrumentorum, deſuper confectorum, tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Circumſpectioni Tuæ legata prædicta novæ fabricæ dicti Monaſterii Monialium Capucinarum perpetuò applicandi, & appropriandi, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi facultatem per præſentes concedimus. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, voluntatibus dictorum Teſtatorum, quas quoad hoc harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè commutamus; ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die xv. Februarii MDCCLXXXIII. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Cæſar Glorierius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 99.

N O T A.

In ſubſidium ejuſdem fabricæ, legata donationes quaſque &c. Monialibus prædictis relictas, à Deputatis ad tempus præfixum recipi, ita ut fabricâ finitâ, nihil perpetuum, aut proprium â Monialibus retineatur, generaliter conceſſum eſt, ut ſequitur.

Dilectis Filiis Deputatis Monaſterii Monialium Capucinarum Sanctæ Praxedis Mediolanen.

C L E M E N S   P A P A   V I I I.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs per Nos accepto, quod dudum fel. rec. Sixto Papæ V. Prædeceſſori Noſtro pro parte Dilectorum Filiorum, tunc Deputatorum Monaſterii Capucinarum, S. Praxedis Mediolanen., expoſito, quod, poſtquam piæ mem. Carolus, Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus dictum Monaſterium fundaverat, & inſtituerat, illiuſque fabrica ingenti ſtructura cœpta fuerat, dicto Carolo Cardinali poſtmodum vita functo, imperfecta remanſerat, & ad eam perficiendam magnis ſumptibus opus erat; Idem Prædeceſſor Deputatis prædictis, ut quæcunque legata, donationes, hæreditates, erogata fideicommiſſa, aliaſque res, & bona à quibuſcumque Chriſtifidelibus, ipſis Monaſterio, & Monialibus, ac fabricæ pro tempore facta, & relicta, ad quinquennium ex tunc computandum recipere, & retinere, illaque, & fructus eorum interim arbitrio Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Mediolanen. in uſum, & perfectionem dictæ fabricæ omnino convertere, & applicare liberè, & licitè poſſent, conceſſerat, volueratque, quod quinquennio hujuſmodi finito, nihil perpetuum, aut proprium rei ſtabilis Monaſterio, ſeu Monialibus prædictis remaneret, ſed per venditionem, aut compoſitionem, vel aliàs judicio ejuſdem Archiepiſcopi omnia ad pecuniam, vel materiam, uſui ejuſdem fabricæ commodam reducerentur: Et ſucceſſivè piæ mem. Gregorius Papa XIV. etiam Prædeceſſor Noſter, pro eo, quod dicta fabrica non admodum magnum progreſſum ſuſceperat, dictum quinquennium ad biennium à fine dicti quinquennii computan. prorogaverat, prout in ſingulis dictorum Prædeceſſorum literis deſuper expeditis plenius contineri dicitur. Cum hujumodi fabrica minimè adhuc abſoluta eſſet, nec infra dictum tempus abſolvi, & perfici poſſe ſperaretur; Nos dictorum tunc Deputatorum ſuper hoc Nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, dictum biennium, quod adhuc durabat, ad aliud biennium, à fine primodicti biennii computandum, ſine tamen ſpe ulterioris prorogationis, Auctoritate Apoſtolica, gratioſè prorogavimus, extendimus, & ampliavimus, dictoque biennio ſic ultimo prorogato durante, Vobis, ut quæcumque legata, donationes, hæreditates, erogata fideicommiſſa, aliaſque res & bona, ut præmittitur, facta & relicta recipere, & retinere, illaque, & eorum fructus &c. ut præmittitur, in uſum, & perfectionem dictæ fabricæ convertere, & applicare valeretis, conceſſimus per noſtras in forma Brevis literas, ſub Die 28. Auguſti 1592. Pontificatus Noſtri Anno primo expeditas, prout in eis plenius continetur. Cum autem, ſicut ex veſtra inſinuatione accepimus, propter horum temporum calamitates, quæ fecerunt & faciunt, ut Fidelium eleemoſynæ tenuiores, ac minus frequentes fuerint & ſint, dicta fabrica imperfecta adhuc remaneat, nec illam infra hoc ultimum biennium perfici poſſe ſperetur. Nos igitur ſingularum literarum præfatarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ultimo

dictum biennium, quod adhuc durat, ad aliud biennium à fine ultimodicti biennii computandum, ſine tamen ſpe ulterioris prorogationis, Auctoritate Apoſtolica prorogamus, extendimus, & ampliamus, dictoque biennio ſic ultimo prorogato durante, Vobis, ut quæcumque legata, donationes, hæreditates, erogata, fideicommiſſa, aliaſque res, & bona, ut præmittitur, facta, & relicta recipere, & retinere, illaque & eorum fructus etiam, ut præmittitur, in uſum, & perfectionem dictæ fabricæ convertere, & applicare valeatis in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi dictum quinquennium adhuc duraret, concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Monaſterii; & Ordinis, cujus exiſtit, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus quoque, quod biennio ſic ultimo prorogato finito, hujuſmodi gratia nullatenus uti, ulterioremque prorogationem aut gratiam petere minimè valeatis, quodque nihil perpetuum, aut proprium rei ſtabilis Monaſterio, ſeu Monialibus prædictis remaneat, ſed per venditionem, aut compoſitionem, ſeu aliàs judicio ejuſdem Archiepiſcopi, omnia pro tempore relicta hujuſmodi ad pecuniam, vel ad materiam, uſui ejuſdem fabricæ commodam reducantur. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, Die XII. Maji MDCXCIV. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Ex Reg. Archivi Secret. Brevium Apoſtolicorum menſis, & anni prædictorum fol. 224.

Apoſtolicum Breve, quo prælibatis Monialibus communicatio omnium privilegiorum tam temporalium, quam ſpiritualium, quibus tam Ordinis Moniales, quàm RR. PP. Conventuales, Obſervantes, Reformati, & Capucini gaudent, expreſsè fuerunt communicata, oſtendere erit infra.

Monaſterium Sancti Bubonis, Ordinis S. Benedicti, Vigueriæ, Sfortiæ Spetiano, aliàs in commendam conceſſum Fratribus cum viridario concedi; in eo nomen, titulum, & Ordinem ſupprimi; ac illius bona, & jura Capellaniæ, ad Altare S. Bubonis in eadem Eccleſia perpetuò erigendæ, *Abbatia* nuncupandæ, & per Papam duntaxat conferendæ, applicari confirmat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX incumbente Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio circa ſtatum Religioſorum quorumlibet proſperè dirigendum ſtudiis invigilantes aſſiduis, illorum votis, præſertim divini cultûs augmentum, & Religionis propagationem, necnon eorum commoditatem, & corporis ſanitatem concernentibus, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuimus, ac his, quæ propterea in eorum favorem conceſſa ſunt, ut firmiora perſiſtant, cum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, aliàſque deſuper diſponimus, prout illorum neceſſitatibus conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Miniſtri, & Fratrum Domûs S. Andreæ, Terræ Vigueriæ, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Derdonen. Diœc., ac Sfortiæ Spetiani Clerici, qui Monaſterium S. Bubonis, Ordinis Sancti Benedicti, Terræ, & Diœc. prædictarum, in Commendam ad ejus vitam, ex conceſſione Apoſtolica obtinet, petitio continebat, quod, cum aliàs dicti Miniſter, & Fratres in dicta Domo, & illius Eccleſia Altiſſimo famulantes, propter dictæ Domûs humiditatem, & inſalubrem loci aerem fere omnes infirmarentur, aliique morerentur, alii verò non minus longis, quàm gravibus, & periculoſis infirmitatibus vexarentur, indeque fieret, ut ipſi eo deſiderio, & mentis quiete, quibus volebant, Deo ſervire nequirent, & ob id dictum Sforziam enixè rogaſſent, ut vellet eis Domum & viridarium unà cum Eccleſia dicti Monaſterii ad hoc, ut illic, ubi & ſitus, & aer longè ſalubriores exiſtunt, ſub ſuavi jugo Religionis eidem Altiſſimo famulari poſſent, concedere, dictus Sfortia humili, & honeſto eorum hujuſmodi rogatui annuens, illis domum & viridarium ad habitandum, & Eccleſiam dicti Monaſterii ad divina inibi celebranda, ſub Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, & aliàs modo, quo potuit, meliori, conceſſit, ſeu, quod illis Apoſtolica Auctoritate perpetuò concederetur, conſenſit, prout in publico deſuper confecto documento plenius dicitur contineri.

Inde ſi in prædicto Monaſterio nomen, titulus,

tulus, & denominatio Monaſterii, ac Ordo S. Benedicti prædictus perpetuò ſupprimeretur, & extingueretur, bonaque, res, jura, & proprietates illius ab eadem ſepararentur, ipſumqueMonaſterium, ita ſupprimendum, in Domum Fratrum Capucinorum, ac in Eccleſia ipſius Domûs erigendæ, & ad Altare ejuſdem S. Bubonis in ea conſtructum, ſeu conſtruendum una perpetua Capellania, *Abbatia* nuncupanda, cui dicta bona perpetuò applicata ſint, & quæ dictis Sæcularibus, Abbatibus nuncupandis, per Romanum Pontificem, pro tempore exiſtentem duntaxat conferri debeat, erigerentur, & inſtituerentur, tunc dictorum Miniſtri, & Fratrum ſtatui, & commoditatibus cum Dei ſervitio eſſet in præmiſſis conſultum.

Quare pro parte Miniſtri, & Fratrum, ac Sfortiæ prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus conceſſionem hujuſmodi confirmare, & approbare, aliâſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Domorum, & aliorum Religioſorum locorum propagationem, Perſonarumque in eis, ſub Obſervantia Regulari Virtutum Domino famulantium commoda ſincero deſideramus affectu, Miniſtrum, & Fratres, ac Sfortiam prædictos, ſingulareſque Perſonas Domûs hujuſmodi, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolidet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon conceſſionis prædictæ veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem prædictam, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenerint in eadem, ſupplemus, necnon in eodem Monaſterio nomen, titulum, & denominationem Monaſterii, & Ordinem S. Benedicti hujuſmodi perpetuò, dicta auctoritate ſupprimimus, & extinguimus, ac ab eo omnia, & ſingula mobilia, & immobilia, bona, res, jura, juriſdictiones, cenſus, & proprietates, quomodolibet nuncupata, & ubicunque exiſtentia, eâdem auctoritate diſmembramus, & ſeparamus, ac ſuppreſſum Monaſterium hujuſmodi, eidem Ordini Fratrum Minorum etiam perpetuò concedimus, & illud in Domum, & illius Eccleſiam, in Eccleſiam Fratrum Capucinorum cum Conventu, & aliis membris neceſſariis pro Miniſtro, & Fratribus prædictis, necnon in ipſius Domûs Eccleſia, & ad Altare hujuſmodi unam perpetuam ſine cura Capellaniam ſæcularem, *Abbatia* nuncupandam, cui omnia prædicta bona, etiam perpetuò applicata cenſeantur, & ſint, ac quæ unacum omnibus bonis, & pertinentiis, ac oneribus illius Clericis Sæcularibus per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem duntaxat, ut præfertur, conferri, & de illa provideri debeat, auctoritate, tenore præmiſſis, ſimiliter perpetuò erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectæ omnia ejuſdem ſuppreſſi Monaſterii proprietates, & bona, eorumque fructus, redditus, & proventus, exceptis iis tantùm, quæ pro Domo erecta hujuſmodi conceduntur, pariter perpetuò applicamus, & appropriamus: ac inſuper dictis Miniſtro, & Fratribus, eorumque Domui erectæ prædictæ, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, prærogativis, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, cæteriſque gratiis, quibus alii Fratres, & Domus Ordinis Fratrum Capucinorum hujuſmodi de jure, uſu, & conſuetudine, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, & ſine aliqua differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus; necnon præſentes de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel in jus, aut controverſiam vocari nullatenus unquam poſſe, neque debere, ſed ſemper validas, & efficaces exiſtere, ac ſuos effectus ſortiri etiam debere, ac ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Epiſcopo Derdonenſi, ac Dilecto Filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Miniſtri, & Fratrum ac Sfortiæ prædictorum, & aliorum, quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis omnibus, & ſingulis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari, confirmatione, approbatione, ſupplicatione, ſuppreſſione, inſtitutione, diſmembratione, ſeparatione, conceſſione, indulto, decreto, aliiſque præmiſſis omnibus, & ſingulis juxta earun-

earundem præſentium continentiam, & tenorem, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas incurriſſe declarando, ac eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra de unionibus committendis ad partes, & exprimendo valere, & Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quâ cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſin, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam â fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu, ne Judices à Sede prædicta Deputati extra Civitatem, vel Diœceſin, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere quoquo modo præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali editâ, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon Monaſterii ſuppreſſi, & Ordinis S. Benedicti prædictorum, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, & Perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hàc vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, conceſſionum, indulti, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo, octuageſimo tertio, Idibus Septembris Pontificatûs Noſtri Anno duodecimo.

Sig. Pro Rmo D. Sum. A. Lanfredinus.

Cæſar Glorierius.
A. de Alexiis.

Regiſt. apud Cæſarem Secret.

Bulla formata in Archivo Conventûs. Vide & infra aliam petii donationem Fratribus ſub Urbano Papa VIII. factam.

Emptas à Nobili Clara de Modognanis Vidua ædes, & ædificia in Burgo Sancti Angeli Diœc. Lauden. ad ſuppreſſum Monaſterium Sanctæ Margaritæ Ordinis Sancti Benedicti aliàs ſpectantia, ad Monaſterii formam reduci, ac Moniales Capucinas in hoc, clauſura munitum, induci concedit, & Monialibus ſub viſitatione Ordinarii, & Confeſſore vel Regulari, vel Sæculari, viventibus, omnia Ordinis S. Claræ privilegia communicat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei Memoriam.

Debitum Paſtoralis Officii Nobis ex alto commiſſum requirit, & Nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quæ prudentes Virgines, & aliæ honeſtæ Mulieres, ſpretis hujus infelicis ſeculi illecebris, & aſſumpto Religionis Habitu, perpetuum Altiſſimo famulatum impendere, æternamque beatitudinem conſectari valeant, ac exinde honoris flores, & honeſtatis fructus, regulariſque vitæ propagatio proveniant, propenſis ſtudiis intendamus, ac

in

in his ejuſdem officii Noſtri partes favorabiliter conferamus.

Exhibita ſiquidem Nobis pro parte Dilectorum Filiorum Conſortii totius Cleri ſecularis Lauden. & Dilectarum in Chriſto Filiarum Claræ de Modagnanis Viduæ, ac nonnullarum Virginum, etiam Lauden. petitio continebat, quod ipſa Clara de nobili genere procreata, ob melioris vitę frugem Religionis jugum ſubire intendens, aſſumptis ſecum decem Virginibus, hujus ſui pii propoſiti ſectatricibus, in certis privatis ædibus ſimul, de Ordinarii loci licentia, per biennium, & ultra vivendo, ſe, dictaſque Virgines in victu, veſtitu, moribus, & inſtitutis Regularibus Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, humilitatiſque, & aliis piæ vitæ officiis, & exercitiis ſedulò probare, ac aſſueſcere ſtuduit; ac pridem domos, & ædificia olim Monaſterii Monialium Sanctæ Margaritæ Lauden. Ordinis Sancti Benedicti, Monaſterio ipſo, ac in eo Ordine prædicto, illiuſque ſtatu, & eſſentia regularibus, Apoſtolica auctoritate perpetuò ſuppreſſis, & extinctis, ac Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſa, & Conventu dicti ſuppreſſi Monaſterii inde ad Monaſterium Monialium Sancti Joannis Baptiſtæ, etiam Lauden. ejuſdem Ordinis, dicta auctoritate etiam perpetuò translatis, ex Sedis Apoſtolicæ permiſſione venditioni tunc expoſitas, de ſuis, & forſan dictarum Virginum pecuniis emit, ſeque in eis unà cum prædictis, & nonnullis aliis Virginibus, de ſimili licentia recepit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Clara, & Virgines prædictæ in pio eorum inſtituto perſiſtentes, ex bonis, & facultatibus ad ipſas, vel earum aliquas ſpectantibus, domos, & ædificia hujuſmodi ad Monaſterii formam reduci, & convenienti clauſura muniri facere, ac ibidem ſub regulari obſervantia, & perpetua clauſura Altiſſimo famulari ſummopere deſiderent, ſi in domibus, & ædificiis prædictis unum Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ ſub Regula dictorum Fratrum Minorum perpetuò erigeretur, & inſtitueretur, inde profectò Religionis propagationi, divinique cultus incremento, ac Conſortii hujuſmodi ſpirituali conſolationi plurimùm conſuleretur. Quare pro parte tam Conſortii, qui, ut aſſerunt, curam, & tutelam ipſius Monaſterii erigendi in ſe ſuſcipere, & deficientibus Fidelium largitionibus, ac eleemoſynis futuras illius Miniſtram, & Moniales, uſque ad numerum viginti, de propriis eorumdem Conſortii facultatibus congruè ſuſtentare, eiſque omnia ad vitæ ſubſidium neceſſaria charitativè ſubminiſtrare parati exiſtunt, ſeque, & bona Conſortii hujuſmodi ad id per ſuos Syndicos, & Deputatos in manibus Dilecti Filii Vicarii Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Lauden. in ſpiritualibus Generalis, realiter obligaverunt.

Quare pro parte Claræ, & Virginum prædictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus hujuſmodi earum votis annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſteriorum, & Religioſorum Locorum propagationem, divinique cultus, & bonorum operum incrementum intentis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in eiſdem domibus, & ædificiis, poſtquam ad formam Monaſterii reducta, & debita clauſura munita fuerint, ut præfertur, unum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, Ordinis Sanctæ Claræ ſub Regula Fratrum Minorum hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili humili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, cæteriſque membris, & officinis neceſſariis pro quindecim ad minus, non tamen ultra viginti Monialibus, quæ Habitum per Moniales Capucinas nuncupatas, aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis Sanctæ Claræ geſtari ſolitum ſuſcipere, & Profeſſionem per eas emitti conſuetam, in Ordinarii loci, ſive ejus Vicarii in ſpiritualibus Generalis, pro prima vice, & deindein dicti Monaſterii Miniſtræ pro tempore exiſtentis, manibus emittere, ac ritus, mores, conſuetudines, & regularia inſtituta ejuſdem Ordinis Sanctæ Claræ, perpetuamque clauſuram ſervare, ac divinis laudibus, & obſequiis inſiſtere, necnon per unam Miniſtram ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium Ordinis Sanctæ Claræ hujuſmodi, ſub viſitatione, correctione, & obedientia Ordinarii, ac cura, tutela, & gubernio Rectorum, & Deputatorum Conſortii hujuſmodi dirigi, atque ab eiſdem Rectoribus, & Deputatis, in defectum eleemoſynarum, & largitionum præfatarum charitativè ſuſtentari debeant, dicta auctoritate, tenore præſentium, perpetuò, ſine tamen alicujus præjudicio, erigimus, & inſtituimus, eique ſic erecto, & inſtituto, ac futuris illius Miniſtris, Monialibus, & Perſonis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, indultis, favoribus, & aliis gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus alia Monaſteria, & loca Monialium ejuſdem Ordinis Sanctæ Claræ, illorumque Miniſtræ, ſeù Abbatiſſæ, Prioriſſæ, Moniales, & perſonæ, de jure, vel conſuetudine, ſeu privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia, abſque ulla prorſus differentia, ac pariformiter, & æquè principaliter uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, auctorirate, & tenore præfatis indulgemus.

Inſuper Rectoribus, & Deputatis prædictis, tam

tam circa curam, Regimen, & adminiſtrationem dicti Monaſterii per præſentes erecti, illiuſque rerum, bonorumque receptionem, admiſſionem, qualitates, onera, & ſervitia Miniſtræ Monialium, & Perſonarum in eo pro tempore degentium quæcumque, ordinationes, & ſtatuta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, dictiſque regularibus inſtitutis non contraria, ab ipſo Ordinario approbanda, condendi, & faciendi, eaque, poſtquam condita, & facta fuerint, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel aliàs expediens videbitur, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, ac in toto, vel parte revocandi, atque alia, ut præfertur, approbandi, & de novo edendi; necnon Eccleſiæ dicti Monaſterii, per præſentes erecti, per unum vel plures Presbyteros idoneos ſæculares, vel quorumvis Ordinum Regulares, ad eorum nutum ponendos, & amovendos, ac ab eodem Ordinario approbandos, qui etiam Miniſtræ, Monialium, & Perſonarum ipſius Monaſterii per præſentes erecti confeſſiones audire, eiſque Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare licitè poſſint, in divinis deſerviri faciendi, plenam, & liberam licentiam, ac facultatem, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum Sanctæ Claræ, & Fratrum Minorum hujuſmodi, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. Apoſtolicis, illis, eorum Superioribus, & Perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, indulti, conceſſionis, & derogationis infringere, vel ei &c. incurſurum. Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto, tertio Kalen. Maji, Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

Autog. in Archiv. Bullarum, Secretar. Brev. Apoſtol. Reg. menſ. & anni præd. fol. 106.

Eccleſiam Sanctæ Crucis in Suburbio Civitatis Novarienſis, olim Præpoſituram ſuppreſſi Ordinis Fratrum Humiliatorum, Fratribus dari: tranſactionem deſuper factam confirmari: & defectus priorum literarum Apoſtolicarum &c. ſuppleri, Vicario Epiſcopi Novarienſis Generali committit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Novarienſis in ſpiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis deſuper Paſtoralis Officii debito, ad ea libenter intendimus, per quæ gratiæ à Nobis pro Divini cultus augmento, & perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim ſub ſuavi jugo Religionis Altiſſimo famulantium commodo conceſſæ, ſublatis impedimentis quibuslibet, ſuum ſortiantur effectum, & ad id tendentia Apoſtolica mandata debitè exequantur. Aliàs ſiquidem Eccleſia, olim Præpoſitura Sanctæ Crucis prope muros Civitatis Novarien. in ſuburbio Citatellæ nuncupato, ſuppreſſi Ordinis Fratrum Humiliatorum, quæ antea, Ordine hujuſmodi omnique ſtatu, & eſſentia Regularibus in ea, auctoritate Apoſtolica perpetuò ſuppreſſis, & extinctis, illiuſque redditibus, & bonis Collegio Scholarium Helvetiorum Mediolanen. aſſignatis, & applicatis in Parochialem Eccleſiam, à tunc exiſtente Epiſcopo Novarien. ordinaria auctoritate erecta fuerat, &, ut dictum fuit, erectione hujuſmodi ſuum effectum non ſortitâ, ſine cura remanſerat, per liberam reſignationem dilecti Filii Auguſtini Vezzini, olim dictæ Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte, pro complemento tamen tranſactionis, & ad effectum infraſcriptum factam, & admiſſam, vacante, ac pro parte dicti Auguſtini, & Dilectorum Filiorum, Communitatis, & Hominum Civitatis Novarien. Nobis expoſito, quod dicti Communitas, & Homines, conſiderantes Domum Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, apud Eccleſiam Beatæ Mariæ, de Miſericordia etiam nuncupatam, extra dictam Civitatem ſitam, nimis longè ab ea Civitate diſtare, ac vias, quibus itur ad dictam Eccleſiam Beatæ Mariæ valde difficiles, ac tempore hyemis, ac pluviarum inacceſſibiles eſſe, Incolaſque ejuſdem Civitatis, & illius ſuburbiorum, ob difficultatem itineris, plerumque ad

Ec-

Eccleſiam Beatæ Mariæ prædictam non accedere, Medicoſque ipſius Civitatis, propter nimium algorem, & pluvias, aliaque incommoda Fratribus, adverſa valetudine affectis, ſuccurrere, debitaque ſubſidia charitativa dictæ Domui pro vita, & aliis ſuis neceſſitatibus ſublevandis, non ſubminiſtrari, prædictam verò Eccleſiam Sanctæ Crucis cum ſuis Domibus, viridariis, & pertinentiis, pro dictorum Fratrum habitatione, necnon unius Domus ſecundò dicti Ordinis conſtructione, & erectione commodam exiſtere, Dilectos Filios, Paulum Galeratum, & Franciſcum Pernatum, Cives Novarien. ad tractandum cum dicto Auguſtino ſuper dicta Eccleſia Sanctæ Crucis, illius Domos, viridaria, & dependentias, expenſis ipſorum Civitatis, ad formam Domus Regularis dicti Ordinis Minorum aptandi, & accommodandi conſtituerant, ipſique Paulus, & Franciſcus, cum interventu Venerabilis Fratris Noſtri Cæſaris, olim Novarien. nunc Cremonen. Epiſcopi, cum eodem Auguſtino, ſub Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito devenerant ad tranſactionem, videlicèt, quod Auguſtinus prædictam Eccleſiam Sanctæ Crucis, cum domibus, viridariis, membris, & pertinentiis ſuis in dictis manibus noſtris reſignare deberet, ad effectum, ut illa, cum annexis hujuſmodi, dicto Ordini pro uſu, & habitatione Dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Capucinorum hujuſmodi per Nos concederetur. Paulus verò, & Franciſcus prædicti, necnon Dilecti Filii Joannes Baptiſta Gera, & Joannes Franciſcus Porta, & Petrus Franciſcus Scrinantes, etiam Cives dictæ Civitatis, ſe, & Succeſſores ſuos, ac ſua, & eorum bona validè obligarunt ad ſolvendum prædicto Auguſtino, quoad viveret, aut ejus legitimis Procuratoribus, ſingulis annis ſummam octuaginta ſcutorum auri Italiæ, ſeu eorum valorem, ad rationem ſex librarum Imperialium pro quolibet ſcuto hujuſmodi in pecunia numerata, loco penſionis annuæ, ſcilicet medietatem dictæ ſummæ de ſemeſtri in ſemeſtri, durante vita ipſius Auguſtini tantùm, & non ultra, in Civitate Novarien. cum omnibus damnis, intereſſe, & expenſis paſſis, & patiendis in caſu retardationis ſolutionis ejuſdem ſummæ, de termino in terminum, tota autem ſumma penſionis annuæ hujuſmodi, ſub certis modo, & forma, etiam tunc expreſſis, libera, immunis, & exempta eſſet, cum pacto etiam, quod dicti obligati tenerentur ex eorum bonis ſubminiſtrare expenſas in expeditione literarum Apoſtolicarum neceſſarias, necnon procurare, & facere cum effectu, quod Dilecti Filii Scholares Diſciplinati Confraternitatis Crucifixi, in dictam Eccleſiam Sanctæ Crucis introducti, cederent cum effectu, abſque alia moleſtia, vel impenſa ejuſdem Auguſtini omnibus juribus ſuis, ita & taliter, quod alio ſe conferret, relevando indemnem ipſum Auguſtinum ab omni lite, & moleſtia, ſibi propterea quomodolibet movenda, & aliàs, prout in dicta tranſactione, ac publico deſuper confecto Inſtrumento pleniùs dicitur contineri.

Nos, eorumdem Auguſtini, Pauli, & Franciſci ſupplicationibus in ea parte tunc inclinati, Diſcretioni Tuæ per alias Noſtras literas dedimus in mandatis, quatenus evocatis, qui fuerant evocandi, de præmiſſis Te diligenter informares, & ſi per informationem hujuſmodi, illa veritate niti reperires, tranſactionem prædictam, etiam quoad obligationem ſolutionis dictæ ſummæ annuæ, ſeu penſionis octuaginta ſcutorum auri confirmares, & approbares, & Eccleſiam Sanctæ Crucis prædictam, ut præfertur, vel aliàs vacantem, & antea diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatam, cum annexis, ac juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, dicto Ordini Fratrum Minorum perpetuò, auctoritate Noſtra prædicta concederes, & aſſignares: necnon Communitati, & Hominibus prædictis, vel ab ea Deputatis, ut Eccleſiam Sanctæ Crucis, & illi annexa, ac dependentia, ædes habitationis, viridaria, hortos, & pertinentias hujuſmodi ad formam unius Eccleſiæ, & Domus Regularis dicti Ordinis Minorum, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, cellis, cellulis, ſacriſtia, & aliis ſuis membris, & officinis neceſſariis, & opportunis reducendi, aptandi, & fabricandi, licentiam, & facultatem impertireris, necnon ſupradictos Franciſcum, & Paulum in Adminiſtratores, ſeu perfectos Fabricerios nuncupandos, Fabricæ novæ Domus hujuſmodi deputares. Prætereaque apud dictam Eccleſiam Sanctæ Crucis, & habitationes hujuſmodi ex nunc, prout, poſtquam, ut præfertur, aptatæ, & accommodatæ eſſent, unam Domum Regularem dicti Ordinis Fratrum Minorum, cum officinis neceſſariis, & opportunis, pro perpetuis uſu, & habitatione unius Guardiani, & duodecim ad minus Fratrum dicti Ordinis Minorum, qui inibi juxta regularia ſtatuta eorum, Deo famulari deberent, ad inſtar aliarum dicti Ordinis Minorum Domorum, etiam perpetuò, eadem auctoritate Noſtra erigeres, & inſtitueres, necnon eidem novæ Domui, ac pro tempore in ea commorantibus Guardiano, & Fratribus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliæ, prædicti Ordinis Minorum Domus, ac illarum Guardiani, & Fratres, de jure, ſtatuto, & conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utebantur, & gaudebant, ac uti, & gaudere poterant, & poſſent quomodolibet in futurum, ſimiliter uti, & gaudere, necnon Guardiano, & Fratribus ſecundò dictæ Domus, ut

ab

ab ea ad novam Domum Sanctæ Crucis hujuſmodi, unà cum eorum ſupellectili ſacra, & prophana tranſire liberè, & licitè poſſent, & valerent, indulgeres, prout in dictis literis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Auguſtini, & Communitatis, ac Hominum prædictorum, petitio continebat, dicta Eccleſia Sanctæ Crucis in Parochialem Eccleſiam quidem, ut præfertur, erecta, & tamquam talis dicto Auguſtino collata fuerit, Parochianis tamen illi applicatis, ſeu aſſignatis, ſub cura primi eorum Parochi remanentibus, idem Auguſtinus munera Parochialia in ea nunquam exercuerit, proindeque hæſitetur, an eamdem Eccleſiam ſine cura remanſiſſe dici poſſit, quin etiam poſtea licentia priores domum, & Eccleſiam dictorum Guardiani, & Fratrum prophanandi, & vendendi, pretiumque inde percipiendum, in conſtructionem novæ Domus erogandi, à Nobis, ſub certis quoque modo, & forma tunc expreſſis, obtenta fuerit, ſicque Communitatem, & Homines prædictos, necnon Domum hujuſmodi omnibus eorum propriis ſumptibus conſtruere neceſſarium non ſit, prout in dictis literis conſtruere velle dictum fuit, nec ipſi tamen, ſed eorum auxilio tantùm quinque dictæ Civitatis Nobiles præmiſſa adimplere velint, ac propterea Auguſtinus, ac Communitas, & Homines prædicti dubitent, literas de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio notari, ſibique minus utiles reddi poſſe tempore procedente. Quare pro parte Auguſtini, & Communitatis, & Hominum prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, eis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, Auguſtinum, ac ſingulares Perſonas ejuſdem Communitatis à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac literarum prædictarum veriores tenores, ac Datas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus negotium hujuſmodi, in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur de præſenti, aſſumens, vel reaſſumens, prædictas literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, proceſſuſque habitos, vel habendos per eaſdem, & inde ſequuta quæcumque valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, & dictis Auguſtino, & Communitati, & Hominibus ſuffragari debere decernens, ad earum executionem, ſervatâ aliàs earum formâ, procedas in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi in eiſdem literis, quod dicta Eccleſia Sanctæ Crucis ſine cura remanſerat, minimè expreſſum, ſed quod Parochianis illi aſſignatis, ſub cura primi eorum Parochi remanentibus, prædictus Auguſtinus curam Animarum, & munera Parochialia in ea nunquam exercuerit, dictique Communitas, & Homines novam Domum hujuſmodi eorum ſumptibus, mediante tamen pretio ex veteri Domo, & Eccleſia hujuſmodi, poſt earum prophanationem, de licentia Sedis Apoſtolicæ faciendam habendo conſtruere, præmiſſaque non ipſi quidem, ſed eorum auxilio tantùm, quinque Nobiles prædicti adimplere intendebant, expreſſum fuiſſet, ipſoſque Communitatem, & Homines deſuper â quoquam, quavis auctoritate quomodolibet moleſtari non poſſe, ac ex tunc irritum, & inane decernas, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo pridie Idus Novembris, Pontificatus Noſtri anno nono.

Ex Archivo Bullarum Secretar. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. & anni præd. fol. 355.

Petium terræ ad menſam Epiſcopalem Alexandrin. ſpectantis, pro amplianda Domo noſtra Alexandriæ vendi, & pretium ad aliam dictæ menſæ utilitatem converti, Epiſcopo Papienſi, ſeu ejus Vicario Generali committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Papien., ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex injuncto Nobis deſuper Paſtoralis Officii debito votis illis, per quæ Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium utilitates, & Regularium locorum commoda procurantur, libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper nomine Ven. Fratris Epiſcopi Alexandrin., & Dilectorum Filiorum FF. Domus Ordinis FF. Capucinorum Alexandrin. petitio continebat, quod Domus prædicta valde anguſta exiſtit, & quidam Chriſtifidelis pia charitate ductus quoddam petium terræ, dictæ domui vicinum, ſtarorum ſex, menſuræ illarum partium, & valoris quadraginta ducatorum, ad Menſam Epiſcopalem Alexandrinam ſpectans, ex propriis pecuniis eme-

emere, & Domui prædictæ pro illius ampliatione dare, & concedere; prædictus autem Epiſcopus Alexandrinus quadraginta ducatos, ex venditione petii terræ hujuſmodi colligendos, in constructionem unius domunculæ ſuper aliis dictæ Menſæ bonis, quorum annuus valor, constructâ hujuſmodi domo, ad ſex ducatos ſimiles, & ultra augebitur, convertere deſiderent, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur. Quare pro parte Epiſcopi Alexandrin., & Fratrum prædictorum, aſſerentium, venditionem,& conceſſionem prædictas,ſi fiant, in evidentem dictæ Menſæ utilitatem, ac prædictæ Domus commoditatem ceſſuras eſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio in præmiſſis annuere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac Epiſcopum Alexandrinum, & Fratres prædictos, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon dicti petii terræ ſituationes, confines, vocabula, qualitates, & quantitates præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, qui, ut aſſeritur, Ordinarius vicinior exiſtis, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, ac petio Terræ hujuſmodi, ejuſque circumſtantiis, prius coram Te ſpecificatis, de præmiſſis Te diligenter informes, &, ſi per informationem eamdem ita eſſe, ac venditionem, & conceſſionem hujuſmodi, ſi fiant, in evidentem dictæ Menſæ utilitatem, ac prædictæ Domus commoditatem ceſſuras eſſe repereris, Epiſcopo prædicto licentiam, & facultatem deſuper auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus fel. record. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Eccleſiæ Alexandrinæ, & Domus prædictæ, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Die XXVII. Maji MDCIX. ſub Annulo Piſcatoris Pontif. noſtri Anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ., & anni præd. fol. 15.

N O T A.

Similis permutationis gratia fuit poſthumo tempore pro ampliatione horti conceſſa, Decreto S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſequente:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſupplex in Lat. trad. *EPiſcopus Alexandriæ, & Capucini ejuſdem, Civitatis humillimi EE. VV. Oratores exponunt, quod, quando horum Monaſterium dictæ Civitatis, & Provinciæ Mediolanenſis fuit erectum, ob eleemoſynarum defectum tantum ſitus, & terreni pro horto &c. non poterat acquiri, quantum neceſſitas 30, & plurium Religioſorum, inibi de Familia ordinariè degentium exigebat. Jam verò, cum Conventui prædicto ſitus ad Menſam Epiſcopalem dictæ Civitatis ſpectans adjaceat, hunc eidem uniri plurimùm congrueret: utque Illuſtriſſimus D. Epiſcopus ad ſitum prædictum, Patribus Capucinis cedendum diſponeretur, Benefactor quidam eidem Epiſcopo aliud petiam terræ, alii petio Menſæ Epiſcopalis vicinum pro æquivalente offert; quod, cum memoratæ Menſæ ratione opportunæ culturæ, alio ſitu Conventui contiguo, à Menſæ Epiſcopalis bonis nimium diſtante, conduceret, EE. VV. utrinque ſupplicant, quatenus pro unius, & alterius commodo prædictam permutationem Illmo D. Epiſcopo Caſalenſi, utpote magis propinquo, committere digneutur. Quam &c.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis narratis, ac audita relatione Epiſcopi Caſalenſis, committendum cenſuit, prout præſenti Decreto committit Metropolitano, ut conſtito ſibi, ſervatis ſervandis, de veritate expoſitorum, ac de evidenti utilitate Menſæ Epiſcopalis, & quatenus accedat conſenſus Capituli Cathedralis, petitam licentiam pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat, dummodo tamen terra ejuſdem Menſæ, titulo permutationis tradenda, nulli Miſſarum, aut aliorum piorum Legatorum oneri ſubjaceat, & quatenus aliquibus ſubjacere comperta fuerit, ea ſupra recipiendam, quæ aliàs tam à prædictis, quàm à quibuſcunque aliis vinculis & obligationibus libera exiſtat, uno eodemque actu transferantur, & inſtrumentum deſuper celebrandum, omnes clauſulas, conditiones, & cautelas, eidem Menſæ favorabiles, præſertim regreſſûs, ac refectionis damnorum reſpectivè, expreſsè contineat. Romæ 14. Decembris 1663.

M. Cardinalis Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

E. Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ., & anni præd. fol. 180.

Quædam petia terræ Fratribus pro nova Domo Viglevani donata ab annuo Livello, mediante juſti pretii ſolutione, liberari indulget.

A tergo: *Dilecto Filio Venerabilis Fratris Epiſcopi Viglevanenſis Vicario in ſpiritualibus Generali.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOmine Dilectorum Filiorum Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Viglevanenſis, Nobis nuper expoſitum fuit, quod, cum Domus Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Viglevanen. in loco inſalubri ſita eſſet, Dilectus etiam Filius Jacobus Carbone, Incola dictæ Civitatis, pia devotione ductus quædam petia terræ ad ipſum legitimè ſpectantia, inter quæ aliqua quantitatis duodecim perticarum, menſuræ illarum partium, & valoris in proprietate ducentorum quinquaginta ſcutorum, annuo livello librarum trium, & ſolidorum quatuor, monetæ Imperialis, Menſæ Capitulari dictæ Eccleſiæ ſolvi ſolito ſubjecta ſunt, Fratribus dictæ Domus pro novæ Domus conſtructione perpetuò donavit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Capitulum, & Canonici prædicti pium opus ſupradictum promovere deſiderantes, dicta petia terræ à ſolutione dicti livelli annui, mediante ſolutione juſti pretii, per Dilectos etiam Filios Adminiſtratores fabricæ Domûs hujuſmodi facienda, liberare, & affrancare parati ſint, ſi noſtra ad id accedat licentia; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Capitulum, & Canonicos, ac prædictæ Domus Fratres ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & ſingulares eorum Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut Capitulo, & Canonicis prædictis, dicta petia terræ, à ſolutione annui livelli trium librarum, & quatuor ſolidorum hujuſmodi pro juſto pretio, ut præmittitur, perpetuò liberandi, & affrancandi, licentiam Apoſtolica Auctoritate Noſtra concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papa II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ, etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod, ſi liberationem, & affrancationem hujuſmodi fieri contingat, dicti Capitulum, & Canonici, prædictum pretium ſtatim in emptionem aliorum bonorum ſtabilium pro dicta Menſa convertere teneantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub An. Piſcat. Die XXVIII. Maji MDCXII. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Scipio Cobellutius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 158.

EPISTOLA

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regular.

Limites quæſtuationis inter Conventus PP. Reformatorum in Terra Donghi, & noſtrum in Terra Domaſii regulantur.

A tergo. *Perilluſtri, & Admodum Reverendo Domino, uti Fratri, Epiſcopo Comen.*

Perilluſtris, & Adm. Reverende Domine, uti Frater.

QUamvis in Cauſa, quæ Patres Capucinos inter - & Patres Reformatos, circa Fabricam novi Conventus in Terra Dongi iſtius Dioec. in favorem Patrum Reformatorum attentè fuit diſcuſſa, & in qua ad ſpirituale illius Populi commodum præ omnibus facta eſt reflexio, rationes Patrum Capucinorum fuerint judicatæ ſolidæ, & à zelo Regularis eorum Obſervantiæ dimanantes, nihilominus Illuſtriſſimi Domini mei inclinant ad compoſitionem, quatenus uterque Ordo in Eccleſia Dei, virtutis exemplis tantò conſpicuus, ſanctâ æmulatione & unitim promovendo Dei cultui incumbat: hinc concordiâ, ſub conditionibus, quæ pro Patrum Capucinorum manutentione videbantur rationabiles, propoſitâ, hi ad nutus ſeſe obedientes exhibuêre, & ideo utrâque parte ſe arbitrio Sacræ Congregationis remittente, Illuſtriſſimi Domini mei, ad relationem Illuſtriſſimi Domini Card. Lancellotti, Amplitudini Tuæ, à me ſcribi voluêre, quatenus Conventum Donghi pro Patribus Reformatis jam inceptum, ad perfectionem reduci permittat, ita tamen, ut ibi non plures, quam ſex, vel ad ſummum octo Religioſi degant, reſervata Sacræ Congregationi facultate numerum hujuſmodi pro beneviſo diminuendi, vel adaugendi, & , ut Reformati, ſub quocum-

cumque etiam prætextu, flumen Grabedonæ nunquam tranſeant, nec Grabedonam uſque, aut ad ejus Plebaniam, nec ad Plebaniam loci Serici, & Collici progrediantur ad quærendas ibi eleemoſynas panis, vini, lignorum, aut cujuſcumque alterius rei, ſed econtra haſce colligant in Plebania Dongi, & inferius, Comum versùs, & hoc duntaxat pro uſu eorum Monaſterii. Per hoc tamen iis non prohibetur tranſire lacum, & progredi verſus Valtellinam, & Chiavennam, dummodo in prædictis non quæſtuent locis, quod Amplitudo Tua dictis Patribus pro executione, virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ præſcribat. Deus Eam conſervet incolumem. Romæ 20. April. 1615.

Amplitudinis Tuæ

L. S.

Uti Frater
Card. Gallus.

N O T A.

Terminus, quem, ut ſupra, Sacra Congregatio poſuit, cum minus exactè obſervaretur, ſubſequâ Sacræ Congregationis Epiſtolâ, tranſgreſſionem ejus ſub gravibus pœnis noviter prohiberi, Epiſcopo fuit injunctum.

A Tergo. *Perilluſtri, ac Admodum Reverendo Domino, uti Fratri, Epiſcopo Comenſi.*

Perilluſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

Quando Sacra Congregatio Fratribus Minoribus Obſervantibus dedit licentiam erigendi in Terra Dongbi, illius Diœceſ. Conventum, inter alia, quæ Amplitudini Tuæ ſub 20. Aprilis 1615. fuère præſcripta, & ordinata, fuit & illud, ne Patres Reformati in quæſtuando, flumen Grabedonæ tranſirent, & econtra in Plebania Dongbi, & Locorum inferiorum, Comum versùs ſe continerent, quin tamen pro hujuſmodi effectu lacum tranſire, & versùs Valtellinam, & Vallem Chiavennæ progredi ipſis foret prohibitum. Eleemoſynis jam ceſſantibus, PP. Capucini conqueruntur, quod Patres Reformati prædictum flumen tranſeant, & uſque ad ſinum Grabedonæ quæſtuent, & econtra Patres Reformati gravantur, quod Capucini ſuas quæſtuationes uſque ad Plebaniam Dongbi producant. Hinc Illuſtriſſimi Domini mei, ad relationem Domini Cardinalis Lancellotti, Amplitudini Tuæ ſcribi ordinàrunt, ut ſub nomine Sacræ Congregationis, ſub gravibus pœnis, Reformatis, ne tranſeant flumen Grabedonam versùs, & Capucinis, ne illud tranſeant Dongbum versùs, prohibeat. Et caſu, quo Reformati eleemoſynas ſibi deficere adverterent, Fratres Conventûs reducantur ad numerum, qui cum ſolitis eleemoſynis opportunè poſſit ſuſtentari, qui tamen minor non ſit, quàm Conſtitutio Clementis Papæ VIII. præſcribat. Deus Eam conſervet. Romæ 10 Maji 1619.

Amplitudinis Tuæ

L. S,

Uti Frater
Card. Gallus.

Durante ex parte Fratrum noſtrorum, contra RR.PP. Reformatos quærimonia, & lite formiter in Sacra Congregatione inducta, priora Decreta ſervanda eſſe ſancitum, & Emin. Epiſcopo Comenſi illorum executio fuit commiſſa, ut ſequitur.

In Cauſa Comen. quæſtuationis, vertente inter Patres Capucinos Domaſii ex una, & Patres ſtrictioris Obſervantiæ Sancti Franciſci Loci Dongbi partibus, ex altera.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & Conſultat. Epiſcop. & Regular. præpoſita, Partibus ipſis informantibus, referente Eminentiſſimo de Lauræa, cenſuit, prædictos Patres ſtrictioris Obſervantiæ abſtinere debere à quæſtuatione quacumque contraria Decretis ejuſdem S. Congregationis, aliàs die 20. Aprilis 1615. & 10. Maji 1619. emanatis; & ab Eminentiſſimo Epiſcopo Comenſi cogendos eſſe, etiam cum facultatibus ipſius Sacræ Congregationis ad parendum præfatis Decretis.

Romæ 3. Martii 1689.

G. Card. Carpineus.

L. S.

B. Panciaticus Secret.

Decreto præſentato, Emin. D. Epiſcopus ad illius executionem proceſsit, ut pariter ſequitur:

Carolus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Cicerus, Tituli S. Auguſtini, Epiſcopus Comenſis, & in hac parte Delegatus, & Executor Apoſtolicus, Deputatus per Literas Eminentiſſimi Domini Cardinalis Carpeniæ, Sacræ Congregationis Præfecti, tenoris ſequentis, videlicet:

In Cauſa Comen. Quæſtuationis &c.

Dilectis in Chriſto Patri Guardiano, & Fratribus Sanctæ Mariæ de Dongho, Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Reformatorum, ſalutem in Domino.

Prainſertas Literas Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Cardinalium ſuper negotiis Regularium Deputatorum tranſmiſſas fuiſſe noveritis, tenoris ſupradicti.

Nos ideo volentes ad earum executionem devenire, ut tenemur, ſic inſtante Patre Guardiano, & Fratribus Capucinis S. Joannis de Domaſio, & ſemper eorum juribus ſalvis, ac cum reſervatione procedendi aliis juris remediis magis proficuis, & utilibus, & non aliter &c. Vobis Fratribus Guardiano, & cæteris Conventûs Sanctæ Mariæ de Dongho Ordinis Minorum, Sancti Franciſci de Obſervantia Reformatorum, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & reſpectu Veſtri Guardiani, ſub privationis Officii, & inhabilitatis ad alia obtinenda, & ſuſpenſionis à Divinis; reſpectu verò reliquorum Fratrum Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, aliiſque pœnis, & cenſuris, arbitrio noſtro infligendis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus intimato Vobis præſenti Præcepto, ſeu ad Conventum veſtrum prædictum verè, vel juris fictione affixo, ita ut unica copia uni Veſtrûm intimata, omnes afficiat, ac ſi omnibus perſonaliter intimata foret, non audeatis, nec præſumatis, nec quilibet Veſtrum audeat, ſeu præſumat, per ſe, vel per ſubmiſſas Perſonas, quovis prætextu quæſtuare, vel quæſtuari facere in Plebe Surici, nec in Territorio Collici, neque flumen Grabedonæ quæſtuando pertranſire, nec pertranſiri permittere, vel mandare, ſed in omnibus Decreta S. Congregationis die 20. Aprilis 1615. & 10. Maji 1619. aliudque per Vicarium noſtrum Generalem, ex Commiſſione Sacræ Congregationis, ſuper illorum executione editum, & emanatum, & in S. Congregationis prædictæ præinſertis Literis contentum, executioni mandetis, & ſi ſenſerint ſe in aliquo gravari, compareant coram Nobis in Palatio Epiſcopali Comi, in Aula noſtræ ſolitæ Reſidentiæ, die ſexta poſt præſentium intimationem, ſi erit juridica, ſin minùs, prima die juridica immediatè ſequente, ad allegandam cauſam prætenſi gravaminis, tumque ad videndum præſens præceptum firmari, & ad pœnas, & cenſuras in eo contentas procedi, quatenus &c. & quodque Decretum deſuper neceſſarium, & opportunum fieri, & interponi cum electione habitaculi in præſenti Civitate Comi, ad valvas Palatii Epiſcopalis Comi in caſu contraventionis, dummodo non fuerit per dictos citandos intra dictum terminum electum in hac Civitate. Datum ex Palatio Epiſcopali Comi, die 25. Aprilis 1689.

C. Cardinalis Cicerus Epiſcopus Comenſis, Apoſtolicus Delegatus.

Carolus Ignatius Torchiana Not. Canc. Epiſc.

Fractionem aquæductûs, ſeu tubulorum ad Conventum Comi tranſeuntium, vel aquæ, ſeu illius partis dictractionem, ſub excommunicationis pœna prohiberi, Epiſcopo loci committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Comenſi, ſeu ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domus Regularis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum in ſuburbiis Comen. Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi certum aquæductum, ſeu tubulos, qui ſub diverſorum poſſeſſionibus uſque ad dictam Domum Regularem pertranſeunt, ex piorum eleemoſynis fieri curaverint, & ad ipſius Domus uſum poſſideant; vereantur autem, ne ductus, ſeu tubuli hujuſmodi aliqua in parte perforentur, ſeu aliàs aqua hujuſmodi aliò derivetur, in maximum ipſius Domus Regularis damnum, & præjudicium; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur aquæductus, & tubulorum hujuſmodi conſervationi, & manutentioni, dictæque Domus Regularis commoditati, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, dictoſque Guardianum, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut, ne quiſquam quavis auctoritate fungens aquæductum, ſeu tubulos hujuſmodi aliqua ex parte perforare, ſeu rumpere, vel diruere, illiuſque, ſeu illorum aquam, ſeu illius partem, quantumvis minimam, ſub quovis quæſito colore, vel prætextu, aut quacumque occaſione, vel cauſa, ſub excommunicationis pœna aliò derivare audeat, vel præſu-

ſumat, Auctoritate Noſtra publicè prohibeas, & interdicas, ſeu prohiberi, & interdici cures, & facias. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Domus prædictorum, & quibuſvis aliis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xxx. Octobris MDCXXV. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

V. Theatinus.

Exempl. in Archivo Generali Ord. Armario Provincia Mediolanenſis.

Eccleſiam Domûs Canobii in officinas, alioſque uſus prophanos pro ejuſdem Domûs ampliatione converti, Archiepiſcopo Mediolanenſi &c. committit.

Foris: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſive dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domus Regularis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum loci Canobii Mediolanen. Diœceſis, quod ipſi pro ampliatione, & majori commoditate eorum Conventus, illius Eccleſiam, prævia tamen ejus profanatione, in officinas, alioſque uſus convertere, ac novam in alio loco ædificare intendunt, ſi eis ad id noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur, & facultas. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, necnon Guardianum, & Domus Regularis hujuſmodi ſingulares Perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, porrectis Nobis pro eorum parte ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus Eccleſiam prædictam Auctoritate Noſtra profanes, & cœmentas in officinas, & alios uſus, illis beneviſos, non tamen ſordidos, reduci, necnon in alio ejuſdem Conventus loco commodiori, & magis opportuno, novam Eccleſiam conſtrui, & ædificari, ac cadavera, quæ in primodicta Eccleſia inhumata ſunt, cum ſuperficie terræ, ac paramentis, & Altaribus, necnon omni ſacra ſupellectile ad illam ſic ædificatam Eccleſiam transferri, licentiam, & facultatem concedas, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, auctoritate prædicta facias, decernas, exerceas, & exequaris. Non obſtantibus Apoſtolicis, necnon in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, & generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Domus Regularis, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus. Cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xxx. Septembris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

F. Rentius.

N. Vannius.

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Mediolanenſis.

Condonationem petii terræ, Monaſterio Ordinis S. Benedicti *Abbatia* nuncupato, contiguæ, pro ampliatione Conventûs Terræ Vigueriæ factam, approbat.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſive Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domus Regularis Sancti Franciſci Terræ Vigueriæ, Terdonenſis Diœceſis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod nuper dilectus Filius Honuphrius Campireus Clericus, qui Monaſterium, *Abbatia* nuncupatum, S. Bubonis ejuſdem loci, S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis, in commendam ad ſui vitam ex conceſ-

ceſſione Apoſtolica obtinet,petitioni Exponentium prædictorum, quibus uſus Eccleſiæ ejuſdem Monaſterii,Apoſtolica Auctoritate perpetuò conceſſus exiſtit,benignè annuens,& ad hoc, ut illi prædictam eorum Domum ampliare valerent,illis quoddam terræpetium, Monaſterio, & Domui hujuſmodi contiguum, ac ad dictum Monaſterium legitimè ſpectans, capacitatis duarum perticarum cum dimidia, & valoris in proprietate, juxta peritorum extimationem quadraginta ſcutorum monetæ, ad rationem decem juliorum pro quolibet ſcuto, vel circiter, gratis, & Amore Dei perpetuò de conſenſu Dilectorum Filiorum Conventus, &Monachorum dictiMonaſterii conceſſit, prout in ſcripturis deſuper confectis pleniùs contineri dicitur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, firmiora ſint illa, quæ SedisApoſtolicæ munimine roborantur, ob idq; cupiant Exponentes prædictam conceſſionem hujuſmodi per Nos, & Sedem Apoſtolicam approbari, & confirmari, Nobiſque propterea humiliter ſupplicari fecerint, ut eis in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos dictarum ſcripturarum tenores, ac Datum præſentibus pro expreſſis habentes, ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon Guardianum, & Domus hujuſmodi ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conceſſionem hujuſmodi, ac, prout eam concernunt, deſuper confectas ſcripturas, ac in eis contenta quæcunque, licita tamen, & honeſta, ad ipſarum partium ſupplicationem, & de conſenſu Conventus, & Monachorum dicti Monaſterii auctoritate noſtra perpetuò approbes, & confirmes, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes, & ſingulos defectus, etiam quantumvis ſubſtantiales, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint in eis, ſuppleas, præmiſſaque omnia valida, & efficacia eſſe, & fore, irritum quoque, & inane decernas, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Monaſterii, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat., Die XXVI. Aprilis MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

V. Theatinus.

Exempl. in Arch. gen. Ord. Armario Provincia Mediolanen. *Vide & ſupra fol.* 314.

EPISTOLA

Sac. Congreg. Epiſc., & Regul.

Erectio Conventûs in Terra Morbegni, Epiſcopo Comenſi committitur.

A Tergo: *Perilluſtri, ac A. R. Domino, uti Fratri, Epiſcopo Comenſi.*

Perilluſtris, ac A. R. Domine, uti Frater.

CUM R. P. Procurator Generalis Ordinis S. Dominici dederit conſenſum, ut Fratres Capucini in terra Morbegni juxta illius Populi petitionem ædificent Conventum, EE. Domini mei concedunt, ut Amplitudo Tua iis licentiam hujuſmodi erectionis faciendæ impertiatur, interponatque Decretum opportunum cum auctoritate, præſentium vigore Ipſi conceſſa, non obſtante oppoſitione, â Patribus Ordinis Prædicatorum, in dicta Terra Monaſterium habentibus (uti fuit ſuppoſitum) factâ, ita tamen, ut in reliquo erectio fiat ſervatis ſervandis, & ſpeciatim juxta Conſtitutiones, & Decreta Apoſtolica de fundatione novarum Domuum Regularium emanata. Deus Eam conſervet. Momæ XIV. Novembris MDCXXIX.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater

F. A. Cardinalis S. Onuphrii.

Proſp. Fagnanus.

Ex Arch. Secret. Congreg. menſ., & anni præd.

NO-

N O T A.

Indigente Fabrica quodam terræ petio, ad RR. Patres Ordinis Prædicatorum ſpectante, fuit his illud alienandi facultas conceſſa, Decreto Sacræ Congregationis Concilii ſequente:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Lib. ſupplex in Lat. trad. *PRovincialis Capucinorum Provinciæ Mediolanenſis EE. VV. ſupplex exponit, qualiter Fratres Conventûs Morbegni pro fabricæ complemento ſummopere indigent petio ſitûs, ad PP. Ordinis Prædicatorum ſpectantis, & iis parùm utilis; inde Provincialis dictus EE. VV. ſupplicat, quatenus Patribus Ordinis Prædicatorum licentiam neceſſariam, dictum petium. fabricæ Conventûs Capucinorum curam habentibus vendendi concedere dignentur. Quod totum &c.*

Die 12. Julii 1631. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi tributa committit Eminentiſſimo Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui conſtito ſibi de veritate narratorum gratis concedat Fratribus Ordinis Prædicatorum facultatem petitam, ita tamen, ut pretium ex venditione dicti ſitûs retrahendum in aliis bonis ſtabilibus, Conventui utilioribus, integrè inveſtiatur.

R. Cardinalis Ubaldinus.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Paulutius Sac. Congreg. Secret.

Ex Secret. Congreg. menſ., & anni præd. Lib. vel Reg. 14., *fol.* 469.

Ædificia veteris Domus Romagnani pro perfectione novæ fabricæ ibidem vendi, & ad hanc oſſa Defunctorum traſferri concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Domus Regularis, Terræ Romagnani, Provinciæ Mediolanenſis, Novarien., ſeu alterius Diœceſis, quod ipſi ſitum dictæ eorum Domus Regularis mutarunt, & jam in nova Domo Regulari, quæ conſtruitur, habitant, ſeu habitare poſſunt, pro perficienda verò fabrica hujuſmodi veteris Domus Regularis prædictæ ædificia vendere, illorumque pretio uti poſſe deſiderant. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt dicti Exponentes, ut opportunam ſibi deſuper licentiam concedere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, quod ipſi prædictæ eorum veteris Domus Regularis ædificia quibuſvis perſonis, meliorem conditionem offerentibus vendere, & alienare, illorumque omnium poſſeſſionem tradere, & conſignare, necnon pretio exinde proventuro, in fabricæ novæ Domus Regularis hujuſmodi perfectionem uti, necnon oſſa Defunctorum, in Eccleſia dictæ Domus Regularis veteris ſepultorum, ex ea ad novam Domum Regularem prædictam transferre liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Domus Regularis hujuſmodi etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVII. Junii MDCXLII. Anno decimonono.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol 746.

Al-

Altare privilegiatum, à Paulo Papa V. tribus cujuslibet Provinciæ Altaribus conceſſum, de veteri Eccleſia ad noviter extructam, ac aliud hujuſmodi Altare, à Capella Eccleſiæ Domûs Alexandriæ, ad Altare Majus in ea transferri concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs à fel. record. Paulo Papa V. Prædeceſſore Noſtro, ad favorem Eccleſiarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum emanarunt literæ, tenoris ſubſequentis, videlicet: Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Omnium ſaluti paterna charitate intenti, Sacra interdum loca ſpecialibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, à Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam, perduci valeant. Cum itaque nomine Superiorum, & Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum ultra montes degentium, Nobis nuper expoſitum fuit, fel. record. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor Noſter, ut, quotieſcumque Sacerdos aliquis ejuſdem Ordinis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta, ab hac luce migraſſet, ad tria Altaria trium Eccleſiarum, cujuſcumque Provinciæ dicti Ordinis, per Superiores prædictos deſignandarum, celebraret, Anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, vivæ vocis oraculo conceſſerit, & indulſerit, & ab inde citra Provinciæ ipſius Ordinis, benedicente Domino, adauctæ fuerint. Nos Superiorum, & Fratrum prædictorum ſupplicationibus Nobis humillimè porrectis inclinati, auctoritate Nobis à Domino tradita, & de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, conceſſionem, & indultum hujuſmodi, dummodo à dicto Gregorio Prædeceſſore verè emanaverit, etiam ad alias Eccleſias Provinciarum dicti Ordinis, poſtmodum erectarum, & futuris temporibus erigendarum, eiſdem modo, & forma, quibus ab eodem Gregorio Prædeceſſore conceſſa fuerunt, perpetuò extendimus, & ampliamus. In contrarium facien. non obſtan. quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die IX. Junii MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno quarto. Cum autem, ſicut Dilecti Filii moderni Provinciales Provinciarum Mediolanen. Meſſanen. & Januen. Ordinis prædicti, Nobis nuper exponi fecerunt in Mediolanenſi, & Catanienſi Civitatibus, duæ ejuſdem Ordinis Domus Regulares, una videlicet antiquitus, & altera recenter exſtructa, omnibus tamen ad eas facultatibus inſtructæ exiſtant, quarum veterum Eccleſiæ, privilegio prædicto, conceſſionis, & indulti Gregorii Prædeceſſoris noſtri prædicti vigore decoratæ ſunt, minor autem Sacerdotum numerus in eis, & populi ad eas concurſus, quàm in recenter exſtructis exiſtat, & propterea Mediolanenſis, & Meſſanenſis, dictum Privilegium de veteribus ad novas Eccleſias hujuſmodi, Januen. verò, Provinciales prædicti, de una Capella ad Altare majus Eccleſiæ, Civitatis Alexandrinæ, Domus regularis ejuſdem Ordinis per Nos transferri ſummoperè deſiderent, ſupplicationibus eorumdem Provincialium nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Privilegium prædictum, vigore conceſſionis, & indulti Gregorii Prædeceſſoris prædicti, pariter Pauli V. Prædeceſſoris noſtrorum literas præinſertas ad dictas veteres Mediolanen. & Catanien. Civitatum, Domorum Regularium Ordinis hujuſmodi Eccleſias extenſum, ad dictas recenter exſtructas, ac de Capella prædicta, ad dictæ Eccleſiæ Civitatis prædictæ Alexandrin. Altare majus, perpetuò, modo, & forma præmiſſis transferimus, ac translatum eſſe volumus, & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quantùm opus ſit, veterum Eccleſiarum, & Capellæ prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV. Decembris MDCLIII. Pontificatus Noſtri anno vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſtol. menſ. & anni præd. fol. 668.

Tres Moniales è Monaſterio Capucinarum S. Barbaræ Mediolani, ad novum Monaſterium Capucinarum Sanctorum Angelorum ibidem, pro inſtructione transferri indulget.

IN-

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut Dilectæ in Chriſto Filiæ, Moniales novi Monaſterii, Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupati, Monialium Capucinarum etiam nuncupatarum, Mediolanen. ſub Regula Sanctæ Claræ, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſæ ad earum directionem, & in Regularibus inſtitutis inſtructionem è Monaſterio Sanctæ Barbaræ, etiam Mediolanen. Monialium, pariter Capucinarum, ejuſdem Inſtituti, & Ordinis, tres illius Moniales educi, & in idem primodictum Monaſterium ad eundem effectum transferri poſſe deſiderent; idcirco Nos, qui Religioſorum Cœtuum quorumcumque, præſertim verò Sanctimonialium, felicem directionem ſinceris deſideramus affectibus, eaſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine &c. inclinati, eiſdem Exponentibus, quò è ſecundodicto Monaſterio Sanctæ Barbaræ tres illius Moniales auctoritate Noſtra Apoſtolica, arbitrio tamen Dilecti Filii Noſtri Cæſaris, S.R.E. Presbyteri Cardinalis Montis nuncupati, Eccleſiæ Mediolanen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis, extrahi, & educi, & ad idem primodictum novum Monaſterium hujuſmodi, ad effectum præmiſſum transferri, liberè, & licitè poſſint, & valeant, ita tamen, ut translatio hujuſmodi, prædictas tres Moniales ſic transferendas concomitantibus illarum conſanguineis, vel aliis gravibus Matronis, rectâ ab uno ad aliud Monaſterium, ſine diverticulo, rheda clauſa, & ipſarum Monialium parte oris velata, & abſque ulla mora, & tergiverſatione fiat, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Monaſteriorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis &c. Apoſtolicis in contrarium &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Julii MDCXLIX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 261.

Situm veteris Domus extra Terram Valentiæ vendi, & pretium in uſum Bibliothecæ novæ Domûs ibidem converti indulget.

Dilecto Filio Procuratori Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, occaſione bellorum, aliàs in ſtatu Mediolanen. ſecutorum, ſuperioribus annis Domus Regularis Fratrum Ordinis Minorum, Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quæ extra terram Valentiæ Papien. Diœc. ſita erat, deſtructa fuerit, & ab inde citra in eadem Terra conſtrui cepta nova Domus Regularis eorumdem Fratrum ad præſens perfecta ſit, cupiaſque propterea ſitum dictæ Domûs Regularis antiquæ, valoris in proprietate, ut aſſeris, centum circiter Ducatorum vendi, pretiumque hujuſmodi in uſum Bibliothecæ ejuſdem novæ Domûs Regularis applicari: Nos Te ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus &c. inclinati, Tibi, mediante perſona Syndici novæ Domûs Regularis hujuſmodi, ſitum dictæ antiquæ Domûs pretio vendi faciendi, ad effectum, ut pretium hujuſmodi in uſus Bibliothecæ dictæ Domus Regularis novæ applicetur, & erogetur; licentiam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod pecuniæ ex venditione hujuſmodi provenientes, unico contextu in rem ſupra expreſſam converti incipiant, vel ſaltem pretium ipſum penes Montem Pietatis, vel Perſonam fide, & facultatibus idoneam, deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illum, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Decembris MDCXLIX. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. fol. 1.

Ex Eccleſia Domûs Oppidi Lugani Sacras Reliquias extrahi vetat, & prohibitionis copiam ad valvas Eccleſiæ &c. affigi mandat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni Sacrarum, ut piè creditur, Sanctorum Reliquiarum, quas in Eccleſia Domûs Fratrum Ordinis Minorum, S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, in diſtrictu Oppidi Lugani, Comen. Diœc. ſitâ aſſervari aſſeritur, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, ac Dilectum Filium Antonium Mariam â Lugano, ejuſdem Ordinis Profeſſorem, ac Procuratoris Generalis Ordinis hujuſmodi ſocium, qui, ut aſſerit, Reliquias prædictas conquiſivit, & piorum eleemoſynis adjutus, in dicta Eccleſia collocari curavit, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus prædicti Antonii Mariæ nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; ne de cætero quævis Perſona, ſive Regularis, ſive Sæcularis, cujuſvis gradûs, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacunque auctoritate, ſuperioritate, & officio fungens, etiam individua mentione digna, Reliquias prædictas, ſeu earum aliquam partem, etiam minimam, ê dicta Eccleſia extrahere, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, ſeu occaſione ab eadem Eccleſia aſportare, ſeu, ut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, â qua nemo, niſi â Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo conſtitutus, impetrare poſſit, & etiam, quoad Regulares privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per contrafacientes eòipſo abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domûs, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius ſacriſtiæ, aut alio proſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, perpetuò affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die v i. Maji MDCL. Pontificatûs Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol. 310.

N O T A

Translatio prædicti Conventus ad locum Oppido viciniorem conceſſa eſt Decreto S. Congreg. Epiſc., & Regul. ſequente:

SUpplicante Locum-tenente, Burgi Luganenſis Diœc. Comen., & Dominii DD. Helvetiorum pro licentia Conventum 12. *Capucinorum, in loco aſpero ſitum, & milliario ab habitatione diſtantem, transferendi ad locum Oppido viciniorem.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, auditis Superioribus Ordinis, cenſuit petitam translationem concedi poſſe, prout virtute præſentis Decreti, intuitu meritorum Nationis Helveticæ gratioſè concedit, ita tamen, ut translatio non fiat, niſi prius novo Conventu omnibus numeris abſoluto, & quod ipſius ſtructura conſuetæ humilitati, & paupertati, quam profitetur hujuſmodi Ordo, ad præſcriptum ſuarum Conſtitutionum in omnibus ſit conformis. Romæ 29. Septembris 1645.

M. Cardinalis Ginettus.

N. Archiepiſcopus Patrac. Secret.

Ex Regeſto Secretariæ Congregationis, menſ., & anni præd.

Re-

Remiſſionem Canonis & juris, in beneficium Domûs noſtræ Terdonenſis à RR. Patribus Ordinis Prædicatorum S. Crucis loci de Boſco factam approbat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod dictus Ordo habet in Civitate Terdonen. unum Conventum in ſuis ſtructuris, & fabrica ignobilem, in ſitu valde anguſto, inſaluberrimoque, propter quod dicti Ordinis Profeſſores in eo degentes quotannis variis morbis, non ſine notabili tam eorum valetudinis, quam divini cultus detrimento afficiuntur, & in hiſce anguſtiis nullum opportunius ex peritorum ſententia habent remedium, quam ex ampliatione dicti Conventus in parvo ſitu illi contiguo, obnoxioque annuo canoni perpetuo quatuor juliorum circiter, qui à dicti ſitus Domino Dilectis Filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum Conventus Sanctæ Crucis loci de Boſco ſolvuntur, ſuper quibus requiſiti ſecundodicti Fratres hujuſmodi, & capitulariter congregati, jus ſibi ſuper dicto ſitu, & terreno competens primodictis Fratribus Capucinis dicti Conventus Terdonen. donarunt, ad effectum præmiſſum, reſervato Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut præmiſſa, quò firmius ſubſiſtant, Apoſtolica Auctoritate confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Procuratorem Generalem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, remiſſionem dicti Canonis, & cujuſcunque juris, competentis Fratribus Prædicatoribus prædictis ſuper eodem ſitu, & terreno, per eos primodicti Conventus Fratribus Capucinis hujuſmodi ad effectum præmiſſum, ut præfertur, factam, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque &c. attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xx. Aprilis MDCLI. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol. 17.

Moniales Supernumerarias in Monaſterio Novarienſi ullo unquam tempore ultra tredecim admitti ſtatuit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales, Capucinæ nuncupatæ, Ordinis S. Franciſci, Monaſterii Novarien., quod ipſarum Monaſterium hujuſmodi aliàs vigore literarum fel. rec. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in ſimili forma Brevis expeditarum, præfixo ſeptemdecim ejus Monialium numero inſtitutum fuit, eo adjecto, ut nullæ Moniales dicti Monaſterii ſupra numerum præfixum hujuſmodi ſine Sedis Apoſtolicæ licentia admitti deberent. Verum ſubinde in vim licentiæ, à Romanis Pontificibus, pro tempore exiſtentibus, ſeu à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ diverſis temporibus conceſſæ, plures Moniales ſupra eumdem numerum ad dictum Monaſterium admiſſæ fuerunt, unde factum eſt, ut ad præſens omnes Moniales prædicti Monaſterii in totum viginti octo exiſtant. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictæ Exponentes vereantur, ne devotionis, & Regularis Obſervantiæ fervor, qui admiſſione Monialium ſupernumerariarum hujuſmodi crevit, per nimiam ipſarum multitudinem in futurum diminuatur, ac propterea earumdem Monialium ſupernumerariarum numerum à Nobis præfigi, plurimum deſiderent. Nos eaſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus, etiam Dilecti Filii noſtri Benedicti SS. Coſmæ, & Damiani ejuſ-

ejuſdem S. R. E. Diaconi Cardinalis Odeſcalchi nuncupati, Eccleſiæ Novarien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Moniales ſupernumerarias Monaſterii hujuſmodi ullo unquam tempore ultra tredecim recipi, & admitti poſſe, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus; ſalva in cæteris remanente diſpoſitione literarum prædictarum dicti Pauli Prædeceſſoris. Decernentes proinde omnes ejuſdem Monaſterii Moniales, tam intra numerum in ejus inſtitutione præfixum, ut præfertur, quam ſupra numerum hujuſmodi, de Sedis Apoſtolicæ, ſeu Congregationis prædictæ licentia hactenus receptas, & in futurum quandocumque, recipiendas inſimul tricenarium numerum unquam excedere, præſentes verò literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſuectabit inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus eſſent contraria iiſdem literis dicti Pauli Prædeceſſoris, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Monaſterii, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XIII. Novembris MDCLIV. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

G. Gualterius.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol. 127.

N O T A.

Enuntiatarum Monialium fundationem, & Monaſterii erectionem in Archivo Secretariæ Congreg. Epiſc., & Regul. ita regiſtratam invenio:

Erectionem Monaſterii Monialium Capucinarum in Civitate Novarien. per Joannem Baptiſtam Leonardum cum aſſignatione centum mille librarum Imperialium illius monetæ, ſub inſtituto Ordinis S. Franciſci cum 15. *Monialibus, & ſub cura, ac gubernio Ordinarii, ſi Sanctiſſimo placuerit, Sacra Congregatio concedi poſſe cenſuit, dummodo centum mille libræ donatæ in emptionem bonorum ſtabilium convertantur.* 2. *Junii* 1620.

Ex Reg. menſ., & anni præd. fol. 163. *à tergo.*

A ſumma prædicta, 30. millia librarum ſejungi, ſeu abſtrahi, & ad fabricam Monaſterii converti, eadem Sacra Congregatio poſt duos annos indulſit Epiſtola Epiſcopo inſcriptâ, ut ſequitur:

Approbavit Sanctitas Sua cum Illuſtriſſimorum Dominorum meorum voto, Amplit. Tuæ arbitrium circa 30. *libras de* 100., *à quondam Joanne Baptiſta Leonardi, Capitulo illius Civitatis cum obligatione, Moniales Capucinas ibi alendi, iiſque in neceſſitatibus providendi relictis, in fabricam novi Monaſterii, & Eccleſiæ earum convertendas, cum fructus remanentium* 70. *Suſtentationi Monialium adhuc ſufficiat. Cumque Sacra Congregatio Amplit. Tuæ hunc in finem neceſſariam jam contulerit facultatem, hac ita utatur, prout operi tam pio expedire judicaverit, quatenus celerius executioni mandetur, & terminetur.* 29. *Januarii* 1623.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ., & anni præd. fol. 31.

Con-

Conventus decem à Provincia Januenſi diſmembrari, & ſex eorum Provinciæ Mediolanenſi, ſuppreſſis quatuor, uniri mandat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Miniſter Generalis, & Definitores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum Provincia Genuenſis ejuſdem Ordinis decem Conventus, nempe, Alexandrinum, Derthonenſem, Valentiæ, de Vogera, Caſtrinovi, Finalis, de Caſtellazzo, de Caſſino, de Seravalle, & de Varzi in Ducatu Mediolanenſi conſtitutos habeat, Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter, Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, qui Mediolani Dux exiſtit, inſtanter petit, ut iidem decem Conventus à prædicta Provincia Genuenſi diſmembrentur, & Provinciæ Mediolanenſi dicti Ordinis uniantur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Exponentes unionem quidem hujuſmodi, juxta ejuſdem Philippi Regis deſiderium, fieri cupiant; ſed quia prædicta Provincia Mediolanenſis, ſi memorati decem Conventus illi adjungerentur, nimis magna evaderet, & quatuor ex prædictis ultimis de Caſtellazzo, de Caſſino, de Serravalle, & de Varzi Conventus, propter continua in illis partibus bella in miſerum ſtatum redacti reperiuntur, eoſdem quatuor Conventus, ac etiam prædictum Conventum Finalis, ſi experientia comperietur, illius viſitationem Provinciali Provinciæ Mediolanenſis incommodam eſſe, ſub Ordinariorum locorum poteſtate relinqui expedire arbitrentur: Nobis propterea iidem Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dictos Exponentes ſpecialibus &c. volen. & eorum ſingulares Perſonas â quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædicto Miniſtro Generali per præſentes committimus, & mandamus, ut ſupradictos decem Conventus à memorata Provincia Genuenſi, auctoritate Noſtra Apoſtolica perpetuò ſeparet, & diſmembret, illoſque eidem Mediolanenſi Provinciæ etiam perpetuò uniat, & incorporet, præcipientes ipſi Miniſtro Generali, ut prædictos quatuor Conventus de Caſtellazzo, de Caſſino, de Serravalle, & de Varzi, ac etiam dictum Conventum Finalis, ſi experientia comperietur, illius viſitationem Provinciali prædictæ Provinciæ Mediolanenſis incommodam eſſe, ſub manu, & poteſtate Ordinariorum Locorum reſpectivè relinquat, ſi tamen, & quatenus illi, qui ſitum pro eorumdem Conventuum exſtructione ſunt largiti, ſitûs hujuſmodi Dominium reſpectivè non conſervaverint; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, Ordinis, ac Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi &c. ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die VII. Octobris MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

G. Gualterius.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. fol. 11.

N O T A.

Prompto, & eo, quo par erat, ſtudio, Pater Generalis, ad Literarum prædictarum, novæque de Conventibus, aliàs ſupprimendis diſpoſitionis executionem proceſſit, Decreto deſuper confecto, quod ſequitur.

In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Glorioſiſſimæ Matris Mariæ, ac Seraphici Patris Noſtri Franciſci. Amen.

CUM Excellentiſſimus Dux Terræ novæ, pro Sereniſſimo Philippo IV. Hiſpaniarum Rege Catholico, apud Summum Pontificem in Romana Curia Orator, de ejuſdem Regis Mandato, Admodum Reverendis Patribus Generali Miniſtro, & Diſſinitoribus Generalibus Ordinis Capucinorum, inſtanter ſupplicaverit, ut decem ejuſdem Ordinis Conventus, Alexandrinus videlicèt, Derthonenſis, Valentiæ, Viguetiæ, Caſtrinovi, Finalis, Caſtellatii, Caſſini, Serravallis, & Vartii, ad Genuenſem Provinciam ſpectantes, ab eadem (juſtis de cauſis, ſuæ Catholicæ Majeſtatis animum moventibus) diſmembrarentur, ac Mediolanenſi Provinciæ unirentur, idque Summo Pontifici Alexandro VII. nunc feliciter Regnanti, pro parte eorumdem Reverendorum Patrum Generalis Miniſtri, ac Diſſinitorum Generalium repræſentatum fuerit, ſupplicationibus Sereniſſimi Regis, ac votis benignè annuendum Summus Pontifex cenſuit: Ita quidem, ut Conventus Alexandrinus, Derthonenſis, Valentinus, Caſtrinovi, Vigueriæ; Mediolanenſi præfatæ aggregentur Provinciæ, reliqui verò Caſtellatii, Caſſini, Serravallis, & Vartii, qui propter continua in illis partibus bella, ad miſerum ſtatum ſunt redacti, ſub Ordinariorum poteſtate relinquantur, ut etiam Con-

Conventus Finalis, ſi experientia comperiatur, illius viſitationem Provinciali Mediolanenſis Provinciæ incommodam eſſe, mandans propterea Generali Capucinorum Miniſtro per ſuas patentes Literas, in forma Brevis exaratas, ſub die 7. Octobris anni 1656. ut præfatos Conventus à memorata Provincia Genuenſi ſegreget, & diſmembret, ac Mediolanenſi Provinciæ uniat, & incorporet: Quod quidem, quam ſibi gratum extiterit, eadem Majeſtas Catholica ſuis Literis, ad eumdem Patrem Generalem Capucinorum Miniſtrum directis, humaniter teſtata eſt. Cumque Emus D. Cardinalis Sfortia, ut ſuppreſſio Conventus Oppidi Vartii, ad ipſius Feudum ſpectantis, pro aliquo tempore differretur, à Summo Pontifice impetraverit, idemque Admodum Reverendus Procurator Generalis Capucinorum, tam de hoc, quàm de aliis tribus Conventibus, Caſtellatii ſcilicet, Caſſini, & Serravallis obtinuerit, ut ex ipſorum literis, Eminentiſſimi quidem ſub data diei 31. Martii, Patris autem Procuratoris ſub die 14. Aprilis hujus anni, liquidò conſtat: Idcirco Reverendus Admodum Pater Simplicianus à Mediolano, ejuſdem Ordinis Capucinorum Generalis Miniſter, ad Apoſtolicarum literarum executionem procedere volens, hoc præſenti Decreto præfatos Conventus, Alexandrinum videlicet, Derthonenſem, Valentiæ, Vigueriæ, Caſtrinovi, Caſſini, Caſtellatii, Serravallis, Vartii, & pro nunc etiam Finalis (donec aliter fuerit ab eodem Patre Generali determinatum) cum omnibus Terris, & Locis ultra Padum exiſtentibus, pro neceſſariis eorumdem Monaſteriorum quæſtuationibus, necnon omnes illorum Conventuum Religioſos, auctoritate Apoſtolica, ſibi tradita, à Provincia Genuenſi diſgregat, ac diſmembrat, atque huic Mediolanenſi Provinciæ unit, & incorporat, eorumque Guardianos, & Diſcretos, canonicè, & juxta Ordinis Conſtitutiones electos, ad Capitulum Provinciale Mediolanenſe, prout de more, & de jure citatos, ad omnes functiones Capitulares, non ſecus, ac alios quoſcumque ejuſdem Provinciæ Guardianos, & Diſcretos admittit, & admittendos eſſe declarat, & in virtute Sanctæ Obedientiæ Reverendis Patribus Provincialibus utriuſque Provinciæ, Genuenſis ſcilicet, & Mediolanenſis mandat, ac præcipit, ut dictum Decretum exequi debeant, & omnia, quæ in eo continentur, obſervare, & à Fratribus ſibi Subditis obſervari facere; ſervata tamen utrique Parti recurrendi, ad quos ſpectat, facultate &c. Et ita declaravit, terminavit, diſgregavit, & diſmembravit, atque univit, & incorporavit, ac præcepit, iſto, & omni alio meliori modo &c. Datum in Conventu Immaculatæ Conceptionis Mediolani die 26. Aprilis 1657.

Fr. Simplicianus Miniſter Generalis, qui ſupra.

Ita intricata erant illa tempora, ut executio eouſque facta, per literas abs Eminentiſſimo Cardinale Ginetto ad Patrem Miniſtrum Generalem, tunc Pariſiis exiſtentem ſub 22. Septembris 1657. datas, fuerit revocata, cum tamen in dies reunio cum Provincia Januenſi redderetur difficilior, & aggregatio cum Mediolanenſi pariter fluctuaret; interinum horum Conventuum gubernium, Miniſtro, vel Procuratori Generali fuit commiſſum, Decreto proviſionali ſequenti.

Sacra Congregatio ſuper negotio decem Conventuum Fratrum Capucinorum Sancti Franciſci ultra Padum, habitâ diligenti, & matura diſcuſſione in Congregatione particulari Deputata &c. cenſuit uſque ad Capitulum Generale Ordinis hujuſmodi, ad quod omnimoda ejuſdem negotii deliberatio remiſſa jam fuit, providendum eſſe, prout ſequitur, videlicet: Primò, ut Generalis, ſeu Procurator Generalis hoc medio tempore eligat Guardianos dictorum decem Conventuum ex Fratribus eorumdem, necnon unum ex dictis Guardianis, ſeu alium Fratrem ſibi beneviſum, ſimiliter eligat, qui illis præſit, titulo Viſitatoris, Cuſtodis, Præſidis, ſeu alio hujuſmodi. Secundò, & quoniam hoc eodem intermedio tempore uſque ad dictum Capitulum Generale, attenta ſeparatione, & aggregationis ſuſpenſione factâ, vocem activam in neutra dictarum Provinciarum habere poſſunt, gaudere decrevit paſſiva in utraque. Tertiò, quò verò ad Lanificia, & Infirmariam, ſtante paupertate præfatorum decem Conventuum, ac vicinitate, & commoditate Provinciæ Mediolanenſis, ab eadem de utroque eoſdem duxit eſſe providendos. Quò denique ad Novitiatum, & Studium Secretario ad Mentem &c. Romæ 22. Septembris 1658.

M. Card. Ginettus.

Re ita uſque ad annum 1660. ſtante, ad factas pro parte Regis Catholici novas inſtantias, executio Brevis Apoſtolici fuit firmata Decreto ſequenti.

SANCTISSIME PATER.

Tempore Capituli Generalis, à Fratribus Capucinis Romæ 1656. celebrati, Sanctitas Veſtra, ad inſtantias Regis Catholici, Breve Apoſtolicum expediri mandavit, vigore cujus, decem Conventus à Provincia Januenſi ſegregari, & Mediolanenſi, utpote in locis ejuſdem Status ſituatos, uniri juſſit. Et non obſtante, quod dictum Breve executioni jam fuerit datum, nihilominus fuit poſtea revocatum, tandem verò conceſſum, ut Breve in ſuo maneret vigore, & plena Negotii diſcuſſio futuro Capitulo Generali reſervaretur. Cum autem hujuſmodi cautelæ potiſſimum, inde originaverint, ut ad circumſtantias temporis, ob continua illarum partium bella, liberum dictorum Conventuum Regimen impedientis, haberetur ratio, & attentio, hocque motivum, mediante Dei gratia, jam ceſſaverit, & econtra cauſæ, quæ Regem ad memoratam aggregationem urgendam induxêre, perſiſtant, Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus enuntiatum Breve, etiam cum ſubſiſtentia illorum quatuor Conventuum, qui vi dicti Brevis ſupprimi debebant, & qui cum Sanctitatis Veſtræ beneplacito à Patre Generali in actu aggregationis executivo retinebantur, executioni dari præcipiat, quin cauſæ, & rei hujus deciſio Capitulo Generali reſervetur, vel ad aliud differatur tempus, & ſilentium perpetuum contradictionibus, quæ in hac materia oriri poſſent, imponat. Quam gratiam Rex &c.

Die

Die 16. Julii 1660 Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regular. præpoſita, cenſuit (ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit) eſſe annuendum petitioni.

Die 21. Julii ejuſdem anni, facta relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua Congregationis Sententiam benignè probavit, & executioni demandari juſſit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c.

M. Card. Ginettus.

C. de Vecchiis Epiſc. &c.

Vigore proin hujuſmodi Decreti, novem Conventus in Apoſtolico Brevi expreſſi, fuère Provinciæ Mediolanenſi uniti, & eidem impræſentiarum uniti remanent, ſolo Conventu Finarii ſeu Finalis, Provinciæ Januenſi; ob cauſam omnibus notam, reſtituto.

Auth. Docum. de hac cauſa in Arch. gen. Ord. Arm. Provincia Mediolanenſis.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcopor. & Regular.

Hoſpitium in Loco Binaſchi erigendi facultas ſub diverſis clauſulis indulgetur.

SAcra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, inſtantibus Fratribus Capucinis Provinciæ Mediolanen. pro facultate erigendi Hoſpitium in loco Binaſchi Diœceſ. Papien., audita deſuper relatione Epiſcopi, committendum cenſuit, prout præſenti Decreto committit, ut conſtito ſibi, quod erectio hujuſmodi, in nullius, & præſertim alienorum Regularium præjudicium ceſſura ſit, petitam licentiam, cum expreſſâ tamen prohibitione Eccleſiam, Oratorium, aut Capellam erigendi, campanas etiam parvulas adhibendi, aut ſimilia, quæ Conventum, aut Hoſpitium formale indicare ſolent, faciendi, ſervatâ in reliquis diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum, pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat. Romæ 3. Februarii 1662.

M. Card. Ginnettus.

C. Epiſc. Camerin. Secret.

Ex Reg. Secret. Congregat. menſ. & anni præd.

DECRETO

Ejuſdem Sac. Congreg.

Permutatio Hoſpitii in loco Varalli conceditur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

JAM ad 40. annos incirca Capucini, Provinciæ Mediolanenſis in Terra Varalli, ubi eos vel devotione illius Montis inviſendi, vel occaſione itineris ad alios magis diſſitos Conventus conficiendi. ſæpius tranſire contingit, Domum, ab illis Hoſpitium nuncupatam habent, quæ Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Novarienſi ob ſuam cum Eccleſia majore contiguitatem, uſui Seminarii illius loci Varalli opportuna, & econtra Capucinis ob ſubjectionem ſitûs minus commoda videtur; cumque Benefactor ad aliam Domum in alio ſitu iis charitativè dandam reperiatur paratus, Procurator Generalis Ordinis, EE. VV. humillimè ſupplicat, quatenus permutationem dicti Hoſpitii, quod nec unquam fuit, nec erit permanens, ſed econtra pro ſimplici duntaxat aſylo ſerviet, concedere dignentur, præſertim, cum conſenſus Reverendorum Patrum Obſervantium Reformatorum, à quibus prius coram hac S. Congregatione facta fuit oppoſitio, jam concurrat. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis narratis, & conſenſu Procuratoris Generalis Reformatorum petitam licentiam benignè conceſſit cum conditionibus juxta præmiſſa. Romæ XV. *Februarii 1664.*

M. Card. Ginettus.

C. Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd. fol. 39.

Cum

NOTA.

Cum executio gratiæ conceſſæ, fuiſſet nimis protracta, tempore tandem, quo fabrica fuit inchoata, PP. Reformati ſe noviter eidem oppoſuerunt, quod & novi ad S. Congregationem recurſûs fuit occaſio, facti Libello ſupplici ſequente.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Capucini Provinciæ Mediolanenſis humillimi Emin. Veſtrarum Oratores exponunt, qualiter de anno 1645. *Sacerdos Joan. Baptiſta Rigaldus, Vicarius Foraneus Varalli, & ſingularis eorum Benefactor, in conſideratione gravium incommodorum, quæ Fratres, vel ex devotione Sancti illius Montis, vel ex occaſione tranſitûs, vel quæſtuationis ibi confluentes, ob Monaſterii, vel Hoſpitii defectum ſubire debebant, piâ charitate motus* 300. *ſcuta legavit, quatenus pro iis vel Domus emeretur, vel fabricaretur, quæ Capucinis ſerviret in aſylum; in quorum executionem emptus fuit, ſitus Eccleſiæ Parochiali contiguus, & in eo quoque Domus aſyli ſeu Hoſpitium ædificatum.*

Cum autem longior experientia probâſſet, quod dicta Domus Fratribus, tam ob ſitûs anguſtiam, quam ob nimiam cum Eccleſia Parochiali contiguitatem, minus apta foret, anno 1664. *S. Congregationi pro licentia dictum Hoſpitium transferendi, vel aliud in loco aptiori conſtruendi ſupplicarunt; quæ & gratiam attento PP. Reformatorum, Conventum inibi habentium conſenſu conceſſit. Cum autem illa ob varios caſus diutius non potuerit executioni mandari, tandem anno proximè elapſo fabricam longitudinis* 25. *& latitudinis* 14. *brachiorum ſine Eccleſia, Oratorio, Campana, vel alio, vel formam Conventûs, vel Hoſpitium reſidentiæ denotante inceperunt: cui cum PP. Reformati, Monitorio Auditoris Cameræ muniti, noviter ſeſe opponant, Oratores ad Emin. VV. recurrunt ſupplicando, quatenus in dicta Fabrica eos non impediri ſeu moleſtari diſponant, novamque eam in prædicta forma, & ſub qualitate Hoſpitii pro tranſitu proſequendi concedant facultatem. Quam &c.*

Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Novarien. rationibus hinc inde deductis maturè examinatis atque perpenſis, referente Eminentiſſimo Columna Oratorum petitioni annuens, eiſdem facultatem transferendi, ſeu de novo fabricandi dictum Hoſpitium in ſitu magis apto, & commodo, abſque tamen Eccleſia, Oratorio publico, tenore præſentium benignè concedit, & impertitur, ita tamen, ut Oratores, in eo nullas alias functiones aut exercitia peragere poſſint, quàm quæ in ſimplici Hoſpitio expleri ſolent, adductis in contrarium, ac aliis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ 19. Julii 1675.

Card. Gaſpar Carpineus.

I. V. Archiepiſcopus Januen. Secret.

Ex Reg. ſupradicto fol. 119. *A tergo.*

Reviviſcente ſubſequo anno contra nos lite, fuerunt ab eadem Sacra Congregatione gratia confirmata, limitationes, & clauſulæ ſupradictæ renovatæ, ac Decretorum executio Archiepiſcopi Mediolanenſis providentiæ commiſſa ſub. Dat. 5. Martii 1676.

Domum ad Abbatiam, ſeu Commendam SS. Caroli, & Juſtini ſpectantem, Monaſterio Monialium Papiæ incorporari, Epiſcopo ibidem committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Papien.

CLEMENS PAPA IX.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales Capucinæ nuncupatæ, Monaſterii Papien., quod cum dictum Monaſterium valde anguſtum, ac officinis parum inſtructum ſit, earum verò anguſtiæ aliquantum ſublevari poſſint, ſi eidem Monaſterio quædam domuncula contigua ad ſine cura ſecularem Eccleſiam, *Abbatiam* nuncupatam, SS. Caroli, & Juſtini Papien., olim Regularem Ordinis S. Baſilii de Armenis nuncupat. Auctoritate Apoſtolica ſuppreſſi, quam Dilectus Filius noſter Aloyſius, S. R. E. Preſbiter Cardinalis Homodeus nuncupatus in Commendam ad ſui vitam ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica obtinere dignoſcitur, legitimè ſpectans incorporaretur; ipſæ Exponentes Domunculam hujuſmodi valoris in proprietate ducentorum, & quadraginta ſcutorum monetæ, annui verò redditûs juxta præſentem illius locationem novem ſcutorum parium, quæ ruinam minatur, & ad cujus reparationem impenſa ſaltem ſexaginta ſcutorum ſimilium judicio Architecti eſt neceſſaria, dicto

cto Monaſterio de conſenſu prædicti Aloyſii Cardinalis incorporare poſſe plurimùm deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictas Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, & ſtante relatione Tua, eiſdem Cardinalibus facta, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, eiſdem Exponentibus petitam facultatem incorporandi prædicto earum Monaſterio Domunculam ſupradictam, de conſenſu tamen memorati Aloyſii Cardinalis Auctoritate noſtra Apoſtolica, pro Tuo arbitrio, & conſcientia impertiaris; ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Eccleſiæ, ſeu Abbatiæ, & Ordinis ſuppreſſi hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIII. Aprilis MDCLXVIII. Pontificatus noſtri Anno primo.

I. G. Sluſius.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ., & anni præd. fol 75.

N O T A.

Moniales ſupradictas ad recipiendas eleemoſynas Dotales non conſtringendas eſſe, fuit à S. Congregatione Epiſc. & Regul. reſcriptum, & præfixio numeri earumdem, Vicario Papiæ commiſſa, ut ſequitur.

CUM Moniales Capucinæ ita bonorum, & reddituum poſſeſſionem in communi abhorreant, & juxta primitivam Sanctæ Paupertatis regulam verâ in Deum fiduciâ, quod iis neceſſaria non ſint defutura, vivere intendant, Illuſtriſſimi Domini mei de Religioſa illarum intentione ædificati concedunt, ut Amplit. Tua eas ad eleemoſynas Dotales acceptandas, & ad commodum Puellæ de novo recipiendæ, applicandas, non obliget, & neceſſarium judicant, ut juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini certum, & talem numerum præfigat, quem, etiam tempore caritatis, cum ſolitis eleemoſynis ſuſtentari poſſe, prudenter judicaverit, & ultra quem numerum alia recipi nequeat. 11. *Jan.* 1600.

Ex Reg. Secret. Sac. Cong. anni & menſis præd. fol. 1.

Eaſdem vi legati pii ad Miſſam quotidianam in earum Eccleſia celebrare faciendam obligatas, fructu cenſuum autem ob belli caſus diminuto, eam ad rationem currentium reddituum duntaxat legi curantes, ſuper omiſſione abſolvi &c. ac hujuſmodi Miſſarum onus, deinceps ad rationem manualis eleemoſynæ pro more Regionis reduci, Decreto Sacræ Congreg. Concilii fuit commiſſum &c.

Prævio legato unius Cenſus in ſorte ſcutorum 490. *monetæ Romanæ, & annuo fructu ſimilium* 33. 30. *debiti ab ipſa Communitate Civitatis Papiæ, Lucretia Pallinara Bentia anno* 1633. *injunxit onus Monaſterio, & Monialibus Capucinis, ſive Regentibus ejuſdem Communitatis celebrare faciendi cum fructibus dicti Cenſus in earum Eccleſia unam Miſſam quotidianam. Sequutâ autem ex facto Principis anno* 1646. *reductione fructuum Cenſuum ad rationem quinque pro quolibet centenario, & ſubinde ad bellorum inclementiam ad rationem duorum dumtaxat, Moniales juxta proportionatam reddituum quantitatem Miſſas celebrari curârunt. Cum autem nulla affulgeat ſpes augmenti, ſed potius timor majoris diminutionis fructuum, præfatæ Moniales ſupplicant pro condonatione Miſſarum prætermiſſarum, & illarum reductio ne juxta vires modernorum fructuum.*

Die 27. Maii 1702. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Vicarii Generalis Papien, benignè commiſit Eidem, ut veris exiſtentibus narratis, & impoſita Oratricibus obligatione celebrare faciendi, pro unica vice aliquem Miſſarum numerum, ab eodem præſcribendum, eaſdem pro ſuo arbitrio, & conſcientia ſuper omiſſione prædicta miſericorditer abſolvat. Quò verò ad reductionem in futurum, vocatis, ſi qui fuerint vocandi, præfatum Miſſarum onus juxta proportionatam reddituum quantitatem, ad rationem Eleemoſynæ manualis, inſpecto Regionis more pro ſuo arbitrio, & conſcientia gratis moderetur, atque reducat, ita tamen, ut, quando augeantur redditus, augeatur etiam proportionaliter numerus ipſe Miſſarum, quod in actu, præſertim viſitationis, inſpicere curæ eſſe debebit Ordinario pro tempore.

B. Card. Panciaticus Præf.

S. D. Tomatus Secret.

Ex Reg. ſeu Libro 52. *Congreg. præd. fol.* 213.

Similis quoque reductio in favorem earumdem Monialium, ratione annui legati à quondam Hercule Corti relicti eodem anno facta fuit, prout in lib. eodem, fol. 274. regiſtratum reperitur.

Moniales S. Praxedis Mediolani omnibus privilegiis, tam temporalibus, quam Spiritualibus, Ordini Minoritano conceſſis, ſine ulla differentia uti, & frui poſſe declarat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

INjuncti nobis Cœlitus paſtoralis officii ratio poſtulat, ut Paternam Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum, altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ diſciplina mancipatarum, uberesque bonorum operum fructus, incrementum dante Deo, aſſiduè proferre ſatagentium, curam gerentes, piis & laudabilibus Earum deſideriis, quantum cùm Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Volentes itaque Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus, Capucinis nuncupatis, Monaſterii Sanctæ Praxedis, Mediolanen. Ordinis S. Franciſci gratiam facere ſpecialem, & earum ſingulares perſonas â quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus earum nomine &c. inclinati, eiſdem modernis & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii, ut ipſæ omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, favoribus, indulgentiis, indultis, & gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quæ Monialibus ejuſdem Ordinis S. Franciſci, ſeu Fratrum Minorum ipſius Ordinis Capucinorum, aut de Obſervantia, vel Reformatorum, aut Conventualium, ſeu alio quocumqne nomine nuncupatorum, ſive etiam Ordinariorum regimini, gubernio, & juriſdictioni ſubjectis, tam circa facultatem re[illegible]irandi officia de Sanctis, quam alia quæcumque, etiam ſpecifica, & individua expreſſione digna, hactenus â Sede Apoſtolica, quovis modo conceſſa ſunt, dummodo tamen ſint in uſu, nec ſint revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa, neque Concilii Tridentini Decretis, aut poſterioribus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis adverſentur, & quandocumque, ac quomodocumque in futurum generaliter concedentur ac quibus ipſæ Moniales tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, parì modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi privilegia, prærogativæ, præeminentiæ, favores, indulgentiæ & indulta hujuſmodi præfatis modernis, & futuris Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii Mediolanenſis nominatim, & expreſsè conceſſa reperirentur, & in futurum concederentur, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Abbatiſſæ, & Monialibus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis præfatorum, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Martii MDCLXXVII. anno primo.

I. G. Sluſius.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 61.

N O T A.

Ultra ea, quæ de Monialibus prælibatis ſupra fol. 307. *& ſeq.* & in præpoſito Brevi continentur, fuit & ipſis Decreto Sacræ Congregationis Concilii indultum, ut Miſſa quotidiana, aliàs juxta Marchioniſſæ Ludovicæ Lampugnanæ diſpoſitionem in altari SS. Crucifixi Eccleſiæ earumdem Monialium legenda, pro Spirituali illarum conſolatione, & commoditate in Altari Majori celebrari poſſit.

MArchioniſſa Ludovica Lampugnana in ſuo, cum quo deceſſit, Teſtamento, gravavit ſuum hæredem ad celebrare faciendum Miſſam quotidianam in Eccleſia Capucinarum S. Praxedis, & in Altari Sanctiſſimi Crucifixi, quatenùs fieri poſſit, ſin minus in alio Altari ejuſdem Eccleſiæ â Cappellano nominando.

Exoptant Moniales prædictæ pro earumdem ſpirituali commoditate Miſſam præfatam celebrari facere ad Altare Majus dictæ Eccleſiæ poſt primas horas Canonicas, ad hoc, ut ipſis deſerviat pro Conventuali, & in ea ſumere valeant Sacram Sinaxin. Quare cum diſpoſitio Teſtatricis non ita clarè faveat Oratricibus, ſupplicant ideo pro gratia.

Die 29. Januarii 1724. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Eminentiſſimi Domini Cardinalis Ode-

Odeſcalchi, Archiepiſcopi Mediolanen, benignè commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, petitam facultatem celebrari faciendi ſupradictam Miſſam ad Altare Majus ejuſdem Eccleſiæ, juxta petita, pro ſuo arbitrio, & prudentia Oratricibus gratis impertiatur.

C. Cardinalis Origus Præſ.

P. de Lambertinis Secretarius.

Ex Reg. ſeu Lib. 74 Decret. ejuſdem S. Congregat. ſol. 59.

Domum Monialium Regularem, S. Ambroſii nuncupatam Comi ſucceſſivè ſupprimi, & novam ſub titulo Sancti Caroli erigi, ac prioris bona, huic incorporari ratihabetur.

Beatiſſime Pater.

Epiſcopus Comi humillimus Sanctitatis Veſtræ Orator, ſe in primo illius Eccleſiæ acceſſu comperiſſe exponit, quod inter alios Virginum cœtus, in illam Civitatem inductos, foret & Domus S. Ambroſii, in qua 45. Religioſæ incirca, Habitu Capucinarum indutæ, in communitate quidem, ſed modica regulari obſervantia, imò cum plena ſæcularium, dictam Domum accedentium, libertate vivebant, ita, ut â ſe malo remedium opponi, & Religioſas prædictas ad ſtatum majoris Religioſæ perfectionis reduci, rationi conſonum cenſuerit. Cumque Divina Clementia pio huic propoſito acceſſerit, Oratori ſors obtigit, voluntatem cujuſdam Viri Eccleſiaſtici diſponendi, ut bona ſua legaret, & relinqueret ad effectum, ut memoratæ Virgines primam regulam S. Claræ ſeligerent, & obſervarent: quod etiam ſub directione Sor. Luciæ Ferrari â Guaſtalla evenit eo Spirituali emolumento ſeu profectu, ut illud Monaſterium unum inter magis exemplaria, & qualificata Civitatis, & Diœceſos futurum eſſe, ſperari poſſit. Illud autem, quod Orator ante omnia alia Sanctitatis Veſtræ ſcitu dignum judicat, eſt, quod de numero 45. Religioſarum, in præfata dicti S. Ambroſii Domo prius in Communitate viventium, triginta tres ad novam, inter alia bona â dicto Eccleſiaſtico relictam tranſiverint Domum, quæ aliarum Domuum contiguarum acquiſitione dilatatur, quatenus ad ſtatum clauſuræ, & formale Monaſterium ſub invocatione S. Caroli reduci poſſit, aliæ autem 12. cum dictæ regulæ rigorem perferendi, animum non demonſtrent, in antiqua permanſêre Domo; cumque Orator, illas ſupportandæ auſteræ S. Claræ regulæ impares eſſe, effectivè cognoſcat, iis in illa degere permiſit cum conditionibus infra ſcriptis.

I. Ut dictis Monialibus, Scholas puellis facere, prout prius eas facere ſolebant, ſit conceſſum.

II. Ut deinceps nullam aliam ad Habitum admittant, & caſu, quo una illarum moreretur, aut alias de Domo recederet, in locum illius alia non ſubrogetur, & econtra, ſi quæ Puella ad Habitum admitti inſtaret, id in novo Sancti Caroli Monaſterio cum debitis licentiis fiat.

III. Et caſu quoque, quod dictæ Moniales vel per mortem, vel per receſſum diminuerentur, etiam portio pro victu diminuatur, & caſu, quo omnes mortuæ erunt, bona illarum novæ Domui ſeu Monaſterio S. Caroli incorporata manebunt; cum prohibitione, ut Moniales de iis abſque Apoſtolico beneplacito juxta Sacros Canones, & Summorum Pontificum Conſtitutiones nihil alienent.

Cumque dictis Capitulis conſenſus ipſarum Monialium acceſſerit, prout ex adjuncto patet inſtrumento, Orator Sanctitatis Veſtræ pro benigna ſupplicat approbatione, qua mediante opus hoc pium ſemper firmatum maneat. Quam &c.

Die X. Menſis Aprilis 1677. Sanctiſſimus Dominus Noſter, audita relatione, prænarratam Domus Regularis S. Ambroſii ſuppreſſionem, novi Monaſterii erectionem, bonorum unionem, & Monialium tranſlationem, earumque ſtrictiorem vivendi obſervantiam ſub primitiva regula S. Claræ benignè approbavit, & confirmavit, ſuoſque ſortiri effectus mandavit: indulgendo tamen præfatis Monialibus, quæ dictam novam regulam ob virium, ſeu potius animi imbecillitatem amplecti, & profiteri poſſe diffidunt, ut in earum antiquo Monaſterio, ſeu Domo Regulari, quoad vixerint, commorentur, ſervatis conditionibus in Supplici Libello deſcriptis.

Non obſtantibus. &c.

Card. Gaſpar Carpineus.

Ex actis Cancellariæ Epiſcop. Comi, de quo exemplar Auth. in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Mediolanenſis.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regular.

Parochum S. Mariæ in loco Hortæ, in Eccleſia Fratrum ibidem jura Parochialia exercere non poſſe declaratur.

IN cauſa Novarienſi inter PP. Capucinos Hortæ ex una, & Parochum S. Mariæ, ac Communitatem dicti loci partibus ex altera.

Sacra Congregatiò Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, audita relatione Epiſcopi Novarienſis, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Acciajolo, cenſuit, ac declaravit, ex deductis nullum jus competere prædicto Parocho Sanctæ Mariæ exercendi jura parochialia in Eccleſia Capucinorum Sancti Nicolai. Romæ VI. *Februarii* MDCXCIX.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

N. Archiep. Teatinus Secret.

Ex Reg. Arch. Secretariæ Congreg. menſ., & anni præd.

DECRETO

Ejuſdem S. Congreg.

Domum cum Eccleſia in loco Caſſani Abduæ erigi, & Fratres in illam induci, Epiſcopo Cremonenſi committitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

POpulus Burgi Caſſani in Gera Abduæ Diœceſis Cremon. humillimus EE. VV. Orator ſciens, quantæ ſit utilitatis animarum ſaluti Religio PP. Capucinorum, ſpeciatim ob extraordinariam charitatem, quâ moribundis aſſiſtunt, pro ſua conſolatione, & majore fructu ſpirituali, ex eleemoſynis, & oblationibus, ad hunc effectum â variis benefactoribus promiſſis, & ex aliis à dicto populo communiter ſupplendis, Eccleſiam, & Domum dictis Patribus, Provinciæ Mediolanenſis è fundamentis erigere intendit. Quapropter EE. VV. humillimè ſupplicat pro opportuna facultate prædictam Eccleſiam, & Conventum ædificandi in ſitu, quem Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus Cremonenſis deſignaverit. Quod ſine aliorum Religioſorum Mendicantium, ibi, & in vicinia commorantium, præjudicio fiet, cum jam aliàs PP. Capucini memorati Caſſiani locum, ad quæſtuandum accedant. Adjungitur & aliud hujus intentionis motivum, quod eſt, ut Capucini ex occaſione infirmitatis de Conventu Meltii, Diœceſis Mediolanen. in peſſimi aeris loco ſituati, ad Conventum, in ſitu ſaluberrimo erigendum, aliquoties tranſire valeant. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſc., & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Cremonenſis, referente Eminentiſſimo Acciajolo cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore benignè eidem Epiſcopo committit, ut veris exiſtentibus narratis, & ſtante conſenſu aliorum Regularium Conventuum, intra quatuor milliaria exiſtentium, poſtquam ſibi conſtiterit fabricam Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacrâ, quam prophanâ ſufficienter inſtructam, necnon ex eleemoſynis piorum Benefactorum duodecim hujuſmodi Religioſos commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam Conventûs erectionem, ac Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio, & conſcientia, ſervatis ſervandis, procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per SS. Canones, S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti, circa hujuſmodi novorum Conventuum Regularium erectiones præſcripta ſunt, religioſè ſerventur. Romæ XXII. *Maji* MDCXCIX.

G. Card. Carpineus.

N. Archiep. Teatinus Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

DE-

DECRETO

Ejuſdem S. Congreg.

Eccleſiam Fratrum Taurdi, Plebaniæ Porletiæ, Regularem eſſe; Præpoſito ibi nullas in ea functiones competere; ac quoad Proceſſiones, & funera, Decreta aliàs deſuper edita ſervari ſancitur.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

GUardianus, & Capucini Conventus Taurdi, Plebis, ſeu Plebaniæ Porletiæ Diœceſis Mediolanen. humillimi Oratores reverenter EE. VV. exponunt, quod Præpoſito Porletiæ jus & poſſeſſionem, in Eccleſia dicti Conventus nonnullas functiones exercendi allegante, jam anno 1682. Ponente Eminentiſſimo Cardinale Lauræa emanaverit in poſſeſſorio hujus Sacræ Congregationis reſolutio, prædicto Præpoſito favorabilis, & ab Eminentiſſimo Vicecomite, tunc Archiepiſcopo Mediolani executioni mandata, reſervatis utriuſque partis juribus in petitorio. Jam verò, cum tituli, quodlibet prætenſum jus tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio excludentes reperti ſint, &, ut inconvenientiis, ex novis prædicti Præpoſiti prætenſionibus quotidie pullulantibus obvietur, EE. VV. ſupplicant, ut alium Eminentiſſimum pro Ponente in locum prædicti Cardinalis de Lauræa ſubſtituant, jubeantque, ut dictus Præpoſitus ad comparendum in hoc S. Congregationis conſeſſu intra terminum ei præfigendum, & ad producendas rationes, ipſi aſſiſtentes citetur, & infrapoſita dubia proponantur, videlicet:

Primo, an Eccleſia Monaſterii PP. Capucinorum ſub titulo B. Mariæ Virginis Aſſumptæ in loco Taurdi, Plebis Porletiæ, ſit regularis, vel ſæcularis?

Secundò. An invitis PP. Capucinis Præpoſitus Porletiæ poſſit in dicta Eccleſia canere primas, & ſecundas veſperas, ac etiam Miſſam ſolemnem in feſtivitate Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, necnon ibidem exercere functiones funebres ſuper cadaver, ſive pro populo, & habitantibus loci Taurdi: item populum inſtruere in Doctrina Chriſtiana certis anni temporibus, ac etiam retinere ibidem Sedem Confeſſionalem fixam, & in ea Confeſſiones audire?

Tertiò. An idem Præpoſitus, occaſione aſſociandi funera, aut Proceſſionum Generalium poſſit ingredi Eccleſiam, & chorum cum ſuperpelliceo, & ſtola, ac Cruce elevata, eamque reponere ſuper Altare majus juxta ritum Ambroſianum?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Partibus informantibus, referente Eminentiſſimo Colloredo, cenſuit, ac declaravit ſuper primo dubio Eccleſiam eſſe Regularem, ac proinde Præpoſito Porletiæ non competere facultatem exercendi in ea functiones, de quibus in ſecundo dubio.

Quo verò ad Proceſſiones, & funera, de quibus in tertio dubio, ſervanda Decreta, aliàs ab eadem Sacra Congregatione deſuper edita. Romæ XXVI. *Auguſti* MDCCI.

G. Card. Carpineus.

I. D. Paraceianus.

Ex Reg. Arch. Secret. Congreg. menſ., & anni præd.

N O T A.

Decreta, quæ Sacra Congregatio in regulam, & ad favorem Fratrum dari, & ſervari mandaverat, fuêre duo ſequentia:

Primum.

SAcra Congregatio &c. attentis narratis, juxta alias reſoluta, cenſuit functiones funeralium ſuper cadavera Defunctorum, quæ in Eccleſiis Regularium contingit ſepeliri, poſtquam ad eaſdem Eccleſias pervenerint, ad ipſos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Eccleſiis circa præmiſſa, ſervandum eſſe, prout ſervari mandat, & præcipit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ 31. *Auguſti* 1657.

Secundum.

Sacra Congregatio &c. cenſuit Oratoribus dandam eſſe infraſcriptam Declarationem, aliàs editam; nempe Parochis, in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed tene-

teneri dimittere eadem cadavera ad jannam Eccleſiarum, ibique ſolùm poſſe benedicere, & dare ultimum vale: officia verò, & alia munia, quæ in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi, vigore præſentium mandat, & præcipit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ die 27. Novemb. 1671.

DECRETO

S. Congreg. de Propaganda Fide.

Facultates Miſſionariorum ad Hoſpitium Montis S. Gotthardi extenduntur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

MInifter Provincialis Capucinorum Provinciæ Mediolanenſis EE. VV. humiliter exponit, quod, cum ex occaſione viſitationis ad locum Reſidentiæ, quam ſui Religioſi in aſperrimo, horrido, ac Italiam à Germania divìdente Monte, S. Gotthardi nuncupato habent, ſeſe contuliſſet, neceſſarium cenſuit EE. VV. repræſentari id, quod tam pro continua itinerantium, & ibi tranſeuntium neceſſitate, quam pro ſpirituali ſuorum Religioſorum ibi degentium conſolatione ſibi concedi poſſe arbitratur.

Hinc cum ab Eminentiſſimo Cardinale Friderico Vicecomite, tunc Archiepiſcopo Mediolanenſi, in cujus Diœceſi prædictus Mons continetur, efficaces inſtantiæ S. Congregationi Epiſc., & Regul. factæ fuiſſent, quatenus in memorato S. Gotthardi Monte duos Sacerdotes Capucinos cum onere continuæ habitationis collocare ſibi liceret, ad effectum, ut ſemper ibi parati exiſterent, ad aſſiſtendum iis, qui in horridi climatis aſperitate & in loco, ſaxis formato, ſine virgultis, herbis &c. nivibus quaſi ſemper obtecto, & gelu conſtricto paterentur, aut deficerent, fuit ipſi gratia conceſſa, Provinciâ Mediolanenſi onus duorum Sacerdotum ibi manutenendorum in ſe ſuſcipiente, prout & defacto ibi duo commorantur, ſæpius ſub nive incedere coacti, ut Viatores quaſi ſemivivos è rupibus extrahant, & extractos propriis humeris ad ipſorum tugurium deportent, ibi refocillandos.

Cumque ſæpius jam acciderit, quod hæretici ibi tranſierint, qui à Deo moti, & illuminati, & ſe à Capucinis adjutos videntes ſpem non modicam dedere ſuæ ad Catholicam Fidem converſionis, Provincialis prædictus EE. VV. ſupplicat pro gratia, Religioſis pro tempore in dicto loco S. Gotthardi exiſtentibus ſolitas Miſſionariorum facultates communicandi, præſertim cum locus ſub ejus Præfectura exiſtat, haud aliter, ac ſunt aliæ Reſidentiæ, & Miſſiones, quas Provincia Mediolanenſis in Valle Miſocco, Chiavennæ &c. habet, & Religioſi hujuſmodi facultatibus ad certum Animarum provectum ſint uſuri. Erit quoque ſpecialis coram Deo gratitudo, & meritum operis, aſſiſtentia, & favore EE. VV. digniſſimi. Quem Deus. &c.

Procurator Generalis, cui zelus, & probitas ſupradicti Miniſtri Provincialis Mediolanenſis nota eſt, prædictas inſtantias ſuis efficacibus comitatur precibus, quatenus EE. VV. Ei hujuſmodi gratiam concedere dignentur.

Die 7. Septembris 1716.

Referente R. P. Sylvio de Cavaleriis Archiep. Athenarum, Secretario, Sac. Congreg. cenſuit, ſub Præfectura P. Angeli Mariæ á Buſto, Ordinis FF. Capucinorum, Præfecti Miſſionum, Provinciæ Mediolanenſis, ejuſque in officio ſucceſſorum comprehendi etiam Hoſpitium PP. Capucinorum in Monte S. Gotthardi, atque adeo Eundem P. Præfectum, alioſque pro tempore poſſe Miſſionariis ibi degentibus communicare ſolitas facultates ad Miſſiones exercendas. Datum Romæ die, & anno, quibus ſupra &c.

Joſ. Card. Sacripantes Præf.

Locus ✠ Sigilli.

Sylvius Archiepiſcopus Athen. Secret.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

In delatione funerum ad exteriorem Eccleſiam Monialium Novariæ, jus funerum cum Cruce, & Stola ad Parochos, & non ad harum Confeſſarios pertinere: circa quartam funeris ceræ, ſuper Altare poſitæ, ſolitum ſervari: & Anniverſarium in caſu à Teſtatore relictum, cum officio, & Miſſa in cantu à Parocho expleri poſſe ſancitur: Parocho tamen collocutoriis Monaſterii, vel Tertiariorum Hoſpitio in Sabbatho Sancto benedicere, aut aliàs in Ec-

Eccleſia Monialium dictarum Matrimoniis aſſiſtere, aut mulieribus poſt partum benedicere, prohibetur.

NOVARIENSIS.

EXortis nonnullis controverſiis inter Moniales Capucinas Civitatis Novariæ, & Parochum Eccleſiæ Sanctæ Crucis ejuſdem Civitatis, inter cujus Parochiæ fines Eccleſia prædicti Monaſterii ſita eſt, deventum fuit ad ſubſcriptionem quatuor dubiorum, ſuper quibus exquiſita fuit informatio Eminentiſſimi Ordinarii, cumque Parochus det manus ſuper prima parte tertii dubii, necnon ſuper quarto, tota idcircò controverſia ad prima duo, & ad ultimam tertii partem reſtringitur.

Quoad primum itaque dubium Moniales prætendunt, quod delatis ad ſuam Eccleſiam Cadaveribus Parochianorum, ſive Sanctæ Crucis, ſive alterius Parochiæ, jus funerum cum Cruce, & Stola, non ad Parochum Sanctæ Crucis, ſed ad ſuum tantummodò Confeſſarium debeat pertinere, tum propter obſervantiam, ſignanter Civitatis Mediolanen. tum quia cum tam hæc Sacra Congregatio, quàm alia Sacrorum Rituum ſæpius reſolverit, officium ſuper Cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, & non ad Curatos Defunctorum, uti videre eſt *in Conſtitutione 93. Alexandri PP. VII. Bull. tom. 6. & in Conſtitutione 57. Clement. X. eodem tom. 6. Bullarii*. Cenſura hæc procedens in terminis Monachorum, & Regularium, procedit etiam in terminis Monialium, quando ad earum Eccleſias exteriores Cadavera Defunctorum deferuntur, juxta individuam reſolutionem hujus Sacræ Congregationis *die 19. Martii 1639. lib. 16. Decret. fol. 163* quam laudat, & per extenſum refert *D. Urſaya diſcept. 8. part. 1. tom. 1. num. 27. & ſeq.* Et quia in primo dubio ſermo etiam fit de Quarta funebri, quæ Parocho debetur, ſubdunt Moniales, quod, quatenus Parochus inſiſtere velit ultimæ Conſtitutioni Sanctiſſimi Domini noſtri, abrogativæ privilegiorum ſuper non ſolutione quartæ, ſupponere de neceſſitate debet ipſarum exemptionem, cum Conſtitutio procedat, ſuppoſitâ exemptione.

Parochus econtra ſuæ petitionis fundamentum ſuper delatione Crucis, & Stolæ, & jure funerum, explendo in Eccleſia Monialium, quando ad eam deferuntur cadavera Defunctorum ſuæ Parochiæ, ſive alterius, conſtituit in ſpecifica obſervantia Civitatis Novarienſis, & Monaſterii, quam contendit pro ſe militare, necnon in diſpoſitione juris; quidquid enim ſit in generali quæſtione, an privilegia conceſſa Religioſis, conceſſa etiam dicantur Monialibus ejuſdem Ordinis, affirmativa nihilominus opinio non poteſt procedere, niſi in materia adaptabili, qualis profectò non eſt ea, de qua nunc agitur, cum tot obſtent Sacrarum Congregationum Decreta, quibus prohibitum eſt dare ſepulturam in Eccleſiis, etiam exterioribus Monialium, quatenus aliquis in ea ſepeliri voluerit, juxta latè deducta per *Pignatell. Conſult. 177. tom. 4.* & magiſtraliter per *Eminentiſſ. Petram in tom. 2. Comment. ad Conſtit. Apoſt. pag. 198. num. 27. & ſeq.* & in eo, quod attinet ad allegatam reſolutionem hujus Sacræ Congregationis, ſubdit Parochus, eam ad ſummum ſibi poſſe vindicare locum in hypotheſi, in qua Moniales ſint ſubjectæ Regularibus, ſecus autem in caſu, in quo verſamur, in quo Capucinæ non ſunt Regularibus ſubjectæ, ſed Ordinario, & Presbyterum ſecularem habent in Confeſſarium, ita, ut, quemadmodum pertinet ad Parochum facere officium ſuper Cadaveribus Defunctorum, qui elegerunt ſepulturam in Eccleſiis Regularium ſubjectorum juriſdictioni Ordinariorum, uti habetur apud *Monacell. in Formulario Tom. 2. pag. mihi 17. num. 70.* & ad eumdem Parochum ſpectat facere officium funebre ſuper cadaveribus, ſepeliendis in Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum, ſi tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium, juxta Decreta Urbis, & Orbis anni 1703. impreſſa in *Bullar. S. Mem. Clementis XI. pag. 563.* ſic ad eundem Parochum prædicta omnia pertinere dicenda ſunt in hypotheſi ſaltem, in qua cadavera deferantur ad Eccleſiam Monialium non exemptarum, ſed Ordinario ſubjectarum. Et ſermonem habendo de quarta funerali, Parochus ait, ſe non recedere à conſuetudine Civitatis Novarienſis, juxta quam, ſi tumulandus in Eccleſia Monialium ſit de ſuæ Parochiæ diſtrictu, ſibi dantur tres ex quatuor partibus ceræ, retenta per Moniales altera quarta parte; ſed ſi tumulandus ſit de aliena Parochia, tunc Parochus Cadaveris recipit ceræ medietatem, & altera medietas dividitur inter Moniales, & Parochum ipſum, intra cujus Parochiæ fines ſita eſt Eccleſia Monialium.

Quoad exempla Anniverſaria in ſuffragium Defunctorum tumulatorum in Eccleſia Monialium juxta ea, quæ proponuntur in ſecundo dubio, Parochus inſiſtit conſuetudini, redactaque demum controverſia ad ultimam tertii dubii partem, hoc eſt, ad jus admininiſtrandi Sacramenta tam in vita, quàm in morte, & ad jus tribuendi ſepulturam nonnullis Tertiariis, qui Monialibus inſerviunt, regula juris eſt, quod famuli inſervientes Monialibus, tenentur ſatisfacere præcepto Paſchali in Eccleſia Parochiali, & quod ad Parochum pertinet, iiſdem infirmis Sacramenta adminiſtrare, & quod eorum

rum cadavera ſunt in Parochia ſepelienda, niſi ab eis fuerit alibi electa ſepultura, uti reſolutum fuit ab hac Sacra Congregatione in *Barchinonen.* 21. *Januarii* 1723. *in Lauden. Jurium Parochialium* 14. *Aprilis* 1685. *In Spoletana Jurium Parochialium* 10. *Aprilis* 1692. *& in Ulixbonen. Occident.* 19. *Septembr.* 1722. nullâ habita conſideratione, quod famuli prædicti ſint Tertiarii, cum etenim in clauſtro non vivant, idcircò remanent ſubjecti Parocho, tam quoad Sacramenta, quàm quoad funera, uti bene perpendit *Eminentiſs. Petra ad Conſtitutiones Apoſtolicas Tom.*4. *pag.* 473. *num.* 7. Et in terminis horum Tertiariorum, qui inſerviunt hiſce Monialibus Capucinis Civitatis Novariæ reſpondit hæc Sacra Congregatio anno 1640.

At punctum eſt, quod, teſte Eminentiſſimo Ordinario, Tertiarii iſti Habitum recipiunt à Patribus Reformatis, & incedunt ſub illorum Cruce in Proceſſionibus; quo ſtante, operæ pretium eſt ponderare, an ſupra relatæ regulæ juris obſtet Conſtitutio Sanctiſſimi Domini Noſtri, edita anoo 1725. in qua univerſa privilegia toti Tertiariorum cœtui, in tres Status diſtincto, Sæcularium ſcilicet, Collegialiter viventium, & Regularium, a Summis Pontificibus conceſſa confirmantur, ipſique Tertiarii omnimodæ juriſdictioni, & regimini Miniſtri Generalis totius Ordinis Minorum, pro tempore extituri, denuò ſubjiciuntur, & commendantur.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere.

I. An occaſione delationis Cadaverum ſive Parochiæ Sanctæ Crucis, ſive alienæ ad Eccleſiam exteriorem Monialium Capucinarum Parocho Sanctæ Crucis pertineat jus funerum cum Cruce, & Stola privativè ad Confeſſarium dictarum Monialium, ſeu potius ipſi Confeſſario, & an in ſuppoſito debeatur ipſi Parocho quarta funeris ceræ, etiam poſitæ ſuper Altare, eſto, quod Cadaver ſit alienæ Parochiæ?

II. An poſſit Parochus in eadem Eccleſia, & in ſuffragium Defunctorum inibi tumulatorum, explere Anniverſaria cum Officio, & Miſſa in cantu, ſive ex devotione Hæredum, ſive ex diſpoſitione Teſtatorum?

III. An liceat ipſi Parocho in Sabbatho Sancto benedicere Collocutoriis, aut Januæ Monaſterii, vel Hoſpitio Tertiariorum connexi, tum etiam Tertiariis ipſis adminiſtrare Sacramenta, ſive in vita, ſive in morte, vel eorum exequias peragere pro tumulo intra ipſam Eccleſiam?

IV. An valeat Parochus in dicta Eccleſia aſſiſtere Matrimoniis, vel eorum denuntiationes facere, aut benedictiones Mulierum poſt partum, vel ſimiles impertiri in caſu.

Ad quæ 23. Auguſti anni 1727. à Sacra Congregatione fuit reſolutum.

Ad Primum. Ad primam *dubii* partem affirmativè; ad ſecundam, negativè; ad tertiam, ſervetur ſolitum.

Ad ſecundum. Affirmativè, quoad Anniverſarium relictum à Pedrellio (*Teſtatore*) & quoad alia coadjuventur probationes.

Ad tertium. Negativè, quoad primam partem, & ad ſecundam, ad Mentem.

Ad Quartum. Negativè, & amplius in omnibus *non proponatur*.

C. Card. Origus Præf.

P. de Lambertinis Secret.

Ex Lib. 77. *Decret. Secret. S.Congr. fol.* 396. 458. 517. *& in theſauro Reſolut. tom.*4. *fol.* 82. *&* 103.

Ad commendationem F. Auguſtini Mariæ â Lugano attentam voluntatem â ſe geri, Sereniſſimæ Hungariæ, Bohemiæ &c. Reginæ Mariæ Thereſiæ reſcribit.

A Tergo. *Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Mariæ Thereſiæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OFficia Majeſtatis Tuæ â Nobis plurimi fiunt, & fieri profectò debent: ſic enim poſtulat, & Religioſa Tua in Vos, atque Apoſtolicam Sedem obſervantia, & inſita animo noſtro opinio, neminem abs Te commendatum iri, quem regia benignitate dignum non reputaveris. Itaque non dubites, quin ſedulò rationem habituri ſimus Dilecti Filii Auguſtini Mariæ â Lugano, Sodalis Capucini, ubi de aliquo eligendo Epiſcopo in Ditione tua Mediolanenſi deliberandum Nobis fuerit. Tunc ſiquidem, ut â Nobis diligenter petis, ad ejus virtutem, partaque ſibi merita, graviſſimo Majeſtatis Tuæ teſtimonio comprobata, accuratè reſpiciemus, & quantùm pro rerum conditione fieri poterit, dabimus operam, ut commendationem Tuam non leve apud Nos pondus habuiſſe intelligatur.

Inte-

Interim Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem, Paternæ Charitatis pignus, amantiſſimè impartimur. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœc. die VIII. Junii MDCCXLI.

I. V. Luccheſinus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brevium ad Principes.

N O T A.

SUos Natales debet Pater Auguſtinus Maria præmemoratus Lugano, Cantonum Helvetorum Toparchiæ, & Luganum debet P. Auguſtino Mariæ decus, quod ex hujus ſortitur merito; *in patriam enim redundat Civium gloria, acquiſita virtute.* Sociam hanc habuit jam ephebea Auguſtini ætas, eaque non ſolùm clarum ex Patritia, Sago, togaque celebri Nevronum Familia ortum illuſtravit, verum etiam illâ impellente, Sancto P. Franciſco per jurata Religionis vota ſeſe dicavit. Provincia, ut Eum formaret in Virum perfectum, prælegendis humanis diviniſque Scientiis, illum præfecit, & majoribus officiis adaptavit. Cumque Dominus Ei dediſſet vocem, vocem virtutis, non ſolùm primas Italiæ Civitates facundi ſui zeli habuit teſtes, ſed & dignus eſt habitus, ut non ſemel in conſpectu Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Joannis V. & Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI. per integrum decennium Evangelicæ legis myſteria explanaret.

Ab hoc eodem optimo, & Religionem noſtram verè paterni amoris affectu complectente Orbis Principe rei Eccleſiaſticæ Concilio Viennæ fuit aggregatus, ac ob graviſſima Aulæ negotia ad alteſatum Regem ablegatus, nactuſque lugubrem infeliceemque ex parte honorem, eidem Cæſari in ultima mortis lucta aſſiſtendi.

Ab ejuſdem Filia Sereniſſima Hungariæ, Bohemiæ &c. Regina Maria Thereſia, poſtmodum ceu Regius actualis Theologus Romam ad arduum Juris Eccleſiaſtici negotium tractandum miſſus, fuit & eadem occaſione Summo Pontifici commendatus per literas, ad quas præpoſitum Breve erat reſponſivum, & quæ erant tenoris ſequentis.

B E A T I S S I M E   P A T E R.

Decem ab hinc annis Colendiſſimus Dominus, ac Genitor noſter Romanorum Imperator, glorioſiſſimæ memoriæ, operâ, & conſiliis Honorabilis Religioſi Patris Auguſtini Mariæ à Lugano Capucini, Viri in Domum noſtram ſtudioſiſſimi, multiſque proinde nominibus, ac titulis de eadem optimè meriti, uſus eſt, quod quidem Sanctitatem veſtram latere haud arbitramur. Nos libenter ſanè Eundem in his partibus alicui Eccleſiæ Cathedrali præficeremus, niſi ipſus ſe noſtri patrii idiomatis, Mitrato Myſtæ maximè neceſſarii, pro modeſtia, ac probitate ſua fateretur expertem, dignitate aliàs longè digniſſimus. Quare Eum, ſi in Ditionibus noſtris per Italiam, aliquam Sedem Epiſcopalem proximè vacare, contingere poſſet, cujus Patronatus jure haud polleremus, Sanctitati veſtræ Eundem de Sancta Eccleſia, & Nobis, Domoque noſtra tam bene meritum, ut ipſum aliquo Epiſcopatu præmietur, ex animo commendatum optaremus, inſignem gratiam hanc Pontificiam, P. Auguſtino collatam, beneficii loco repoſituræ. Et quod ſupereſt &c.

Datum Viennæ die 26. Aprilis 1741.

M. Thereſia.

Quemadmodum ab Alma Urbe abſens à Clemente Papa XII. in teſtimonium rerum, pro Eccleſia bene geſtarum Apoſtolicam Benedictionem, Vaticanoſque applauſus, ipſi tum Ulyſſipone, tum Viennæ per Apoſtolicos DD. Nuntios patefactos promeruit, ita Benedictus XIV. Eum ibi commorantem ſibi acceptum ſemper habuit, Examinatorem Epiſcoporum conſtituit, fixum ad ſe acceſſum conceſſit, donis cumulavit, & plura alia Pontificiæ Clementiæ Ei dedit argumenta.



PROVINCIA BRIXIENSIS.

MUltiplicatam quaſi germen agri dederat Dominus *Provinciam Mediolanenſem*, *& diſperſâ per Statum hujuſmodi*, *& Territorium Brixienſe Conventuum fœcunditate ita* multiplicata, & grandis *effecta fuerat*, *ut*, *dum omnes perſonali P. Miniſtri Provincialis viſitatione gaudere haud valebant*, *eam Anno* 1587. *in duas diſcriminari neceſſum fuerit*, *in Provincias videlicet Mediolanenſem*, *& Brixienſem*.

In hac primum Fratres noſtri incolatum ceperunt jam 1535. *in Civitate Bergomi*, *prout Auctor Libri*, *qui* Vinea Bergomenſis *inſcribitur*, *his commemorat verbis*, *parte* 2. *cap.* 117. Aliqui ferventiſſimi, & religioſiſſimi Operarii ingreſſi ſunt hanc Vineam, quando Fratres, dicti Capucini, D. Franciſci Patris, ſuæ Regulæ obſervantiſſimi Anno 1535. die 2. Maji Bergomum venerunt, & in Ædicula S. Alexandri Trans Murgulam reſidere cœperunt, & adhuc non modica obſervantia reſident.

Apoſtolicus labor, *quo hæc Provincia*, *in opus Evangelii ſegregata Depoſitum Fidei in* 19. *Miſſionum locis cuſtodit*, *& Viri*, *quos ad publica Religionis commoda educavit*, *ſunt juſta*, *decoraque illius laudatio*. *Laborem*, *collectus in horrea Eccleſiæ fructus*, *Miſſionariorum generoſa in perſecutione conſtantia*, *& data iis Epiſcoporum Curienſium &c. encomia copioſè teſtantur*. *Inter Viros Ordinis celebres*, *primas tenet F. Marcus Antonius à Carpenedulo*, *S.R. Inquiſitionis Conſultor*, *per duodecim annos continuos Pontificia diſpenſatione Curiæ Procurator*, *ac tandem totius Ordinis Miniſter Generalis*, *cujus virtutem Populus Hiſpanus*, *Germanus*, *Gallus &c. devoto ad eum accurſu coluit & cujus doctrinam plura typis edita opera*, *ac manuſcripta*, *in Bibliotheca Brixienſi aſſervata*, *dignè commendant*.

Generalem Ordinis Procuram itidem adminiſtravit Fr. Joannes Baptiſta à Sabbio ex nobili, *& pervetuſta Carampellorum Familia*, *qui agendorum prudentia*, *& morum candore Ven. Dei Servo Incocentio XI. diſtinctè charus*, *& ab eodem Eccleſiæ Prælatis*, *ceu vivum virtutis ſpeculum*, *& exemplar*, *ad ſequelam fuit propoſitum*.

Definitorio Generali aſſedit Frater Mathias à Salodio, *poſtquam in Galliam*, *& Germaniam commiſſaria auctoritate ad fundandas Domos ablegatus*, *& felici ſucceſſu hac Spartâ fuiſſet functus*. *Habuit hic meritorum ſuorum Encomiaſtes Eminentiſſimos*, *videlicet Cardinales S. Carolum*, *& Fridericum Borromæos*, *Philippum Spinellum*, *& Robertum Bellarminum*, *quorum primus Mathiam Virum* Spiritu Dei plenum, *Secundus* Terrorem, *Tertius* Virum doctum, & Sanctum, *Quartus* Olivam fructiferam in Domo Dei, & Eccleſia Chriſti nominârunt, *fueruntque poſt plurium annorum ſpatium tum ejus lingua*, *quâ per Italiam*, *& Germaniam*, *velut imbres effudit eloquia Sapientiæ ſuæ*, *tum pollex*, *quo medio*, *plura opera typis cuſa*, *vel ad memoriam aliàs aſſervata conſcri-*

pſit, à labe & tabe intacti reperti, & per ejus interceſſionem plurimæ gratiæ à Deo conceſſæ, quas Boverius tom. 2. Annalium fol. 681. ſpecificè enarrat.

Complectitur defacto
Domos Fratrum XXXII.
Miſſiones ſtabiles XIX.
Hoſpitium I.
Monaſteria Monialium V.

Monaſterium Monialium S. Urbani Brixiæ Fratribus pro habitatione alienari, & econtra Domum cum aliis proprietatibus, â quondam Clara Armana Fratribus legatam, renuntiari &c. Vicario Generali Epiſcopi Brixienſis committit.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Brixienſis in ſpiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAſtoralis Officii debitum Nos excitat, & inducit, ut votis illis gratum præſtemus aſſenſum, per quæ perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium commoditatibus valeat ſalubriter provideri. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii Monialium S. Urbani Brixienſis, Ordinis Beatæ Mariæ Virginis, ſecundùm regularia inſtituta S. Auguſtini viventium, & Dilectorum Filiorum moderni Provincialis Domorum Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Mediolanenſis, ac Durantis de Durantibus, Præpoſiti Præpoſituræ S. Mariæ Magdalenæ, etiam Brixienſis, olim Ordinis Humiliatorum, Apoſtolica Auctoritate ſuppreſſi, & extincti, petitio continebat, quod de Anno Domini milleſimo quingenteſimo tertio decimo, tunc exiſtens Archipresbyter Eccleſiæ Brixien., quamdam Eccleſiam ejuſdem S. Urbani, etiam Brixien., cum quibuſdam domunculis, ac horto illi adjunctis, quæ poſſidebat, conceſſit quibuſdam Mulieribus, Deo invocato, pro inchoando unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, & ſub Regula ejuſdem S. Auguſtini, cum onere ſolvendi prædicto, & pro tempore exiſtenti ipſius Eccleſiæ Brixien. Archipresbytero unum Ducatum auri de Camera quomodolibet anno in perpetuum, ita ut Monaſterium ipſum, illiuſque Abbatiſſa, & Conventus ſemper deberent eſſe ſub protectione, & regimine, ac gubernio tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus dicti Archipresbyteri, & nunquam ſe, quavis etiam Apoſtolica Auctoritate, à cura, & regimine, viſitatione, & correctione prædictis eximere, & retrahere, aut aliorum curæ ſe ſubjicere valerent. Et ſi aliquando contingeret Abbatiſſam, & Conventum hujuſmodi, dictum locum, ſeu Monaſterium deſerere, tunc, & eo caſu dicta Eccleſia S. Urbani, cum Domunculis, & horto prædictis, ac omnibus melioramentis inibi factis, deberent liberè reverti ad ipſum Archipresbyterum, dictamque conceſſionem, ac omnia, & ſingula in Inſtrumento publico deſuper confecto contenta, fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor Noſter approbavit, & apud dictam Eccleſiam S. Urbani Monaſterium hujuſmodi conſtruendi licentiam tribuit, &, poſtquam ſic conſtructum foret, illud ex tunc, prout ex ea die, & econtra in Monaſterium Monialium erexit: necnon anno ejuſdem Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono quondam Eliſabetha de Pinto Nobilis Mulier Brixien. in ſuo ultimo, quod condidit, teſtamento, inſtituit Moniales dicti Monaſterii pro medietate hæredes omnium, & quorumcumque bonorum ſuorum, inter alia adjecto, quod ſi Moniales prædictæ relinquerent, ſeu deſererent Monaſterium prædictum, & ad aliud ſe transferrent, tunc, & eo caſu caderent ab hæreditate præfata, & eo caſu ſubſtituit Confraternitatem S. Urſulæ, ſimiliter Brixien. in locum dictarum Monialium, noviſſimè verò bo. mem. Carolus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus, ac Eccleſiæ Mediolanen. ex diſpenſatione Apoſtolica Præſul, ac Viſitator Apoſtolicus Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum locorum Eccleſiaſticorum Brixien. inter alia viſitando dictum Monaſterium, pro eo, quod non erat adeo munitum clauſura, & prope Arcem Civitatis Brixien., & in vico remoto, & abſtruſo ſitum conſiſtebat, aliiſque for-

forſan de cauſis decrevit omnino Moniales prædictas transferendas eſſe ad alium tutiorem, & magis congruentem locum, & hoc judicio, & arbitratu tunc exiſtentis Epiſcopi Brixien. unde Abbatiſſa, & Conventus hujuſmodi, uti obedientiæ Filiæ cupientes ordinationi, ſeu decreto prædicto obedire, convenerunt cum dicto Durante de emendo ſitu, ſeu loco Monaſterii dictæ Præpoſituræ, cum uſu illius Eccleſiæ decenti, & longè apto, & pluribus civium, & honeſtarum perſonarum ædificiis circumſepto, & per dictum Epiſcopum ad hunc effectum inſpecto, & approbato, cum ſedimine, horto, fronte, clauſtro domibus, fabricis, membris, ac pertinentiis ſuis, pro livello annuo ſexcentarum librarum monetæ illarum partium, incipiente illius ſolutione in fine anni incepturi à die habitæ pacificæ poſſeſſionis Monaſterii dictæ Præpoſituræ cum pacto, quod dicta Abbatiſſa, & Conventus à dicto livello, ac ejus onere ſe liberare, & affrancare poſſent, ſolvendo dicto Præpoſito duodecim mille libras, convertendas in emptionem unius domus pro uſu, habitatione, & neceſſitate dicti Durantis, & Succeſſorum ſuorum in dicta Præpoſitura, aut aliis ſtabilibus bonis, ac juribus aquarum pro irrigandis bonis ſtabilibus ejuſdem Præpoſituræ, & aliàs, prout eidem Præpoſito expedire videretur, ſeu poſſent aſſignare tot dominia directa, aut proprietates idoneas, & ſecuras in dicta Civitate Brixien., vel illius clauſura, aut alibi, ex quibus ipſe Præpoſitus dictum livellum annuatim perciperet, in evidentem dictæ præpoſituræ utilitatem, ipſeque Præpoſitus nihilominus teneretur, ad celebrationem unius miſſæ in Eccleſia dictæ præpoſituræ. Sed quia ipſa Abbatiſſa, & Conventus ob earum paupertatem pretium prædictum perſolvendi modum non habent, ſitum, locum, & uſum dicti Monaſterii S. Urbani, ac Eccleſiæ, Sacrarii, & totius ſediminis, ac ædificiorum intra dicti Monaſterii S. Urbani clauſtra tantum comprehenſorum cum aliis fabricis, & ædificiis intra dicta clauſtra comprehenſis, Profeſſoribus Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum hujuſmodi vendere, ipſi verò Profeſſores Capucini, quibus aliàs quondam Clara Armana mulier Brixien. in ſuo ultimo, quod condidit, teſtamento, legavit quamdam ejus domum, in dicta Civitate ſitam, unà cum certis aliis proprietatibus, ad hoc, ut inibi conſtrueretur una Domus dictorum Fratrum Capucinorum cum Eccleſia pro eorum uſu, commodo, & habitatione maximè infirmorum, ac ſub conditione, quod, ſi Eccleſia, & Domus hujuſmodi non conſtrueretur, dicti Fratres caderent ab hæreditate, & eorum loco eo caſu evento dilectum Filium Paulum Stellam, & alios, prout in dicto Claræ teſtamento dicitur contineri, ſubſtituit, ſed Commiſſarii, & Executores dicti teſtamenti ipſius Claræ, attendentes dictam Domum eis, ut præmittitur, relictam, tum ob ejus anguſtiam, tum ob qualitatem loci in medio dictæ Civitatis exiſtentis, & â multitudine perſonarum, jugiter frequentati, aptam non eſſe, ipſumque Monaſterium Sancti Urbani pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum commodum exiſtere, eamdem Domum dictis Fratribus, ut præfertur, relictam, cum certis propreitatibus illius in emptionem, dicti Monaſterii S. Urbani alienare, & in recognitionem dominii, & proprietatis annuum cenſum, ſeu livellum ſexcentarum librarum monetæ, earumdem partium, in fine anni incepturi â die habitæ, pacificæ poſſeſſionis dicti Monaſterii S. Urbani computandi: nec non tres mille libras planetorum ſtatim habita dicti Monaſterii S. Urbani, per dictos Fratres Capucinos poſſeſſione, ipſius Abbatiſſæ, & Conventui ſolvere intendunt, cum pacto, quod ſe â dicto cenſu, ſeu livello ſexcentarum librarum, ac ejus onere, liberare, & affrancare poſſent, ſolvendo dictis Abbatiſſæ, & Conventui duodecim mille libras ſimiles in emptionem alicujus aptioris, & commodioris loci, pro uſu, & habitatione dictarum Monialium, & pro dicta liberatioue, & affrancatione, ejuſdem Abbatiſſæ & Conventui aſſignare, tot directa dominia, ſeu proprietates idoneas, cautas, & ſecuras in dicta Civitate, vel clauſuris ipſius Civitatis, ex quibus ipſæ Moniales annuatim percipiant dictum cenſum, ſeu livellum ſexcentarum librarum, ſi ad id eis Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur, & facultas. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus, ac Provincialis, nec non Durantis prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac Abbatiſſam, & ſingulares Perſonas Conventus, ac Provincialem, & Durantem præfatos, ac eorum ſingulos, â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac tenores conceſſionis Eccleſiæ Sancti Urbani, ac literarum, & Inſtrumentorum, ſeu ſcripturarum deſuper confectarum, ac ultimarum voluntatum & teſtamentorum, nec non ſituationes, confines, vocabula, denominationes, nuncupationes, & annuos valores Monaſterii, Domus, & Præpoſituræ hujuſmodi, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſuppli-

pli-

plicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Te de præmiſſis diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi repereris præmiſſa veritate niti, tunc Abbatiſſæ, & Conventui, ut ſitum locum, & uſum dicti Monaſterii Sancti Urbani, ac illius Eccleſiæ, Sacrarii, totius ſediminis, ac ædificiorum, intra ejuſdem Monaſterii S. Urbani clauſtra tantum comprehenſorum, cum aliis fabricis, & ædificiis intra clauſtra prædicta comprehenſis, ipſis Fratribus Capucinis, pro annuo cenſu, ſeu livello ſexcentarum librarum, pro pretio duodecim millium librarum, ut præfertur, redimendo, nec non tribus mille libris ſolvendis, ſtatim habitâ dicti Monaſterii Sancti Urbani, per ipſos Fratres Capucinos poſſeſſione, nec non Fratribus Capucinis pro annuo cenſu, ſeu livello ſexcentarum librarum, pro pretio duodecim millium librarum, ut præfertur, redimendo, nec non perſonis meliorem conditionem offerentibus, ad effectum ſolvendi cenſum ſexcentarum, & pretium duodecim mille librarum hujuſmodi, nec non Duranti prædictis ſitum, & locum dictæ Præpoſituræ, ac uſum illius Eccleſiæ, cum ſedimine, horto fronte, clauſtro, domibus, fabricis, membris, & pertinentiis ſuis, eiſdem Abbatiſſæ, & Conventui, pro annuo cenſu ſexcentarum librarum, ut præfertur, ſolvendo, ac pretio duodecim millium librarum, ut præfertur, convertendo, in emptionem unius Domus, pro uſu, & habitatione, ac neceſſitate dicti Præpoſiti, aut aliorum bonorum ſtabilium, aut jurium aquarum, pro irrigandis bonis ſtabilibus dictæ Præpoſituræ, prout ipſi Præpoſito melius videbitur, in perpetuum vendere, & alienare valeant, ita, ut Fratribus olim Ordinis Humiliatorum hujuſmodi in dicta præpoſitura exiſtentibus, quibus idem Durantes tenetur, & non aliis per dictas Abbatiſſam, & Conventum provideatur, excepto, dilecto filio Hieronymo Valle, Fratre olim dicti Ordinis Humiliatorum, cui providendum erit per dictum Præpoſitum, quoad vixerit, & eo defuncto teneatur in perpetuum, alium ejuſdem ſuppreſſi Ordinis Humiliatorum, ſi extiterit, vel alium Sacerdotem in ejus locum ſurrogare, qui ad Altare Majus dictæ Præpoſituræ Miſſas, pro eodem Præpoſito celebrare debeat, & dicto Altari Majori remaneant paramenta, Calices, Cruces, & alia utenſilia, ac Abbatiſſa & Conventus hujuſmodi, omnia alia onera dictæ præpoſituræ, pro cultus divini manutentione, incumbentia perferre omnino teneantur, licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra concedas, nec non Abbatiſſam, & Conventum hujuſmodi à juriſdictione, & ſuperioritate dicti Archipresbyteri, dicta auctoritate liberes, ac illas loci Ordinario ſubjicias, remanente tamen firma ſolutione unius ducati prædicti, per Fratres Capucinos, ſeu Abbatiſſam, & Conventum hujuſmodi, eidem Archipresbytero, uti antea, facienda, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpetrandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere; irritum quoque, & inane decernas, ſi ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conceſſione dictæ Eccleſiæ Sancti Urbani per dictum Archipresbyterum, ut præfertur, facta, ac literis dicti Prædeceſſoris, deſuper confectis, nec non Eliſabethæ, & Claræ prædictarum voluntatibus, quas, quoad hoc ſpecialiter, & expreſsè commutamus & aliis præmiſſis, ac noſtra de non tollendo jure quæſito, nec non piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. de non recipiendis novis locis, ad habitandum per Fratres Mendicantes, ac recol. mem. Pauli Papæ II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Monaſterii, & Ordinum prædiſtorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo idibus Junii. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Ex Archivo Bullarum, Secret. Brevium Apoſtolicorum Anni præd. fol. 301.

Monialibus Brixiæ ad ſonum Meridiei Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſemel recitantibus, Apoſtolicam Benedictionem in perpetuum largitur.

SI-

SIXTUS PAPA V.

Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Capucinis Civitatis Brixien. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam &c. precibus etiam pro parte Dilectæ in Chriſto Filiæ Gratioſæ de Suavis Monialis, Gubernatricis veſtri Monaſterii, veſtroque omnium nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis intenti, atque inclinati, Vobis omnibus, & ſingulis nunc, & pro tempore exiſtentibus, quæ ad ſonum campanæ meridiei quotidie ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam devotè recitaveritis, ac pro Sanctæ Sedis Apoſtolicæ exaltatione, proque Infidelium ad veram Chriſti Fidem converſione, pias ad Deum, & ad ejus Genitricem Mariam preces effuderitis, Nos, ex parte Omnipotentis Dei, benedictionem Noſtram quotidianam impendimus, atque elargimur. Præſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die XXI. Septembris MDLXXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno quarto.

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 47.

Ædes antiqui Monaſterii vendendi &c. Syndico Monialium Cremæ concedit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Cremen. ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit nomine Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Conventus Monaſterii Monialium, Capucinarum nuncupatarum, Cremen. quod ipſæ conſiderantes earum Monaſterium in loco anguſto, & minus commodo ſitum exiſtere, aliud Monaſterium in Civitate Cremen. piorum eleemoſynis fabricari fecerunt, & ad illud, de Tua, & Superiorum ſuorum licentia, ſe tranſtulerunt, ac ratione conſtructionis novi Monaſterii hujuſmodi, grave æs alienum contraxerunt, quod diſſolvere, ac Monaſterium hujuſmodi perficere non poſſunt, niſi ex venditione quarumdam ædium dicti antiqui Monaſterii. Quare pro parte Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Conventus prædicti, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ædes hujuſmodi vendendi facultatem concedere, aliaſque deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, ac ſingulares Perſonas Conventus hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon prædictarum ædium ſituationes, confines, vocabula, denominationes, & qualitates præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus de præmiſſis Te diligenter informes, &, ſi per informationem eamdem, ita eſſe repereris, Syndico dicti Monaſterii, Ædes antiqui Monaſterii hujuſmodi, Eccleſiâ, & Cœmeterio exceptis, cuivis perſonæ meliorem conditionem offerenti, vendendi, ac pecunias ex venditione hujuſmodi provenientes, in ſumptus pro perfectione ædificiorum novi, & illius Eccleſiæ hujuſmodi neceſſarios, & non alios uſus convertendi, ita tamen, quod venditio, & pretii converſio hujuſmodi, unico contextu fiant, licentiam, auctoritate Noſtra, concedas. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. record. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon Monaſterii, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Decembris MDCXIII. Pontificatus Noſtri Anno nono.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 9.

EPISTOLA

Sacræ Congregationis Epiſc. & Regular.

Fratres in Monaſterium, ad S. Joannem Baptiſtam nuncupatum introduci, Epiſcopo Curienſi committit.

AMplitudinis Tuæ ad Sacram hanc Congregationem tertio Idus Auguſti datis, Illuſtriſſimi Patres reſponderi juſſerunt, ſe æqui, boniquе conſulere, ut Fratres Ordinis Capucinorum in Monaſterium, ad Sanctum Joannem Baptiſtam nnncupatum, ab Amplitudine Tua introducantur, ut Regularem illius Diſciplinam reſtituant, ac propterea eidem

Am-

Amplitudini Tuæ facultatem, ad id neceſſariam impertiuntur, dummodo hoc ſemel fiat tantùm, ac ſimul cum prædictis Fratribus aliæ Perſonæ ſpectatæ probitatis, ab Amplitudine Tua deligendæ, in ipſum Monaſterium ingrediantur.

Quod attinet ad abſolutionem Caſuum, Sanctiſſimo Domino Noſtro in Bulla Cœnæ Domini reſervatorum, iiſdem Illuſtriſſimis Patribus nihil aliud decernere viſum eſt, niſi, ut præfati Fratres Nuntium Apoſtolicum apud Helvetios adeant: de licentia autem libros prohibitos legendi, cum Sanctiſſimo agetur, deinde Amplit. Tua certior fiet. Ego vero &c.

Romæ 16. Octobris 1715.

Ex Reg. Arch. Secret. Congregationis menſis, & anni præd. fol. 145.

Calamitates Eccleſiæ, & Epiſcopatûs Curienſis à Fr. Ignatio à Bergomo ſibi relatas eſſe, Epiſcopo ibidem ſignificat, Eumdemque in ſpem melioris ſortis erigit.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COgnovimus jam pridem, nihil tam ſanctum eſſe, quod non Hæreticorum violare conetur audacia, neque tam bene hac ætate egit cum rebus humanis, ut plurimis careamus eorum impietatis, atque crudelitatis exemplis. Quid enim ab iis metuendum non eſt, qui Apoſtolicæ Sedi, communi totius Orbis Parenti, inſidias quotidie moliuntur, & quantum in ipſis eſt, ruinæ periculum ſtruunt? Proinde, quæ atrocia Griſonum facinora nuper commemoravit Dilectus Filius Frater Ignatius Bergomenſis Capucinus, novas quidem noſtris ex oculis lacrymas elicuerunt, & veterum planè calamitatum Nos admonuerunt. Sanè dici non poteſt, quàm Fraternitatis Tuæ miſereamur, neque cum bona voluntate ſolùm eminus Tua, & Catholicæ Religionis damna contemplamur, ſed planè nihil aliud ſtudemus impenſiùs, quam, ut labentem in iſtis Regionibus Eccleſiam, Pontificia auctoritate, curaque fulciamus. Significavimus id jampridem Fraternitati Tuæ literis Noſtris, in quibus Paſtoralis ſollicitudinis mœrorem planè expreſſum contemplari potuiſti. Quantæ curæ Nobis ſit Italiæ pax, & Catholicæ Religionis dignitas, certè Principes, Regeſque Catholici luculenter teſtari poſſunt. Non enim deſidioſi torpeſcimus tantæ ruinæ Spectatores, ſed nihil intentatum relinquimus, quò in vallis Tellinæ diſcordiis componendis, Catholicæ Religionis ſecuritati conſulatur. Tum porrò Venerabili Fratri Alexandro Epiſcopo Camp. Nuntio Noſtro Apoſtolico mandavimus, ut Epiſcopatus Curienſis ruinas ſarcire, & rationes tueri ſumma ope conetur. Ceterum, cum negotium hoc, Regum potentiſſimorum voluntate, ac ferociſſimarum Nationum armis contineatur, miſericordiarum Patrem aſſiduis precibus rogamus, ut omnibus iis conſimilem Noſtræ mentem det. Si enim in Domo Domini ambulaverimus cum conſenſu, deſperandum non eſt, poſſe aliquando Catholico Nomini dignitatem, oppreſſo autem Epiſcopatui Tuo ſalutem recuperari. Noſtris ſuas precationes adjungere nunquam deſiſtat Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Novembris MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 378.

Fratres Noſtros, ac RR. PP. Jeſuitas in Rhætiam induci, Archiduci Auſtriæ, & Epiſcopo Argentin. &c. Leopoldo commendat.

A tergo. *Venerabili Fratri Leopoldo Epiſcopo Argentin., & Paſſavien.*

GREGORIUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FElicitati tribuendum eſt Fraternitatis Tuæ, quod tam celeriter in Auſtriacæ Domus poteſtatem eas Regiones redegeris, quæ à Griſonibus recuperatæ, ad Tirolenſem Comitatum pertinere dicuntur, nunc pietatis tuæ erit, id efficere, ut felices etiam Populi videantur, quorum impetus contudiſti, & legiones profligaſti, continget autem id, vel maximè, ſi, cum eos ex hæreticorum ſervitio tua arma exemerint, operam diligenter dederis, ut ab inferorum quoque hoſtium tyrannide liberentur. Id à Te Catholica Eccleſia non ſolum flagitat, ſed exigit, ut jure, ac pietate Fraternitatem Tuam in eo prælio ductam eſſe, compertum ſit. Interfuit profectò eorum Populorum vinci à Fraternitate Tua, ſi ab eorum regimine hæreticos Præfe-

ctos

ctos prohibueris, ſi impios Concionatores zizania ſerentes, & diabolicis laqueis plebem Domini vincientes inde pro imperio extermi.naveris, illucque Capucinos, Jeſuitas, cæteroſque Eccleſiaſticæ Vineæ Cultores auctoritas tua introduxerit, ut ſilveſcentem jam diu in illis Gentibus Dominicum agrum, ubi pro frumento eminent tribuli, & pro hordeo ſpinæ, ardentibus charitatis flammis mitigent, & gladio ancipite Verbi Dei inutiles ramos amputent, iiſque ſeminibus fœcundent, quorum proventus Angelorum conviviis, ipſique æterno Patrifamilias ſuaviſſimi ſint. Id, ſi Fraternitas Tua, quod Te in viſceribus Jeſu Chriſti hortamur, præſtiteris, Tibi non ſolum libertatem, qua ſub bonis Principibus Provinciæ ſubjectæ feliciter perfruuntur, ſed æternæ quoque ſalutis ſpem, in quam ad Catholicæ Eccleſiæ obſequium redeuntes venire poterunt, ii Populi magna ex parte debebunt. Quos certè Auſtriacæ Domui veram Religionem propugnanti, unquam ſatis fidos fore ſuſpicari debes, quouſque ex eorum animis impietatem eliminaveris. Quam ex animo hujus gloriæ incrementum Nomini tuo cupiamus, coram uberiùs ſignificavimus Dilecto Filio Michaeli Willio, Conſiliario Fraternitatis Tuæ, quem libenter complexi ſumus, Tua negotia obeuntem, & ſuis meritis, tuaque benevolentia ſatis ſuperque commendatum. Ven. Fratri Joanni Epiſcopo Curienſi ea loca viſitandi, & auctoritate tua ſuffrageris, iterum petimus à Fraternitate Tua; cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſexta Januarii MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Aut. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. ad Principes *Reg. menſ.*, *& anni præd. fol.* 450.

In ſubſidium rei Eccleſiaſticæ, in Rhetia &c. nutantis, in Alma Urbe, aliiſque Civitatibus, & locis ſtipem â Fratre Ignatio â Bergomo colligi, & ab eo ipſo Pauperum, & Locorum Piorum neceſſitatibus ſuccurri mandat.

A tergo: *Dilecto Filio Ignatio de Bergomo Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TUA ſingularis pietas, & in proximum Charitatis, ac ardens Religionis propagandæ zelus, quibus Te novimus â Domino inſignitum, Nos inducunt, ut operâ tuâ in præſentibus neceſſitatibus utendum duxerimus, ſperantes in Domino, fore, ut juxta animi noſtri deſiderium, quæ Tibi commiſerimus, cumulatè, & rectè ſis expleturus.

Cum itaque pro Catholicorum Germaniæ fœdere, contra Catholicæ Fidei hoſtes, ad ejuſdem Fidei defenſionem inito, præter alios graviſſimos ſumptus, quos hactenus fecimus, & ad eandem Fidem in univerſo Orbe propagandam, pro quâ unam Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem deputavimus, longè majores, quam vires Cameræ noſtræ Apoſtolicæ patiantur, impenſæ faciendæ ſint, & propterea Fidelium auxilinm ſit neceſſarium, ideò Te ad hujuſmodi ſubventiones procurandum, & colligendum deſtinare decrevimus.

Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Tibi per præſentes in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus, ut ſubventiones hujuſmodi, tam in Alma Urbe Noſtra, quam in aliis Civitatibus, Terris, & locis, ad quæ, ut Te ad hunc effectum transferas, expediens eſſe judicaveris, necnon iis in locis, ad quæ perſonaliter accedere non potueris, per aliquem ex ſociis per Te electis, qui Tibi ad hoc idonei videbuntur, procures, & colligas, Tibique, ut præmiſſa omnia, facilius peragere valeas, ê Domo tuæ Regulari, ac etiam extra Urbem præfatam, quando opus fuerit, egredi, ac ſocios neceſſarios, & idoneos, qui Te in præmiſſis coadjuvent, aſſumere, necnon pecunias, gemmas, & alia, quæ pro ſubventionibus hujuſmodi colligentur, in locis opportunis, donec illa, juxta Mandatum noſtrum aliò transferentur, deponere, & deponi facere, ac quibuſvis locorum Ordinariis, ſubventiones præfatas in Civitatibus, Terris, & locis ſuarum Diœceſum modis, & formis ſibi magis beneviſis promoveant, ſubventioneſque prædictas, ut illis contribuant, Chriſtifidelibus per Verbi Dei prædicationes commendari faciant, noſtro Nomine ſcribere, necnon in locis, ubi non fuerint Epiſcopi, ſeu Vicarii, Verbum Dei prædicare, & Chriſtifidelium confeſſiones audire, illiſque abſolutionem, injunctis injungendis, impendere liberè, & licitè valeas, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Præ-

Præterea, quoniam extra negotium hujuſmodi contingere poterit, ut pauperibus piorum eleemoſynis ſubvenire poſſis, Tibi pariter in virtute S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut ex Piorum Chriſtifidelium eleemoſynis, Tibi pro tempore concedendis, pauperum Perſonarum, & piorum locorum neceſſitatibus ſubvenias, & ad hunc effectum etiam eleemoſynas hujuſmodi petas, recipias, teneas, & de illis diſponas, ut præfertur.

Decernentes in præmiſſis, & eorum occaſione Te per Superiores tui Ordinis, quocunque nomine nuncupatos, moleſtari, perturbari, inquietari, aut impediri nullatenus poſſe, vel debere: ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis &c. & Literis Apoſtolicis, ejuſque Superioribus, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis Decretis in contrarium præmiſſorum &c. innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod nullus ejuſdem Ordinis Profeſſor, etiam ad pias cauſas, pecunias petere, illaſque, vel Bancarias, aut alias cedulas in depoſito habere, ſeu pecunias hujuſmodi dare, vel de eis diſponere abſque expreſsâ Superiorum licentia valeat, aut aliàs quomodolibet diſponentibus. Quibus omnibus &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus ad beneplacitum noſtrum duntaxat duraturis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XV. Maji MDCXXII. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Ex Lib. intitulato Hiſtoria Miſſionum in Rhætia, *Auctore P. Clemente Brixienſi fol. 23. & ſeq.*

Eidem Fr. Ignatio in locis Miſſionum Vallis Tellinæ, & Rhœtiæ, ubi Parochi non eſſent &c. omnia, & ſingula ad curam animarum pertinentia adminiſtrandi licentiam, hancque neceſſariis Ordinis Sociis communicandi facultatem largitur.

Dilecto Filio Ignatio de Bergomo Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſori.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Tua ſingularis pietas, & in proximum charitas, ac ardens religionis propagandæ zelus, quibus Te novimus à Domino inſignitum, Nos inducunt, ut opera tua in rebus infraſcriptis utendum duxerimus; ſperantes in Domino fore, ut, quæ Tibi commiſerimus, cumulatè, & rectè ſis expleturus. Cum itaque pro fidei propagatione, ac hæreſum extirpatione ad Vallis Tellinæ, & Rhœtorum loca à tuis Superioribus miſſus fueris; Nos, ut munus tuum ad ejuſdem fidei propagationem, ac Chriſtifidelium illarum partium animarnm ſalutem melius, & facilius exercere valeas, providere volentes, Tibi in locis prædictis, quæ Epiſcopos non habent, & in quibus non ſunt Parochi, & ubi ſunt Epiſcopi, de eorum licentia, omnia, & ſingula, quæ ad curam Animarum pertinent, exercere, ac præſentem facultatem tot aliis ſociis Tuis, Tui Ordinis Profeſſoribus, quot Tibi neceſſarii videbuntur, in locis tuæ Miſſionis communicare liberè, & licitè valeas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium facultatem concedimus & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Decembris MDCCXXII. Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt., ubi & alia Brevia, quibus facultatem prædictam ad Fratres, etiam non ſocios, & Presbyteros Sæculares extendere, P. Ignatio conceſſum fuit.

Archiducem Auſtriæ Leopoldum de beneficiis Eccleſiæ Dei in Rhætia collatis commendat, & , ut Fr. Ignatii conatus adjuvet, hortatur.

Dilecto Filio Nobili Viro Leopoldo Archiduci Auſtriæ.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

BEneficia certè non perdit, quæ in Eccleſiam Dei adeo frequenter confert Nobilitas tua: ſcimus equidem Pontificum Romanorum Benevolentiam, & propriæ conſcientiæ ſolatia, uberes à Tua pietate exiſtimari, defenſæ Religionis fructus: At grandi quoque fœnore auges Tuæ potentiæ præſidia. Rex enim regum, qui in libro æternitatis deſcribit ſingularia iſta Tuæ Religionis exempla, ſtrenuam fidei orthodoxæ propugnantionem remunerabitur Cœleſti Principatu, Auſtriacam verò potentiam muniet Angelorum excubiis. Hæc præmia Tuæ pietati haud temerè polliceri voluimus, ſtatim ac intelleximus adeo conſtanter, & acriter â Nobilitate Tua propugnatam fuiſſe Catholicæ Religionis dignitatem, cum Griſonum Legati nuper à Te flagitarent, in quibuſdam Provinciis, auctoritati tuæ ſubjectis, impunè commorari poſſe hæreticam impietatem. Perge Nobilis Vir Patrocinio potenti firmare ibi ditionem Petri, ſperamus autem fore, ut bene ſe penitus in Rhœtia habeat res Catholica, ſi pios conatus Religioſi Sacerdotis Ignatii Capucini juvare perſeveraveris. Illum igitur accuratiſſimè commendamus Nobilitati tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Martii MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Aut. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. ad Principes *Reg. menſ. & anni prædict. fol.* 108.

NOTA.

VAs electionis fuit ſæpedictus P. Ignatius â Bergomo, vel, ſi mavis, â Caſnigo, ex honeſto Imbertorum Satu ortus, cum inter Miſſionarios, quos Provincia Brixiæ anno 1621. ad incultam, ſpinis tribuliſque ſcatentem Rhœtiæ vineam plantandam ablegavit, fuerit primus. Ivit & Ignatius gaudens ad laborem, cum ſupra alias virtutes, Zelus propagandæ Orthodoxæ Fidei principem locum in ejus vendicaverit corde.

Cum autem ab inimico homine Zizania ita ſuperſeminari adverteret, ut fructus Evangelii ad Meſſem maturare haud valeret, Eccleſiæ & Principum præſidium imploravit; hinc anno 1622. Romam, ad Gregorium Papam XV. anno 1625. Pariſios, ad Regem Chriſtianiſſimum, anno 1626. demum Romam, ad Urbanum VIII. & 1627. Œnipontum ad Archiducem Leopoldum, & hujus ſuaſu Viennam ad Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum II. ſe contulit, & languentis Miſſionis ſtatum potenti illorum virtuti commendavit. Omnes quidem concurrerunt in auxilium, at effectum impedivit verſipellis hæreticorum furor, hinc, quas contumelias, Ignatius pro Nomine Jeſu paſſus fuerit? judicatu facilè eſt illi, qui vires odii contra Fidem, ferociæ naturæ uniti agnoſcit. Quò magis autem Hæretici ſplendorem Ignatianæ virtutis obfuſcare nitebantur, eò altiore eminuit radio. nam dum fictas maculas contra illum cogitabant, Mulier ex viſo Ignatii vultu in lachrimas ſoluta ſeſe ſubornatam fuiſſe fatetur. Ignatium ubique Magum proclamant, & Equus virtutem ejus genuflexus teſtatur. Calumniis dum hæreticus famam Ignatii impudenter lacerat, Ignatius mortem, ad quam condemnatus jam erat, inimico condonari orat.

In exercitio hujuſmodi virtutum, & Evangelizantis laboris Apoſtolatum ſuum uſque ad annum 1632. continuavit, quo humanas exuvias in ſuaviſſimi odoris fragrantia, 6. Martii depoſuit, exſpectans in Conventu Tirani, donec veniat immutatio ejus.

DECRETO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Articuli, & Conventiones de diviſionibus Eccleſiarum, & earum redditibus pro pluribus Miſſionum locis facti reſcinduntur, & nonnulla alia pro bono Religionis agenda præſcibuntur.

Die X. *Januarii* MDCXXXIV.

REferente Eminentiſſimo D. Cardinali Antonio (Barberino) literas Nuntii Helvetici, Præpoſiti Curienſis, & Patris Irenæi Præfecti Miſſionum Capucinorum Rhætiæ de Conventionibus circa diviſiones Eccleſiarum, & redditiuum earum propoſitis Commiſſariis, qui fuerunt Deputati â Leghis Rhætorum ad componendas differentias inter Capucinos Miſſionarios, & Hæreticos Rhætiæ, Sacra Congregatio decrevit, ut ſequitur.

Primò. Conventiones, & diviſiones prædictas Eccleſiarum, & redditiuum earum inter Catholicos, & Hæreticos eſſe improbandas, & rejiciendas, quia per eas poſitivè probarentur exercitia hæreticorum, eiſque cooperarentur Catholici contra leges divinas, & humanas.

Se-

Secundò. Laudandos eſſe Miſſionarios, qui prædictis diviſionibus, & conventionibus contradixerunt, eaſque rejecerunt, & commonendos, ut eaſdem ſemper rejiciant, illiſque contradicant, & ſe opponant.

Tertiò. Quia non expedit Catholicos in medio Hæreticorum ſine Paſtore Catholico derelinquere; præcipiendum eſſe Patribus Miſſionariis, ne â Miſſione ullo modo diſcedant, ſed in ea permaneant, & exercitia ſua Catholica faciant eo modo, quo poterunt, non tamen in Eccleſiis, ubi hæretici ſua execrabilia exercitia peragunt, redditusque Eccleſiarum, quos poterunt habere, ſine tamen prædictarum Conventionum approbatione, recipiant.

Quartò. Soli P. Bonaventuræ de Valle Tellina, ob cauſas â Præpoſito Curienſi recenſitas, licentiam diſcedendi â Miſſione concedendam eſſe, & Generali Capucinorum præcipiendum, ut ei quamprimnm obedientiam, honorificam tamen, ſtantibus ejus repetitis inſtantiis, pro licentia diſcedendi â Miſſione concedat, & tranſmittat.

Quintò. Hujuſmodi Decretum Nuntio Helvetico mittendum eſſe, ut illud Miſſionariis communicet, eiſque præcipiat, ut illud obſervent juxta illius tenorem, & continentiam.

Sextò. Commonendum eſſe eundem Nuntium, ut Miſſiones Capucinorum Miniſtris Regis Chriſtianiſſimi commendet, eoſque roget, ut Miſſionarios â moleſtiis hæreticorum defendant, juventque, ubi & quando opus fuerit, quia Sacra Congregatio idem præſtabit.

Septimò, & poſtremò ſcribendum eſſe Præpoſito Curienſi, ut Miſſionarios foveat, eoſque juvet cum prædictis Miniſtris, addita in litteris gratiarum actione de iis, quæ hactenus fecit pro prædictis Miſſionariis, & ſcripturis ad S. Congregationem tranſmiſſis.

Ex lib. intitulato Hiſt. Miſſionum FF. Capucin. Provinciæ Brixiæ *fol. mihi* 127. *&* 128.

Legatum pium Eccleſiæ Loci de Pignò applicari, ad inſtantias Fratris Irenæi Præfecti, Epiſcopo Curienſi committit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nuper pro parte Dilecti Filii, Irenæi Præfecti Miſſionum, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Rhætiæ, Nobis expoſitum fuit, quod quondam Stephanus de Pignò Curien. Diœceſis, in certis bonis ſtabilibus unum legatum centum Florenorum, pro duabus Perſonis, quæ pro eo ad Sanctum Jacobum de Galitia peregrinentur, reliquit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Perſonæ non reperiantur, quæ peregrinationem hujuſmòdi cum tam modica proviſione ſuſcipere velint; Nobis propterea dictus Exponens humiliter ſupplicari fecit, ut Legatum prædictum cuidam pauperi Eccleſiæ dicti loci de Pignò applicare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Irenæum ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut legatum centum Florenorum hujuſmodi, dictæ pauperi Eccleſiæ Loci de Pignò, auctoritate Apoſtolica applices. Non obſtantibus voluntate dicti Stephani, quam quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Martii MDCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 13.

Feſtum Dedicationis Eccleſiæ B. Virginis Mariæ de Sagagno, in diem Populo commodiorem transferri, Eidem Epiſcopo committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Curien.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nuper pro parte Dilecti Filii Irenæi, Ordinis Fratrum Minorum, Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſoris, Præfecti Miſſionum Fratrum prædictorum Rhætiæ

Nobis expoſitum fuit, quod Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis de Sagagno in Rhætia, in die Populo valde incommoda celebratur; quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Irenæum, ac Populum prædictum ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei Catholicæ præpoſitorum conſilio, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, ut Feſtum Dedicationis Eccleſiæ prædictæ in alium diem, Populo commodiorem, auctoritate Apoſtolica, transferas. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Martii MDCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Reg. præd.

NOTA.

Succinctam de Vita Patris Irenæi ſupramemorati, & Patris Ignatii in officio Superioris Miſſionum Succeſſoris, Nobis præbet inſcriptio, Imagini ejus in Conventu Brixiæ ita appoſita:

Reverendus Pater Irenæus à Caſali Mauro, ſicut non vulgari vivendi ſtylo conſuetus, ita nec vulgari præconio celebrandus. Per duorum ſupra quadraginta annorum curricula inter Rhætos verſatus, Superiori primo in officio ſuccedens, Orthodoxam Fidem, propemodum collapſam, maximis ſudorum impenſis reſtituit, roboravit, ampliavit, non minùs oratione, & ærumnis, quàm ſtudio, & doctrina, hæreticorum multos tam publicis, quàm privatis altercationibus convicit, eorum malleus, abſque rapina dictus. Si plurimas ejus virtutes, præclaraque geſta noſſe cupis, Empyrea conſule aſtra: diutino languore, in quo mirabili patientia effulſit, confectus, è terris ſublatus, æternis ſociandus, obiit in Conventu Brixiæ die octava Junii Anno Chriſti 1681. *ætatis ſuæ anno* 80. *Religionis verò* 59.

Conceſſionem ſitûs ad Monaſterium ſeu Abbatiam Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii ſpectantis, pro amplianda nova Fabrica Conventus Brixienſis, extra Urbem, ratihabet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Brixienſis, quod aliàs ipſis à tunc exiſtente Epiſcopo Bergomenſi, quidam ſitus ſuper certo monticulo, ſpectante ad Monaſterium, *Abbatia* nuncupatum, Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii, quod Dilectus Filius Annibal Bentivolus, Clericus Ferrarien. ad præſens in Commendam, ad ſui vitam, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica obtinet, ad effectum inibi unum Conventum dicti Ordinis jam inceptum fabricandi conceſſus fuit, verùm quia ſitus hujuſmodi ſatis anguſtus evaſit, ita ut eorumdem Fratribus neceſſitatibus ſervire minimè potuit, præfati Fratres aliam parvam ejuſdem ſitus quantitatem, eidem Conventui pariter contiguam, ſibi concedi deſiderant, præfatuſque Annibal Abbas, præfatam ſitûs hujuſmodi quantitatem, ſeſe eiſdem Fratribus conceſſurum offert, ſi Noſtra, & hujus Sedis Apoſtolicæ ad id ſibi licentia ſuffragetur, & facultas. Nobis dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati. Eidem Annibali Abbati, quod ipſe eiſdem Exponentibus, eam terreni, ſeu ſitus hujuſmodi quantitatem, quæ eorum neceſſitatibus ſufficiat, non tamen tabulas triginta quatuor menſuræ illarum partium excedat, concedere liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac

dicti

dicti Monaſterii, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xxx. Decemb. DMCXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſeptimo.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 46.

N O T A.

Huic eidem Conventui alium ejuſdem Abbatiæ ſitum, pro æquanda Eccleſiæ platea concedi, Epiſtolâ Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regular. Eminentiſſimo Cardinali, & Epiſcopo Brixienſi commiſſum eſt ut ſequitur:

CUM Fratres Capucini Conventus Abbatiæ nuncupati expoſuerint, quod occaſione Fabricæ novæ Eccleſiæ, modico ſitu unius perticæ incirca, valoris ſcutorum decem duntaxat, ſterili, & Abbatiæ Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii, dominium illius habentis, fructum nullum afferente, ad plateam ante Eccleſiam æquandam, indigeant, & ſupplicaverint, quatenus moderno Abbatiæ Poſſeſſori, facultas ſitus hujuſmodi, pro memorato effectu alienandi tribuatur, Eminentiſſimi Domini mei, audita deſuper Eminentiæ Veſtræ relatione, benignè condeſcendunt, & Eminentiæ Veſtræ arbitrio, ac prudentiæ, Oratorum inſtantiis ſatisfaciendi remittunt, dummodo terrenum quantitatem, & valorem prædictum non excedat, Abbas ſponte conceſſioni conſentiat, hæcque ſub reſervatione Dominii directi, & regreſſus pro omni caſu, quo prædictum Conventum, & Eccleſiam deficere contingeret, fiat. Die 12. *Decembris* 1659.

Ex Reg. Secret. Congreg. anni, & menſ. præd. fol. 295.

Paramenta, vel quæcunque alia de ſacra ſupellectile, ex Eccleſia Domûs Brixiæ extrahi prohibet, & prohibitionis copiam in valvis Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ affigi jubet.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi, & manutentioni ornamentorum, & paramentorum Eccleſiæ, Conventus Civitatis Brixien. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac Dilectos Filios Guardianum, & Fratres dicti Conventus ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam quavis auctoritate, ſuperioritate, vel officio fungens, vaſa, Calices, Candelabra, Cruces, lampades, planetas, tunicas, tapetes, & alia paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, tam ex auro, quam argento, vel quavis alia materia confecta, ac ſupellectilia ſacra quæcumque, tam hactenus per quoſcunq; Chriſtifideles dictæ Eccleſiæ donata, & aſſignata, quam imposterum forſan donanda, & aſſignanda quibuſvis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, ſeu locis piis, vel perſonis quibuſcunque commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, prætextu, cauſa, ratione, vel occaſione ex Eccleſia, & Conventu prædictis, ſeu illorum Sacriſtia extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, aut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat quovis modo, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius ſacriſtiæ, aut alio loco perſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XI. Octobris MDCXLVIII. Pontificatus noſtri Anno quinto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 154.

DECRETO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Fratres Provinciæ pro Miſſionibus Rhoetiæ confirmantur, & pro opportuniore harum gubernio varia Ordinantur.

Die 5. Maji 1651.

PRoponente Eminentiſſimo D. Cardinali Ginetto libellum ſupplicem porrectum pro parte PP. Capucinorum Provinciæ Brixienſis, petentium, ut Sacra Congregatio, aut eos à Miſſione Rhoetiæ dimittat, aut opportuna remedia, pro recta dictæ Miſſionis gubernatione præſcribat pro majori ejuſdem Sacræ Congregationis ſervitio, & eorundem Patrum quiete. Eminentiſſimi PP. intuitu ſervitii à Religione Capucinorum in Miſſione Rhoetiæ optimè præſtiti, Patres Provinciæ Brixienſis ad dicta loca confirmaverunt; cum conditione tamen, quod eorum Præfectus Vice-Præfectos, Officiales, & Miſſionarios eligat, & conſtituat ſemper in Capitulo, & Definitorio Provinciali, eoſdem de loco ad locum minimè permutare poſſit abſque ejuſdem Capituli, & Definitorii voto, dummodò non adſit cauſa urgens, quæ dilationem temporis minimè patiatur: inſuper, quod de omnibus, & ſingulis ſupradictis certioretur Sacra Congregatio, ut pro arbitrio ipſius acta probentur, aliàs nulla reputentur.

Quotieſcunque autem Præfectus aliquem ex Miſſionariis reperiat, qui quocumque prætextu ſe difficilem oſtendat exequtioni eorum, quæ per eumdem prædictum Præfectum, aut præſentes Definitores ei fuerint mandata, aut præſcripta, ſive ad remotionem, ſive ad mutationem de loco ad locum, prout ſupra, ſive quoad aſſignationem ſocii, ſive quoad alià quæcumque, regimen Miſſionum concernentia, eumdem ſtatim à Miſſionibus removere poſſit, & debeat, nullâ prorſus habitâ ratione, aut reſpectu ad petitionem, aut inſtantiam cujuſcunque, excepta dumtaxat ipſa Sacra Congregatione.

Inſuper dixerunt, quod nulli ex Miſſionariis, abſque expreſſa Præfecti, aut Definitorii, prout ſupra, obedientia, divertere liceat ſub quocunque prætextu ad loca quæcumque extra Miſſionem, dummodo non ſit de Mandato Sacræ Congregationis de Propaganda Fide: ſecus autem facientes, ipſo facto Officio Miſſionarii, ac facultatibus privati, & ad alias peragendas perpetuò inhabiles remaneant.

A. C. Capponius.

Ex Reg. Procuræ Generalis de Miſſionibus. Vide & infra alia Decreta ad hæc relativa &c.

Fr. Chriſtophorum Tuſculanum â ſe benignè auditum, Conſulibus Rhoetiæ Catholicæ ſignificat, Eoſque de Pontificia cura reddit certiores.

Dilectis Filiis Conſulibus, & Deputatis Rhætorum Catholicorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT ſumma omnia de Noſtra in Vos charitate, ac paterna benevolentia polliceri poſſitis, veſtræ virtutis, ac pietatis eſt. Ac propterea omni Vobis ſtudio, & cura adeſſe Nos cupere, dilectus Filius, ac Religioſus Vir, Frater Chriſtophorus Tuſculanus, ex Capucinorum Ordine teſtabitur. Quem, ut libenter audiremus, veſtra in primis cauſa fuit, quæ Nobis ſemper cordi futura eſt, quæque cum Religione ipſa, ſanctaque hac Sede Maximè conjuncta eſt, & pro qua ſecunda Vobis omnia ab immortali Deo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Julii MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Natalis Rondininus Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſis & anni præd. f.* 42.

DE-

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regular.

Translatio Conventus Fratrum de Loco Curzani ad locum Trinzani, Eminentiſſimo Epiſcopo Brixienſi committitur.

SUpplicantibus Provinciale, & Definitorio Provinciæ Brixienſis, pro facultate transferendi Conventum loci Curzani, ad Terram Trinzani.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſult. Epiſcop. & Regular. præpoſitæ, attentis narratis, cenſuit committendum, prout vigore præſentis Decreti committit Eminentiſſimo Ottobono, Epiſcopo Brixien. ut conſtito ſibi de præmiſſis, & poſtquam fuerit conſtructus novus Conventus, cum Eccleſia, aliiſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, petitam licentiam pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat. Romæ 9. Maji 1664.

M. Card. Ginettus.

E. Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex Reg. Secret. Congregat. menſ. & anni præd. fol. 99.

NOTA.

Fuit & poſtea ab eadem Sacra Congregatione venditio, ſeu permutatio ſitûs veteris Conventus conceſſa, pro quo porrectus eſt libellus ſupplex, tenoris ſequentis:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

CApucini Provinciæ Brixienſis, cum debita licentia, & ex motivo aëris minus puri, Monaſterium Curzani deſeruerunt, cum intentione fundandi novum in Terra Trinzani, jam verò ſitum veteris Conventus in valore ad 1043. ſcuta Romana aſcendentem, cum ſitu Archi Præbendæ Trinzani, ad ſcuta 768. æſtimato, permutare intendunt, & quamvis Syndicum Apoſtolicum, qui fundum antiqui Conventûs pro parte permutet, nominare poſſint, nihilominus cum prædicta Archi-Præbenda ſit feudum Eccleſiaſticum, & ideo ex hac parte requiratur hujus Sacræ Congregationis facultas, EE. VV. humillimè pro hac ſupplicant &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regular. præpoſita, attentis narratis, & audito Procuratore Generali Ordinis hujuſmodi, petitam licentiam benignè conceſſit, modò tamen in Inſtrumento deſuper celebrando, omnes clauſulæ, conditiones, & cautelæ hinc inde favorabiles, & pro reciproca ſecuritate, aliæque neceſſariæ, & opportunæ ſerventur.

M. Card. Ginettus.

E. Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex eodem Reg. fol. 180.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Fabricam Monialium Lonati, Monaſterium declarari, & Clauſuram in eo induci, Epiſcopo Veronenſi nonnullis præſcriptisconditionibus,committitur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Veronenſis, referente Eminentiſſimo Petruccio, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè committit eidem Epiſcopo, ut, veris exiſtentibus narratis, & poſtquam ſibi conſtiterit, Fabricam novi Monaſterii, cum Eccleſia, campanili, choro, Sacriſtia, Refectorio, Dormitorio, hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana, ſufficienter inſtructam; necnon ex eleemoſynis piorum Benefactorum decem, & octo Religioſas commodè ſuſtentari poſſe, renovata tamen obligatione in forma valida penes acta Curiæ Epiſcopalis præfatorum Nobilium Virorum in omni caſu, quo eleemoſynæ ipſis non ſuppetant,dandi,& ſolvendi ſingulis annis dicto Mo-

Monaſterio, & Monialibus, vel earum legitimo Procuratori ſummam pecuniæ neceſſariæ pro earum ſubſtentatione, & Monaſterii manutentione, ad petitam prædicti Monaſterii erectionem ſub Regula Capucinarum Sanctæ Claræ, Ordinis Sancti Franciſci, & ſubjectione Ordinario loci pro tempore, pro ſuo arbitrio, & conſcientia, ſervatis ſervandis, procedat, cum facultate eidem Epiſcopo duas Moniales Monaſterii Sanctæ Mariæ Angelorum ejuſdem Ordinis, ipſarum tamen, ac Patriarchæ Venetiarum conſenſu accedente transferendi, ita, ut translatio ipſa rectâ viâ, ac ſine ullo ad extraneum locum diverſione, comitantibus honeſtis Matronis, ac, ſi commodè fieri poſſit, proximioribus Conſanguineis Monialilium transferendarum fiat, quæ quidem in dicto Monaſterio per ſexennium tantùm, ſi tamdiù pro introducenda, & ſtabilienda Regulari Diſciplina neceſſarium reputabitur, commorentur: necnon Capellanus pro Capellania in Eccleſia dictarum Monialium perpetuò erigenda ſit amovibilis. In reliquis verò, ea omnia, quæ per Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum Sanctimonialium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur. Romæ 18. Aprilis 1698.

Autog. in Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

N O T A.

Usque ad annum 1705. manſit ſuſpenſa hujus Decreti executio ex eo, quod Fabrica præſcriptam Monaſterii perfectionem non attigiſſet. Renovatis proin dicto anno à Monialibus Clauſuræ inſtantiis, hanc concludi Illuſtriſſimo Domino Ordinario literis ſub 7. Auguſti ejuſdem anni 1705. datis à Sacra Congregatione confirmatum fuit. Harum vigore Illuſtriſſimus Dominus Joannes Franciſcus Barbadicus 9. Jan. 1707. juſſa explevit, & clauſuram decrevit juxta acta Cancellariæ Epiſcopalis, de quibus exemplar in Archiv. Ord. Armario. *Provincia Brixienſis*, aſſervatur.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Moniales Bergomi tres Miſſas, ad quas Miſſa quotidiana reducta fuit, per viginti annos applicari facere obliviſcentes, & ſupplicantes, ab hujuſmodi omiſſione abſolvi, & ad tertiam partem legi faciendam obligari, Epiſcopi arbitrio, & conſcientiæ remittitur.

B E R G O M E N.

Ad tenorem Teſtamenti Antoniæ Almidanæ de Zanchis, conditi anno 1608. ambo Collegia, ſeu Monaſteria Monialium Capucinarum, & Sanctæ Urſulæ Ordinis Carmelitarum, æqualiter ſucceſſerunt in illius hæreditate, aſcendente ad ſummam ſcutorum 941. monetæ Romanæ. Verùm, quia Teſtatrix præcepit, utrumque Collegium celebrare facere debere in earum Oratoriis Miſſam quotidianam, prævidítque in caſu inſufficientiæ reddituum, ex fructibus faciendum eſſe multiplicum pro congruenti eleemoſyna. Moniales præfatæ anno 1611. obtinuerunt à Vicario Generali facultatem ſtatim deveniendi ad celebrationem dictarum Miſſarum, abſque effectuatione Multiplici, cum hoc tamen, quod de proprio ſemper ſupplere deberent ſummam deficientem, quibus tamen omnibus, expreſſis Sacræ huic Congregationi anno 1627. reportarunt committi Epiſcopo illarum reductionem, qui poſtmodum præfata onera reduxit ad tres Miſſas in hebdomada in utroque Collegio.

Viginti tamen ab hinc annis Moniales Capucinæ immemores hujus obligationis, unam tantùm Miſſam in hebdomada celebrari fecerunt, cum applicatione Sacrificii, non pro Anima Teſtatricis, ſed Monialium Defunctarum, ſed hodie certiores redditæ de earum obligatione, intendunt in poſterum dictas Miſſas celebrari facere, ad formam enarratæ reductionis, ad quem effectum addiderunt dictæ hæreditati alia ſcuta 95. de proprio, quia tamen ob earum paupertatem non valent Miſſas prætermiſſas adimplere, ſupplicant pro illarum condonatione.

Die 7. Julii 1703. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Epiſcopi Bergomen. benignè commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, & injuncta Oratricibus obligatione celebrandi tertiam partem omnium trium Miſſarum prætermiſſarum, intra tempus ab eodem Epiſcopo præfiniendum, eaſdem ſuper omiſſione præfata pro ſuo arbitrio, & conſcientia miſericorditer abſolvat.

B. Card. Panciaticus Præf.

J. D. Thomatus Secret.

NO-

N O T A.

De Monialibus prædictis de loco Alcami Bergomum tranſlatis, in Arch. Secretariæ Congregationis Epiſc. & Regular. inveniuntur epiſtolæ regiſtratæ ſequentes:

Ad Epiſcopum Bergomi.

Illuſtriſſimi Domini mei concedunt, ut Moniales Capucinas, ſi in loco, in quo Monaſterium fundarunt, commodè morari nequeant, Amplitudo Tua ad alium aptiorem, juxta earum inſtantias in adjuncto Memoriali expreſſas, transferri diſponat. Volunt autem iidem Illuſtriſſimi, Amplitudinem Tuam in cautelam commoneri de Decreto in Congregatione facto, & à Sanctiſſimo approbato, quo ſtatuitur, ut nullum deinceps Capucinarum Monaſterium erigatur, ſi bona propria, per quæ de congrua ſubſtentatione ſecuræ reddantur, non habeant, & quod in Monaſteriis jam erectis Novitiæ ſine dote non amplius admitti debeant, cum hoc caritatis tempore, in hujuſmodi Monaſteriis, graves confuſiones cum ſcandalo, & Divini cultûs detrimento viſæ fuerint. Romæ 22. Decembris 1594.

Ex Reg. anni prædicti fol. 60.

Ad Eumdem Epiſcopum.

Virgines ibidem, quas Capucinas vocant, clauſurari, & ex eleemoſynis, à Civibus recipiendis vivere, Sacræ huic Congregationi conſultum non videtur, ſi certum prius non ſit, quod locus Civitatis pius, & dives, illas in protectionem recipiat, & eas, quoad omnia neceſſaria manutenere in perpetuum ſe obliget. Hinc Amplitudo Tua ita fieri curabit, &, ut de licentiis, aliiſque diſpoſitionibus provideatur, notitiam dabit. Romæ 30. Octobris 1603.

Ex Reg. anni præd. fol. 70.

Ad Eumdem.

Cum Sacra Congregatio à Domino Cardinale Delphino certa reddatur, quod Moniales Capucinæ ibidem non ſolum pro neceſſario uſu ſufficientes, ſed etiam ſuperfluas habeant eleemoſynas, Illmi Domini mei indulgent, ut Amplitudo Tua, ſi Monaſterium omnia debita requiſita habeat, ſitque canonicè erectum, clauſuram concedere poſſit, ita tamen, ut numerus earum ad 25. figatur, ex nullo unquam caſu, vel ab Amplitudine Tua, vel ab Ejus Succeſſoribus, ſine ſpeciali hujus Sacræ Congregationis diſpoſitione adaugendus, & advertatur, ut clauſura ita tutò ſit munita, & aliæ officinæ ita bene proviſæ, ut veroſimilius nulla unquam debeat timeri confuſio. Et Dominus &c. Romæ 9. Octobris 1618.

Ex Reg. anni prædicti fol. 336. a tergo.

Ad Eumdem.

Cum Moniales Capucinæ ibidem Sacræ Congregationi expoſuerint, ſcrupulum, quo circa recipienda legata, Dotes, alioſque redditus, & eleemoſynas, à Perſonis piis eiſdem relictas afficiuntur, cumque ex eo, quod ſine hujuſmodi ſubſidio difficulter ſuſtentari poſſent, quæſiverint, an tuta conſcientia talia recipere valerent? Illuſtriſſimi Domini mei Amplitudini Tuæ ſignificari juſſerunt, quod talia legata ſine ullo ſcrupulo recipi poſſe, prædictis Monialibus notificet. Romæ 7. Februarii 1620.

Ex Reg. anni prædicti fol. 38.

Presbyteros Sæculares, qui in Eccleſias Parochiales Vallis Meſolcinæ, Miſſionariis expulſis, ſe intruſerunt, ac Laicos ad id concurrentes, excommunicari, reſipiſcentes autem abſolvi &c. ac Miſſionarios in priſtinum reſtitui, Epiſcopo Curienſi committit.

Ven. Fratri moderno Epiſcopo Curien.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum, ſicut accepimus, nonnullæ perturbationes, & ſcandala ob controverſiam, inter Dilectos Filios Clerum ſæcularem Vallis Meſolcinæ iſtius Diœceſis, & Miſſionarios Or-

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ejuſdem Vallis ſuper quibuſdam Parochialibus Eccleſiis, per ipſos Miſſionarios antea adminiſtratis, modo verò ab eodem Clero ſæculari vi, ac defacto cum eorundem Miſſionariorum expulſione occupatis, vertentem, in dies oriantur: Nos de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, facultates, nuper Venerabili Fratri Johanni Chriſtophoro Epiſcopo Domitiopolitan. quem per quaſdam noſtras deſuper in ſimili forma Brevis die IX. Aprilis proximè præteriti expeditas literas Vallis prædictæ Viſitatorem Apoſtolicum deputavimus, conceſſas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſuſpendentes, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, dictos Presbyteros ſæculares, qui ſeſe in Eccleſias Parochiales prædictas intruſerunt, cœteroſque etiam laicos, quos Tu graviter hac in re deliquiſſe compereris, excommunicatos dicta auctoritate declares, &, quatenus reſipiſcant, veniamque poſcentes, â ſimilibus exceſſibus in poſterum abſtinere firmiter promiſerint, eoſdem, ut ſupra, excommunicatos, impoſita eis pro præmiſſis arbitrio Tuo aliqua pœnitentia ſalutari, ab exceſſibus prædictis, ac cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis quibuslibet ea de cauſa per eos incurſis, dicta auctoritate in forma Eccleſiæ privata, in utroque foro abſolvas, & totaliter liberes, pœnaſque præfatas eis gratiosè remittas, & condones: ac cum illis ſuper irregularitate per eos, quia cenſuris hujuſmodi propter præmiſſa innodati, in ſuis Ordinibus (non tamen in contemptum clavium) miniſtrarunt, quomodolibet contracta, ita ut illa & iiſdem præmiſſis non obſtan., dummodo nullum aliud Canonicum eis obſtet impedimentum, Clericali charactere, illiuſque privilegiis, ac Minoribus, & ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus, per eos, aliàs ritè ſuſceptis, uti, ſeu quatenus illos nondum ſuſceperint, ad eos, ſi ad id alias idonei reperiantur, ſervatis ſervandis promoveri, & promoti in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè poſſint, & valeant, reſpectivè eadem auctoritate diſpenſes. Præterea Miſſionarios ſupradictos in priſtinum reſtitui mandes, & non aliàs. Nos enim quamcumque neceſſariam, & opportunam ad præmiſſa facultatem, Tibi harum ſerie, auctoritate prædicta tribuimus & inpertimur. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris. Die IV. Junii MDCCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

F. Oliverius.

Ex Reg. Archiv. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 19.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regul.

Conſtructio Hoſpitii in loco Remi Bertii ſub nonnullis Clauſulis conceditur.

SAcra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione Emin. Epiſcopi Brixien. Eidem benignè remiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & accedente conſenſu Parochi, intra cujus Parochiæ limites prædictum Hoſpitium ſitum eſt, pro ſuo arbitrio, & prudentia indulgeat, ut Fratres Capucini Oratores in Hoſpitio, privatò tantùm, continuare valeant cum habitatione, quæ tantummodò deſerviat pro recipiendis Religioſis itinerantibus, quod in illo nulla ſervetur forma Regularis, non erigatur Eccleſia, ſeu Oratorium formale cum Janua in publica via, ſed tantùm Oratorium internum, ad effectum inibi Miſſas, & Orationes privatas pro eorum Spirituali uſu tantùm celebrandi, quod in illo Sacramenta non adminiſtrentur, nec fiant publicæ conciones, nec præter Miſſas privatas, Divina, aliæque functiones peragantur, nec tumulentur cadavera, nec retineatur Campana, nec aliquod ſignum extrinſecum, quod naturam, & conditionem meri, & ſimplicis Hoſpitii ſæcularis tranſcendat, & inſuper, quoad Regulares, ad illud ſe transferentes titulum Præſidentis, ſeu alterius Officialitatis non aſſumant. Romæ 5. Septemb. 1710.

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Archiv. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

DECRETO

Ejuſdem S. Congreg.

Pro ampliando Conventu Manerbii petium terræ ad RR. PP. Auguſtinianos

nos Brixiæ ſpectans emi, ſeu permutari conceditur.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

GUardianus, & Fratres Capucini Manerbii in Ditione Brixienſi humillimi Oratores exponunt, quod â multis annis eorum Conventus redditus ſit ſanitati nocivus, ita quidem, ut multoties in illo 3. vel 4. Religioſi duntaxat maneant. Procedit juxta Phyſicorum effatum hujuſmodi inſalubritas ex fabricæ, & Cellarum anguſtiis, hinc illius ampliatio neceſſaria judicatur; cum autem hoc abſque duobus campis terreni, Clauſuræ Conventûs contigui, & ad RR. PP. Auguſtinianos Conventûs S. Barnabæ Brixiæ ſpectantis fieri nequeat, hi autem rogati ceſſioni ſe conſenſuros reſponderunt, ſi Benefactor, qui aliud terræ petium non minoris conditionis ſubrogaret, reperiretur. Hunc in finem ſe obtulit D. Bernardinus Leale, qui ex pura charitate, & devotione, quam erga S. Ordinem gerit, alios duos campos, poſſeſſioni ipſorum PP. Auguſtinianorum incorporatos, & bonitatis ſine comparatione majoris emit. Quo â Patribus hiſce cognito, & bene examinato unanimi Capituli conſenſu prædictum terrenum cedere concluſerunt, ſi ab EE. VV. ipſis id permutandi concedatur facultas. Inde ab ipſis PP. Auguſtinianis, & multò magis ab Oratoribus EE. VV. humillimè ſupplicatur, quatenus faciendæ hujuſmodi permutationis aſſenſum præbere dignentur.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Emin. Epiſcopi Brixienſis, eidem benignè remiſit, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam compererit, in evidentem Conventûs utilitatem fore ceſſuram, petitam facultatem faciendi præfatam permutationem pro ſuo arbitrio, & prudentia Religioſis Auguſtinianis impertiatur, ita tamen, ut permutatio ipſa unico contextu fiat, & in caſu evictionis, vel moleſtiarum tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio reſervetur regreſſus favore ejuſdem Conventûs, ac primæva jura. Romæ 23. Junii 1713.

G. Card. Carpineus.

F. Arch. Nicænus Secret.

Ex Reg. Congreg. menſ. & anni præd.

Nonnulla circa gubernium Provinciæ præſcribit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis Officii Nobis divinitus commiſſi cura animum noſtrum ſollicitat, ad ea peculiari paternæ charitatis ſtudio ſtatuenda, per quæ Religioſorum Virorum, qui ſpretis mundi illecebris Altiſſimi obſequiis ſeſe ſub ſuavi arctioris vitæ jugo devoverunt, quieti, ac felici regimini opportunis rationibus ſalubriter conſulatur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Maria à Venetiis, Frater expreſsè profeſſus, ac Definitor, & Cuſtos Provinciæ Venetæ, necnon Commiſſarius Viſitator Generalis Provinciæ Brixien. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum dicta Provincia Brixien. conſtet duabus Cuſtodiis, ſeu Nationibus, nempe Brixien., quæ viginti, & Bergomen., quæ tredecim Conventus habet; Fratres Bergomenſes, utpote votorum, ſive ſuffragiorum numero inferiores, paſſim excluduntur ab honore Provincialatus, ac etiam à præcipuis Guardianatibus, in quibus Fratres Brixien. quandoque per ſexennium continuum perdurant, unde, & ambitus confovetur, & juſtitia diſtributiva læditur, ac vitioſa perſonarum acceptio inducitur, interque duas Cuſtodias, ſeu Nationes præfatas graves contentiones, ... frequenter, & præſertim occaſione celebrationis Capitulorum dictæ Provinciæ oriuntur, non ſine notabili religioſæ diſciplinæ, & Fraternæ charitatis detrimento: ideo ipſe Joannes Maria, qui occaſione viſitationis ejuſdem Provinciæ has turbas, & inordinationes animadvertit, animi ſui ſenſum protulit ad occurrendum ejuſmodi, aliiſque incommodis, exinde provenientibus, planè expedire, quod alternativa in Provincialatu præfatæ Provinciæ ſtabiliatur, ita, ut bis Miniſter Provincialis ex Cuſtodia Brixien., quæ plures habet Conventus, ac ſemel ex Cuſtodia Bergomen. eligatur, & quia Cuſtodia Brixien. decem ab hinc annis Provincialatum hujuſmodi obtinet, idem Miniſter Provincialis in Capitulo Provinciali, proximè celebrando ex Cuſtodia Bergomen. aſſumatur, Definitorum verò Provinciæ præfatæ duo ex ſingulis Cuſtodiis hujuſmodi eſſe debeant. Guardiani ultra triennium juxta laudabilem multarum aliarum Provinciarum ipſius Ordinis conſuetudinem in eorum muneribus perdurare nequeant, ne nimium regimini, & ſuperioritati aſſueſcant, quodque Guardianatibus unius Cuſtodiæ indiſcriminatim præficiantur Fratres alterius Cuſtodiæ, ac Familiis Conventuum dictæ Provinciæ Fratres utri-

utriuſque Cuſtodiæ promiſcuè adſcribantur. Quare dictus Joannes Maria Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Joannis Mariæ votis, hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut inpoſterum in prædicta Provincia Brixien. ſupramemorata alternativa in illius Provincialatu exactè ſervetur, ita, quod duobus trienniis Miniſter Provincialis ex Fratribus Cuſtodiæ Brixien., altero verò triennio, ex FF. Cuſtodiæ Bergomen. eligatur, & in proximo Capitulo Provinciali dictus Miniſter Provincialis ex eadem Cuſtodia Bergomen. aſſumatur, utque ex ſingulis Cuſtodiis præfatis duo Definitores Provinciales ſemper eſſe debeant, & Guardiani ultra triennium in ejuſmodi muneribus durare non poſſintGuardianatus autem uniusCuſtodiæ abſque ullo diſcrimine conferantur Fratribus alterius Cuſtodiæ, atque in Conventibus Provinciæ prædictæ Fratres utriuſque Cuſtodiæ de Familia promiſcuè, ac inſimul collocentur, & convivant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter, in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Provinciæ, Cuſtodiarum, & Conventuum prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXI. Februarii MDCCXXIX. Pontificatus noſtri Anno quinto.

N O T A.

Ex eo potiſſimum motivo debuit hoc Apoſtolicum Breve hîc apponi, & annotatione circumſcribi, ne Lector, qui illud in Bullario, quod *Romanum* vocant, ſine animadverſione impreſſum reperit, in errorem abducatur, firmumque illud autumet, quod juxta Documenta in Archivo generali Ordinis., Armario *Provincia Brixienſis* mancum, & inſubſiſtens cumulatè probatur, & tenetur.

D E C R E T O

S. Congregationis de Propaganda Fide.

Varia Decreta, circa Miſſiones Rhætię aliàs emanata, revocantur, & alia confirmantur.

Die 4. Septembris 1735.

CUM ex parte P. Bartholomæi ab Iſeo, nuper Præfecti Miſſionum PP. Capucinorum Provinciæ Brixienſis in Rhætia, preces huic S. Congregationi porrectæ fuerint, per quas, conſulendo, ſicut ipſi videbatur, meliori earumdem Miſſionum regimini, petebatur confirmari, & renovari Decretum quoddam, ab eadem Sacra Congregatione, referente clar. mem. Cardinali Ginnetto, ſub die 5. Junii 1651. editum; Eminentiſſimi Patres re maturè perpensâ, ac præſenti præfatarum Miſſionum ſtatu præ oculis habito, ejuſmodi ſupplicationibus minimè annuendum, ſed èconverſo cōfirmanda, & renovanda eſſe cenſuerunt, prout confirmarunt, & renovarunt, atque omnino ſervari, & exequi mandarunt poſteriora Decreta, quæ ſunt tenoris ſequentis, videlicet:

Die 15. Februarii 1712. Referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, D. Cardinali de Comitibus, Sacra Congregatio decrevit PP. Capucinos Miſſionarios in Rhætia, quolibet triennio de uno loco ad alium tranſmittendos eſſe, & poſt ſexennium omninò ad ſuam Provinciam remittendos, reſervatâ tamen facultate P. Præfecto Miſſionum, ut valeat pro temporum opportunitate, & rerum contingentiâ, conſulto tamen ſemper D. Nuncio Helvetiæ, & cum ejus aſſenſu, tam ante, & ultrà biennium, quàm ultrà, & ante ſexennium, præfatos Miſſionarios reſpectivè retinere in Parochiis, & Provinciis, & ab eiſdem removere; injuncto præcepto, ut quolibet anno idem Præ-

fectus

fectus tranſmittat notulam Miſſionariorum, & muneris, in quo exercentur, D. Nuncio, qui ad Sacram Congregationem omnia referat.

Die 20. Auguſti 1712. *referente Eminentiſſimo Domino Cardinali de Comitibus, Sacra Congregatio decrevit, ſcribendum per Dominum Secretatrium P. Gabrieli Præfecto Miſſionum Rhætiæ, ut nullá interpoſitá morâ acceptet Decretum editum ſub die* 15. *Februarii* 1712., *eique debitam præſtet executionem, ſtatim providendo loca de conſuetis, neceſſariis, & opportunis Religioſis Miſſionariis. Poſſe nihilominus Patrem Præfectum earumdem Miſsionum occurrentibus caſibus, in quibus dilatio valeat eſſe obnoxia Animarum ſaluti, & Miſsionum profectui, quocumque tempore revocare particulares Miſsionarios, aliis contextualiter ſubrogatis: cum declaratione tamen, quòd idem P. Præfectus Miſsionum teneatur ſtatim certiorare, & Sacram Congregationem, & Dominum Nuncium &c.*

Die 29. *Januarii* 1733. *referente Eminentiſſimo Domino, D. Cardinali Barberino ſtatum Miſsionum Capucinorum Provinciæ Brixienſis in Rhætia, Sacra Congregatio juſtis, ac rationabilibus cauſis mota, inter alia decrevit tollendum eſſe omnino abuſum audiendi Confeſſiones Mulierum in cubiculis Hoſpitiorum. Et inſuper exercentes curam Animarum, eorumque Coadjutores, ſubjici debere examini Ordinariorum.*

Ea autem omnia in recenſitis Decretis contenta, prædicti Eminentiſſimi Patres, referente R. P.D. Philippo Maria de Montibus Secretario adamuſſim ſervari, & plenæ executioni demandari, iterum, ut ſuprà, præceperunt. Datum Romæ ex Ædibus præfatæ Sacræ Congregationis die, & Anno, quibus ſupra.

V. Cardinalis Petra Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Philippus de Montibus Secret.

PRO-

PROVINCIA JANUENSIS.

CUM ipſo noſtræ Reformationis ſonu in omnem quaſi Italiæ partem exiverunt & ipſi noſtri Fratres, ut ad Seraphici Patris S. Franciſci exemplum non ſibi ſolis, in ſolitariæ quietis receſſu viverent, ſed & aliis piæ charitatis officiis proficerent. Hiſce Genua, Civium opibus, ædificiorum venuſtate, ac Originis vetuſtate celebris Italiæ Civitas, ac Liguriæ Caput, Anno 1530. in Hoſpitali, incurabilium vocato, ita Eos deditos conſpexit, ut hujus Præſides, illos in Civitate Domicilium non habere reminiſcentes, contiguam prædicto Noſocomio Sancti Columbani Capellam cum nonnullis cellis iis pro habitatione concederent, quatenus à ſtrepitu ſæculi ſemoti, quietius rebus divinis, & commodiùs ægrotantium obſequiis attendere poſſent.

Ut candor morum, mundi contemptus, & ſeverioris vitæ ratio, quibus Civitatem paſſim ædificabant, in oculis populis patentiùs fulgerent, iidem Præſides illos Anno 1538. in aſcenſu Montis, quem à Fortalitio, in illius vertice erecto, Caſtellatium nuncupant, collocârunt, antiquo Monaſterio cum Eccleſia, D. Apoſtolo Barnabæ Sacra, quod olim Monialium inclyti Ordinis Ciſtercienſis Sedes, & tunc RR. Patrum Ordinis Prædicatorum juris erat, ad illorum uſum coempto.

Numerus Conventuum poſtmodum ita excreverat, ut Anno 1616. eorum quinquaginta (præter 8. Fabricas) in præcipuis Genuenſium, Pedemontii, Ducatus Mediolanenſis &c. locis ſituatos Provincia numeraret.

Attentâ hâc vaſtitate, & urgente Sereniſſimo Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce &c. Anno 1618. fuêre Conventus Pedemontani 18. cum quinque fabricis ab ea disjuncti, iiſque nomen & jus diſtinctæ Provinciæ attributum. Eodem quoque anno Domus Papiæ cum Domo Vallis Bremii, & Anno 1659. decem alii Conventus ab ea fuêre diſmembrati, ac Provinciæ Mediolanenſi uniti, Conventu Finarii duntaxat, ob emptum à Sereniſſima Republica Marchionatum, Provinciæ Januenſi reſtituto. Tandem, & Anno 1730. ſex Conventus Montiſferrati pariter fuêre reſciſſi, & in Cuſtodiam erecti.

Præter Viros, qui Religioſarum Virtutum exemplis eminuerunt, & in Annalibus Ordinis commendantur, & alios, qui libris conſcriptis inſigniorem doctrinam comprobârunt, ac à P. Dionyſio à Genua in ſua Bibliotheca Scriptorum Ordinis recenſentur, habuit Ordo ex hac Provincia Miniſtrum Generalem, Fr. Bernardum à Portu Mauritio, Virum cultu B. V. Mariæ præclarum, Obſervantiæ Regularis zelo conſpicuum, variiſque Regibus, & Principibus dilectum: ac Procuratorem Generalem, Franciſcum de Nigris, cujus merita purpurâ digna, Urbanus Papa VIII. in ſacro Conſiſtorio encomiaſſe perhibetur, & quæ fugaci relatione Tomo primo fol. 87., & 88. tetigi.

Poſt

Poſt tot, & ſupradictas ſectiones remanent adhuc huic Provinciæ:
Conventus Fratrum XXXII.
Hoſpitia IV.
Monaſteria Monialium ſtrictè talium I.
Denominativè talium I.

Donationem Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Terræ Finarii, Fratribus ab Epiſcopo factam, Apoſtolica auctoritate confirmat, ac eamdem Eccleſiam, ejuſdemque Domum in Conventum cum omnibus privilegiis erigit.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam rei memoriam.

PIis fidelium votis, quæ Religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, ut optatum ſortiantur effectum, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Miniſtri Generalis, Ordinis FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum petitio continebat, quod aliàs Venerabilis Frater noſter Joannes Baptiſta, Epiſcopus Savonenſis animadvertens incolas, & Habitatores litoris maris Terræ Finalis, Savonen. Diœc. ſingulari ſtudio erga Ordinem prædictum, ob pium, & laudabile ipſorum Fratrum vivendi inſtitutum, moveri, Eccleſiam S. Joannis extra muros, & procul â dicta Terra conſiſtentem, quæ olim eorumdem Incolarum, & Habitatorum Parochialis erat, & â qua cura animarum, illi tunc incumbens abdicata, & ad aliam Eccleſiam commodiorem canonicè translata fuerat, eidem Ordini pro una inibi ejuſdem Ordinis conſtruenda Domo, de Incolarum, & Habitatorum prædictorum conſenſu, quantum in eo fuit, ordinaria ſua auctoritate conceſſit, prout in litteris deſuper confectis dicitur contineri.

Quare pro parte dicti MiniſtriNobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ejuſdem Ordinis propagationi & ampliationi, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultûs augmentum, ejuſdemque Religionis propagationem, ac animarum ſalutem noſtris potiſſimùm temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, Miniſtrum prædictum â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac conceſſionis, & deſuper confectarum litterarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prædictam eiſdem Miniſtro & Ordini de novo, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus: & nihilominus illam, quæ nullos redditus præter eos, qui ex ejus domo, & horto colliguntur, ſeu percipiuntur, habet, ac hujuſmodi illius domum, & hortum in Domum dicti Ordinis, cum illius Eccleſia ſub invocatione ejuſdem S. Joannis, ac Clauſtro, Refectorio, Dormitorio, Hortis, Hortalitiis, Infirmaria, Cellis, & univerſis aliis officinis, membriſque neceſſariis & opportunis pro uſu, & habitatione perpetuis unius Guardiani, & ad minus decem Fratrum ejuſdem Ordinis, qui inibi ſub regulari obſervantia, & humilitatis ſpiritu juxta ipſius Ordinis Regularia Inſtituta altiſſimo famulentur, diviniſque laudibus inſiſtant, ac ſub obedientia, correctione, & viſitatione dicti, & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis, ac Dilectorum Filiorum aliorum Superiorum dicti Ordinis remaneant, ac aliàs in omnibus, & per omnia adinſtar aliarum ejuſdem Ordinis Regularium Domorum, perpetuò, ſine tamen alicujus præjudicio, auctoritate & tenore præmiſſis, erigimus, & inſtituimus, ac eidem Domui ſic erectæ, illiuſque Guardiano, & Fratribus inibi commorantibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, quibus aliæ Domus ejuſdem Ordinis, earumque Guardiani & Fratres de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomolibet in futurum, ipſi ſimiliter, ac pariformiter uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore præmiſſis de ſpeciali gratia indulgemus.

Nec non præſentes litteras nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defe-

ctu,

ctu, etiam ex eo, quod intereſſe habentes, ſeu prætendentes, vocati, & cauſæ, propter quas emanarunt, coram loci Ordinario verificatæ & approbatæ non fuerint, vel ex quavis alia, quantumcunque juridica, ac etiam neceſſariò exprimenda cauſa, notari, impugnari, vel invalidari poſſe.

Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papa VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſores nova loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare præſumant abſque Sedis prædictæ licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, aliiſque Apoſtolicis, ac in Parochialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, erectionis, inſtitutionis, indulti, Decreti, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingentiſſimo octuageſimo quinto tertio decimo Kal. Auguſti Pontificatus Noſtri anno ptimo.

Intus plicam: *Cam. Capilupus.*

Supra plicam: *Hieronymus Decius.*

Bulla formata in Arch. Provinciæ.

N O T A.

Noviſsimè in favorem partim hujus Conventus emanatum eſt Decretum, quod ſequitur.

IN Cauſa Savonenſi inter PP. Capucinos ex una, & PP. Obſervantes Reformatos, ex altera, in qua propoſita & examinata fuerunt infraſcipta dubia, nempe.

Primum. An liceat PP. Capucinis Finarii, & Congregationi Tertiariorum erectæ in ipſorum Eccleſia celebrare Feſtum S. Antonii de Padua cum Novena eodem tempore, quo celebratur â Patribus Reformatis?

Et ſecundum. An liceat PP. Reformatis celebrare Feſtum S. Franciſci cum Novena eodem tempore, quo celebratur â PP. Capucinis?

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regul., præpoſita, re undique maturè diſcuſſa, referente Emin. D. Cardinale Bichio Ponente benignè reſcripſit affirmativè ad utrumque. Romæ 8. Mart. 1743.

Joſ. Card. Firrao.

C. Archiepiſcopus Damiat. Secretarius.

Ex Regeſto Secretariæ Cougregationis, menſis, & anni prædictorum.

Ad Conventum Voraginis â Sæcularium ſubjectione eximendum, quædam terræ petia permutari concedit, ita tamen, ut ſpatium pro via ad Conventum amplianda ſufficiens reſervetur.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Savonen. ſive Vicario in Spiritualibus Generali, & Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Savonen.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt Dilecti Filii modernus Provincialis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Januenſis, & Franciſcus Pinellus, nec non hæredes quondam Dominici Carri clerici, ſeu alte-

alterius Civitatis, vel Diœceſis, quod ipſe Provincialis providè conſiderans, Domum Regularem dicti Ordinis loci Voraginis Savon Diœceſis, dictæ Provinciæ non modicam ſubjectionem recipere à quodam Terræ petio, ad Dilectum Filium Antonium Gioſinum legitimè ſpectante, dictæ Domui regulari contiguo, ex quo ob illius eminentiam proſpectus patet per dictæ Domûs Regularis feneſtras, & cancellos in manſiones, ſeu cellulas, & cubicula Domus Regularis hujuſmodi, tractavit cum dicto Franciſco de ei tradendo, & aſſignando duo petia terræ, *faſſias* nuncupata menſuræ illarum partium, aliàs eidem Domui Regulari per Salvaginam, ac aliud terræ petiolum, eidem Domui Regulari pro ejus horto hortalitio per Dominicum præfatos donata, quod quidem terræ petiolum duabus faſſiis prædictis contiguum, & valoris inſimul in proprietate trecentorum quinquaginta ſcutorum auri in auro exiſtit, ita tamen, ut relinquatur, ſeu reſervertur tantum ſpatii ex faſſiis, & petiolo terræ prædictis, quod ſufficiat ad ampliandam viam, quâ itur ad prædictam Domum Regularem, idque uſque ad palmos ſexdecim, ſi, & quatenus eidem Domui Regulari tradatur, & liberè aſſignetur primodictum terræ petium per Franciſcum prædictum, ad hunc effectum longè majori pretio trecentorum quinquaginta ſcutorum ſimilium jam forſan acquiſitum, ſeu acquirendum, quem quidem tractatum Franciſcus præfatus gratum habens, ſe ad primodictum terræ petium cum dictis hæredibus pro duabus faſſiis, & terræ petiolo prædictis, modo, & forma præmiſſis permutandum promptum, & paratum obtulit. Quare Exponentes præfati aſſerentes permutationem hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem commoditatem prædictæ Domûs Regularis ceſſuram eſſe, ob idque cupiant Franciſcus, & hæredes ad illam deveniendi, Provincialis verò ſuo, & dicti Ordinis nomine uſum primodicti terræ petii acceptandi per Nos, ac Sedem Apoſtolicam ſibi licentiam concedi, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſcripturarum deſuper confectarum, ſi quæ ſint, tenores, & Datas, nec non ſingulorum terræ petiorum prædictorum ſituationes, confines, vocabula, & denominationes præſentibus pro expreſſis habentes, ipſoſque Exponentes ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, nec non eorum quemlibet, & dictæ Domus Regularis ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſpecificatis prius coram Vobis dictæ terræ petiis, ac vocatis ad id, qui fuerint vocandi, Vos de præmiſſis omnibus, & ſingulis diligenter informetis, &, ſi per informationem eandem Vobis cõjunctim procedentibus, legitimè cõſtiterit, permutationem hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem dictæ Domus Regularis ceſſuram eſſe commoditatem, Franciſco, & hæredibus ad illam, ut præfertur, deveniendi, & Provinciali prædictis uſum primodicti terræ petii acceptandi, licentiam, & facultatem auctoritate noſtra concedatis, & impartiamini. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs Regularis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XVIII. Aprilis MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Veſtrius Barbianus.

Exemplar. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Januenſis.

Monaſterium ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Minorum Reformatorum Conventualium in loco Quarti, Fratribus cum omnibus juribus &c. conſignari committit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Aliàs fel. rec. Sixto Papæ V. Prædeceſſori noſtro, pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum S. Franciſci expoſito, quod ipſi ſtrictiorem Vitam agere, & ſe reformare cœperant, aliquoſque Conventus acquiſierant, & in iis ſub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis hujuſmodi vivebant, Idem Sixtus Prædeceſſor, ne ipſos Fratres Reformatos, eorumque Congregationem ſuper reformatione hujuſmodi inquietari contingeret, ſupplicationibus eorundem Fratrum Reformatorum nomine ſibi humiliter porrectis inclinatus, Reformationem prædictam ubique locorum cæptam, & introductam, & ex tunc in dies introducendam, ac pro ea, & illius felici directione facta ſtatuta, & ordinationes cum inde ſecutis quibuſcumque, Apoſtolica Auctoritate perpetuò approbavit, & con-

firmavit: noviſſimè autem per Nos accepto, ex Congregatione Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi non eos in Eccleſia Dei ſpirituales fructus, qui ſperabantur, prodiiſſe, ſed, quod plures differentias inter eoſdem Fratres Reformatos, & Fratres Conventuales, non Reformatos, ortas eſſe, & pariter vigere. Nos præmiſſis obviare, ac aliàs deſuper opportunè providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex præmiſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, Congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, omnia, & quæcunque illius officia, & miniſteria, necnon Domos, & loca Regularia quæcumque, & in quibuſvis Provinciis exiſtentia, & ad eos ſpectantia, ac ſtatuta, & conſuetudines, & decreta, necnon privilegia, & Indulta tam ſpecialia, quam generalia perpetuò ſuppreſſimus, & extinximus, ac ab eiſdem Fratribus Conventualibus Reformatis Domos, Conventus, & loca, ac bona mobilia, & immobilia, & ſe moventia ubique gentium conſtituta, ſacram quoque, & communem ſupellectilem, ipſorumque omnium uſum, uſumfructum, adminiſtrationem, & poſſeſſionem ſpiritualem, & temporalem, necnon jus, & actionem, eis quomodolibet competentia abſtulimus, & ablata eſſe, cenſeri voluimus; Necnon Domos, & Conventus, loca, ſupellectilem, bona, res, actiones, & jura prædicta, eorumque proprietatem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſimus, & aſſignavimus, aliaque fecimus, ſtatuimus, & ordinavimus, prout in dicti Sixti Prædeceſſoris ſub plumbo, & Noſtris, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Dilecti Filii Fratres Minores Ordinis ejuſdem S. Franciſci Capucini nuncupati pro ſuis uſu, & habitatione, Domo Regulari ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi loci Quarti Januenſis Diœceſis maximè indigeant, & Dilectus etiam Filius Miniſter Generalis eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, ut Domus Regularis prædicta eiſdem Fratribus Capucinis concedatur, expreſsè conſenſerit. Nos ad eximios, atque multiplices fructus, quos ipſi Fratres Capucini ardentis Religionis zelo, & ſpectatâ toto Orbi Regularis Diſciplinæ obſervantiâ, ac jugiter ſpiritualium operum exercitio in Vinea Domini afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, dignum quin potius debitum reputavimus, eorundem Fratrum Capucinorum neceſſitatibus aliqua in parte conſulere. Itaque eoſdem Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut attento conſenſu præfato, Domum Regularem ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi dicti loci, cum omnibus, & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, Fratribus Capucinis prædictis, quos Procurator Generalis ejuſdem Ordinis ad hoc deputandos duxerit, authoritate Noſtra concedas, & aſſignes, inducens eos dicta auctoritate per Te, vel per alium, ſeu alios in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Domus Regularis, ac jurium, & pertinentiarum ſuarum hujuſmodi; Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus literis noſtris prædictis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum in Arce Gandulfi Albanenſis Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris, Die xx. Octobris MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno quarto.

V. Theatinus.

Exempl. in Arch. generali Ordinis Armario prædicto. Vide, & de hac Domo alia infra.

Con-

Domum veterem Portûs Mauritii, Sereniſſimæ Reipublicæ concedi, & aliam ibidem conſtrui, Epiſcopo Albinganenſi committit.

A Tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Albinganenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Nobiles Viri, & Gubernatores Reipublicæ Genuenſis, quod Dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, unam Domum Regularem in loco Portus Mauritii, Dominii dictæ Reipublicæ, Albinganenſis Diœceſis, conſtrui facere ceperunt. Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, ut locus prædictus tutior, & ſecurior reddatur, Dux, & Gubernatores præfati, illum munire, & in meliorem formam reducere intendant, & propterea ſitu dictæ Domûs Regularis uti poſſe, ſummoperè deſiderent. Nos Ducis, & Gubernatoris præfatorum votis, quantum in Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus etiam nomine &c. inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut, empto prius per eoſdem Ducem, & Gubernatores prope, & extra muros dicti loci altero ſitu, eiſdem Fratribus Capucinis, pro alterius Domûs Regularis erectione opportuno, & ejus pretii, quo alius ſitus, in quo dicta Domus Regularis conſtrui cepta reperitur, emptus, ſeu acquiſitus fuit, & ſoluto Fabricæ dictæ Domûs conſtrui cœptæ, ut præfertur, juſto pretio, ad effectum aliam Domum Regularem pro Capucinis hujuſmodi conſtruere, Duci, & Gubernatoribus prædictis, Domum Regularem, ſic conſtrui cæptam, ſive illius ſitum, aut ejus partem in uſum ſupra expreſſum, auctoritate Noſtra concedas, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna facias, dicas, geras, & exequaris, ſuper quibus plenam, & amplam Tibi facultatem, & auctoritatem, eadem auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus felic. recordat. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, &, quatenus opus ſit, dicti Ordinis &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die VI. Novembris MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

V. Theatin.

Exemplar in Arch. Generali Ordin. Armar. prædicto.

Syndicum unum, ad vendendum dictæ Domus deſtinatum Situm, & alium pro ampliando Viridario Domûs Genuenſis conſtitui, P. Miniſtro Provinciali concedit.

A Tergo. *Dilecto Filio Miniſtro Provinciali Fratrum Capucinorum Provinciæ Januen.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod, cum Viridarium Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Januen. ampliare neceſſe ſit, Tuque ſitum ad hoc opportunum repereris, ampliatio verò hujuſmodi, nonnullis ex cauſis, ad præſens fieri nequeat, dictuſque ſitus damna jugiter patiatur, idcircò, ac etiam deſtructa veteri Domo dicti Ordinis loci Portus Mauritii Albiganen. Diœceſis, nova Domus conſtruenda eſt, Tuque ſitu ad hoc deſtinato, qui, ut aſſeris, damna ſimiliter patitur, uti nequeas, duos Syndicos interim, ut infra, deputare poſſe plurimum deſideras: Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut Tibi de opportuna ad hoc licentia providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialem Tibi gratiam facere volentes, Teque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi unum, qui primodictum, & alterum, Syndicos, qui ſecundodictum, ſitus hujuſmodi, Sedis Apoſtolicæ nomine, quibuſvis perſonis, meliorem conditionem offerentibus, interim, donec ampliatio, & novæ Domus conſtructio prædictæ fiant, locare, & arrendare, pecuniaſque exinde provenientes, penes Montem Pietatis, aut Perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illas in novæ Domus, ut ſupra, conſtructionem, Domorumque Regularium ejuſdem Ordinis ampliationem convertendi, deponere poſſint, & debeant, eligendi, & deputandi licentiam, & facultatem, Apo-

Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die v. Junii MDCXXIX. Pontificatus noſtri anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. fol. 31. de quo Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Partem ſitûs Conventûs in loco Voraginis, pro alio æquivalente permutandi, facultatem largitur.

A Tergo. *Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Domûs Regularis Ordinis Capucinorum de Varazè, Diœceſis Savonen.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod Vos, ut Domum Veſtram Regularem, ſive illius Clauſuram, in quadrum redigere valeatis, parvum ſitum ejuſdem Domus valoris vigintiquinque ſcutorum circiter in ſorte principali, pro tantumdem alterius ſitus dictæ Domui Regulari contigui, ad Dilectum Filium Franciſcum Pinellum incolam iſtarum partium ſpectantis, permutare deſideratis, ſi Noſtra, & Apoſtolicæ Sedis licentia Vobis ad id ſuffragetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, permutatio hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem dictæ Domus Regularis utilitatem, & commodum ceſſura erit. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut Vobis Apoſtolicam iu præmiſſis licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialibus favoribus, & gratiis Vos proſequi volentes, & Veſtrûm ſingulares Perſonas, à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Vobis, ut parum ſitus Veſtræ Domus Regularis hujuſmodi, pro tantumdem alterius ſitus prædicti, permutare liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, licentiam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod, ſi permutatio hujuſmodi, vigore præſentium fiat, pars ſitus per Vos permutandi pro evictione ſecundo dictæ partis ſitus Domui Veſtræ Regulari perpetuò hypothecata remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die VII. Junii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Fxemplar in Archivo Gener. Ord. Armar. Provincia Januenſis.

Nonnulla petia Terræ, Canoni Capellaniæ Sancti Abenatis Januæ, annuatim ſolvendo obnoxia, pro amplianda Domo, & Horto loci Quarti alienari, & alium perpetuum redditum Canoni prædicto ſubſtitui, Archiepiſcopo &c. ac Præpoſito Januen. committit.

A Tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Januenſi, ſive ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, & Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Januen.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domus Regularis Sanctæ Mariæ de Succurſu nuncupatæ, Ordinis Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, loci Quarti Januen. Diœceſ. necnon Joannes Antonius Anſutius, perpetuus Capellanus perpetuæ ſine cura Capellaniæ, ſub invocatione, ſeu ad Altare Sancti Abenatis in Eccleſia Januenſi ſitæ, quod aliàs quondam Jacobus de Oderio laicus, dum vixit, dicti loci, & nonnulli forſan alii Chriſtifideles providè animadvertentes, unum fundum incultum, valoris in proprietate trecentarum librarum monetæ Januenſis, ſummam quadragin-

ginta duorum Ducatorum auri de Camera, vel circiter conſtituentium, ſolutioni unius novem ſolidorum, & octavæ partis unius paris Capponum, valoris inſimul duorum juliorum, vel circiter ad ipſum Jacobum: & aliud Terræ petium, vitibus propagatum, primo dicto contiguum, valoris etiam in proprietate quadringentarum librarum ſimilium, ſummam quinquaginta ducatorum parium, vel circa conficien. ſolutioni alterius viginti ſolidorum ejuſdem monetæ, ſummam aliorum duorum juliorum, vel circiter, ad Dilectos Filios Andream, & Jacobum Fratres de Clavaris, necnon reliquum Terræ petium etiam vitibus propagatum, petia in loco prædicto, ſeu illius territorio, prope Domum Regularem prædictam ſita, ſuiſque notiſſimis confinibus circumſcripta, ad Petrum, & Benedictum Fratres de Ferettis, laicos illarum partium, Dilectos Filios quoad utile, quò verò ad directum illorum Dominium ad Capellaniam prædictam legitimè reſpectivè ſpectan. valoris quoque in proprietate aliarum quadringentarum, & quinquaginta librarum ſimilium, ſummam quinquaginta quinque ducatorum parium, vel circiter ſolutioni perpetuorum Canonum annuorum aliorum viginti trium ſolidorum, & ſeptem denariorum ejuſdem monetæ ſummam aliorum duorum juliorum monetæ Romanæ parium, plus, & minus conſtituen. erga Capellaniam prædictam, ratione conceſſionum Emphitheuticarum perpetuarum, olim ipſius Jacobi de Oderio, & Andreæ, & Jacobi Fratrum de Clavaris, necnon Petri, & Benedicti prædictorum anteceſſoribus, ſeu aliis auctoribus de illis per dictæ Capellaniæ Capellanum, ſeu Capellanos tunc exiſtentes, de licentia Sedis Apoſtolicæ factarum obnoxia, pro ampliatione dictæ Domus Regularis, ſeu illius hortorum, vel hortalitiorum, plurimum neceſſaria eſſe, Jacobus Oderius videlicèt, ob eum, quem erga Sanctum Franciſcum, & Fratres Capucinos prædictos gerit, devotionis affectum, utile primò dicti terræ petii dominium ad eum, ut præfertur, ſpectans, ad effectum infraſcriptæ illius affrancationis Guardiano, & Conventui dictæ Domûs Regularis, donatione purâ, perpetuâ, & irrevocabili gratiosè donavit. Andreas verò, & Jacobus de Clavaris, ac Petrus, & Benedictus Fratres prædicti, reliqua duo Terræ petia prædicta ad eos reſpectivè, quoad utile dominium, ut præfertur, ſpectantia, ſeu illorum utile dominium hujuſmodi, quibuſdam piis Perſonis pretium illorum, & valorem hujuſmodi eis perſolventibus, ac illa etiam ſimili donatione Guardiano, & Conventui prædictis, ad ſimiliter illorum affrancationis effectum donantibus, ſeu donare; & præterea eidem Capellaniæ pro affrancatione ſingulorum Terrę petiorum hujuſmodi annuum & perpetuum redditum tutum, & ſecurum loco Canonum hujuſmodi, & illorum affrancationis aſſignare intendentibus, perpetuò vendiderunt, poſſeſſione minimè traditâ, ſeu vendere decreverunt, hiſque mediantibus dictus Joannes Antonius Capellanus, fundum, & petia Terræ hujuſmodi à ſolutione ulterioris Canonis annui, ſeu annuæ reſponſionis hujuſmodi, necnon à natura Emphyteutica, aliiſque oneribus, quibus fundus, & terræ petia hujuſmodi, illius ratione erga eamdem Capellaniam quomodolibet obnoxia eſſe dignoſcuntur, perpetuo reſervato Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito affrancavit.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præmiſſa pro neceſſaria ampliatione Domus Regularis, aut illius hortorum, & hortalitiorum facta eſſe, & in evidentem ejuſdem Capellaniæ utilitatem ceſſiſſe, ſeu cedere, etiam dignoſcantur, & propterea tam Joannes Antonius, quàm piæ Perſonæ prædictæ, ac Guardianus, & Fratres dictæ Domus Regularis cupiant, præmiſſa omnia, & ſingula, quatenus jam facta ſint, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate approbari, & confirmari: quatenus verò illa nondum facta ſint, illa, ut præfertur, faciendi, Joanni Antonio Capellano, & piis Perſonis præfatis licentiam, & facultatem concedi, & impartiri. Ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis opportunè providere. de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Inſtrumenti, & aliarum ſcripturarum tenores, etiam veriores, præmiſſis tamen non contrarios, ac Dat. nec non Domus Regularis, & fundi, ac petiorum terræ prædictorum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates præſentibus pro expreſſis habentes, ipſoſque Exponentes ſpecialibus gratia, & favore proſequi volentes, necnon eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. & abſolutos fore cenſentes, certam tamen de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus de præmiſſis Vos diligenter informetis, &, ſi per informationem eamdem, Vobis conjunctim procedentibus, legitimè conſtiterit, præmiſſa, ſi jam, ut præfertur, facta ſint, & illa pro neceſſaria ampliatione Domus Regularis, ſeu illius hortorum, vel hortalitiorum hujuſmodi facta eſſe, & in eamdem dictæ Capellaniæ ceſſiſſe, vel ceſſura eſſe utilitatem reperiretis, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, illa, factâ tamen aſſignatione ipſi Capellaniæ annui, & perpetui redditus unius ducati ſuper bonis ſtabilibus, ab omni fideicommiſſo, caducitate, devolutione, & quovis alio onere, cenſu, canone, & hypotheca liberis, & ſaltem æquivalen-

lentibus, quæ eiſdemmet caducitatibus, & ſolutionibus, quibus fundus, & terræ petia affrancata hujuſmodi quomodolibet ſubjacebant, ad favorem dictæ Capellaniæ ſimiliter ſubjecta eſſe debeant, auctoritate Noſtra approbetis, & confirmetis, eiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjiciatis, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti, & ſolemnitatum defectus, ſi qui forſan deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleatis, & quatenus eadem præmiſſa nondum facta ſint, illa, ut præfertur, faciendi, licentiam, & facultatem eadem auctoritate concedatis, & impartiamini. Non obſtantibus præmiſſis, ac felic. recordat. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domus Regularis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Septembris MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno nono.

A. Rondininus.

M. Richerius.

Exemplar in Arch. gener. Ordinis Armario. Provincia Januenſis. *De hac eadem conceſſione vide & alia infra fol. 37. præter ea, quæ habentur ſupra fol. 369.*

Reliquias ex Eccleſiis Domum Conceptionis, & Sancti Barnabæ Januæ extrahi, ſub cenſura, & pœnis prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Conſervationi Sacrarum Reliquiarum Sanctorum, & Sanctarum, quæ, ut aſſeritur, in Eccleſis Conceptionis, & Sancti Barnabæ Domorum Regularium Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Januenſis aſſervantur, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, Supplicationibus Dilecti Filii moderni Procuratoris, & Commiſſarii Generalis dicti Ordinis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Ne de cetero quiſquam, quavis auctoritate fungens, Reliquias prædictas, aut aliquam earum partem, quovis prætextu, aut quæſito colore, cauſa, ratione, aut occaſione è dictis Eccleſis extrahere, aut aſportare, ſive ut extrahantur, aut aſportentur, permittere audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, aut privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copiæ in valvis dictarum Eccleſiarum, aut aliquo alio conſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſint, continuò affixæ remaneant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XVI. Aug. MDCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſexto.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Arch. Provinciæ.

Domum loci S. Remi ad opportuniorem ſitum transferri, pro hoc ſitum ad Canonicalem Eccleſiæ Collegiatæ Præbendam ibidem ſpectantem conſignari, & econtra â Syndico Fratrum, terrenum æqualis valoris, ſeu loca montium libera, vel aſſignari, vel recipi, Ordinario loci committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Albinganenſi.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nuper pro parte dilecti Filii Vicarii Provincialis Provinciæ Januen. Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quod Domus Regularis Fratrum eorumdem Terræ S. Remi Albinganen. Diœceſis adeo ruinis cujuſdam Montis ſubjacet, ut illam dicti Fratres habitare nequeant ſine evidentiſſimo ex ruinis hujuſmodi aliquando oppreſſionem incurrendi periculo, proindeque dictæ Domus Regularis Fratres illam exinde in alium maximè opportunum ſitum quarumdam Terrarum ad Canonicatum, & Præbendam, quas dilectus Filius Joannes Henricus Carrettus ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ dictæ Terræ Canonicus obtinet, ſpectantium, transferre intendunt, dictuſque Joannes Henricus Canonicu- Terras hujuſmodi ipſis Fratribus conſignare contentus eſt, opportuno noſtro, & Sedis Apoſtolicæ deſuper accedente beneplacito; Quare

re dictus Vicarius Provincialis aſſerens, præmiſſa in maximum dictæ Domus Regularis ceſſura beneficium, nullique damno prædictis Canonicatui, & Præbendæ, quibus tot aliæ Terræ æqualis valoris, ſeu tot loca montium non vacabilium Almæ Urbis noſtræ, ſeu Civitatis Januen. arbitrio Tuo aſſignabuntur, futura eſſe, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Vicarium Provincialem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, eidem Vicario Provinciali, quod ipſe Domum Regularem hujuſmodi in primodictarum terrarum, ad prædictos Canonicatum, & Præbendam ſpectantium, ut præfertur, ſitum transferri, & tot alias Terras æqualis valoris, ſeu loca Montium prædictorum liberas, ſeu libera eidem Joanni Henrico Canonico conſignari facere, dicto verò Joanni Henrico Canonico, quod illas, ſeu illa loco primodictarum Terrarum, à ſe Fratribus dictæ Domus Regularis conſignandarum recipere libere, & licitè poſſint, & valeant reſpectivè, licentiam auctoritate noſtra, arbitrio Tuo concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis & Provinciæ hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat., Die VIII. Octob. MDCXXXVIII. Pontificatus noſtri Anno decimoſexto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 35.

Affrancationem terræ petiorum, Domui Quarti incorporatorum, ab Archiepiſcopo, & Archidiacono Januen. confirmari, & aſſignatum alium Canonem ad quemdam Montem Pietatis Almæ Urbis transferri jubet.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Januenſi, ac Dilecto Filio Archidiacono Eccleſiæ Januen.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilecti Filii Viſitatoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Januen. Nobis expoſitum fuit, quod, cum Domus Regularis Fratrum eorumdem loci Quarti, Januen. Diœceſis, valde anguſta exiſtat, eidem Domui Regulari quidam ſæcularis ex Oderia, unum terræ petium vicinum & incultum, valoris in proprietate 42. ducatorum auri de Camera donavit, necnon duo Fratres ex Clavaria reſpectivè Familiis, alias terras, etiam vicinas, valoris 300. ducatorum ſimilium vendiderunt, ad effectum illas Clauſuræ dictæ Domus Regularis incorporandi, cum hoc, ut dictæ Terræ à quodam canone ſeptem circiter juliorum monetæ, ſuper illis ad favorem Cappellaniæ S. Venantii, in Eccleſiam Januen. impoſito liberari, Canonque hujuſmodi in aliquem locum Montis alicujus Almæ Urbis noſtræ transferri, ſeu aſſignari reſpectivè debeant, prout dictæ Domus Regularis Fratres nonnullorum benefactorum ſuorum ope, ac ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito præmiſſa facere parati ſunt, Nobis propterea dictus Viſitator Generalis, nomine dictæ Provinciæ hujuſmodi ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Exponentem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ Fr. Archiepiſcope, ac Diſcretioni Tuæ, Fili Archidiacone, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac prædictis Terræ petiis, ac Canone, aliiſque præmiſſis, illorumque circumſtantiis univerſis plenius coram Vobis ſpecificatis, de conceſſione, venditione, liberatione, translationeque, & aliis prædictis, quodque illa in evidentem dictæ Domus Regularis ceſſerint, & cedant utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, conceſſionem, venditionem, & alia prædicta, ut præfertur, facta Auctoritate noſtra Apoſtolica confirmetis, & approbetis, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciatis, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſuppleatis. Nō obſtantibus, quatenus opus ſit fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienan-

nanu.s, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod, ſi præmiſſa per Vos confirmari, vigore præſentium contigerit, ſtatim ſecuta dicta confirmatione Terræ prædictæ a canone hujuſmodi liberari, ipſeque canon, ut præfertur, transferri omnino debeat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Octobris MDCXXXVIII. Anno decimoſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Archivi Secret. Brevium Apoſt. Vide & ſupra fol. 375. & infra hoc præſenti fol.

Fr. Franciſcum à Janua utraque voce in Capitulis Provincialibus abſque concurſu ad electionem diſcretalem gaudere, Eumque cum uno ex ſociis ſuis Miniſtro, ac Procuratori Generali duntaxat ſubjectum eſſe, ſancit.

Dilecto Filio Franciſco à Janua Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, Sacrarum Literarum ſcientia, ac vitæ, & morum honeſtas, aliaque &c. Nos inducunt, ut ea Tibi libenter concedamus, quæ tuis honori, & commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Volentes itaque Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, & à quibuſvis &c. cenſentes. Motu proprio, non ad Tuam &c. inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, certaque ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Tibi, qui, ut accepimus, Habitum per Fratres Minores Ordinis S. Franciſci Cappucinos nuncupatos geſtari ſolitum ſuſcepiſti, & Profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſsè emiſiſti Regulares, ut in omnibus Capitulis Provincialibus Provinciæ dicti Ordinis, in qua pro tempore Te commorari contigerit, abſque prævia Tui in Guardianum, vel diſcretum electione, vocem activam, & paſſivam habeas, necnon, ut Tu, ac unus ex tuis ſociis Miniſtro, ac Procuratori, & Commiſſario Generalibus duntaxat, non autem aliis Superioribus, ſive localibus, ſive Provincialibus dicti Ordinis ſubjecti ſitis, exceptis tamen Viſitatoribus Generalibus illius Provinciæ, in qua Tu reperieris in actu Viſitationis, dummodo tamen non fuerint Viſitatores permanentes, qui tunc quoad præmiſſa pro Provincialibus cenſeri, & reputari debebunt, tenore preſentium concedimus, & indulgegemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, Teque ac unum ex ſociis tuis hujuſmodi reſpectivè illarum commodo pacificè frui, & gaudere, & à nemine deſuper impediri, moleſtari, aut perturbari debere, irritumque &c. attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, & illius Provinciarum, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis &c. Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, & Fratribus in contrarium præmiſſorum &c. innovatis. Quibus &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Die XX. Novembris MDCXXXIX. Anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 6.

NOTA.

Et conſule Tomum primum Bullarii de meritis enuntiati Viri Fr. Franciſci, Concionatoris Apoſtolici, Procuratoris Generalis &c. fol. 87., & 88.

Pretium antiquæ Domus FF. Conventualium Reformatorum Loci Quarti â Sede Apoſtolica Fratribus noſtris conceſſæ, & â Nobili Magdalena Serra emptæ, cum jure Sanctæ Sedi in id competente ad Domum Portus Mauritii transferri, &, econtra Dominium Domus (non tamen Eccleſiæ) loci Quarti prædictæ Magdalenæ, ejuſque hæredibus, ſub conditionibus expreſſis, liberum remanere indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Januen. quod alias Dilecta in Chriſto Filia Magdalena Serra Januen. in

loco

loco Quarti Januen. Dioec. unam Eccleſiam, & Conventum eorundem Fratrum in & ſuper parte Eccleſiæ, & Conventus, olim Fratrum ejuſdem S. Franciſci Minorum Conventualium Reformatorum nuncupatorum, & auctoritate Apoſtolica dictis Fratribus Capucinis ejuſdem Provinciæ conceſſa conſtruxit, ſeu conſtrui fecit, cum hoc, ut impetrato â Superioribus deſuper beneplacito Apoſtolico fabrica Eccleſiæ, & Conventus inchoatorum æſtimaretur, ad effectum, ut pretium æſtimatum in fabricam unius alterius Conventus in eadem Provincia, ſuper quo Sedes Apoſtolica idem jus haberet, quod in vim Regulæ eorundem Fratrum Minorum habet in Conventu inchoato dicti loci Quarti, transferretur; ad hoc, ut Dominium totius Eccleſiæ, & Conventus hujuſmodi eidem Magdalenæ, ejuſque hæredibus liberum remaneret.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjūgebat, ob Superiorum mutationem, beneplacitum hujuſmodi minimè fuerit impetratum, dictaq; Magdalena bona fide rata, illud fuiſſe impetratum, fabricam hujuſmodi ſemper proſecuta fuerit: Nobis propterea dictus Exponens humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè, &, ut infra, providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Exponentem ſpecialibus &c. volentes, & a quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: quod pretium fabricæ antiquæ Eccleſiæ & Conventus prædictorum dicti loci Quarti in fabricam Eccleſiæ & Conventus loci Porti Mauritii Albinganen. Dioec. eorundem Fratrum Capucinorum dictæ Provinciæ transferatur, ſuper quibus eadem Sedes Apoſtolica totum illud jus, & Dominium habeat, quod habet in fabrica dicti loci Quarti, ac eidem Magdalenæ, & ejus hæredibus jus, & dominium fabricæ Conventus (non autem Eccleſiæ) dicti loci Quarti liberum remaneat, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus: ita tamen, ut non poſſit dicta Magdalena, neque ejus hæredes ullo unquam tempore Fratres Capucinos prædictos â Conventu & Eccleſia loci Quarti hujuſmodi ejicere, vel amovere quacumque de cauſa, nec aliis exhibere, ſeu in alium uſum convertere; ſi autem ab ipſis Fratribus Capucinis deſeri fortè contigerit, dicta Magdalena ſeu ejus hæredes liberum fabribricæ dicti Conventus dominium, ut præfertur, habeant, & inſuper nominare poſſint alios alicujus ex approbatis a Sede Apoſtolica Ordinis Religioſos, qui dictam Eccleſiam habeant, & in ea perpetuò divina officia celebrare debeant, ne unquam prophanetur. Decernentes præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictoque Exponenti, & Fratribus Capucinis in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari: ſicque per quoſcumque &c. Auditores &c. attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis & Provinciæ hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus &c. quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Julii MDCXL. Pontificatus Noſtri Anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 1.

Pro tollenda Domûs Conceptionis Januæ ſervitute, ſitum ad eandem Domum ſpectantem permutari, Archiepiſcopo, ſeu Præpoſito ibidem committit.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Januen. & Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Januen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilecti Filii Miniſtri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Januen. Nobis expoſitum fuit, quod ipſe pro tollenda ſervitute, quam nonnulli ſæculares ex nimia eorum vicinitate novo Dormitorio, conſtructo in Conventu Conceptionis nuncupatorum Fratrum dicti Ordinis inferunt, quadam paucâ ſitus quantitate, eidem Dormitorio contigua indiget; Quoniam verò quidam dicti Ordinis Benefactor poſſidens quoddam prædium cum domo ſitui ejuſdem Conventus contigua offert ſe empturum ſitum, ſervitutem dicto Dormitorio inferentem, illumque ſitui Conventus prædicti incorporaturum ac etiam muro neceſſario ſuis propriis expenſis cincturum, ſi ſibi ab eodem Ordine pauculus quidam ſitus pro aperienda via, qua ad domum ſuam iri poſſit, concedatur. Nobis propterea dictus Miniſter Provincialis, aſſerens præmiſſa, ſi fiant, in maximam dicti Conventus ceſſura eſſe utilitatem, eo maximè, quia ſitus emendus hujuſmodi pro dicta ſervitute tollenda maximè neceſſarius, ſitus verò eidem Be-

Benefactori pro dicta via aperienda concedendus, uti ſuperfluus exiſtit, humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Miniſtrum Provincialem ſpecialibus &c. volen. & a quibuſvis &c. cenſen. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ, Fr. Archiepiſcope, ac Diſcretioni Tuæ, Fili Præpoſite, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac dictis ſitibus, illorumque circumſtantiis univerſis, prius coram Vobis ſpecificatis, de permutatione dictorum ſituum hujuſmodi, quodque illa in evidentem dicti Conventus ceſſura ſit & cedat utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, Miniſtro Provinciali, & Benefactori prædictis permutationem hujuſmodi invicem, ut ſupra faciendi licentiam, auctoritate Noſtra Apoſtolica concedatis. Non obſtantibus felic. record. Pauli Papæ II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienand. aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Septembris MDCXL. Pontificatus Noſtri Anno decimoctavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis & anni præd. f. 43.

Situm eidem Domui Januæ inutilem Marco Gandulfo, ſub conditione duorum Murorum in utilitatem ejuſdem Domûs à Marco conſtruendorum concedi, Archiepiſcopo, aut Præpoſito ibidem committit, ac concordiam deſuper factam confirmat.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Januen. ac Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Ianuen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Miniſter Provincialis Provinciæ Januen. Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod ipſe, ut Domus dicti Ordinis Civitatis Januen. conditionem efficeret meliorem, de conſenſu dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis dicti Ordinis, ac Diffinitorum dictæ Provinciæ, Dilecto Filio Marco Gandolpho, dicti Ordinis benefactori, quemdam ſitum, eiſdem Fratribus inutilem, longitudinis ſexaginta, & latitudinis triginta palmorum menſuræ illarum partium in loco, *la Cervetta* nuncupato, juxta eorumdem Fratrum prope porticulam conductus aquæ dictæ Civitatis, ac ejuſdem Marci Villas reſpectivè ſitum, & ad dictam Domum legitimè ſpectantem, valoris in proprietate vigintiquinque ſcutorum monetæ, nullius verò redditus, ſub conditione, quod dictus Marcus Murum diviſorium meridiem verſus, nec non alium murum, Occidentem verſus, ad aquæductum conſtrui facere teneatur, ac cum aliis pactis & conditionibus, licitis tamen, & honeſtis, dictæque domui utilibus & proficuis, ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito perpetuo conceſſit, prout in Decreto dicti Capituli deſuper emanato, uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, conceſſio prædicta in evidentem dictæ Domus, cedat utilitatem, cupiantque propterea Miniſter Provincialis, & Marcus prædicti illam pro illius firmiori ſubſiſtentia & validitate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Miniſtrum Provincialem, & Marcum prædictos ſpecialibus &c. volen. & à quibuſvis &c. cenſen. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ, Fr. Archiepiſcope, ac Diſcretioni tuæ, Fili Præpoſite, per præſentes committimus & mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac dicto ſitu, illiuſque circumſtantiis univerſis, prius coram Vobis ſpecificatis, de conceſſione prædicta, quodque illa & alia præmiſſa in evidentem dictæ domus cedant utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, eamdem conceſſionem, ac, prout illam concernit deſuper confectum Decretum prædictum, cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, licitis tamen & honeſtis, dictæque domui utilibus & proficuis, auctoritate noſtra Apoſtolica approbetis, & confirmetis, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciatis, ac omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleatis. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienan. aliiſque conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus

mus, & Ordinis prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibur, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Maii MDCXLI. Pontificatus Noſtri Anno decimoctavo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 35.

Conceſſionem 10. aliorum Palmorum de ſitu Domûs Januæ idem Marco Gandolfo factam, ratihabet.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo, ac Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Januen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs pro parte Dilecti Filii Miniſtri Provincialis Provinciæ Januen. Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatornm expoſito, quod ipſe, ut Domus dicti Ordinis Civitatis Januenſis conditionem efficeret meliorem, de conſenſu Dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis dicti Ordinis, ac Definitorum dictæ Provinciæ, Dilecto Filio Marco Gandolfo quemdam ſitum, eiſdem Fratribus inutilem, longitudinis ſexaginta & latitudinis triginta palmorum menſuræ illarum partium in loco, *la Cervetta* nuncupato, juxta ſuos notiſſimos fines ſitum, valoris in proprietate vigintiquinque ſcutorum monetæ nullius vero redditus ſub conditione, quod dictus Marcus murum diviſorium meridiem verſus, necnon alium murum Occidentem verſus ad aqueductum conſtrui facere teneretur, & cum certis aliis tunc expreſſis conditionibus conceſſerat: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod conceſſio prædicta in evidentem dictæ Domus cedebat utilitatem, cupiebantque propterea Miniſter Provincialis, & Marcus prædicti illam Apoſtolica Auctoritate confirmari. Nos Vobis commiſimus, & mandavimus, quatenus ſub certis pariter modo, & forma, tunc expreſſis, conceſſionem hujuſmodi auctoritate noſtra confirmaretis, & aliàs, prout in noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum &c. continetur. Cum autem ſicut Dilecti Filii Fratres Capucini dictæ Domus nuper exponi fecerunt, cum ad dictarum literarum executionem deventum fuit, ſitum hujuſmodi concedi non potuiſſe, niſi longitudinis vigintiquatuor, ejuſdem verò longitudinis ſexaginta palmorum hujuſmodi, ipſi tamen Marco alios decem, & ſic in totum ſeptuaginta palmos dicti ſitus in longitudine conceſſerint, dubitent nihilominus ſe ob non ſervatam exactè noſtrarum litterarum hujuſmodi formam cenſuras aliquas incurriſſe: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes â quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis iterum per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſecundo dictam conceſſionem aliorum decem, & ſic in totum ſeptuaginta palmorum ſitus hujuſmodi in longitudine eidem Marco per dictos Exponentes, ut præfertur, factam, ſervata tamen in reliquis dictarum litterarum forma, Auctoritate Noſtra confirmetis, & approbatis, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciatis, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleatis, ac eoſdem Exponentes, quatenus opus ſit, a quibuſvis cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, forſan per eos præmiſſorum occaſione quomodolibet incurſis, abſolvatis, & totaliter liberetis, dictaſque pœnas illis gratioſè remittatis & condonetis. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcumque: Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Maji MDCXLII. Pontificatus Noſtri Anno decimo nono.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ & anni præd. fol. 62.

Situm veterem Domûs loci Pontremuli vendendi licentiam impartitur.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut Dilectus Filius Miniſter Provincialis Provinciæ Januenſis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, ipſe

ipſe locum, ſeu ſitum Conventus veteris eorumdem Fratrum Terræ Pontremuli vendere poſſe deſideret, certis perſonis, quæ, ut aſſerit, contentæ erunt, ut iidem Fratres dicti Conventus in eo remaneant, donec ſibi novum Conventum, in quo habitent, & in cujus Eccleſia Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrent, decenter conſtruxerint, ſeu conſtrui fecerint, cupiatque propterea idem Miniſter Provincialis ſibi in præmiſſis opportunè provideri. Nos eumdem Miniſtrum Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, circumſpectioni Tuæ, qui dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector exiſtis, per præſentes committimus, & mandamus, ut pro Tuo arbitrio, & prudentia, petitam vendendi ſitum hujuſmodi licentiam, authoritate Noſtra Apoſtolica concedas, & impartiaris, prout in Domino conſpexeris ſalubriùs expedire. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXXI. Julii MDXLIII. Pontificatus Noſtri anno vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secr. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 62.

N O T A.

Ex eo, quod Confraternitas Sancti Laurentii prædicti loci, ex caſu, quo Fratres Domum in illius ſitu primò fabricatam dexererent, quoddam jus ſibi conſervaſſet, Eam inter & Syndicum Apoſtolicum factum Conventionis inſtrumentum ab Epiſcopo Sarzanæ confirmari, à Sacra Congregatione Epiſcopor. & Regular. reſcriptum fuit, ut ſequitur:

A Tergo. *Illuſtriſſimo, & Adm. Reverendo D. uti Fratri, Epiſcopo Sarzanæ.*

Illuſtriſſime, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

CUM Syndicus Apoſtolicus Patrum Capucinorum Pontremuli expoſuerit, quod, cum Capucinis novum Conventum erigere, & veterem in loco, ad Sanctum Laurentium pertinente ſitum deſerere conveniat, dictaque Confraternitas ſibi quoddam Jus, in caſu, quo à Capucinis Conventus deſereretur, reſervaverit, ipſe, communi conſenſu, memoratæ Confraternitati Eccleſiam, Chorum, & duo cubilia, cum obligatione ſolvendi eidem intra duorum annorum ſpatium 300. ſcuta illius monetæ reſtituerit, & econtra Confratres dicti omne jus ad ſitum hujuſmodi, juxta exhibitum mihi tranſactionis inſtrumentum, Capucinis remiſerint. Cum autem Syndicus prædictus ſitum hujuſmodi vendere, pretiumque inde redactum ad perfectionem Fabricæ prædicti novi Conventus convertere intendat, pro memorati Inſtrumenti approbatione, & pro neceſſaria dictæ venditionis licentia ſupplicavit, & Eminentiſſimi Patres Amplitudini Tuæ hujuſmodi licentiam dari benignè cenſuerunt, ita, ut, ſi Eidem de veritate expoſitorum, ſervatis ſervandis, conſtiterit, tranſactionem prædictam approbare, & venditionem opportuno Decreto confirmare poſſit, dummodo plus offerens præponatur, pretium totum pro dicta Fabrica applicetur, nihilque de eo ad aliud convertatur.

Quod dum conſueto Amplitudinis Tuæ zelo, & prudentiæ committitur, Deus &c.

Romæ 29. Maji 1654.

Amplitudinis Tuæ

M. Cardinals Ginettus.

Archiep. Patracen. Secret.

Ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto petium Terræ Horti ejuſdem Domus à Canone liberari, & aliud in Emphytheuſin Menſæ Epiſcopalis ſubrogari indultum eſt:

Supplicante Epiſcopo Brugnati pro licentia ſubrogandi in Emphyteuſin Menſæ Epiſcopalis petium terræ à devota Perſona ad eximendum à dicta Emphiteuſi petium Terræ Horti FF. Capucin. Pontremuli oblatum.

Sacra Congregatio, attentis narratis, ac audita relatione Eminentiſſimi Duratii, Archiepiſcopi Januenſis committendum cenſuit, prout committit Eidem, ut conſtito ſibi de veritate expoſitorum, ac de

evi-

evidenti utilitate Menſæ Epiſcopalis, Oratori licentiam petitam cum reſervatione regreſſus, & aliis clauſulis neceſſariis, ad favorem ejuſdem Menſæ, pro ſuo arbitrio, & prudentia concedat.
Romæ die 23. Martii 1662.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni prædicti.

Ab Eccleſia ejuſdem Domus Calices, paramenta, periſtromata &c. aliis commodari prohibitum fuit ab Eadem Sacra Congregatione ſub 28. Septembris 1691. Prout & idem prius, & quidem ſub 27. Septembris 1686. in favorem Eccleſiæ Domus Montis Rubei, ſub pœna privationis officii, & vocis ab Eadem quoque Sacra Congregatione fuit prohibitum, uti in Regeſtis Secretariæ prædictæ apparet.

Ad inſtantias Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & tunc Status Mediolanenſis Ducis decem Domos à Provincia ſeparari, & Provinciæ Mediolanenſi aggregari ratihabet.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Miniſter Generalis, & Diffinitores Generales Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod cum Provincia Genuenſis ejuſdem Ordinis decem Conventus. *Reſiduum vide ſupra fol. 333. & ſeq. cum Diviſionis Decreto &c.*

DECISIONE ROTALI.

A Capucino ad Religionem Hieroſolymitanam Auctoritate Apoſtolica translato legatum annuum, vi Profeſſionis Capucinæ mortuum, recuperari sancitur.

R. P. D. BURATTI

Januenſis Legati.

Ven. 22. Junii 1622.

SUperiori anno de menſe Novembris ſub die 26. fuit reſolutum, Fratrem Petrum Baptiſtam, Profeſſum Capucinum, ad Religionem Hieroſolymitanam, Auctoritate Apoſtolica translatum, non recuperaſſe bona, per illius Fratres, & hæredes ab inteſtato alienata. Verum, quia dicta reſolutio facta fuit, parte Fianchi dictorum bonorum Emptoris tantum informante, iterum venit ad cauſam dictus Frater Petrus Baptiſta, & petebat legatum annuum Avitum Paternum in teſtamento relictum annuorum ſcutorum quatuor millium, ideo fuit dubitatum, an conſtet de annuo legato, quod debeatur, & DD. affirmativè reſponderunt.

Nam, quod dictum legatum ſit annuum, viſum fuit DD. ſatis clarum ex lectura verborum Teſtamenti, ibi, *item legavit, & legat, & jure legati reliquit, & relinquit prædictis Paſquali, & Hieronymo Filiis ſuis annuos ducatos octo mille &c. ad quorum annuorum ducatorum &c.*, & inibi, *omni, & quolibet anno*; & pluries repetit verba expreſsè annui legati, ex quibus non videbatur poſſe negari, quin ſit annuum, *L. ſi in ſingulos L. Cajus Sejus ff. de ann. legat. Leg., ſi in annos L. nec ſemel §. 1., & 2. ff. quam dies Leg. ced. Natt. Conſ. 306. num. 5., & 7.*

Non obſtat, quod non ſit legatum, ex eo, quod Hieronymus, & Paſqualis fuerunt Hæredes conſtituti in omnibus aliis bonis. Quia ultra, quod dubium præſupponit, illud eſſe legatum, contrarium reſultare videtur ex lectura dicti Teſtamenti, & verbis expreſſis, *legavit, & reliquit jure legati &c.* pluries repetitis, ut ſupra, & licet deinde fuerint Hæredes inſtituti in omnibus aliis bonis unà cum Joanne Franciſco Primogenito, necnon ipſi ſoli, etiam in dictis ſcutis octo mille annuis; tamen inſtitutio in dictis ſcutis octo mille fuit diſtinctè, & ſeparatim facta ab inſtitutione univerſal, ex qua diſtinctione cenſetur, Teſtatorem voluiſſe ſeparare relicta titulo prælegati, à relictis titulo inſtitutionis univerſalis, ut in fortioribus terminis fuit latè dictum in *Viterbien. Caſtrorum 9. Decembris 1620. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Sacrato, confirmata 24. Maji 1621. coram Reverendiſſimo Domino meo Decano*: & cum ſit facta de particulari, & certa quantitate, habet vim legati particularis *L. quoties C. de hæred. inſt. &c. & not. in L. ex facto la ſeconda ff. eod. tit.*, & faciunt latè dicta in allegata *Viterbien. Caſtrorum dicta die 9. Decembris 1620., & 24. Maji 1721.* dictaque annua præſtatio non à ſemetipſis, ſed per Joannem Franciſcum cohæredem ſit ſolvenda: nihil repugnat, quin legatum, ſive prælegatum dici debeat, & *L. legatum eſt §. Hæredi ff. de legat. 1. d. L. ex facto, ubi Dott. ff. de*

ff. de hæred. inſt. cum alleg. in Romana de ſurdis 18. *Februarii* 1619. *cor. R. P. Domino meo Ubaldo*.

Non obſtat, quod ſit perpetuum, & tranſitorium ad Deſcendentes, ſeu ſucceſſores, quæ videntur repugnare annuo legato; quia poteſt eſſe perpetuum, & nihilominus annuum *L. annuam §. Fin. ff. de ann. Leg. Bart. in d. Leg. in ſingulos n.* 1. *ff. eodem*: ſitque propterea Decurionibus in perpetuum. *L. cum quidam ff. dicto tit. Azor. in inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *verſ. ult. quæritur in fin.* prout etiam Reipublicæ, *ff. L. annuum ff. eod. tit. de ann. Leg.*

Quod verò ſit tranſitorium, pariter non repugnat, quin ſit annuum, cum ita diſpoſitum fuerit per Teſtatorem, quamvis aliàs ultra primum annum non eſt tranſmiſibile *L. in annolibus, & ibi Gloſ. verb. voluit, & reſervari* quæ loquitur de hæredibus etiam in infinitum, & ibi *Butrig Alberic. Bart. Bald. & Salic. in princip. C. de. Legat. Alberic. in Leg. Stichum §. Stipulatio n.* 13. *ff. de verbor. oblig. Natt. Conſil.* 306. *n.*5. *Surd. Deciſ.* 346. *n.* 26. *verſic.* nec eſt verum, & inſimul relicto *Peregrin. Conſ.* 34. *n.* 2. *lib.* 2. *Menoch. præſumpt.* 132. *n.*6 *lib.* 4.

Non obſtant *Conſ. Soccin. n.*6. *lib.* 4., & *Surd.* 319., quia in illorum caſibus pro annuo introitu erant aſſignanda, & conſignanda per Hæredem tot bona ſtabilia, & ideo perinde eſt, ac ſi illa fuiſſent relicta: ſecus verò, ſi certa quantitas annua per Hæredem (ut in hoc caſu) ſolvenda ſit, ut diſtinguendo dicunt in *dictis Conſiliis idem Soccin. n.* 41. *Surd. n.* 14. & 15.

Hoc ſic firmato, quod legatum ſit annuum, inde ſequitur reſolutio ſecundæ partis dubii, quod videlicet ſit debitum Fratri Petro Baptiſtæ, vel Religioni mediante ejus Perſona: cum non ſit unum, ſed plura, & tot legata, quot ſunt anni *d. L. in ſingulos Leg. cum in annos ff. de ann. Leg. cum in ſingulos ff. quand. dies Leg. ced. L. Pater Severinam §. Fin. ff. de condit.*, *& demonſtrat. Leg. Senatus §. Fin. ff. de donat. cauſ. mort. Dec. conſ.*621. *n.* 1. *Pariſ. conſ.* 95. *n.* 44. *lib.* 2. *Surd. de aliment. tit.* 5. *quæſt.* 4. *n.*6. *Menoch. d. lib.* 4. *præſumpt.* 132. *n.* 14. Et pro primo anno eſt purum, & pro ſequentibus conditionale *d. l. in ſingulos &c. l. ſi in annos &c. l. ſi Stichum §. Stipulatio ff. de verb. obligat. Alexand. Conſ.*29. *n.* 1. *volum.* 4. *Pariſ. dict. Conſil.* 95. *n.* 44. *Surd. Conſil.* 223. *n.* 1. *& de aliment. tit.* 9. *quæſt.* 6. *n.* 3. *Odd. Conſ.* 91. *num.* 32. *Azor. inſtitut. moral. p.* 3. *c.* 15. *verſ. ult. quæritur*.

Imò in principio cujuslibet. anni dicitur novum legatum, & nova naſcitur obligatio *Caſtren. in d. leg. Stichum §. Stipulatio num.* 1. *verſ. &c.* ſic de ſingulis *ff. de verb. obligas. Soccin. Conſ.* 81. *n.* 5. *lib.* 3. *Natt. Conſ.* 543. *n.* 5. *latè Gomes variar. reſolut. n.* 1. *cap.* 11. *n.* 44. *Surd. Conſ.* 122. *n.* 5., *& deciſ.* 273. *num.* 10. *Pereg. de Jure Fiſci lib.* 5. *tit.* 8. *n.* 78. *verſ. limita, & intellige*.

In quibus relictis conditionalibus attenditur capacitas de tempore purificatæ conditionis *l. intervenit ff. de legat. præſtan. l. cum qui, ubi Gloſs. verb. conditio, & d. l. Pater Severinam ff. de condit.*, *& demonſtrat. leg. ſi Cognatis in* 2. *reſponſ. ff. de reb. dub. dicta lege Senatus §. Final. ff. de donat. cauſ. mort. Molin. de Primogen. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 2. *n.*14. & 15., & *fuit dictum in Urbevetana hæreditatis* 3 *Aprilis* 1620. *cor. R.P.D. meo Manzanedo*; & ideo etiam in annuis legatis inſpicitur, an quis ſit capax in principio cujuslibet anni dicta *l. cum ſemel. §. Unde Julianus ff, quan. dies leg. ced. Bart. in leg. Titia cum Teſtamento §. Titia n.* 11. *in fin. ff. de legat.* 2. *Caſtrenſ. in d. ſeg. Stichum §. Stipulatio n.* 1. *verſ. primo quia, & ibi Jaſon. n.* 1. *verſ. prima eſt, dec. conſ.* 621. *n.* 1. *Azor d. cap.* 15. *verſ. ultim. quæritur, Gomes ubi ſupra num.* 44. *verſ. ex qua doctrina Surd. de Aliment. dict. tit.* 5. *quæſt.* 4. *n.*27. *Peregrin. d. Con.* 34. *n.* 6. *lib.* 2.

Hinc legatum annuum relictum ſervo debetur Domino, donec manſerit in ſervitute, de inde ſibi manumiſſo acquiritur *dicta l. cùm ſemel §. Julianus ff. quando dies leg. Ced. latè Gomes d. cap.* 11. *num.* 44. *verſ. primus eſt*, prout bannitus ſimpliciter reſtitutus (quidquid ſit, quoad bona aliis quæſita) legatum annuum recuperat *Peregrin. de Jure Fiſci lib.* 5. *tit.* 3. *n.* 78. *Verſ. limita &c. intellige Borgnin. de uſufr. mul. relict. n.*233.

Et proinde, cum dictus Frater Petrus Baptiſta poſt translationem, Auctoritate Apoſtolica legitimè (ut præmittitur) factam, ſeu Sacra Religio ex ejus perſona recuperaverit omnia jura ſucceſſionis, tam ex Teſtamento, quam ab inteſtato, *Bart. in tract. minor. lib.* 4. *diſtinct.* 3. *cap.* 3. *Nicolaus de Ubal. de ſucceſs. ab inteſt. Cleric. part.* 1. *n.* 3. *Soccin. in d. leg. ſi Cognatis n.* 15. *ff. de reb. dub. Nat. Conſ.*160. *n.*5. *Tapia in authent. ingreſſi verſic. ſua cap.*6. *n.* 30. *in fin. C. de Sacroſanct. Eccleſ. Leſſ. de Juſtit.*, *& jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. prædictum legatum illi, ſeu Religioni Hieroſolymitanæ, in qua reperitur de tempore purificatæ conditionis, debetur §. *Monachus, Auth. de Sanctiſs. Epiſcop. cap. ſtatutum* 18. *quæſt.* 1. *ſpecul. de ſtat. Monach. verſ. qualiter n.* 10. *Bald. in l. ſi quis mihi bona §. Servus n.* 1. *ff. de acquiren. Hæredit. Federic. de Sen. Conſ.* 26. *n.* 1. *Nicol. de Ubald. d. tract. part.* 1. *num.* 3. *Roman. in l. ſi ſervus n.* 6. *ff. de acquiren. Hæredit. Abb. in Cap. Final. n.* 3. *verſ. ſed poſt ingreſſum de Regul. Bero Conſ.* 26. *num.* 15., & 16. *vol.* 1. *Covarr. de Teſtam. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 20.

n. 20. *Tap. d. cap.* 6. *n.* 28. *Leſſ. de Juſtit.*, *&* *Jur. dicto cap.* 41. *num* 88.

Et relictum conditionale Fratri Ordinis Minoris incapaci purificatum, poſtquam effectus fuit Epiſcopus, Epiſcopatui acquiritur *Bald. in l. Deo Nobis* §. *Hoc etiam num.* 9. *C. de Epiſc.*, *&* *Cler. Nicol. de Ubald. dict. tract. p.* 1. *n.* 3. *Matthesſil. de ſucces. in* 3. *Art. princ. n.* 41. *Archid. in cap. ſtatutum n.* 3. *in fin.* 18. *quæſt.* 1. *Card. in Clem. fin. n.* 18. *Imol in* 7. *quæſt. Vital. n.* 38. *de Elect. Felin. in præſentia n.* 56. *de probat. Leſſ. d. cap.* 41. *n.* 88.

Et de Capucino translato Auctoritate Pontificia ad Canonicos Regulares *Imol. Conſ.* 23. *n.* 39. & in puncto de translato ad Religionem Hieroſolymitanam, quod recuperet legatum annuum: *Sanchez in ſumm. to.* 2. *lib.* 7 *c.* 15. *n.* 28. Et magis in ſpecie de Fratre Ordinis Minoris, qui fuit inſtitutus hæres in quota hæreditatis, & poſtea hæreditatem amiſit per emiſſionem Profeſſionis in dicta Religione incapaci, ſi fuerit translatus ad Religionem, quæ poteſt habere proprium, quod poſſit ſuccedere ex ſubſtitutione pupillari purificata poſt translationem notant in *d. leg. ex facto* §. *Fin.* Bald. qui dicit menti tenendum *n.* 6. *Angel. n.* 3. *verſ. item. ibi*: *Aretin. n.* 23. *ff. de vulgar.*, *&* *pupill. Socin. in l. ſi cognatis n.* 6. *ff. de reb. Dub*; *Natt. Conſ.* 80. *n.* 5.

Non obſtat, quod hæc annua præſtatio ſit conſideranda tamqnam aliquod jus incorporale, quod oritur à principio, & ideo adveniente incapacitate Fratris Petri Baptiſtæ per Religionis ingreſſum, ſtatim fuerit jus irrevocabiliter quæſitum illius Fratri, illudque non potuerit recuperare per translationem ad Religionem capacem *ex Felin. in Cap. auditis de præſcript.*, *&* *aliis*: Quia id procederet in promiſſione annuæ præſtationis facta in contractibus, quæ dicitur unica promiſſio, & ſtipulatio, ſecus verò in legatis annuis, quæ tot ſunt, quot ſunt anni ex ſupra allegatis, & diſtingunt *Doct. in d. l. Senatus* §. *Fin. ff. de donat. cauſ. mort.*, *&* *in d. leg. Stichum* §. *Stipulatio ff. de verbor. obligat.*, *ubi præcipuè Odofred. n.* 4. *Alber. n.* 9. *Duaren. in verſ. quemadmodum*, *latè Cujac. in fin. Hugo Donell. n.* 2. *verſ. ultimo quæritur Gomes dicto cap.* 11. *num* 44. *Azor. d. part.* 3. *lib.* 6. *cap.* 15. *verſ. ultimo*.

Et propterea in ſtipulationibus annuæ præſtationis unica ſufficit præſcriptio. *Felin. d. c. auditis n.* 43. *verſic. ultimo tangit*, *B*, in legatis verò annuis tot requiruntur præſcriptiones, quot ſunt anni *Caſtren. in d. l. Stichum* §. *Stipulatio n.* 1. *Socin. Conſ.* 81. *n.* 5. *verſ.* 5. *confirmo l.* 3. *Bal. de præſcrip. p.* 4. *princip. quæſt.* 4. *n.* 3. *Surd. Conſ.* 123. *n.* 9., *&* 10. *&* *de alim. dict. tit.* 5. *quæſt.* 6. *n.* 22. *Gomes dict. cap.* 11. *num.* 45. *Peregrin. dict. Con.* 84. *num.* 6. *Azor. dicto c.* 15. *verſ. ultimo poſt med.*

Non obſtat, quod Frater Petrus Baptiſta non fuerit per ſummum Pontificem diſpenſatus à voto Paupertatis; tum, quia Cauſa agitur nomine Religionis: tum, quia de licentia magni Magiſtri, de qua in ejus *ſumm. n.* 3. poteſt quoad uſum proprium retinere, & voto paupertatis non contravenire *ad not. in cap.* 1. *de Statu Monach. Rot. deciſ.* 216. *n.* 12. *part.* 2. *diverſ. cum relatis in Romana Salviani* 17. Decembris præteriti coram Me.

Et ita reſolutum utraque parte informante.

Ex Deciſion. coram Buratto tom. ſecundo fol. mihi 296. *juxta impreſſ. Lugdunen.*

Monialibus Civitatis Januæ recitationem Officii B. V. Mariæ de Monte Carmelo quotannis concedit; Eas omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis &c. tam Spiritualibus, quam temporalibus, aliis Monialibus ipſius noſtri Ordinis, ſeu de Obſervantia, ſeu Reformatorum, ſeu Conventualium, aut Monialibus jurisdictioni Ordinariorum ſubjectis, conceſſis vel concedendis gaudere, & uti poſſe declarat; Altare majus in earum Eccleſia pro Defunctis Monialibus ejuſdem Monaſterii, vel earum Conſanguineis, Affinibus uſque ad ſecundum gradum &c. in perpetuum privilegiat; tam viſitantibus Eccleſiam prædictam in feſto Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, quam ipſis Monialibus in feſto Aſſumptionis ejuſdem B. V. in Capella de Laureto intra clauſtra exiſtente orantibus indulgentiam plenariam impertitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad Perpetuam rei memoriam.

IN Apoſtolicæ dignitatis faſtigio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti piis ſacrarum Virginum, & Devotarum Mulierum, quæ oblitæ populum ſuum, & domum Patris ſui divinis obſequiis ſeſe ſub ſuavi Religionis jugo mancipârunt, votis libenter annuimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis.

Cum

Cum itaque, ſicut Dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales Monaſterii Januen. Capucinæ nuncupatæ, Ordinis S. Franciſci, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſæ pro ſingulari ſua erga Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotione, officium ejuſdem Beatæ Virginis de Monte Carmelo recitare, ac privilegiis aliarum dicti Ordinis Monialium gaudere poſſe, ſibique propterea opportunè in præmiſſis â Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri ſummopere deſiderent: Nos ipſas Exponentes, quas peculiari paternæ charitatis affectu proſequimur, ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas â quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis &c. inclinati, eiſdem Exponentibus, & futuris dicti Monaſterii Januen. Monialibus, ut ipſæ Officium de Beata Maria Virgine de Monte Carmelo a Sede Apoſtolica approbatum quotannis die XVI. Julii recitare: necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, favoribus, indulgentiis, & indultis, & gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quæ Monialibus Ordinis ejuſdem S. Franciſci, ſive Fratrum Minorum ipſius Ordinis Capucinorum, aut de Obſervantia, vel Reformatorum, aut Conventualium, ſeu alio quocumque nomine nuncupatorum, ſive etiam Ordinariorum regimini, gubernio, & juriſdictioni ſubjectis, tam circa facultatem recitandi Officia de Sanctis, quam alia quæcumque, etiam ſpecifica, & individua expreſſione digna hactenus â Sede prædicta, quovis modo conceſſa ſunt, dummodo tamen ſint in uſu, nec ſint revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa, neque Concilii Tridentini Decretis, aut poſterioribus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis adverſentur, & quandocumque, & quomocumque in poſterum generaliter concedentur, ac quibus ipſæ Moniales tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licite poſſint & valeant in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi privilegia, prærogativæ, præeminentiæ, favores, indulgentiæ, gratiæ & indulta hujuſmodi præfatis Exponentibus, & futuris Monialibus dicti Monaſterii Januen. nominatim, & expreſsè conceſſa reperirentur, & in futurum concederentur, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Præterea Eccleſiam ejuſdem Monaſterii Januen. ſimili ad præſens privilegio (ut accepimus) minimè decoratam, ſeu, quatenus forſan decorata ſit, ejuſmodi privilegio per præſentes revocato, ac in ea ſitum Altare Majus ipſius Eccleſiæ hoc ſpeciali dono illuſtrare volentes, ac de Omnipotentis Dei &c. confiſi; ut, quandocumque Sacerdos aliquis ſæcularis, vel Regularis Miſſam Defunctorum die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis diebus intra illius Octavam, ac ſecunda feria cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuſcumque Monialis dicti Monaſterii, aut Conſanguinei, vel Affinis alicujus ex Monialibus, uſque ad ſecundum gradum incluſivè, vel Benefactoris ipſius Monaſterii, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, ita, ut Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus pariter & indulgemus. Ac inſuper omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam dicti Monaſterii Januen. die feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ â primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei annis ſingulis, devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Monialibus autem ejuſdem Monaſterii, & aliis perſonis, intra illius clauſtra, nunc & pro tempore degentibus, quæ ſimiliter verè pœnitentes, & confeſſæ, ac Sacra Communione refectæ Cappellam, ſub titulo Beatæ Mariæ de Laureto intra eadem clauſtra exiſtentem die feſto Aſſumptionis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ pariter â primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devotè viſitaverint, & oraverint, ut ſupra, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac Exponentibus, & futuris Monialibus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. noſtræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis prædictorum, aliiſque quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus; cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum

trum ſub Annulo Piſcatoris, die IV. Januarii MDCLXXVII. Pontificatus Noſtri Anno primo.

I. G. Sluſius.

Autog. in Archiv. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 49.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Joanni Baptiſtæ à Corſano, qui in Religione Tertii Ordinis, ut Laicus Profeſſionem emiſit, poſt ſuum ad Nos tranſitum, ceu Clericum profiteri, indulgetur.

Ordinis Capucinorum Tranſitus.

POſtquam prima Tonſura; & duobus minoribus Ordinibus inſignitus fuerat Joannes Baptiſta Forforus de Corſano, Sarzanen. Dioec. cupiens profeſſionem, uti Clericum, emittere, in Religione Tertii Ordinis Sancti Franciſci, acceptus, & ad probationem admiſſus fuit in Conventu N. quia verò ejus paterna Domus, ob varia infortunia, ſubminiſtrare non potuit ſcuta centum pro veſtiario, expleto Novitiatus anno, profeſſionem, ægrè tamen, uti Converſus, emiſit.

Paulò poſt prævio Superiorum Religionis, à qua, & ad quam conſenſu, ſervatis ceteroquin ſervandis, ad ſtrictiorem Capucinorum tranſivit, ac à Provinciali Capucinorum N. examinatus, & idoneus pro Clericatu repertus, acceptatus, & indutus fuit in Conventu N. tamquam Novitius Clericus, deficientibus ſeptem diebus ad biennium poſt emiſſam, uti Converſus in Religione Tertii Ordinis Profeſſionem, præviis duntaxat licentiis in ſcriptis tam Provincialis Tertii Ordinis, quàm omnium Religioſorum Conventualium à quo, & ad quem.

Mox elapſo probationis anno inter Capucinos, cupiens uti Clericus profiteri, & quo de omnibus neceſſariis requiſitis præditus reperitur, ſupplicat pro facultate opportuna, & diſpenſatione ad cautelam.

Die prima Martii 1692: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum, benignè commiſit Commiſſario Generali ejuſdem Ordinis, ut, veris exiſtentibus narratis, cum Oratore diſpenſet, ac petitam facultatem pro ſuo arbitrio, & conſcientia eidem gratis impertiatur.

G. *Card. Mariſcottus Pro-Præf.*

R. Pall. Secret.

Ex Regſeu lib. 42. *Secret. Congreg. prædictæ fol.* 136.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcopor. & Regular.

Ad inſtantias Familiæ Lomellinæ tres Sacerdotes cum Fratre Laico in Inſula, *Tabarca* nuncupata manuteneri, & ab his Sacramenta adminiſtrari conceditur.

BEATISSIME PATER.

AGnoſcentes Oratores Lomellini, Patritii Januenſes, & Domini Inſulæ, *Tabarca* nuncupatæ, ſub Diœceſi Januenſi debitum, quod iis incumbit, urgente neceſſitate providendi opportunè Cultui Divino, & curæ ſpirituali animarum in dicta inſula habitantium, ubi nullus eſt Regularium Ordo, & pauci, qui ibi ſunt, Sacerdotes, hujuſmodi miniſterio minus ſunt apti, Sanctitati Veſtræ humillimè ſupplicant pro gratia, quatenus ad hunc finem obſequiis, & aſſiſtentia ſpirituali Fratrum Capucinorum Provinciæ Januenſis, erga quos populus dictæ Inſulæ peculiari fertur devotione, uti valeant, & ideo à Paterno Sanctitatis Veſtræ zelo, Miniſtro Provinciali memoratæ Provinciæ facultas concedatur deputandi, & manutenendi in dicta Inſula tres Sacerdotes cum Fratre laico, ita tamen, ut in iis, quæ Regularem obſervantiam concernunt, à juriſdictione P. Provincialis, in aliis autem, quæ reſpiciunt adminiſtrationem Sacramentorum, & curam animarum ipſis conferendam, à juriſdictione D. Card. Archiepiſcopi Januenſis eo modo dependeant, quo vel alii Capucini ejuſdem Provinciæ, Januæ Sacramenta adminiſtrantes, & actus Parochiales exercentes, vel quicumque alii Regulares, in Diœceſeos diſtrictu, hujuſmodi munia obeuntes, à quocumque Ordinario dependent. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, &

& conſultationibus Epiſcoporum, & Regalarium præpoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupplicem præſentem libellum remiſit, attentâ relatione Eminentiſſimi Archiepiſcopi Januenſis, ac P. Procuratoris Generalis Ordinis, cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, poſſe per ſuas literas Apoſtolicas in forma Brevis petitum Indultum pro tribus tantùm Sacerdotibus, & unico Laico concedi, reſervatâ tamen facultate dicto Eminentiſſimo Archiepiſcopo eoſdem prævio examine, ad curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum approbandi, ac inſuper dependentia, ac ſubjectione in prædictis juriſdictioni ipſius Eminentiſſimi Archiepiſcopi. Romæ 19. Novembris 1717.

. . . Card. Paraccianus.

V. P. Damaſc.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. de quo exemplar auth. in Arch. Gen. Arm. Provincia Januenſis.

N O T A.

EXecutioni Decretum non fuit datum, cum ex Familia Lomellina, ille, qui primarius operis erat Auctor, & Fautor, è vivis diſceſſiſſet, & Inſula de facto gemat ſub jugo Turcarum Tunetanorum.

Fratribus, à Sereniſſima Republica ad ſpiritualem Triremium directionem aſſumptis, varias facultates largitur, & ad eorum obſequia Laicum deputari, Miniſtro Provinciali imponit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut Dilecti Filii Nobiles Viri, & Gubernatores Reipublicæ Januenſis Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi ad ſpiritualem Militum, Nautarum, & Remigantium, aliorumque Chriſtifidelium in Triremibus ejuſdem Reipublicæ pro tempore exiſtentium directionem, eorumque animarum curam, dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci nuncupatorum opera uti decreverint, ac proinde aliquot ex præfati Ordinis Fratribus in Capellanos, & ſpirituales Directores Triremium hujuſmodi, ad audiendas Sacramentales Confeſſiones eorumdem Chriſtifidelium, tametſi eis per Conſtitutiones dicti Ordinis, auctoritate Apoſtolica confirmatas, illas excipiendi interdictum reperiatur, eadem auctoritate deputari poſſe, ac aliâ opportunè in præmiſſis, à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimùm deſiderent. Nos, ipſis Ducis, & Gubernatoris prædictorum votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali Provinciæ Januenſis Ordinis prædicti, ut quinque, vel ſex Fratres Ordinis hujuſmodi, eorumque Præſidentem, ſeu Superiorem in Sacro Presbyteratus Ordine conſiſtentes, ad excipiendas Confeſſiones hujuſmodi idoneos, & ab Ordinario loci approbatos, ad inſerviendum pro Capellanis, & ſpiritualibus Directoribus in Triremibus ſupradictis deputare valeat, ita, ut iidem Fratres ſic deputati Militum, Nautarum, Remigum, & aliorum quorumcumque in memoratis Triremibus pro tempore inſervientium Sacramentales Confeſſiones audire, & excipere, eoſque ſalutari pœnitentia, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis reſpectivè injunctis, ab eorum peccatis abſolvere liberè, & licitè poſſint, facultatem dicta auctoritate, tenore præſentium, tribuimus, & impartimur. Præterea eidem pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali, pro dictis Fratribus Capellanis, & ſpiritualibus Directoribus unum Fratrem Laicum, ſeu Converſum dicti Ordinis, qui eis inſerviat, conſtituendi licentiam, auctoritate, & tenore prædictis, concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod Fratres ſupradicti, quoad Sacramentorum adminiſtrationem Ordinario, quò verò ad diſciplinam Regularem ſuis Superioribus immediatè ſubjaceant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Septembris MDCCXVIII. Pontificatus Noſtri Anno decimo octavo.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Archiv. Provinc.

DE-

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Parocho Oppidi Ilicis Quartam funeralem prætenſam non deberi, & retentas propterea ab eo candelas, Fratribus reſtitui ſancitur.

LUNEN. SARZANEN.

Defunctà quadam Puella infanti de menſe Januarii labentis anni in Oppido Ilicis Diœceſis Lunen. Sarzanen. ejus Parentes Capucinorum Fratres requiſiverunt, ut Cadaveri in eorum Eccleſia ſepulturam darent. In Aſſociatione dicti Cadaveris intervenit Parochus, qui prætendens ſibi deberi quartam funeralem, pro iſta candelas ſupra corpus dictæ defunctæ exiſtentes retinuit. Hinc Patres Capucini prætendentes, vigore Privilegiorum Apoſtolicorum, immunes eſſe à dicta quarta funerali, inſtant pro reſtitutione totius ceræ à Parocho retentæ, ac pro declaratione, an Parocho debeatur quarta?

Die prima Decembris 1314. *Sacra Congregatio Concilii, audita relatione Epiſcopi Lunen. Sarzanen. cenſuit, non deberi Quartam funeralem, ac reſtituendas eſſe candelas Patribus Capucinis.*

B. Card. Panciaticus Præf.

V. Petra Secret.

Ex Reg. ſeu lib. 64. *Congreg. præd. fol.* 421.

RESCRIPTO PONTIFICIO

Conventus Monferratenſes à Provincia ſcinduntur, & immediatæ P. Miniſtri Generalis juriſdictioni ſubduntur.

Ex Audientia Sanctiſſimi die 11. *Nov.* 1730.

Sanctiſſimus annuit pro ſuſpenſione, & reſpectivè pro erectione enuntiatorum ſex Conventuum in Cuſtodiam, duraturam ad beneplacitum Sanctitatis Suæ, ita, ut in poſterum iidem Conventus remaneant ſeparati à Provincia Januenſi, nec Subditi ſint gubernio, & Viſitationi Provincialis, ſed ſubjaceant immediatè Generali Ordinis pro tempore exiſtenti, qui ipſos gubernet per Commiſſarium, ab Eodem deputandum.

Romæ die 22. Decembris 1730.

Card. Franciſcus Barberinus.

A. Archiep. Pat. Secret.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regul.

Ius Sepeliendi Cadavera Defunctorum, qui Sepulturam in Eccleſiis noſtris, cum licentia P. Generalis &c. ad requiſitionem Parochi exhibenda elegerunt, Nobis competere confirmatur, & alia circa curam Cadaveris Sacerdotis Camilli Saravalli Parochum inter, & Fratres Noſtros Ovadæ ſanciuntur.

IN Cauſa Aquen. Funeralium vertente inter R. Ippolitum Maccio Præpoſitum Eccleſiæ Parochialis Ovadæ ex una, & PP. Capucinos Conventus ejuſdem loci ex altera, Partibus præpoſita fuerunt infraſcripta Dubia nempe.

Primum. An PP. Capucini habeant jus ſepeliendi in ſuis Eccleſiis illorum Cadavera, qui in eis Sepulturam elegerunt cum licentia eorum Superioris Generalis, & quatenus affirmativè.

Secundum. An licentia prædicta ſit ante Cadaveris aſportationem legitimè oſtendenda, vel Epiſcopo, vel Parocho Defuncti illam requirenti? & quatenus affirmativè.

Tertium. An Cadaver Sacerdotis Camilli Saravalli ſit effectivè reſtituendum una cum emolumentis Eccleſiæ PP. Capucinorum Terræ Ovadæ? & quatenus affirmativè.

Quartum. An ſit locus aperitioni, & recognitioni Capſæ, in qua repoſitum fuit dictum Cadaver?

Quintum. An Parochus dicti loci Ovadæ teneatur aſſociare Cadaver ab Eccleſia, in qua fuit ſepultum, ad Eccleſiam excluſivè RR. PP. Capucinorum prædictorum?

Itidem propoſitum fuit aliud dubium ſuper Quarta Funerali videlicet.

An PP. Capucini teneantur ſolvere Quartam Funeralem in caſu &c.

Sacra Congregatio &c. referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Gotti Ponente, Partibus auditis, ac re undique maturè diſcuſſa cenſuit reſpondendum, prout reſcripſit: die 19. Septemb. 1732.

Ad primum, & ſecundum Dubium affirmativè.

Ad tertium negativè.

Ad quartum, & quintum proviſum in tertio, Et ad dubium ſuper quarta funerali: affirmativè.

F. Card. Barberinus Præf.

Ex Reg. Regularium Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

D E C R E T O

Ejuſdem S. Congreg.

In Eccleſia Civitatis Plebis Sepultura Joan. Auguſtino Garello Canonico, & Philippo Leureri, cum eorum poſteris, conceditur.

Emin. ac Rev. Domini.

Canonicus Auguſtinus Garello, & Philippus Leureri, ambo ex Civitate Plebis, cum in Eccleſia Capucin. pariter Civitatis Plebis duarum Capellarum jus honorificum acquiſiverint, Sepulturam quilibet eorum pro ſe, & ſuis poſteris in ea exoptat; cum autem Conſtitutiones dictorum Capucin. pio eorum deſiderio obſtent, EE. VV. pro opportuna facultate demiſſiſſimè ſupplicant.

Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminen. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attenta relatione P. Proc. Generalis, benignè commiſit Ordinario Civitatis Plebis, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo per præſens Indultum, nullum Parochialibus juribus præjudicium inferatur, petitam facultatem pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur. Romæ 18. Julii 1738.

F. Card. Barberinus.

C. Archiep. Dam. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

PRO-

PROVINCIA PEDEMONTANA.

NOmen, & auſpicia ſua, Provincia hæc, quæ & aliàs de Sancta Syndone nomen gerit, debet Sereniſſimo Sabaudiæ Duci, Cypri Regi &c. Carolo Emanueli, qui, ut ſui Status, ſeu Dominii Conventus, titulo, & jure Provinciæ decorarentur, diutius quæſivit, & anno 1618. *lætanter obtinuit.*

Quantus, & qualis ſit zelus, quo florens virtute, & doctrinâ hæc Provincia curandæ Animarum ſaluti, in locis præſertim Miſſionum incumbit, Valles, & Montes ſanæ doctrinæ imbre irrigat, reſectiſque vicinæ hæreſeos zizaniis germen virtutis fœcundat, dijudicari debet ex fructu, quem Chronicæ Tabulæ efferunt uſque ad portentum, Vaticanæ Litteræ memorant glorioſum, & Fr. Mathias Ferrerus in ſuo jure regnandi Apoſtolico *demonſtrat continuum, ita, ut mirari non oporteat, ſi hujus intuitu jura Miſſionum ſarta tecta conſervari, contra impugnatores benigno Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Oraculo, non ſemel fuit deciſum.*

Præter fructus, quorum integros manipulos cum exultatione jam ab Anno 1596 *portare pergit ad Eccleſiam Dei, dedit, & illius Hierarchiæ, Fr. Bernardinum Aſtenſem, ex Marchionibus Contanſerii, de Eccleſia Archiepiſcopali Turritana cum retentione Tituli Archiepiſcopalis translatum, de quo plura videſis* Tomo primo fol. 187.

Ex ſinu hujus Provinciæ, ſeu ex Civitate Aſtenſi prædicta, accepit Religio noſtra, & alium Fratrem Bernardinum, Tertium Ordinis Vicarium Generalem, & firmiſſimum ejuſdem columen, ita, ut ſecundum Pauli Papæ III. elogium nihil Capucinorum Religioni prorſus formidandum, quin etiam bonorum omnium cumulus ſperandus fuerit, quamdiu Bernardinum Aſtenſem Superſtitem habebat: *de quo, & alia habes* Tomo 1. fol. 17.

Ad idem Generale Ordinis Miniſterium fuère quoque evecti Fr. Joannes à Monte Calerio, cujus doctrinam, præter aliud laudat opus, Memoriale Prælatorum *intitulatum, ab eo typis editum, & cujus prudentiam teſtantur conſilia, quæ Aula Sabaudiæ in gravioribus negotiis ab eo, ceu oracula hauſit. Vide, & alia* eodem tomo fol. 93.

Et Fr. Bernardinus à Salutiis, qui juxta Epigraphen Iconi ejus appoſitam ter Provincialis in Pedemontanâ Provincia, in Romana Curia bis Procurator, & Commiſſarius Generalis, in tota Religione ſemel Miniſter Generalis, in omnibus humilis, modeſtus, cum omnibus affabilis, benignus, & miſericors; & ſuper omnia, zelo, charitate, & juſtitia præditus obiit Haydæ in actu viſitationis, Die 29. Julii 1710. Ætatis ſuæ 72.

Viris, vel in Eccleſia, vel in Ordine conſpicuis æquiſſimè accenſetur Fr. Zacharias, patria pariter Salutienſis, & Definitor Generalis, & de Eccleſia, & Ordine meritiſſimus, prout ſubſequa Documentorum ſeries fuſiùs exhibebit.

Nu-

Numerat Domos Fratrum XLI.
Miſſiones ſtabiles IX.
Hoſpitia pro itinerantibus VII.
Monaſteria Monialium II.

Monaſterium, Abbatia nuncupatum, & in Commendam Cardinali Vaſtavillano conceſſum, Fratribus pro conſtructione Conventûs in loco Pinaroli permittit.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Univerſitatis, & Hominum Terræ Pinaroli, nullius Diœceſis, ſub juriſdictione Monaſterii, Abbatiæ nuncupati S. Mariæ prope, & extra muros dictæ terræ, Nobis exhibita petitio continebat, quod ipſi pia devotione ducti unam Domum Ordinis Fratrum S. Franciſci Minorum Capucinorum nuncupatorum, in qua Fratres ipſius Ordinis ſæculi fugientes abrupta ſub Regularibus ejuſdem Ordinis Inſtitutis poſſint perpetuum Altiſſimo præbere famulatum, ad divini nominis gloriam, Religionis propagationem, & animarum ſalutem in loco ad id opportuno conſtituere deſiderant. Quare tam pro parte Univerſitatis, & hominum prædictorum, quam Dilecti Filii noſtri Philippi, S. Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis Vaſtavillani nuncupati, noſtri ſecundum carnem ex ſorore Nepotis, qui Monaſterium prædictum ex Conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica in Commendam ad ejus vitam obtinet, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eiſdem Univerſitati, & hominibus domum præfatam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui faciendi, licentiam concedere, & illam, poſtquam conſtructa fuerit, in Domum Fratrum Ordinis S. Franciſci Minorum Capucinorum nuncupatorum, ſub invocatione S. Laurentii, ita quod in ea perpetuo vigere debeat Regularis Obſervantia dicti Ordinis ſecundum ejus Regularia inſtituta ſtatuere, & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea, quæ Religionis propagationem in divini cultus augmentum concernunt, quantum Nobis ex alto permittitur, noſtræ benignitatis aures libenter accomodamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon contemplationibus dilecti Filii Nobilis Viri Emmanuelis Philiberti, Sabaudiæ Ducis, eiſdem Univerſitati, & Hominibus Domum præfatam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi licentiam, & facultatem, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, Domumque præfatam, poſtquam conſtructa fuerit, in Domum Ordinis prædicti ſub invocatione hujuſmodi erigimus, ita quod in ea perpetuò vigere debeat Regularis Obſervantia dicti Ordinis ſecundùm illius regularia inſtituta, ſtatuimus, & ordinamus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Taurinenſi, & Epiſcopo Lauden. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis apud Ducem Sabaudiæ Nuntio; & Dilecto Filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando expediri, & quoties pro parte dictorum Univerſitatis, & Hominum fuerint requiſiti, eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem Univerſitatem, & Homines præmiſſis omnibus, & ſingulis juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere, ac eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumquæ perpetuò inviolabiliter obſervari; non permittentes eos, ac alios, quos dictæ literæ concernunt, contra illorum te. norem per quoſcumque quomodolibet moleſtari; contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contratrariis quibuſcumque. Aut, ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmo-

modi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVI. Octobris MDLXXVI. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 553.

Librum P. Zachariæ Boverii contra opus de RepublicaChriſtiana &c. tunc edendum, intra decennium in Urbe, aut Statu Eccleſiaſtico reimprimi inhibet.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut accepimus, Dilectus Filius Zacharias Boverius, Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum profeſſor, librum quendam adverſus opus Marci Antonii de Dominis, olim Archiepiſcopi Spalaten. de Republica Chriſtiana in lucem edere intendat, ac vereatur, ne, poſtquam in lucem prodierit, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, librum prædictum typis cudifacere curent, in ipſius Zachariæ, & cauſam ab eo habentium præjudicium. Nos eorum indemnitati, ne ex impreſſione hujuſmodi aliquod diſpendium patiantur, providere volentes, ipſoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis Excommunicationis &c. cenſentes; ſupplicationibus ejuſdem Zachariæ nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Zachariæ, & cauſam ab Eo habentibus prædictis, ut decennio proximo â primæva ipſius libri (dummodo antea â Dilecto Filio Magiſtro Sacri Palatii approbatus ſit) impreſſione computando durante, nemo, tam in Urbe, quam in noſtro Statu Eccleſiaſtico immediatè, vel mediatè Nobis ſubjecto, librum ſupradictum ſine ſpeciali dicti Zachariæ, & ab eo cauſam habentium prædictorum licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis, ſine hujuſmodi licentia impreſſum vendere, aut venalem habere, ſeu proponere poſſit, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes *reſiduum uti ſupra fol.* 28. & 231. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris, die XI. Julii MDCXX. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſexto.

Autog. in Reg. Secret. Congreg. menſis, & anni præd. fol. 70.

Nota, & Encomium prædicti Patris Zachariæ verbatim ex Bibliotheca Maxima Pontificia Illuſtriſſimi D. Ioannis Thomæ de Rochabertis, Prælati Domeſtici &c. Innocentii XI. Ordinis Prædicatorum Tom. 20. fol. mihi 478., & 479. excerptum.

ZAcharias Boverius natione Pedemontanus, Patriâ Salatienſis, Provinciæ (tunc) Genuenſis Alumnus Ordinis Capucinorum, pluries Definitor, & Cuſtos Provinciæ, & poſtea Definitor Generalis, S. R. Inquiſitionis Conſultor, Sacræ Paginæ profundus Interpres, utriuſque Facultatis, & Scholaſticæ, & poſitivæ Profeſſor Eximius, Hæreticorum validus Impugnator, & Catholicæ Fidei egregius Defenſor. Cum ex Eccleſia ſua, & Catholica diſceſſum feciſſet M. Antonius de Dominis Epiſcopus Spalatenſis, de quo ſæpe, & præcipuè in Balthaſſare Nardio mentionem fecimus, & emiſiſſet in lucem libros ſacrilegos de Hierarchiæ Eccleſiaſticæ deſtructione, inſcriptos de Republica Chriſtiana, adfuit validus Antagoniſta Boverius, tres libros edendo, de quibus infra. His doctiſſimis libris in lucem editis, Zacharias apud Eruditiſſimos Viros cæpit celebrari præcipuè Eccleſiaſticos, & tandem pervenit ad aures Summi Pontificis Urbani VIII. Qui ſtudio tanti Viri illectus, illum inter tot Eccleſiáſticorum Myriades unum elegit, quem Emo Franciſco Cardinali Barberino, à Latere Legato ad Catholicum, & Chriſtianiſſimum Monarchas deſtinato, Theologum ſpecialem conſignaret. Quare cum eodem Eminentiſſimo in Hiſpaniam profectus, cum eo tempore degeret Matriti Carolus Stuardus Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Primogenitus, Sororem Regis Catholici in Uxorem ducturus, & in ſuadendo illi Catholicam Fidem plurimùm laborarent ſacri Præſules, P. Zacharias ex tempore accepto calamo Conſiliarium librum compoſuit, de quo infra. Regrediente Boverio ex Hiſpania Capitulum Generale illi onus impoſuit, ut Annales Religionis Capucinorum deſcriberet; Quapropter diligenter conquiſitis, & per annos examinatis priſcorum Capucinorum, vitaque Sanctimonia Illuſtrium Patrum geſtis, adeo eleganter illa conſcripſit, ut Tullianam facundiam adamuſſim redolentia, & ſuavitate reſperſa legentes ad ulteriora ſemper allectos provocent, nec legendi periodum, niſi ultimam faciant. Opus ergo perfecit brevi tempore duobus voluminibus. Piiſſimis operibus feliciſſimè in Chriſto obiit Genuæ in Conventu Immaculatæ Conceptionis Anno 1638. pridie Kalendas Aprilis, ætatis ſuæ annorum 70. Religionis 48. pluribus ingenii ſui relictis monumentis. Ejus vitam Italico ſermone luculentiſſimè deſcripſit Pater Franciſcus â Sexto, tunc Miniſter Provincialis Provinciæ Genuenſis. Ejus Opera ſunt infrà ſcripta: I. Demonſtrationes Symbolorum, veræ, & falſæ Religionis adverſus Præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hoſtes, ſcilicet Atheiſtas, Judæos, Hæreticos, præſertim Lutheranos, & Calviniſtas, in quinque libros diſtributæ. Primus liber eſt contra Atheiſtas. Secundus contra Judæos. Tertius agit de demonſtrationibus Symbolorum veræ Religionis in genere. Quartus de examine Sectæ Lutheranæ, & Calviniſtæ ad propoſita Symbola, Quintus de Demonſtrationibus Symbolorum Romanæ Religionis in ſpecie. Lugduni ſumptibus Horatii Cardon. Anni 1617. in fol. II. Paræneſis Catholica ad Marcum Antonium de Dominis,

nis, olim Archiepiſcopum Spalatenſem, poſtea S. R. E. Apoſtatam, & in Angliam transfugam, in qua examinantur, & refelluntur quatuor libri ejuſdem de Republica Chriſtiana, & Eccleſiaſtica, Lugduni apud Joannem Chavvet Anno 1618. in quarto. III. Cenſura Parænetica in eoſdem quatuor libros Marci Antoni de Dominis, Mediolani 1621. in fol. IV. Cenſura in tractatum de Legitima Cardinalium Creatione, Dominici Veneti, Epiſcopi Porcellani nomine inſcriptum, ſed ab eodem Marco Antonio de Dominis in lucem editum, Mediolani 1622. V. Orthodoxa Conſultatio de ratione veræ Fidei, & Religionis amplectendæ ad Sereniſſimum Carolum Stuartum Vallium Principem, Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Filium, in communem omnium veræ Religionis Studioſorum gratiam, & utilitatem. Prodiit primùm Matriti apud Thomam Juntam Typographum Regium Anno 1623. Poſtea juſſu Eminentiſſimi Cardinalis Fr. Antonii Barberini, Tituli S. Honuphrii, Ordinis Capucinorum Protectoris ab eodem in duas partes diſtributa, impreſſa fuit Romæ in Typographia Vaticana Anno 1635. VI. Annales, ſive Sacræ Hiſtoriæ Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci. In primo Tomo traduntur univerſa, quæ ſpectant ad ejuſdem Ordinis ortum, ac progreſſum, uſque ad Annum 1580. impreſſus eſt Lugduni Anno 1632. ſumptibus Claudii Landrii. Secundus Tomus complectitur omnia, quæ ab Anno 1581. uſque ad Annum 1612. pertinent. Ibidem 1639. ſumptibus Gabrielis Boiſſat, & Laurentii Aniſſon. De his Annalibus R. P. Hiacinthus Parrù Hiſpanus in ſua Roſa Lauretana pag. 397. ſic honorificè loquitur: Poſtquam Chronica Capucinorum cum univerſali admiratione, & incomparabili exiſtimatione in Columnis Famæ illud *non plus ultra* fixerunt, temerarium foret ſtudium, illa in ſtylum vulgarem traducendi, & obſcurandi realitatem tam heroicæ expeditionis, dignæ duntaxat ea, qua Boverius illa conſcripſit, cujus operarià eloquentia ſola apta fuit, quatenus ſublimitas materiæ inimitabilem tam celebris calami gloriam adæquaret. *VII. Demonſtrationes undecim de vera Habitûs forma à Seraphico Patre Franciſco inſtituta, ad Urbanum VIII. P. M. Lugduni 1632. apud Claudium Landrii, & Coloniæ Agrippinæ 1655. apud Cornelium Egmonum in octavo. VIII. Directorium fori Judicialis pro Regularibus. Auguſtæ Taurinorum apud Aloyſium Rizzimilium Anno 1624. Tom. 1. in quarto. IX. De Sacris Ritibus juxta Romanam Regulam, uſui Fratrum Minorum Capucinorum accommodatis, libri tres, adjunctis quibuſdam externis Ritibus, qui ad Religionis Capuccinorum Politiam, & ad pleraque domeſtica munera obeunda ſpectant, Neapoli Typis Scorigianis Anno 1626. tom. 1. in quarto. De eo meminerunt Wadingus lib. de Scriptoribus Ordinis Minorum, qui aliqua de eo adnotavit, Leo Allatius in Apibus Urbanis, Aubertus Miræus cap. 209. Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia, Andreas Roſſottus lib., & Syllabo de Scriptoribus Pedemontanis, Ardinghellius in Appendice Congeminatæ vocis turturis de Boverio ſic loquitur. Famigeratiſſimus eſt quoque Admodum R. P. Zacharias Boverius, meus Collega in Officio S. Inquiſitionis, cujus opera nedum in Germania exiſtentes Hæreticos. ſed aliarum quoque Provinciarum evincunt, & ſternunt. Et D. Marcus Aurelius Lucernenſis in ſuis hiſtoriis memorabilibus cap. 15 Miſſiones Capucinorum quaſdam referens de Boverio ſic ſcribit: Inter eos, qui in Miſſionibus ad Agrum Dominicum excolendum miſſi laboraverunt, unus annumeratur R. P. Zacharias Boverius Salutienſis Vir Celebris, & frequentioris contra hæreſes zeli, qui grandiora gemina edidit volumina adverſus, & Lutheri, & Calvini, & Aſſeclarum nefaria dogmata. Tertium adverſus famoſa infamia notum Hæreſiarcham Marcum Antonium de Dominis. Quartum, quod conſcripſit Conſultatio Orthodoxa, & Carolo Gandenſi Principi, poſtea decollato Britannico Regi dicavit. Grandi etiam elogio Eum celebrans Abbas Valerianus Caſtilioneus lib. 6. cap. 2. Pater Magiſter Ponce, de Leon in traductione Chronicæ Moncadæ in principio. P. Leander de Murcia in Quæſtionibus ſelectis quæſt. 21. num. 3., & alii plures, qui vocant eum Doctorem Eruditiſſimum, ac Sapientiſſimum, inter Patres Eccleſiæ eum numerantes, eò quod ſcripturis ſuis eam valdè illuſtraverit. Quare jure merito totius Capituli Generalis Romæ celebrati Anno 1642. Definitio elogio celeberrimo Eum honorari juſſit, quod impreſſum reperitur ad initium Tomi ſecundi Annalium. Vocat ejus Os illud, de quo enſis utraque parte acutus exiit, & qui intellectuali miraculo Patres Capucinos oblivioni, & Hominum morti traditos ad illuſtrem vitam revocavit, & non mediocrem ejus virtutem exponit, & ibi addit, quod alii referre obliti ſunt, nempe eum ſæpè ſæpius Definitoris Generalis munus exercuiſſe. Laurentius Craſſus in ſuis Elogiis refert eum in adoleſcentia ſua ſolitum fuiſſe fugere Converſationes Juvenum, vocans eas ruinas Juvenum, & ſemina ignaviæ, & ibi refert duo Epigrammata in ejus laudem compoſita, primus bene concludit.*

Reſtituit Latio veteris miracula linguæ,
Et potis eſt unus cum Cicerone loqui.

Legata Pia, à Fr. Joanne à Taurino ante Religionis ingreſſum aſſignata, & ab hæredibus neglecta, executioni mandari, ad ejuſdem Fratris Joannis inſtantias, Nuntio Apoſtolico committit.

Venerabili Fratri Laurentio Epiſcopo Cæſenaten. Noſtro, & Apoſtolicæ Sedis, apud dilectum Filium Nobilem Virum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Nuntio.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes de Taurino, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, quod ipſe aliàs, antequam profeſſionem per dictos Fratres emitti ſolitam expreſsè emitteret Regularem, ſuum ultimum condidit teſtamentum, in quo dilectos Filios Joannem Jacobum, & Margaritam de Caſtagnetis, nec non Philibertum Familia, & Nicola-

colaum Ruſconum Taurinen. ſeu alterius Diœcel. quoad ſummam quatuor millium, & centum ſcutorum pro indiviſo particulares, in toto autem eo, quod ex ejus bonis, & hæreditate ſupereſſet, univerſales hæredes inſtituit, cum onere tamen nonnulla legata pia exſolvendi, prout in publico Inſtrumento, per dilectum Filium Alexandrum Carlevaris, Notarium publicum Montiſregalis, Provinciæ Taurinen. deſuper confecto dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, multi jam elapſi ſint anni, nec adhuc legata prædicta in aliqua, quantumvis minima parte executioni demandata fuerint, prædictique hæredes in poſſeſſione dictorum bonorum, & hæreditatis exiſtant, in nonnullis autem difficultatibus, & prætenſionibus, quæ deſuper oriuntur, tollendis, licèt pluries deſuper moniti, & requiſiti fuerint, negligentes, & parum concordes noſcantur, & propterea dictus Joannes, ne legatorum per eum factorum hujuſmodi executio diutius differatur, per Nos deſuper opportunè provideri ſummopere deſideret. Nos eumdem Joannem ſpecialibus &c. volen. & â quibuſvis &c. cenſen., ſupplicationibus ejus nomine &c. inclinati, Tiper præſentes committimus, & mandamus, ut legata pia hujuſmodi omni, & quacumque contradictione, & impedimento prorſus remotis, auctoritate Noſtra exequaris, ſive omnino exequi, & adimpleri cures, & facias, Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque &c. &c. ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & amplam Tibi facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri de una &c. trahantur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, gratiis, & indultis prædictis, & quibuſcumque aliis perſonis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XIII. Septembris MDCXXIV. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſt. Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 249.

Duciſſis â Sabaudia Monaſteria Taurini ingrediendi facultatem largitur.

Dilectis in Chriſto Filiabus, Nobilibus Puellis Margaritæ, ac Mariæ, & Catharinæ á Sabaudia.

URBANUS PAPA VIII.

Dilectæ Filiæ Noſtræ, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPirituali conſolationi Veſtræ &c. inclinati, Vobis, ut à matronis, & mulieribus, Vobis inſervientibus aſſociatæ duas Domos Regulares Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Taurinen. de earumdem Domorum Superiorum conſenſu ingredi, inibique morari liberè, & licitè valeatis, dummodo tamen tot viros, quot mulieres Vobiſcum ducatis, nec ad manſiones Superiores Fratrum aſcendatis, minuſque inibi pernoctetis, minuſque cum Fratribus, Guardiano, ac alio ex antiquioribus exceptis, commoremini, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impertimur. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; nec non Domorum, & Ordinis prædictorum etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Auguſti MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſt. Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 62.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

In loco Avilianæ, vel Miſſas votivas â Fratribus pro rata Elemoſynæ receptas legi, vel Peregrinantes de non applicatione moneri debere, ſancitur.

Beatiſſime Pater.

IN Loco Avilianæ Diœc. Taurinenſis reperitur Conventus Capucinorum cum Eccleſia honori B. V. Mariæ dicata, in qua ſua Divi-

Divina Majeſtas Fidelibus, qui in magna copia ex locis longinquis, & quidem potiore ex parte cum voto faciendi celebrari Miſſam, illuc confluunt, multas diſpenſat gratias.

Creſcit quoque in dies Populi concurſus, præſertim ex occaſione gratiarum actionis pro præſervatione à bello, & peſte, quibus annis præterlapſis vicinia illa fuerat infeſtata. Cum autem Capucini ob Decreta S. Congregationis de *Celebratione Miſſarum*, numero Miſſarum ſatisfacere nequeant, illas refutare coguntur. Præſertim, cum in eo loco alii Religioſi, præter duos Curatos, Conventum PP. Conventualium, in quo tamen non niſi duo habitant, & Conventum PP. Auguſtinianorum Familiæ ordinariæ, non exiſtant. Hinc Religioſis, qui concurſui Miſſarum ſatisfacere poſſint, deficientibus, major pars Fidelium, ad illud Sanctuarium concurrentium deſolata decedit, ex judicio, quod devotionem ſuam complere non potuerit. Plures autem, uti ſunt Perſonæ pauperes, & plebejæ pro dictis Miſſis aliam eleemoſynam non offerunt, quam imaginem ex cera, unam vel duas candelas, alii parum panis, vel legumina, aut ſimilia, alii autem tenue ſtipendium pecuniarum.

Quapropter Sanctitati Veſtræ ſupplicatur, quatenus concedere dignetur, ut Capucini devotioni, & obligationi populi cum prædictis Miſſarum votis accurrentis, cum eo Sacerdotum numero, qui in dicto Conventu juxta ſtrictam Regulæ ſuæ obſervantiam commorari poſſunt, ſatisfacere valeant, recipientes eleemoſynas ſibi pro paupere ſuſtentatione, & pro Eccleſiæ, ac Conventus prædicti conſervatione neceſſarias, & eas, quæ pauperi ſuo victui erunt ſuperfluæ, refutantes. Et hoc in finem conſervandæ devotionis in populo, augendi magis cultus erga B. Virginem, & gloriæ erga Deum, quem precabuntur &c.

Die 5. Februari 1651.

Sanctiſſimus Dominus noſter ex Sententia S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretrum, attentis narratis benignè annuit, ut Fratres Capucini dicti Conventûs pro eleemoſyna Miſſarum recipere valeant res ad cultum & Ornatum Eccleſiæ pertinentes, vel ad victum, & veſtitum ipſorum Fratrum neceſſarias, ita tamen, ut recipere non valeant, niſi pro Miſſis, quibus Fratres ibidem degentes ſatisfacere valeant; vel, ſi ultra recipiant, admoneant ſingulos, qui elargiuntur, numerum Miſſarum eſſe adeo magnum, ut intentioni Offerentium ſatisfieri non poſſit ipſa Miſſarum celebratione, ac Sacrificii applicatione, ſed tamen eos participes fore Orationum, quæ in dicto Conventu aſſiduè pro Benefactoribus fiunt.

Franc. Paulut. Sac. Cong. Secret.

Ex Regeſt. ſeu lib. Secret. Congregat. præd. fol. 704.

E P I S T O L A

Sacræ Congregat. Epiſcop. & Regular.

Fratres, circa quæſtuationem in loco Soſpitelli, vexari, aut impediri, Epiſcopo Ventimilienſi inhibetur.

Illuſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

TAM à Sacra Congregatione Concilii, quàm etiam ab illa Epiſcoporum ſæpiùs fuit deciſum, quod locorum Ordinarii Regularibus Ordinum Mendicantium, in locis eorum Diœceſeos, in quibus hi Conventus habent, non poſſint prohibere quæſtuationem eleemoſynæ, & caſu, quo hanc extra loca, in quibus Conventus exiſtunt, facere vellent, ſufficiat exhibere ſuorum Superiorum licentiam. Inde Amplitudo Tua ſupradictis Decretis ſe conformet, quin Capucinos Soſpitelli illius Diœceſ. ad aliam licentiam, ab Eadem petendam adſtringat. Quod Amplitudini Tuæ ſignificare, Eminentiſſimi Domini mei mihi ordinarunt. Deus eam conſervet.

Romæ 11. Novembris 1639.

A. Card. S. Onuphrii.

Ex Reg. Secret. Congreg. præd. fol. 226.

N O T A.

Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo poſtmodum plenè ad hujus Epiſtolæ tenorem non reflectente, & à Fratre quæſtuante, toties quoties licentiam ſuorum Superiorum ſibi exhiberi debere prætendente, aliâ ejuſdem Sacræ Congregationis epiſtolâ, ab hujuſmodi prætenſione ut deſiſtat, fuit monitus, ut ſequitur:

Illu-

Illuſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

PAter Procurator Generalis Capucinorum, coram Sacra Congregatione conqueſtus eſt, qualiter, poſt literas Amplitudini Tuæ ſcriptas, quod Fratribus ſui Ordinis, in locis, in quibus habent Conventus, quæſtuationem probibere non deberet, & quod pro locis, in quibus non ſunt Conventus, Amplitudini Tuæ, licentiam ſuorum Superiorum exhibere ſufficeret, Eadem, hoc non obſtante, ut idem Frater, qui licentiam jam exhibuit, quæſtuationem faciat, prætendat, illam quacumque vice ſibi in Civitate, vel ubi Eam tunc degere contigerit, exhiberi, quantumvis loca, ad quæ pro quæſtuatione Frater vadit, ab illo, in quo Amplitudo Tua moratur, duobus, vel pluribus milliaribus diſtent. Quod cum Eminentiſſimi Domini mei ad praxim reduci durum judicaverint, Eidem ſignificari ordinarunt, quod Eodem Quæſtuatore durante, & exhibita jam Amplitudini Tuæ prima vice prædictâ licentiâ, ſufficiat, ſi poſtea illam Parocho, ſeu Vicario ejuſdem loci exhibeat. Quod ſi fiat, Amplitudo Tua alias ei moleſtias non cauſet, ſeque ſenſui Sacræ Congregationis, uti debet, conformet. Deus Eam ſervet. Romæ 7. Septembris 1640.

Amplitudinis Tuæ

Cardinalis S. Onuphrii.

Archiep. Theb. Secret.

Autog. in Reg. Secret. Sacræ Congreg. menſ. & anni præd. fol. 314.
Vide de hac ipſa materia infra fol. 397.

Exorta quoque controverſia inter Reverendos Patres Reformatos Saurgi, & Fratres noſtros dicti loci Soſpitelli, ſolitum in quæſtuatione ſervari, Epiſcopo Ventimilienſi commiſſum fuit Decreto ſequenti.

In Cauſa Ventimilien. quæſtuationis, vertente inter Fratres Minores Obſervantes Reformatos, Ordinis Sancti Franciſci, Conventus Beatæ Mariæ Virginis Miraculorum Oppidi Saurgi ex una, & Fratres Ordinis Capucinorum Conventus Civitatis Soſpitelli, Partibus, ex altera.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Ventimilien. viſis, & perpenſis juribus, & rationibus per partes ipſas informantes deductis, referente Eminentiſſimo S. Clementis cenſuit committendum eidem Epiſcopo, ut cum facultatibus Sacræ Congregationis ſervari faciat ſolitum. Romæ 2. Auguſti 1715.

F. Cardinalis de Abdua.

Et innovata controverſia &c. fuit deciſum, ut ſequitur:

In Cauſa Ventimilienſi quæſtuationis, vertente inter Minores Obſervantes Reformatos Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum Terræ Saurgi, & Patres Capucinos Conventus Soſpitelli.

Sacra Congregatio &c. Partibus auditis, & informantibus, referente Eminentiſſimo Corſino cenſuit, ac declaravit: non licere Patribus Capucinis, panem, & vinum in loco, de quo agitur, quæſtuare. Romæ 16. Septembris 1718.

Ex Reg. Secret. menſ. & anni prædicti.

Conſtitutiones Monialium Beatæ Mariæ de Suffragio Taurini confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, & Moniales Monaſterii Beatæ Mariæ de Suffragio nuncupatæ, Ordinis Capucinorum, Civitatis Taurinen. quod ipſæ Conſtitutiones pro bono, & felici dicti Monaſterii regimine, atque gubernio, aliàs editæ, quò firmiùs perſiſtant, & ab omnibus exactiùs obſerventur, Apoſtolicæ Noſtræ confirmationis robore communiri ſummoperè deſiderent. Nos igitur eaſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine &c. inclinati, Conſtitutiones prædictas, dummodo tamen in uſu, ac licitæ ſint, & honeſtæ, & non ſint revocatæ, nec ſub aliquibus revocationibus comprehenſæ, Sacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, Regularibuſque dicti Ordinis non adverſentur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium (non tamen quoad Indulgentias) approbamus, & confirmamus, illiſque invio-

labilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes illas, necnon præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſemper, & perpetuò obſervari, ſicque per quoſcumque Judices &c. Auditores judicari &c. attentari, in contrarium facien. non obſtan. quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die XIII. Februarii MDCXLIII. Pontificatus noſtri anno vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 79.

DECRETIS

Sacræ Congreg. Rituum, & Concilii.

Fratres Eporediæ nonniſi ad Proceſſiones ſolitas, & pro publico bono, & honore indictas accedere teneri ſtatuitur, ita tamen, ut in perſolvendis ſuis officiis Regularibus non impediantur.

PEDEMONTANA.

Conqueruntur Patres Capucini apud Sacram Rituum Congregationem, quod Epiſcopi, & præſertim Eporediæ, eos cogere velint, ut accedant ad nonnullas Proceſſiones, quæ nuper fuerunt introductæ.

Eadem Sacra Congregatio inhærens Magiſtrali Decreto facto 27. Julii 1609. cenſuit Regulares omnes poſſe compelli juxta Declarationem Congregationis Sacri Concilii, cujus quidem declaratio talis eſt, videlicet:

Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum ſæpiùs declaravit, publicas Proceſſiones, ad quas exempti, ab Epiſcopis vocati, accedere teneantur ex Decret. cap. 13. Seſſ. 25. de Regul. ejuſdem Concilii, eas eſſe intelligendas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, vel publico honore.

Quam Congregationis Sacri Concilii declarationem, eadem Sacra Rituum Congregatio ubique ſervandam eſſe cenſuit, & declaravit hac die 21. Julii 1645.

NOTA.

Plenè cum hoc Decretum non ſatisfaceret inſtantiis, fuit alius libellus ſupplex immediatè Papæ porrectus, a quo cum fuerit remiſſus ad Sacram Congregationem Concilii, P. Procurator Generalis Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti patrocinium quæſivit ſequente libello ſupplici.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

Procurator Generalis Capucinorum humillimus Eminentiæ Veſtræ Servus ſumpto ad Sanctiſſimum recurſu pro gratia inſtitit, ne Fratres ſui Ordinis quibuſdam Proceſſionibus noviter ab Ordinariis inductis intervenire teneantur, exceptis illa Corporis Domini, aliiſque generaliſſimis, prout à Sanctiſſimo Anteceſſore PP. Obſervantibus Reformatis fuit conceſſum. Cum autem libellus ſupplex Sanctiſſimo præſentatus ad Sacram Congregationem Concilii fuerit remiſſus, Eminentiæ Veſtræ idem Procurator ſupplicat, ut ſuæ ſuffragari dignetur Religioni, quæ gratiam obſecrat, non, ut ſe ab obedientia Ordinariis debita eximat, ſed ex eo, quod aliquoties hujuſmodi Proceſſionibus intereſſe circumſtantiæ abſolutè inhibeant, quod Ordinarii poſtea ægrè ferunt. Quam &c.

Ne autem Sacra Congregatio à ſuo Decreto ſupra poſito recederet, & tamen ſupplicationi Fratrum faveret, nihil novi decernere voluit, ſed Epiſcopis, contra quos Fratres ſe moleſtiùs gravatos eſſe, conquerebantur, ad diſcretionem monendos eſſe duxit, per literas, quarum exemplum hic apponitur.

Reverendiſſime Domine, uti Frater.

Cum à Regularibus ſupplicatum fuerit Sacræ Congregationi Eminentiſſimorum Cardinalium Sacri Concilii Interpretum pro Indulto non accedendi, niſi ad certas, & limitatas Proceſſiones, Eadem Sacra Congregatio renuit; ſed, ne iſti impediantur ordinatè divina officia celebrare, & alia onera Regularia obire, ad Amplitudinem Tuam ſcribendum juſſit, ut ſolitas, & conſuetas tantùm, non autem inſolitas, & tam frequentes Proceſſiones indicat, quod Amplitudo Tua pro ſua pietate efficere non prætermittat, & bene valeat in Domino. Romæ 19. Novembris 1645.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater

Petrus Aloyſius Cardinalis Caraffa.

Franciſcus Paulutius S. C. C. Secret.

DE-

DECRETO

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Introductio Monialium ad novum Monaſterium Montis Regalis, Epiſcopo ibi ſub ſolitis clauſulis committitur.

QUando fabrica novi Monaſterii, à Regia Sabaudiæ Duciſſa, in illa Civitate ſub Regula Capucinarum primæ obſervantiæ fundati, ad plenam perfectionem, tam quoad officinas, aliaſque Monialium interiores commoditates, quoad Eccleſiam exteriorem, clauſuræ ſecuritatem, remotionem proſpectûs, omniſque alterius ſervitutis fuerit reducta, Univerſitas validè, & cum ſecuritate ad neceſſaria Monaſterii Monialibus, quæ in quocunque caſu eleemoſynas victui ſufficientes invenire non poſſent, ſubminiſtranda ſeſe obſtrinxerit, & illius Civitatis Regulares Mendicantes conſenſum, prout huic S. Congregationi fuit expoſitum, præſtiterint, EE. DD. indulgent, ut Amplit. Tua facto prius verbo cum Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Taurini, cui ſub eodem ſcribitur tenore, ad prædictam Monaſterii Capucinarum illius Civitatis clauſuram transferat quatuor ejuſdem Ordinis Moniales, in quibus præter zelum, & vitæ probitatem, & ætas, prudentia, omniaque alia pro principianda novæ clauſuræ tam ſpirituali, quam temporali directione & Novitiarum introductione neceſſaria concurrant, cum facultate ibi degendi per 6. annos, transferat. Quibus durantibus magis idoneæ de triennio in triennium, viciſſim Abbatiſſæ, & Magiſtræ munus exerceant, dummodo aliæ Moniales capitulatiter ad id conſentiant, & Ordinarii licentia præcedat.

Translatio autem prædicta fiat de die cum curru, vel Rheda clauſa, facie velata, & ſub ſocietate Parentum, vel aliarum bonæ famæ Matronarum, ac cum ea, quæ Sponſas Jeſu Chriſti decet, modeſtia; ducantur etiam ad novum Monaſterium recto tramite, & in appulſu immediatè ad prædictum effectum collocentur. Volunt inſuper EE. DD. ut, ſi Inſtitutrices prædictæ ſex annis elapſis ſemper ibi manere vellent, præter conſenſum aliarum Monialium, capitulariter, & per vota ſecreta præſtandum, etiam licentiam ab hac Santa Sede deſuper impetrare debeant. Taliter itaque Amplit. Tua præſenti gratiæ executionem, vigore facultatis, quæ per præſentes Ei tribuitur, dare poterit. Et Deus &c.

Romæ 14. Junii 1658.

Ex Reg. Secret. Congreg. anni, & menſ. præd. fol. 327. Vide & infra confirmationem earundem Monialium Conſtitutionum.

DECRETO

S. Congregationis Concili.

Tempore Interdicti, cui Oppidum de Poyrino ſubjectum erat, Fratribus in Feſtis Sanctorum Ordinis privilegia ſuffragari declaratur.

Nullius Taurinenſis Privilegiorum.

CUM Oppidum, nuncupatum *di Poyrino*, ſit ad inſtantiam Abbatis Roſerii à tribus annis interdicto ſubjectum, & Ordinarius inferior ejuſdem loci renuat, Fratres Capucinos, ibidem exiſtentes, uti privilegiis Apoſtolicis eorum Ordini conceſſis, & potiſſimum â Pio V., & Clemente VIII., ideo, ut occurratur controverſiis, & ſcandalis, humiliter per eoſdem Fratres ſupplicatur declarari.

An ipſi teneantur obſervare Interdictum, ita, ut eis non ſuffragentur dicta privilegia in feſtis Sanctorum ejuſdem Ordinis, necnon in feſto S. Didaci, & Portiunculæ?

Die 16. Septembris 1660. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit ſuffragari.

F. Card. Paulutius Præſ.

Loco ✠ Sigilli.

C. de Vecchiis Epiſc. S. C. C. Secret.

Autograph. in Arch. Secret. Congreg. præd. Reg, ſeu lib. 22. fol. 285.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Ad inſtantias Fratrum Clavaſii Regulares Mendicantes in eleemoſynis, per Diæceſin, & loca, in quibus habent Conventus, quærendis non poſſe impediri, & econtra ſolum ad licentiam ſuorum Superiorum, Ordinario exhibendam, in caſu quæſtuationis extra loca Conventuum obligari declarat.

Emin., ac Rev. Domini.

PRocurator Generalis Capucinorum, nomine ſuo, & P. Provincialis Provinciæ Pedemontanæ EE. VV. exponit, qualiter non

non obſtante, quod S. M. Pius V. in ſua Bulla, incip. *Etſi Mendicantium Ordines &c.* relata â Quaranta in ſumma Bullarii *tit. privilegia Regularium*, Decretum S. Concilii Trid. de quæſtuatione eleemoſynarum non auferenda, nec poſſe, nec deberi ullo modo ad Ordines Mendicantes referri declaraverit, imò Regularibus Mendicantibus, ex eleemoſyna vivere obligatis, quæſtuare, omnino liberum eſſe decreverit, prout etiam ab hac Sacra Congregatione ſæpius fuit declaratum, nihilominus Præpoſitus Savini Dioec. Taurinen. Capucinos Conventus Clavaſſii in quærendis etiam rebus, pro eorum victu, quotidie neceſſariis, uti ſunt panis, vinum, & ſimilia, ſub variis prætextibus impedire, eoſque ad licentiam Ordinarii, vel Archiepiſcopi Taurinenſis toties quoties exhibendam, contra hujus Sacræ Congregationis Declarationes, & Bullæ Pianæ tenorem adſtringere prætendat. Cumque hoc præjudicet, cedatque in grave Mendicantium, præſertim plenè ex quotidianis eleemoſynis viventium (uti ſunt Capucini) damnum, ſupplicat EE. VV. Procurator Generalis pro opportuno remedio, & diſpoſitione, ut Religioſi in quærendis eleemoſynis ordinariis non impediantur, nec ad procurandam Ordinarii licentiam adſtringantur cum hoc adverſetur Declarationibus memoratis, & inſuper ſit impoſſibile, cum nonnulli Conventus â Civitatibus, in quibus Ordinarius reſidet, ita diſtent, ut pro conceſſione licentiæ ſcribere, & reſponſum exſpectare eo ipſo ſit impoſſibile, quod neceſſitas quæſtuationis Capucinis ſit ordinaria, ac quotidiana, ita, ut non ſine gravi præjudicio differri poſſit, prout EE. VV. facilè judicare poterunt, & quod totum ab iiſdem &c.

Die 29. Ian. 1661. Sacra Congregatio Eminen. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, dandam eſſe declarationem antiquam, tenoris ſequentis:

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi, quò minus per Seipſos in Diœceſibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant, ſed tantum, ſi extra loca, ubi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere.

F. Card. Paulutius Præſ.

C. de Vecchiis Epiſcopus Cluſ.
S. C. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. Vide de hac ipſa materia & ſupra fol. 394. & 395.

Parocho Loci Carucci ratione Cadaverum Dominorum Comitum de Coſta ad Fratrum Eccleſiam dicti loci translatorum, Quartam funeralem non deberi, ſancitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Conventus Patrum Capucinorum loci Carucci, Diœceſis Montis Regalis, â fundatione, anno 1612. ab Illuſtriſſimis Dominis Comitibus Coſta Vaſallis dicti Feudi facta, jam per plures annos manet in poſſeſſione, in ſua Eccleſia, dictorum Fundatorum Cadavera, quæ ad ſepulturam in dicto loco portantur, cum ſolita funebri pompa, & illuminatione, ſine detractione ceræ, aut alicujus emolumenti, in hujuſmodi functione fixi, recipiendi, quo non obſtante, Parochus, vel Archipresbyter memorati loci, Oratores prætenſione Quartæ dictorum emolumentorum, pro ſepultura Comitiſſæ Ludovicæ Coſta, & Comitis Hieronymi Mariæ Coſta in Civitate Taurinenſi, ubi morabantur, defunctorum, & ex teſtamentaria diſpoſitione ad dictum locum translatorum moleſtat. Et quamvis Parochus prætenſionem circa primum, rationibus ſe deſtitutum agnoſcens, reliquerit, ante duos annos tamen litem circa ſecundum reaſſumpſit, ita tamen, ut Oratores perſuaſi maneant, quod illi nulla actio deſuper competat, tam quod ipſius Parochiani nec ex origine, nec ex domicilio ſint, tam quod iis nullum Sacramentum, aut pabulum adminiſtraverit, tam quod in exequiis nullum juriſdictionis actum, cui emolumentum competat, exercuerit tam, & inſuper, quod juxta Sacri Concilii Tridentini diſpoſitionem Seſs. 25. c. 13. Regulares, maximè Domorum poſt Sacri Concilii publicationem conſtructarum, â ſolutione Quartæ ſint exempti; cum tamen Habitum, & characterem Oratorum in hujuſmodi caſibus ad Tribunalia recurrere minus deceat, ad truncandum omnis litis filum Eminentiis Veſtris ſupplicant, quatenus ad factum in puræ veritatis terminis expoſitum ſummariè declarare, an Parochus prædictam Quartam funerum Comitum Carucci, & Succeſſorum, ceu Deſcendentium â Conventûs Oratoris Fundatoribus prætendere poſſit? vel an ob cauſas, & motiva adducta maneat totaliter excluſus? & an in omni eventu, Provincialis, & Definitores Provinciæ legitimam facultatem habeant circa hujuſmodi prætenſionem de ſe ſolis, ſine expreſſo conſenſu Capituli Conventus, cui prædicta ſepulturæ emolumenta ſunt aſſignata, tranſigendi? ſimulque opportuno Decreto iis, ſi expedire judicaverint, providere dignentur. Quod &c.

Cum-

Cumque Pater Procurator Generalis Ordinis pro more mentem ſuam ad hunc libellum ſupplicem aperire, & informare, per Reſcriptum Sacræ Congregationis pro more juſſus fuerit, & ipſe ab Oratoribus magis authentica documenta exhiberi ſuggeſſerit, ſub 18. Novembris 1712. Sacra Congregatio reſcripſit. *Oſtendatur Relatio*, & inſuper ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ, Parte ad exhibitam relationem necdum quieſcente, ſententia lata, quæ ſequitur:

Nicolaus Spinola Archiepiſcopus Thebarum, Prothonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & deputatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Parochialiumque Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, ceteriſque Presbyteris, necnon Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuſcumque, illique, vel illis &c. ſalutem &c. Noveritis aliàs coram Nobis, & in Tribunali noſtro litem, & cauſam pro parte, & ad inſtantiam Reverendorum Patrum Capucinorum loci Carruci, omni meliori modo Principalium, contra, & adverſus Reverendum Dominum Thomam Badinum, Archipresbyterum Eccleſiæ Parochialis dicti loci Carruci, alioſque litis Conſortes, de, & ſuper obſervatione, & executione Conſtitutionum Pontificiarum, & in ſpecie S. Mem. Pauli V. emanatarum de anno 1608. *incip.* Eccleſiæ Militantis &c. *eximentium dictos Reverendos Patres Capucinos à ſolutione cujuslibet Quartæ Funeralis, ac executione Decretorum Sacræ Congregationis Concilii emanatorum die prima Martii* 1692. & 21. *Maji* 1678. *rebuſque aliis, in proceſſu Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, introductam fuiſſe. In qua quidem lite, & cauſa, exhibitis coram Nobis omnibus Juribus ad hujuſmodi cauſam facientibus, illiſque, & aliis de jure videndis, viſis, & conſideratis, auditiſque Dominis Procuratoribus in contradictorio Judicio pluries hinc inde informantibus, citatoque in quolibet actu Domino Petro Pieraudo exiſtente dicti Reverendi Domini Caroli Thomæ Badini Archipresbyteri Loci Carruci, per Curſores Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ut in actis, tandem Nos, ſive Reverendus Dominus Cincius, Noſter in Civilibus Locum tenens, infraſcriptam noſtram tulimus, & promulgavimus, ſive tulit, & promulgavit, ſententiam definitivam hujuſmodi, ſub tenore videlicet. CHRISTI Nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Juriſperitorum conſilio in his ſcriptis ferimus, in cauſa, & cauſis, quæ coram Nobis primo, & in prima, ſeu alia veriori verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia inter Reverendos Patres Capucinos loci Carruci Actores ex una, ac Reverendum Dominum Carolum Thomam Badinum, Archipresbyterum Eccleſiæ Parochialis dicti loci, alioſque litis Conſortes Reos conventos, partibus, ex altera, de, & ſuper obſervatione, & executione Conſtitutionum Pontificiarum, & in ſpecie S. Mem. Pauli V. emanatarum de anno* 1608. *incipientium*: Militantis Eccleſiæ &c *eximentium dictos Patres Capucinos Actores à ſolutione cujuslibet Quartæ Funeralis, ac executione Decretorum Sacræ Congregationis Concilii emanatorum die prima Martii* 1692. & *die* 21. *Maji* 1678. *rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, dicimus, declaramus, pronuntiamus, & definitivè ſententiamus, in executionem dictarum Conſtitutionum Pontificiarum, & Decretorum Sacræ Congregationis, præfatos Patres Capucinos fuiſſe, & eſſe exemptos à ſolutione cujuslibet Quartæ Funeralis, dictaſque Conſtitutiones, & Decreta per præfatum Archipresbyterum exequenda, & obſervanda fuiſſe, & eſſe, prout exequi, & obſervari volumus, & mandamus, & niſi intra menſem à die intimationis hujus noſtræ Sententiæ, faciendæ dicto Archipresbytero in partibus, ſaltem per affixionem ad valvas Majoris Eccleſiæ dicti loci Carruci, idem Archipresbyter Decretis, & huic noſtræ Sententiæ toties quoties caſus advenerit, cum effectu non paruerit, ſuſpenſionem à Divinis; ingreſſus Eccleſiæ, privationem Beneficiorum, ſolutionem Ducatorum mille, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, excommunicationem, aliaſque pœnas in noſtris literis Monitorialibus emanatis comprehenſas, & contentas damnabiliter incurriſſe, & incidiſſe eumdem Archipresbyterum ex non paritione decernimus, & declaramus, & poſt intimationem, ſeu affixionem prædictam tamquam inobedientem Eccleſiæ fore, & eſſe ab omnibus evitandum, prout evitari volumus, & mandamus, & omnia geſta, facta, & facienda, ac innovata, & innovanda, contra formam dictarum Monitorialium, & præſentis noſtræ Sententiæ nulla, & irrita haberi volumus, & mandamus, literaſque Declaratorias deſuper neceſſarias, & opportunas decernendas, & relaxandas fuiſſe, & eſſe, prout decernimus, & relaxamus, & in expenſis condemnamus Victum Victoribus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in poſterum reſervamus. Et ita dicimus, declaramus, pronuntiamus, & definitivè ſententiamus, non ſolùm hoc, ſed omni &c. Ita pronunciavi Ego Seraphinus Cincius Locumtenens, quæ omnia, & ſingula prædicta, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & Veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, inſinuamus, notificamus, ſignificamus, & ad Veſtram notitiam deducimus, deducique volumus, & mandamus per præſentes, ne ullo unquam tempore ignorantiam aliquam allegare valeatis, & poſſitis taliter. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Curia Innocentiana die vigeſima ſeptima Julii* 1714.

Andreas Gabriellus Notarius Apoſtolicus.

Locus ✠ Sigilli.

Seraphinus Cincius Locumtenens.

EPI-

EPISTOLA

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide

Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Taurinenſi ſcriptâ.

Ne Fratres Miſſionarii circa facultates à Sancta Sede conceſſas turbentur, nec ad examen pro Confeſſionibus in locis Miſſionum excipiendis, ab Ordinariis vocentur, cavetur.

INexpctata prorſus huic Sacræ Congregationi accidit notitia, quod Patres Capucini, illarum Partium Miſſionarii, coram Amplit. Tua difficultates patiantur circa uſum facultatum, iis à Sancta Sede conceſſarum, & in ſpecie circa exercitium Confeſſionis, de quo ſupponitur, quod Eadem hoc iis interdicere intendat, ex motivo, quod ſe examini ſubjicere debeant. Manent autem Eminentiſſimi Domini mei, rectitudinis, & prudentiæ ejus memores, & perſuaſi, quod, ſi hujuſmodi gravamina ſubſiſtant, originem traxerint ex eo, quod contrariæ hujus Sacræ Congregationis diſpoſitiones, & in ſpecie ultima reſolutio, ab Eadem itidem in puncto examinis prædicti, 5. Sept. 1701. occaſione litis Ordinarium Iporedienſem inter-& Capucinos Miſſionarios Vallis Suanæ emanata, videlicet *Miſſionarios non teneri ſe ſubjicere examini Epiſcopi pro audiendis Confeſſionibus loci ſuæ Miſſionis: debere tamen ſe abſtinere à Parochialibus, abſque Parochorum, vel Epiſcopi licentia* - Eidem non ſint notæ.

Juſſu proin Eminentiſſimorum Dominorum meorum, Amplitud. Tuæ ſignifico cum ſpe, hoc ſuffecturum eſſe ad dirimendas omnes difficultates, & ad effectum, ut Eadem prædictos Religioſos paterna protectione reſpiciat, quatenus obligationem proprii Miniſterii adimplere poſſint. Et expectans ab Amplit. Tua reſponſum, Deum finaliter precor, ut Eamdem conſervet, & proſperet.

Romæ 15. Martii 1728.

N. Fortiguerra Secret.

Sub ſimili tenore fuit eadem occaſione ſcriptum Illuſtriſſimo Ordinario Iporedienſi, tenetque Sacra Congregatio hanc epiſtolam pro Regula, hinc emergentibus litibus hujuſmodi eam Ordinariis communicari, juſſum fuit, prout ſuis videre erit locis.

Ex Reg. Procuræ Gen. Ordinis.

RESCRIPTO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Fratres in Miſſionibus Salutiarum manutenentur, & prætenſa ab Illuſtriſſimo D. Ordinario facultatum eorum moderatio rejicitur.

ILluſtriſſimus D. Archiepiſcopus Athenarum, Miniſter Apoſtolicus Taurini cum literis ſub 28. Junii elapſi datis, EE. VV. exponit inſtantias, ſibi ab Illuſtriſſimo Porporato, Epiſcopo Salutiarum factas pro proviſione, & reſtrictione facultatum, quæ Præfecto Miſſionum Ordinis Capucinorum Pedemonti dari ſolent, & in ſpecie pro reſtrictione facultatis: *adminiſtrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Parochialia in Diœceſibus, ubi non erunt Epiſcopi vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia.*

Motivum hujuſmodi ſupplicationis eſt, quod Illuſtriſſimus D. Ordinarius, à dicta facultate, juriſdictionis Epiſcopalis exercitium, non ſine continua turbarum occaſione reſtringi arbitretur.

Dum autem Illuſtriſſimus Merlinus circa deſideratam proviſionem ſe Oraculo EE. VV. remittit, partium ſuarum tamen eſſe cenſet exponere, quod, cum Pedemontum ſit totum Catholicum, Miſſionarii tanta privilegiorum ampliatione non indigeant, præſertim cum Epiſcopi, quibus cura Animarum, & cognitio eorum, qui eam exercere debent, incumbit, inibi ſemper reſideant: nec Epiſcopus dictam cognitionem nanciſci queat, ſi Miſſionarii, qui in illis partibus duodecim ſunt, ab examine Ordinarii plenè ſint exempti.

Inſuper Ipſi captu difficile videtur, ex quo motivo dictis Miſſionariis prædicta privilegia in tam ampla forma fuerint conceſſa, cum habeant Conventum, vivantque in una illarum 4. ibi exiſtentium Miſſionum ſub Regulari diſciplina, tribus aliis in ſtatu ſimplicis Miſſionis remanentibus, nec Miſſiones in locis deſertis, & hæreticis, ſed in quibus Catholica floret Religio, faciant. Inſtantiis D. Ordinarii ſatis propenſum ſe exhibet Illuſtriſſimus Merlinus, ſupplicatque EE. VV. quatenus memorato Præfecto prædicta privilegia, & facultates ad formam talem reſtringere dignentur, ut Apoſtolicum ſuum Miniſterium cum debita, & neceſſaria ab Epiſcopo dependentia exercere valeat.

P. Provincialis Pedemontanus hujuſmodi recurſûs per literas deſuper ab Ipſo Illuſtriſſimo, Epi-

Epiſcopo Salutien. ad ipſum datas, certior factus, ſibi, ſeu illarum Miſſionum Præfecto incumbere cenſuit, ut & ille ad EE.VV. recurrat, ſupplicando, quatenus nihil innovetur, & econtra obſervantia Decretorum, aliàs in hujuſmodi materia, ab hac S.Congregatione emanatorum inculcetur, vigore quorum Capucinos Pedemontanos in locis ſuarum Miſſionum examini Ordinarii non ſubjacere, ſemper fuit ſtatutum, præſertim verò vigore Decreti 5. Septembris 1701. ſub ſequenti tenore emanati: *Relato per Eminentiſſimum Cardinalem Barberini Libello ſupplici PP. Capucinorum Miſſionis Vallis Suanæ, Eminentiſſimi Patres, re maturè perpenſa, auditoque ſuper expoſitis Domino Nuntio Taurinenſi, ac D. Epiſcopo Iporedien. loci Ordinario decreverunt, præfatam Oratorum Miſſionem eſſe manutenendam, ac Miſſionarios non teneri ſe ſubjicere examini Epiſcopi pro audiendis Confeſſionibus in locis ſuæ Miſſionis.*

Hîc Sacræ Congregat. Secretarius notanter ſignificat, quod prædictum Decretum emanaverit occaſione, qua Epiſcopus Iporedien. Miſſionarios Capucinos æquè pro confeſſione, ac pro prædicatione ſub titulo, quod hæretici in ſua Diœceſi non forent, examinare prætendebat. Provincialis autem allegando, quod Capucini à tempore ſanctæ memoriæ Urbani VIII., & ab initio Miſſionum hujuſmodi exemptione gaviſi fuerint, exhibet inſuper literas Illuſtriſſimi Morozzo, ejuſdem Salutien. Diœc. Epiſcopi, ſub 12. Septembris 1722. Sereniſſimo Regi Sardiniæ, tempore, & occaſione, qua iidem Capucini à Præpoſito Verzolii vexabantur, inſcriptas, quibus Capucinos efficaciſſimè defendit, exponendo Regiæ Suæ Majeſtati non ſolum utilitatem, ſed & præciſam eos in libero ſuarum facultatum exercitio manutenendi neceſſitatem, & econtra grave animarum præjudicium, ex extinctione non ſolum illius, ſed etiam aliarum trium Miſſionum quas dicti Patres in illa Diœceſi habent, reſultans.

= In eadem Epiſtola refertur inſuper: Quod Capucini, poſtquam pro hæreſi, ex illa Diœceſi, & præſertim à Verzolio extirpanda tantò operati ſunt, vigili ſemper cura incubuerint ad fideles in virtute Chriſtiana, qua Fides Catholica conſervatur, ſtabiliendos.

= Quod omnes Parochi prædictarum quatuor Miſſionum cum memoratis Religioſis, quos ceu inſtrumentum curæ illarum animarum neceſſarium recognoſcebant, in optima pace fuerint converſati, & quando aliquoties accidit quædam diſſenſio, omni facilitate, ceu res nullius momenti, ſopiebatur, cum Miſſionarii Parochis, nec ratione ſepulturæ, nec alterius rei ullum cauſarent præjudicium.

= Quod, cum An. 1666. à nonnullo malè affectionato, flammâ hujuſmodi motûs contra Miſſionem fuiſſet excitata, cum uno ſolo libello ſupplici, præprimis à Parocho, & poſtea à 160. perſonis particularibus ſubſcripto, in quo, quantum tam bono publico, quam particulari loci, Miſſionis conſervatio conduceret, teſtabantur, fuerit ſuffocata

= Quod in potiore illarum Parochiarum parte, ſi Capucini non forent, debitis temporibus Verbum Dei non prædicaretur, cum Communitates dicantur ita pauperes, ut Concionatorem manutenere haud poſſint. Inſuper cum alium Confeſſarium, præter Parochum, & in aliquibus locis ſolum Capellanum, non habeant, tota illius Populi conſolatio reducitur ad gyrum, à Miſſionario factum, ad quem pro Conſcientiis Sacra Exomologeſi purgandis turmatim confluunt.

Terminato jam præſenti ſummario, pro parte Capucinorum pariter, & aliæ juſtificationes productæ fuêre, & in ſpecie plura teſtimonia, noviſſimè à quibuſdam illarum Communitatum, & Parochorum data, quibus neceſſitatem Capucinos in Apoſtolici Miniſterii exercitio conſervandi ſemper magis probatam & notam reddunt, attentâ locorum, hæreſeos labe infectorum viciniâ, & præſertim in Comitatu Caſtri Delfini. In uno hujuſmodi atteſtatorum exprimitur, quod, ſi Miſſio Capucinorum ſupprimeretur, neceſſitatos ſe noſcerent venire ad Papæ pedes pro ea noviter impetranda. Ad hunc articulum Secretarius EE. VV. notum facit, quod ex Documentis hujus Archivi, in Diœc. Salutien. à Capucinis jam ante Annum 1623. factas eſſe Miſſiones pateat, nam cum Diœceſis illa hæreticis foret mixta, Illuſtriſſimus Octavius, illius temporis Epiſcopus deſuper relationem dedit, & inſtitit, quatenus Capucini juberentur facere Miſſionem in Paeſana, loco illius Diœceſis, S. Congregatio ſub 9. Maii 1623. inſtantiis Epiſcopi annuit.

In Congregatione habita 30. Januarii 1627. fuit confirmata nova Miſſio Capucinorum, quam Nuntius Sabaudiæ inſtituit ad Oppidum Paeſanæ, Diœceſis Salatien. pro cujus ſuſtentatione Oppidani ſe obligârunt per tres menſes ad ſolutionem ſeptem ſcutorum pro quolibet menſe, ultra ligna, Domum, & mobilia, quæ perpetuò Miſſionariis promiſerunt. Nuntius præfatus elapſis dictis tribus menſibus, dicta ſcuta ſeptem quolibet menſe de pecuniis Cameræ Apoſtolicæ aſſignavit. Et ad inſtantiam ejuſdem Nuntii decretum eſt, ut præfatæ Miſſionis Præfecto per Sanctum Officium concedantur facultates aliorum Capucinorum, qui ſunt in Pedemontanis Miſſionibus.

Anno 1638. Illuſtriſſimus Petrus, Epiſcopus Succeſſor, in ſua Diœceſi, locisque contiguis operâ Capucinorum, quos eximio commendavit encomio, hæreſes extinctas eſſe retulit,

& S. Congregatio ſub 9. Auguſti dicti anni congratulatorias literas decrevit, & commendari juſſit Capucinos Miſſionarios, & præſertim P. Alexandrum zelantiſſimum, & indefeſſum Miſſionarium.

Provinciali Capucinorum Pedemonti, ceu illarum Miſſionum Præfecto, à primis institutæ hujus S. Congregationis annis fuerunt conceſſæ facultates eo, quo tunc concedi ſolebant, modo: compilatis verò, & impreſſis illarum formulis, ei dabatur, prout hodiedum continuatur, formula ſeptima, ſuis Religioſis intra Præfecturæ ſuæ diſtrictum communicabilis, in qua reperitur facultas adminiſtrandi Parochialia in Diœceſibus, ubi non erunt Epiſcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia. Ex quo, à Capucinis Parochialia, ubi ſunt Epiſcopi, & Parochi, uti in Provincia Pedemontana, adminiſtrari non poſſe, clarè infertur. Hinc juriſdictio Epiſcopalis in hoc non lædi, & inſtantiæ pro obtinenda facultatum Capucinorum reſtrictione factæ, minus congruæ videntur, aſſerente præſertim Sac. Congreg. Secretario, quod, præterquam hujuſmodi formulæ ſint immutabiles, fixæ, & maturo examine à Sacra Congregatione jam ſtabilitæ, articuli earum, ad dictam juriſdictionem Epiſcopalem ſpectantes, uti adminiſtratio Parochialium, & diſpenſatio Matrimonialium, eam non offendant, cum Præfectus, ejuſdemque Miſſionarii eos non niſi de conſenſu Epiſcoporum exercere poſſint, prout ex formula impreſſa, & annexa cognoſci poteſt.

Si dein impræſentiarum Pedemontum ſit totum Catholicum, debent primò grates referri Deo, ſecundò vigilantiæ hujus Sacræ Congregationis, & tertiò Zelo Capucinorum, qui à primordio erectionis hujus Sacræ Congregationis (uti dictum eſt ſupra) ſeſe culturæ hujus Vineæ Chriſti impenderunt, & copioſiſſimum reportârunt fructum, prout ex monumentis hujus Archivi deducitur, in quo pariter inter relationes, ſucceſſivè à Capucinis tranſmiſſas reperitur, quod in aliquibus Pedemonti locis venenum hæreſeos plenè non exulet, hinc in relatione anni 1731. continetur, quod Dronerii, quod Salutien. Diœc. Locus eſt, habitaverint Perſonæ apparenter Catholicæ, quæ tamen in occulto regulas, & uſus Sectariorum ſequebantur, ita, ut unus & alter Confeſſionem Sacramentalem ad 20. & 30. annos diſtulerit.

Quod in Loco Caſtri Delfini quidam Riccardi, unus primarum, & magis divitum Familiarum loci, in mortis agone conſtitutus, in manibus P. Marcelli à Monte Regali Capucini, inibi Miſſionarii, ſuam abjuraverit Sectam, cujus Coniux poſtea pariter ad Fidem Romano-Catholicam ſe convertit;

Quod duobus annis prius pariter duo alii loci *la Torre* nuncupati, Caſtro Delfini vicini, hæreſin nativam ejuraverint, & ſic diſcurri queat de aliis Miſſionibus, in quibus incolatus Miſſionariorum neceſſarius eſt ad occultum hæreſeos ſemen eradicandum, vel ad conſervandum, qui hucuſque collectus eſt, fructum, attento periculo, quod aut ob viciniam locorum hæreticorum, aut commercium cum iis ſubeſt.

In Congregatione Generali habita ſub die 28. *Novemb.* 1741. *reſcriptum fuit*:

Scribatur R. P. D. Merlino Nuntio Apoſtolico Taurinen. ad formam Epiſtolæ Sacræ Congregationis ſub die 15. *Martii* 1728. *tranſmiſſæ Archiepiſcopo Taurinen. & Epiſcopo Iporedienſi cum indicatione Decreti* 5. *Septembris* 1701. *Ei iniungendo, Sacram Congregationem cenſuiſſe, PP. Capucinos manutenendos eſſe in poſſeſſione Miſſionis, nec eſſe locum moderationi privilegiorum petitæ ab Epiſcopo Salutien.*

P. A. Card. Caraffa Ponenſ.

N O T A.

Epiſtolam Sacræ Congregationis, ad cujus formam Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico Taurini pro fine cauſæ, diù alias, & fervidè agitatæ, reſcribi juſſum eſt, ſimul & Decretum, quod Epiſtolæ adjungi debuit, videſis primam fol. 400. & ſecundum fol. 401. Conſequenter autem ad hujuſmodi Reſcriptum, fuit & eodem die editum, quod ſequitur.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Habitæ die 28. *Novembris* 1741.

Relata per Emin. & Reverendiſſimum Dominum D. Cardinalem Alexandrum Albanum cauſa Taurinen. Miſſionum Pancalerii, inter Dominum Joan. Franciſcum Agoſta, Plebanum Parochialis Eccleſiæ dicti loci Pancalerii, & PP. Præfectum, & Miſſionarios Ordinis Minorum Capucinorum Miſsionis ejuſdem loci, EE. Patres maturè perpenſis rationibus, & juribus utriuſque partis, decreverunt Patres Capucinos Pancalerii manutenendos eſſe in poſſeſsione Miſsionis, debere tamen ſe abſtinere à functionibus Parochialibus, abſque Parochi, vel Archiepiſcopi licentia: nec Sacras functiones eodem tempore peragant, quo Parochus eas celebrare ſolet pro populi commoditate. Datum Romæ ex ædibus ejuſdem Sacræ Congregationis die, & anno quibus ſupra.

V. Card. Petra Præf.

PRO-

PROVINCIA TUSCIÆ.

UT Tuſcia, ſeu Hetruria gloriæ ſuæ florem, quo ob Cœli ſalubris beneficium, rerum antiquarum copiam, fertilis terræ fortunam, & Illuſtrium Heroum fœtum inter cæteras Italiæ Provincias excellit, ex Regularium Ordinum varietate perficeret, exorientis quoque Noſtræ Reformationis Inſtitutum Anno 1538. induxit, ac tam ære publico, quam alieno illius Domos ita multiplicavit, ut poſt breve temporis ſpatium in florentem aſſurrexerit Provinciam.

In hac non ſolum plures ex primariæ Nobilitatis Familiis, veluti Medicea, Ilcia, Tauruſia, Vignanella, Strozzi, Federighi, Bentivola, Cavaleria, Chiſia, Albergotta, Ottolina, Torri, Minucci, Moggia, Nellia, Raù, Tolomea &c. &c. ſpreto uberioris fortunæ ancillatu in ſequelam Aſſiſienſis Patriarchæ jurârunt, verum etiam alii communem Regularis vitæ perfectionem ſupergreſſi, uſque ad Sanctitatis opinionem virtutem ſuam perſecerunt.

Decoravit quoque illa Religionem noſtram purpurâ duorum Cardinalium, videlicet Fr. Antonii Barberini, Fratris Urbani Papæ VIII. ſecundum carnem Germani, & Fr. Franciſci Mariæ Caſſini &c. & Religio ex illa ad Generalem Ordinis Magiſtratum (præter Bernardinum à Senis) aſſumpſit Fr. Bernardinum Catactinum ab Aretio, qui juxta Epitaphium, tumulo illius abs Illuſtriſſimo D. Benedicto Falconcino Civitatis Aretinæ Epiſcopo appoſito: inter Hiſpanos Proceres à Carolo II. cooptatus, Sacrorum Rituum, & Indicis Congregationum Urbis Conſultor, eximiæ prudentiæ, doctrinæ, probitatis, & obſervantiæ laude claruit, *& quem in ſuæ viſitationis curſu Germania &c. Mira operantem devota admiratione conſpexit.*

Et Fr. Joannem Antonium à Florentia, cujus nativam facundiam prima collaudarunt Italiæ pulpita, & in medio Magnatorum obſtupuit Vienna, cui aurea dona renuenti Auguſtiſsimus Imperator Leopoldus in amoris pignus Icones SS. P. Franciſci, & Antonii, Cæſareâ, (ut reor) manu depictas iteratò conſignavit, & cujus comitas Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Amadæi affectum, mirum in modum, & quaſi uſque ad Dignitatis Ducalis diſpendium captivavit.

Procurator Generalis bina vice renuntiatus eſt Fr. Petrus Maria à Luca, & ſubſellium Definitorii Generalis tenuit Frater Hieronymus à Piſtorio, quorum merita, ſicut & ſupradictorum duorum Cardinalium geſta, primus Bullarii Tomus epilogat.

Sunt defacto in hac Provincia:
Domus Fratrum XXXVIII.
Hoſpitia pro itinerantibus, & quæſtuantibus IV.
Monaſteria Monialium verè Capucinarum. II.
Aliarum largè talium III.

A. RR. Patribus S. Auguſtini Terræ Montis S. Sabini nemus, ex quo in hortum noſtræ Domus ibidem patebat inſpectus, vendi, & alio terræ petio â Communitate ibidem compenſari committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Aretino, & Dilecto Filio, obtinenti primam dignitatem in Eccleſia Aretina.*

PIUS PAPA V.

Venerabilis Frater, & Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Univerſitas, & Homines Terræ Montis S. Sabini Aretin. Diœc. quod, cum in dicta Terra ſit quoddam nemus, ad Monaſterium S. Auguſtini dictæ Terræ Montis S. Sabini ſpectans, & pertinens, contiguum, & ſuperſtans Monaſterio Dilectorum Filiorum Fratrum Capucinorum dictæ Terræ, ex quo dicti Fratres Capucini non poterant in horto honeſtè converſari, quin à diverſis Perſonis utriuſque ſexus, & præſertim Mulieribus viderentur, in ſcandalum Religionis, honeſtatis, & Chriſtianæ vitæ ipſorum Fratrum: ad eorum inſtantiam per Univerſitatem prædictam tractatum, & concordatum fuit, quod dicti Fratres S. Auguſtini, ſeu pro eis Dilectus Filius Generalis, ſeu Prior ad præſens Conventûs S. Auguſtini dictæ Terræ cum conſenſu ſui Superioris, & omnium ſuorum Fratrum, ut aſſeruit, venderent, prout vendere promiſerunt eidem Univerſitati dictum nemus, obtentâ licentiâ à Nobis, & Sede Apoſtolica, ac datis ſibi pro recompenſa tot bonis dictæ Univerſitatis, quæ aſcenderent ad valorem ipſius Nemoris æſtimatione duorum amicorum communium, intra biennium, & non aliter, nec alio modo, & aliàs, prout in inſtrumento, & ſcripturis, & inſtrumentis deſuper confectis ſeu conficiendis latiùs dicitur contineri,

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, datio & conceſſio hujuſmodi in evidentem dicti Monaſterii ceſſerint, & cedant, utilitatem, & propterea tam Univerſitas, & Homines ipſius Terræ, quàm Fratres S. Auguſtini præfati, aſſerentes, valorem rei venditæ, aut vendendæ hujuſmodi ſummam centum ducatorum non excedere, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus ſibi ſuper his opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac dictarum petiarum terrarum ſituationes, confines, qualitates, & quantitates, & veros, ac annuos valores, necnon inſtrumenti præfati, & veriores tenores præſenſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus petiis terrarum hujuſmodi prius coram Vobis ſpecificatis, & vocatis ad id, qui fuerint vocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis Vos diligenter informetis, & veritatem inquiratis, & ſi per informationem deſuper ſervatis ſervandis, per Vos habendam, dationem, & conceſſionem prædictas in evidentem dicti Monaſterii utilitatem cedere, Vobis conjunctim procedentibus, legitimè conſtiuerit, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, dationem, & conceſſionem hujuſmodi, ſi forſan factæ ſint, aut cum primùm factæ fuerint, illas, necnon inſtrumentum, & inſtrumenta deſuper confecta & conficienda præfata, ac in eis contenta quæcunque, perpetuò confirmare, & approbare, ac illis plenariæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicere, omneſque, & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint quomodolibet, in eiſdem ſupplere, aliaque facere, dicere, & exequi in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, auctoritate veſtra curetis. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Pauli II., & Pauli IV. Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die VII. Februarii MDLXXI. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Breve formatum in Archivo Conventus.

Ec-

Eccleſiam S. Michaelis de *Monte Roſſo*, prope oppidum, Peccioli nuncupatum, per modum Capellaniæ, Præpoſituræ S. Amerani ejuſdem oppidi annexam diſſolvit; eam ſalvis redditibus (ſi qui forent) eidem Præpoſituræ remanſuris Fratribus concedi indulget; ac Fratres eoſdem omnibus privilegiis, & Indulgentiis, aliis Ordinis Eccleſiis conceſſis, & concedendis in ea frui, & gaudere &c. declarat.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis Fidelium votis, quæ Religionis propagationem, Divini quoque cultus augmentum reſpiciunt, ut optatum ſortiantur effectum, libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum moderni Vicarii Provincialis Ordinis FF. Minorum, Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Tuſciæ, ac Univerſitatis, & Hominum Oppidi Peccioli Vulterranen. Diœc. petitio continebat; quod ipſi Univerſitas, & Homines piâ devotione ducti, ac pro eorum Spirituali conſolatione ad Dei laudem, & B. Mariæ Virginis gloriam, totiuſque Cœleſtis Curiæ honorem, & ipſius Ordinis propagationem, ac divini cultus augmentum propè Eccleſiam S. Michaelis de Monte-roſſo nuncupatam propè, &extra muros dicti Oppidi perpetuæ Capellaniæ, ſub invocatione S. Mariæ, & Jacobi, in Eccleſia, *Præpoſitura* nuncupata S. Amerani Oppidi, & Diœc. prædictorum perpetuò unitam, & annexam, unam Domum dicti Ordinis, pro unius Miniſtri, ſeu Guardiani, & aliquot Fratrum ejuſdem Ordinis habitatione de loci Ordinarii conſenſu conſtrui, & ædificari facere ſummopere deſiderant, & ad effectum præmiſſum Dilectus Filius Nicolaus Franciſcus Spina, perpetuus Capellanus in dicta Eccleſia S. Amerani, eoſdem Univerſitatem, & Homines in eorum laudabili propoſito hujuſmodi confovere cupiens, diſſolutioni unionis, & annexionis hujuſmodi ad hoc, ut dictæ Eccleſiæ S. Michaelis quomodolibet pertinentia pro eadem Capellania remaneant conſentire paratus exiſtit.

Quare pro parte Vicarii, ac Univerſitatis & Hominum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum pio deſiderio in præmiſſis annuere, aliàſque opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem æſtimationem, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet: quique Religionis propagationem, ac Divini cultus augmentum, noſtris potiſſimum temporibus, ſinceris affectibus exoptamus, pium Univerſitatis, ac Hominum prædictorum deſiderium plurimum in Domino commendantes, ipſorumque & ſingulares Perſonas, ac dictum Vicarium â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, & annexionem hujuſmodi ſalvis tamen remanentibus fructibus, redditibus, & proventibus prædictis pro eadem Capellania, dicti Nicolai Franciſci ad hoc expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie diſſolvimus, ac propè dictam Eccleſiam, unam Domum ejuſdem Ordinis, cum Dormitorio, Refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque Officinis neceſſariis, pro Miniſtri ſeu Guardiani, & Fratrum prædictorum habitatione, per ipſos Univerſitatem,& homines de licentia Ordinarii loci ædificandam, & conſtruendam, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectæ, & inſtitutæ, Eccleſiam S. Michaelis hujuſmodi, quæ ſine cura eſt, ac cujus fructus, redditus, & proventus, ut aſſeritur, nulli ſunt, pro Eccleſia ejuſdem Domûs, auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & aſſignamus; ita quod liceat eiſdem Vicario, ac Miniſtro, ſeu Guardiano, & Fratribus inibi introducendis, per ſe, vel per alium, ſeu alios, ejuſdem Ordinis nomine, corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ Sancti Michaelis, & Domus prædictæ liberè apprehendere, & perpetuò retinere, cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, Nec non Miniſtro, ſeu Guardiano, & Fratribus præfatis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, favoribus, gratiis, aut elationibus, & indulgentiis, quibus alii ejuſdem Ordinis Domorum Fratres utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ſimi-

ſimiliter, ac pariformiter uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus.

Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, aut intentionis noſtræ defectu, aut alio vitio, etiam ex eo, quod intereſſe prætendentes vocati, non fuerint, notari, ſeu impugnari, aut ad terminum juris reduci, aut in jus, vel controverſiam vocari non poſſe, ſed validas & efficaces exiſtere, neque ſub ullis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, annullationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus â Nobis, vel â Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus noſtris, ex quibuſvis etiam juſtiſſimis cauſis, etiam intuitu, & contemplatione Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter, & aliis quomodolibet emanatis, & emanandis nullatenus comprehendi, neque revocari poſſe; ſed ſemper ab illis exceptas, &, quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, ac de novo, etiam ſub poſteriori Data, pro tempore eligenda, conceſſas eſſe, & cenſeri. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus voluntate Noſtra præfata, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, qua inter alia cavetur expreſsè, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſores loca ad habitandum de novo recipere, ſeu recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi expreſſam mentionem faciente, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Proviſo, quod propter conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi, dicta Eccleſia Sancti Michaelis debitis non fraudetur obſequiis, ſed illius congruè ſupportentur opera conſueta.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, diſſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, indulti, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, tertio Idus Maji, Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Hier. Ubaldinus.

Il. Leonius, Oct. A. Mileti.
C. Luparus.

Bulla formata in Archivo Provinciæ.

Altare Capellæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ in loco Montis Ugorum, pro Fratribus Ordinis, ita privilegiat, ac ſi Miſſæ in Altari Beati Gregorii de Urbe dicerentur.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris Noſtri Domini Jeſu Chriſti, æterno Patri conſubſtantialis, & coæterni, qui pro redemptione Generis Humani, de ſummo Cœlorum Solio ad hujus Mundi infima deſcendere, & carnem noſtram ex utero Virgineo aſſumere dignatus eſt, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, & ejus exempla ſectantes, animabus Chriſtifidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus, quæ per Charitatem Deo unitæ, ab hac luce deceſſerunt, & piorum ſuffragiis juvari meruerunt, opportuna de Theſauris Eccleſiæ ſubſidia ſubminiſtrare ſtudemus, ut illis, quantum Divinæ Bonitati placuerit, adjutæ, ad cœleſtem Patriam facilius pervenire valeant. De Divina igitur miſericordia confiſi, tenore præſentium, perpetuò concedimus, ut, quoties in Altari Capellæ Conceptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis Eccleſiæ Domus Sancti Franciſci de Montui, extra, & prope Civitatem Florentiæ, Ordinis Fratrum Capucinorum, Frater Sacerdos dicti Ordinis Miſſam pro liberatione unius Animæ in Purgatorio exiſtentis, ſuo, vel alieno arbitrio celebraverit, ipſa Anima per hujuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequatur, & ad ipſius liberationem, pro qua celebrabitur dicta Miſſa, operetur, quas conſequeretur, & operaretur, ſi prædictus Sacerdos hac de cauſa Miſſam ad Altare, ſitum in Eccleſia Beati Gregorii de Urbe, ad id deputatum celebraret. Non obſtantibus Noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum

trum ſub Annulo Piſcatoris die xx. Novembris MDLXXVII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Cæſar Glorierius.

Breve form. in Arch. Provinciæ.

Idem Privilegium ad Altare Annuntiationis ejuſdem B. Mariæ Virginis in noviter reparata Capella Ejuſdem Eccleſiæ transfert.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs, ſicut accepimus, fe. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter Eccleſiam Domus Sancti Franciſci de Montui prope, & extra Civitatem Florentiæ, Ordinis Fratrum Capucinorum, ac in ea Capellam Conceptionis B. Mariæ Virginis ſpeciali Privilegio decorare volens, auctoritate ſibi a Deo tradita conceſſit, ut, quoties in Altari Capellæ hujuſmodi Frater Sacerdos dicti Ordinis Miſſam pro liberatione unius animæ in Purgatorio exiſtentis, ſuo, vel alieno arbitrio celebraret, ipſa anima per hujuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſionem conſequeretur, & ad ipſius liberationem, pro qua celebrata fuiſſet, dicta Miſſa operaretur, quas conſequeretur, & operaretur, ſi præfatus Sacerdos hac de cauſa ad Altare, ſitum in Eccleſia Beati Gregorii de Urbe, ad id deputatum celebraret, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris deſuper in forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut pro parte dictorum Fratrum Sancti Franciſci Nobis nuper expoſitum fuit, eorum Eccleſiam reparare, ac & paulo plus illuſtrare neceſſe fuerit, & qui ſuis ſumptibus hujuſmodi reparationem fecit, voluit Capellam per Eum de novo exſtructam pro ejus particulari devotione ad Annuntiationem ejuſdem Beatæ Mariæ, cujus Iconem jam faciendam curavit, dedicari. Cupiunt propterea dicti Fratres Altare Capellæ Conceptionis hujuſmodi, ad Capellam Annuntiationis de novo conſtructam per Nos transferri, Nobiſque humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos igitur eorumdem Fratrum piis votis benignè annuere, eoſdemque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum quemlibet â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictum Privilegium ad Altare Conceptionis Beatæ Mariæ per dictum Gregorium, ut præfertur, conceſſum, ex dicto Altari, ad Altare, ſeu Capellam, Annunciationis ejuſdem Beatæ Mariæ, ut præfertur, de novo conſtructam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò juxta dictarum Gregorii Prædeceſſoris literarum tenorem, in omnibus, & per omnia transferimus. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædeceſſor in præfatis literis voluit non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die x. Octobris MDCI. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Inſtrumentum Franciſci Cardinalis Tauruſii, Archiepiſcopi Senenſis de Eccleſia S. Ægidii, Paſſitheæ, & Monialibus pro Monaſterio conceſſa; de Capellania in ea cum Miſſa perpetua fundata; de Dote eidem appropriata, ac illius cum Archipresbyteratu unione confirmat, & Moniales ſub juriſdictione Ordinarii omnibus Ordinis privilegiis gaudere debere ſancit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cetera cordis noſtri deſiderabilia illud ſinceris affectibus amplectimur, ut Monaſteria, & alia pia loca à Chriſtifidelibus inſtituantur, in quibus æternæ beatitudinis amatrices in humilitatis ſpiritu, & pacis amœnitate Altiſſimo famulatum reddere valeant, & ad illos dexteram noſtræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant.

Ex-

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum ac Dilectæ in Chriſto Filiæ Paſitheæ Crogi, Mulieris Senen. continebat, quod aliàs, ſeu nuper Dilectus Filius noſter Franciſcus Maria tit. Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Tauruſius nuncupatus, & ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Majoris Eccleſiæ Senen. Præſul, piis Dilectæ in Chriſto Filiæ nobilis Mulieris Chriſtinæ, Magnæ Duciſſæ Hetruriæ, ac Communitatis, & Hominum prædictorum ſuaſionibus, aliiſque rationabilibus cauſis adductus, à Parochiali Eccleſia Sancti Ægidii Senen., tunc per obitum quondam Julii Boſcarilli, olim Rectoris dictæ Parochialis Eccleſiæ, extra Romanam Curiam de menſe Octobris Anni Domini milleſimi quingenteſimi nonageſimi octavi defuncti vacante, curam animarum dilectorum Filiorum, illius Parochianorum, ac omne illius exercitium ſua ordinaria auctoritate & omni alio meliori, quo potuit, modo, perpetuò abdicavit, illamque, & illud, ac ipſos Parochianos, de illorum tamen conſenſu, partim ad S. Antonii, partim ad S. Donati etiam Senen. Parochiales Eccleſias, etiam perpetuò tranſtulit, ipſamque Eccleſiam S. Ægidii ſine cura remanentem, illiuſque domum, & ædificia dictæ Paſitheæ, quæ ab ejus infantia tanto devotionis zelo ducta, ac ſpiritualibus exercitiis adeo dedita extitit, ut tandem univerſa Civitate Senenſi mirante, ad perfectum vivendi modum pervenerit, ad effectum inibi juxta pium, & laudabile propoſitum dictæ Paſitheæ unum Monaſterium Monialium ad Dei Omnipotentis laudem ſub invocatione, & honorificentia S. Joannis Baptiſtæ, pro ipſius Paſitheæ, ac aliarum ejus ſociarum, etiam Virginum, quæ de cetero ſpretis hujus infelicis ſæculi illecebris ſub perpetua clauſura, & Regularis Diſciplinæ norma, ac paupertatis Evangelicæ jugo, in Viam Domini ſalubriter dirigi, ac illi ſuæ Virginitatis flores, & honeſtatis fructus offerentes, ſempiternæ gloriæ beatitudinem feliciter promereri exoptaverint, ſub Regula S. Claræ, ac omnimoda viſitatione, juriſdictione, & correctione Archiepiſcopi Senen. pro tempore exiſtentis, perpetuis uſu, & habitatione conſtrui faciendi, eadem auctoritate, & quantum in ſe fuit, pariter perpetuò conceſſit, & aſſignavit. Et in eadem Eccleſia S. Ægidii unam perpetuam ſine cura Capellaniam ſub invocatione, ſeu ad Altare S. Franciſci pro uno perpetuò illius Capellano futuro, cum nonnullis oneribus, & obligationibus, tunc expreſſis, dicta auctoritate erexit, & inſtituit, illique ſic erectæ, & inſtitutæ pro illius dote, illamque pro tempore obtinentis ſuſtentatione omnes, & ſingulos dictæ Eccleſiæ S. Ægidii fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque, qui vigintiquatuor ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, illa itidem ab ea perpetuò diſmembrando, & ſeparando, ſimiliter perpetuò applicavit, & appropriavit, dictamque Capellaniam à primæva illius erectione hujuſmodi vacantem, dilecto Filio Fabio Piccolomineo, Archipresbytero dictæ Majoris Eccleſiæ, eadem auctoritate contulit, & de illa providit.

Et quia dictæ Majoris Eccleſiæ Archipreſbyteratus, cujus vacatione pro tempore occurrente præſentatio Perſonæ idoneæ ad illum ad dilectas in Chriſto Filias Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii Monialium S. Marthæ ſimiliter Senen. ceſſantibus reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis, ſpectare dignoſcitur, fructus, redditus, & proventus adeo tenues exiſtant, ut duodecim ducatos ſimiles non excedant, & illum pro tempore obtinens, ſub illius titulo Sacris Ordinibus initiari nequeat, ex tunc, prout ex ea die, & econtra, cumprimum dicta Abbatiſſa, & Conventus juripatronatus, & præſentandi perſonam idoneam hujuſmodi renunciarent, dictamque Capellaniam ex tunc, prout ex ea die, & econtra vacare contingeret, eidem Archipresbyteratui etiam perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, & aliàs, prout in publico deſuper confecto documento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, aſſeratur, dictum Franciſcum Mariam Cardinalem ſufficienti facultate ad id minimè fuſfultum eſſe, & ob id, ne de præmiſſorum validitate aliquando dubitari contingat, pro parte Communitatis, & Hominum, ac Paſitheæ prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prædictam, & beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, ſingulares perſonas Communitatis, & Paſitheam, ac Fabium hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ab ipſa Eccleſia S. Ægidii curam Parochianorum prædictorum, & omne illius exercitium Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium perpetò abdicamus, illamque & illud, ac Parochianos prædictos ad Eccle-

ſias

ſias S. Antonii, & S. Donati, illarumque Rectores nunc, & pro tempore exiſtentes, modo, & forma, quibus jam, ut præfertur, translata fuerunt, etiam perpetuò transferimus, & in eadem Eccleſia S. Ægidii unam perpetuam ſine cura Capellaniam, ſub invocatione, ſeu ad Altare ejuſdem S. Franciſci pro uno perpetuo futuro illius Capellano cum eiſdem oneribus, & obligationibus, quæ jam ei, ut præfertur, impoſitæ fuerunt, dicta auctoritate, etiam perpetuò erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectæ, & inſtitutæ pro ejus dote, illamque pro tempore obtinentis ſuſtentatione omnes, & ſingulos dictæ Eccleſiæ Sancti Ægidii fructus, redditus, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque, illa ab ea ſimiliter perpetuò diſmembrantes, & ſeparantes itidem perpetuò applicamus, & appropriamus, ita, quod liceat illam pro tempore obtinenti per ſe, vel alium, ſeu alios, ejus & dictæ Capellaniæ nomine, ſeu nominibus fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujuſmodi percipere, colligere, exigere, & levare, ac in ſuos, & dictæ Capellaniæ uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci nunc, & pro tempore ex ſtentis, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ.

Et, ut dictus Archipresbyteratus liberæ collationis remaneat in eventum, in quem dictæ Abbatiſſa, & Conventus juripatronatus, & præſentandi Perſonam idoneam hujuſmodi renunciaverint, Capellaniam prædictam ex nunc, prout ex tunc, cumprimum illam per ceſſum, etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, aut quamlibet aliam demiſſionem, vel amiſſionem, illam pro tempore obtinentis, aut alio quovis modo, etiam apud Sedem Apoſtolicam, ſeu aliquo ex menſibus Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, aut dictæ Sedi per quaſcunque ConſtitutionesApoſtolicas, vel Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas editas, & edendas, aut alias quomodolibet reſervatis, & reſervandis, ac locorum Ordinariis, & aliis Collatoribus, per eaſdem, vel alias quaſcunque Conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu dictæ Cancellariæ regulas ſimiliter editas & edendas, aut literas Alternativarum, vel quævis alia privilegia, & indulta, ſeu alias quomodolibet hactenus per dictam Sedem conceſſis, & inpoſterum concedendis, ac etiam de jure communi, vel particulari, aut alio quovis modo competentibus, & competituris, & quomodocunque, & quandocunque, ac ubicumque, tam in Romana Curia, quam extra eam vacare contigerit, etiamſi à primæva erectione, & inſtitutione hujuſmodi vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eidem Archipresbyteratui ſimiliter perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat illum pro tempore obtinenti, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios, ejus, & dicti Archipresbyteratus nomine, ſeu nominibus, propria auctoritate corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Capellaniæ, & annexorum jurium, & pertinentiarum prædictarum liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, & emolumenta quæcunque percipere, exigere, & levare, ac in ſuos, & dicti Archipresbyteratus uſus, & utilitatem convertere, etiam Diœceſani loci licentiâ deſuper minimè requiſitâ.

Et inſuper eidem Paſitheæ, ut prope dictam Eccleſiam S. Ægidii, & in illius ambitu, ac ædibus, & ædificiis unum Monaſterium conſtruere liberè, & licitè valeat, dicta Auctoritate Apoſtolica concedimus, ipſumque ex nunc, prout ex tunc, & econtra, poſtquam conſtructum, & debita clauſura munitum fuerit, in Monaſterium Monialium Ordinis S. Claræ hujuſmodi, ſub invocatione ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ cum cæmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis, & opportunis pro competenti numero Monialium, non minori duodecim, & ad plus viginti, ibi introducendarum, quæ Habitum per alias Moniales Ordinis ejuſdem S. Claræ geſtari ſolitum ſuſcipiant, & profeſſionem per eas emitti ſolitam emittant Regulares, & in illo ſub eadem Regula, ac perpetua clauſura, & Regulari Obſervantia, & humilitatis ſpiritu, necnon paupertatis jugo, ac omnimoda viſitatione, juriſdictione, & correctione Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Senenſis, ejuſque Vicarii in ſpiritualibus Generalis degant, & in eadem Eccleſia S. Ægidii Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in perpetuum, & in infinitum, non tamen infra chorum, vel ſepta Monaſterii, ſed in publica Eccleſia conſervent, pariter perpetuò dicta Auctoritate Apoſtolica erigimus, & inſtituimus, dictoque ſic erecto Monaſterio Eccleſiam ſine cura remanentem hujuſmodi, pro ejus Eccleſia etiam perpetuò concedimus, & aſſignamus: necnon eidem Monaſterio, illiuſque Abbatiſſæ, & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, antelationibus, favoribus, præeminentiis, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, aliiſque gra-

tiis,tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus alia dicti Ordinis Monialium Monaſteria de jure, conſuetudine, antiquitate, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum,ipſæ pariformiter, & æquè principaliter in omnibus, & per omnia abſque ulla penitus differentia, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè, ac aliàs nominatim, & ſpecificè illis conceſſa fuiſſent, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, dicta Auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia indulgemus.

Decernentes præſentes literas de ſurreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, aut etiam ſuſpendi, revocari, reſtringi, limitari, vel eis in aliquo derogari, aut ad viam, & terminos Juris reduci, ſive in Jus, vel controverſiam vocari, aut adverſus eas quodcunque juris, vel facti, aut juſtitiæ, vel gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi, nullatenus unquam poſſe, ſed eas ab omnibus & ſingulis, quos concernunt, & concernent pro tempore quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari debere, ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere. Et nihilominus volentes eidem Fabio, qui teſtimonio Ordinarii de Vita, & moribus, ac idoneitate commendatur, apud Nos de vitæ ac morum honeſtate aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu gratiam facere ſpecialem, dictam Capellaniam, cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum, ut dictus Fabius aſſerit, non excedunt, a primæva erectione hujuſmodi, aut alio quovis modo vacantem, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Fabio dicta auctoritate Apoſtolica conferimus, & de illa etiam providemus.

Quocirca dilectis Filiis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Præpoſito Eccleſiæ Senen. ac Vicario Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Senenſis in ſpiritualibus Generali per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios ipſum Fabium, vel Procuratorem ſuum nomine ſuo in corporalem poſſeſſionem Capellaniæ, & annexorum, juriumque & pertinentiarum prædictarum inducant, Auctoritate Noſtra, & defendant inductum,amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes Fabium, vel pro eo Procuratorem prædictum ad Capellaniam hujuſmodi, ut eſt moris, admitti,ſibique de illius, & annexorum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè reſponderi, Contradictores dicta auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. nec non piæ memoriæ Pii Papæ II. Prædeceſſorum noſtrorum, nova Monialium Monaſteria in Civitate Senenſi, abſque Sedis prædictæ licentia conſtrui prohibente,nec non Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac Generalis, & Lateranenſis noviſſimè celebrati Conciliorum, Uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentium, aliiſque Apoſtolicis, nec non in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, & edendis, ſpecialibus, & generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus,etiam immemorabilibus, Uſibus, & naturis contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis,in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint,etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum; Quibus omnibus eundem Fabium in aſſequutione dictæ Capellaniæ volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequutionem beneficiorum aliorum, præjudicium generari: Et quibuslibet aliis privilegiis, indultis, & Literis Apoſtolicis Generalibus, & ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda ſit in eiſdem literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi dicta Capellania debitis non fraudetur obſequiis ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Et inſuper ex nunc irritum, & inane decrevimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, abdicationis, translationis, erectionum, inſtitutionum, diſmembrationis, ſeparationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, conceſſionis, aſſignationis, indulti, collationis, proviſionis, mandati, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnatio-

tionis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo, duodecimo Kalendas Auguſti. Pontificatus Noſtri Anno nono.

Pro Illuſtr. D. meo Cardinali Montalto ſum.

A. Card. Perettus.

Pro Reveren. D. M. Veſtrio Barbiano.

L. Prezatus.

A. de Alexiis.

Bulla formata in Archivo Monialium.

Fabricam earumdem Monialium in Monaſterium ſub invocatione S. Joannis Baptiſtæ, ac prima Regula S. Claræ erigi; Moniales uſque ad numerum 40. admitti; ac à Fratribus noſtris, quoad ſpiritualia, gubernari indulget.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX Paſtoralis Officii Noſtri debito Sanctimonialium felici directioni, quieti, ac tranquillitati, & augmento, peculiari ſtudio intendere debemus. Cum itaque aliàs fel. record. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter dilectæ in Chriſto Filiæ Paſitheæ Crogi mulieri Senen. ut in Eccleſia Sancti Ægidii Senen., & illius ambitu, ac ædibus, & ædificiis unum Monaſterium conſtruere liberè, & licitè valeat, conceſſerit, ipſumque ex tunc, & poſtquam conſtructum, & debita clauſura munitum foret, in Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ, ſub invocatione Sancti Joannis Baptiſtæ, cum cœmeterio, Dormitorio, Refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque Officinis neceſſariis, & opportunis, pro competenti numero Monialium, non minori duodecim, & ad plus viginti inibi introducendarum, quæ Habitum, per alias Moniales Ordinis ejuſdem Sanctæ Claræ geſtari ſolitum ſuſciperent, & profeſſionem per eas emitti ſolitam emitterent Regulares, & in illa ſub eadem Regula, ac perpetua clauſura, regulari obſervantia, & humilitatis ſpiritu, necnon paupertatis jugo, & omnimoda viſitatione, juriſdictione, & correctione Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Senen. ejuſque Vicarii in ſpiritualibus Generalis degerent, reſpectivè erexit, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, deſuper confectis, pleniùs continetur. Et ſicut ex inſinuatione Venerabilis Fratris Camilli Moderni Archiepiſcopi Senen. accepimus, dictum Monaſterium conſtructum, debita clauſura munitum, in illumque Moniales introductæ fuerint, ac ipſæ Moniales Regulam primam Sanctæ Claræ, eam ſcilicet, quam Beatus Chriſti Confeſſor Franciſcus tradidit, & rec. mem. Innocentius Papa IV. & Prædeceſſor noſter approbavit, profeſſæ ſint, &, benedicente Domino, in dicto Monaſterio poſſint plures, quam viginti, eouſque ad quadraginta ſuſtentari Moniales. Ideo Nos dictæ Paſitheæ ſupplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Dilectas in Chriſto Filias dicti Monaſterii Moniales tam in illud introductas, quàm in poſterum inibi introducendas Regulam primam Sanctæ Claræ, eam ſcilicet, quam dictus Sanctus Franciſcus tradidit, & Innocentius Prædeceſſor prædictus approbavit, ad Regis æterni gloriam profiteri, obligatas eſſe. Et inſuper auctoritate, & tenore præſentium, ut aliæ Moniales uſque ad numerum quadraginta in eodem Monaſterio recipi, & admitti poſſint, ita tamen, ut omnes â Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatis, in ſpiritualibus regantur, & gubernentur, prout hactenus regi, & gubernari conſueverant, permittimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Monaſterio, & Ordini, illorumque Superioribus, & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Maji MDCX. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

S. Cobellutius.

F. Bocholtz.

Breve formatum in Archivo Monialium prædictarum.

Sacras Reliquias extra Eccleſiam earumdem Monialium extrahi interdicit.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUpientes conſervationi Sacrarum Reliquiarum, quæ, ſicut Nobis expoſitum fuit, in Eccleſia, ſeu Monaſterio Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Senen. aſſervantur, quantum cum Domino poſſumus, opportunè proſpicere, ſupplicationibus Dilectæ in Chriſto Filiæ Abbatiſſæ, & Monialium dicti Monaſterii Nobis humiliter porrectis inclinati, ne de cetero Abbatiſſa, aut ulla ejuſdem Monaſterii Monialis, vel quivis alius dicti Monaſterii Superior, aut alia Perſona cujuſcumque gradus, Ordinis, & conditionis exiſtat, quavis auctoritate fungens, Sacras Reliquias hujuſmodi, vel aliquas earum partes extra Eccleſiam, ſeu Monaſterium prædictum extrahere præſumat, ſub excommunicationis ſententia, eo ipſo, abſque ulla declaratione per contrafacientes incurrenda, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium prohibemus; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die x. Maji MDCX. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Cobellutius.

Autog. in Archivo Secret. Brev. Apoſtol. Reg. menſ. & anni præd. fol. 220.

Monaſterium Monialium in Terra Sanctæ Floræ ab Eleonora Urſina Sforzia Duciſſa Segniæ fundatum, ſub prima Sanctæ Claræ Regula, perpetua Clauſura, & juriſdictione Ordinarii loci inſtitui, eidem legata, & dona tam ejuſdem Eleonoræ Duciſſæ, quàm Communitatis ibidem appropriari, â Monialibus numerariis 200. & à ſupernumerariis 400. ſcuta pendi &c. Epiſcopo Caſtri Plebis committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caſtri Plebis.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs Miniſterio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione præſidentes inter cætera cordis noſtri deſiderabilia, circa ea, per quæ Majeſtas Altiſſimi ubique collaudetur, cultuſque ſuiININoriſiſſimi Nominis amplietur, & ad illius laudem, & gloriam Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum, ac perſonarum, præſertim Feminei ſexus ſub ſuavi Religionis jugo, ſtudio piæ vitæ Altiſſimo famulantium numerus augeatur, ſollicitudinis noſtræ ſtudium libenter convertimus, &, ut pia fidelium, præſertim generis claritate fulgentium vota, ad id tendentia optatum ſortiantur effectum, opem, & operam, quantum Nobis ex alto conceditur, efficaces impendimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sanè pro parte Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobilis Mulieris Eleonoræ Urſinæ Sfortiæ Duciſſæ Segnin. ac Dilectorum Filiorum Univerſitatis, & Hominum Terræ Sanctæ Floræ, Caſtri Plebis Diœceſ. Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſa Eleonora Duciſſa ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ejuſque Sanctæ Fidei exaltationem, ac quamplurimarum Virginum ſub perpetua clauſura, & regularis diſciplinæ norma præpotenti Deo famulari cupientium commoditatem, in dicta Terra, cujus Dilectus Filius Nobilis Vir Alexander Sfortia Dux Segnin. prædictæ Eleonoræ Conjux Comes exiſtit, ac loco ad id commodo, & opportuno, unum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, Ordinis Sanctæ Claræ ſub prima illius regula cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, refectorio, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, ceteriſque Officinis, ac membris neceſſariis, & opportunis pro una Abbatiſſa, & ad minus undecim aliarum Monialium numero, ſuis propriis ſumptibus, & expenſis fundaverit, ac illi tam de paramentis, & ornamentis, quam aliis rebus ad divinum cultum neceſſariis providerit, ac pro ejus dote, necnon Monialium in eo pro tempore degentium congrua ſuſtentatione quoddam Legatum pium annui redditus ducentorum ſcutorum, monetæ Romanæ, in viginti ſex locis Montium, non vacabilium Religionis nuncupatorum de Urbe conſiſtentis, per quondam Marium etiam Sfortiam prædicti Alexandri Ducis, & Comitis Avum pro nubendis ſingulis annis quatuor Puellis dictæ Terræ relictum, de conſenſu prædicti Alexandri Ducis, & Comitis; necnon Univerſitas, & Homines prædicti nonnulla bona ſtabilia in di-

ſtri-

ſtrictu ejuſdem Terræ, ex quibus redditus annui centum ſcutorum ſimilium ad minus annuatim percipiuntur, ad eumdem effectum liberaliter in perpetuum aſſignaverunt, dictumque Monaſterium Monialium ſub prædicta Regula, Apoſtolica auctoritate erigi ſummoperè deſiderant. Nos, qui divini cultus augmentum, & Chriſtianæ Religionis propagationem ſinceris exoptamus affectibus, prædictam Eleonoram Duciſſam, ac Univerſitatis, & Hominum hujuſmodi ſingulares Perſonas à quibuſvis &c. cenſen. necnon bonorum per dictos Univerſitatem, & Homines aſſignatorum prædictorum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates, ac veros annuos valores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſupplicationibus Eleonoræ Duciſſæ, ac Univerſitatis, & Hominum prædictorum Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Regularium præpoſitorum conſilio, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & attento, quod jam dictus Alexander Dux, & Comes viginti ſex loca Montis hujuſmodi in favorem Monaſterii per præſentes erigen. reſignavit, dictæ Eleonoræ Duciſſæ in prædicta Terra, ac loco ad id commodo, & opportuno unum Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum ſub prima Regula Sanctæ Claræ conſtrui, & ædificari faciendi licentiam auctoritate noſtra concedas, ipſumque Monaſterium ex nunc, prout, poſtquam omnibus numeris abſolutum, & debita clauſura munitum fuerit, in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupan. ſub Regula Sanctæ Claræ hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, infirmaria, cellis, cellulis, & univerſis aliis officinis, membriſque neceſſariis, & opportunis pro perpetuis uſu, & habitatione unius Abbatiſſæ, & duodecim Monialium, quæ ſemper numerariæ exiſtant, ac quarum quælibet in earum receptione ducenta ſcuta monetæ pro earum dote, ſeu eleemoſyna dotali ſpendere, aliæ verò, quæ ſupra dictum numerum de cetero recipientur, ſupranumerariæ cenſeantur, ac non minorem quadringentis ſcutis paribus dotem ſolvere, ſolitamque licentiam à dicta Congregatione obtinere teneantur, omneſque Habitum per alias ejuſdem Ordinis Moniales geſtari ſolitum ſuſcipere, ac tempore probationis elapſo, Profeſſionem per eaſdem Moniales emitti conſuetam, expreſſè emittere, perpetuamque clauſuram, necnon ritus, mores, conſuetudines, ac Regularia Inſtituta ejuſdem Ordinis, quoad fieri poterit, ſervare, diviniſque laudibus, & officiis inſiſtere, ac tam ipſæ, quam ipſius Monaſterii ſic erigendi proprietates, & bona univerſa, tam mobilia, quàm immobilia, præſentia, & futura, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, generis, ſpeciei, & naturæ exiſtentia, & ubicumque conſiſtentia, viſitationi, correctioni, obedientiæ, juriſdictioni, & omnimodæ ſuperioritati in ſpiritualibus Ordinarii loci pro tempore exiſtentis ſubjacere debeant, & teneantur, ac aliàs in omnibus, & per omnia, ad inſtar aliorum ejuſdem Ordinis Monaſteriorum, ſine tamen alicujus præjudicio, auctoritate noſtra erigas, & inſtituas, illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, & manutentione, ac Monialium in eo pro tempore recipiendarum ſubſtentatione, legatum pium ducentorum ſcutorum per dictum Marium, ut præfertur, factum, necnon tam per Univerſitatem, & Homines prædictos jam donata, & aſſignata, ac Monialium, vigore præſentium recipiendarum dotes, ſeu ex dotibus, acquiren. quam de cetero per ipſos, ſeu dictam Eleonoram Duciſſam, ac quoſcumque alios Chriſtifideles in perpetuum, vel ad tempus donanda, relinquenda, eroganda, & elargienda bona, res, proprietates, cenſus, credita, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque, dicta auctoritate noſtra perpetuò applices, & appropries, voluntatemque dicti Marii in, & quoad præmiſſa ſufficienter, & opportunè commutes; & inſuper eidem Alexandro Duci, & Comiti, ejuſque in Comitatu, ſeu Terra hujuſmodi Succeſſoribus, ut intuitu reſignationis viginti ſex locorum montium hujuſmodi, quatuor Puellas, ex dicta Terra oriundas, in numero earumdẽ duodecim Monialium computan. gratis, & abſque ulla dotis præſtatione, ita ut una earum moriente, alia in ejus loco, etiam gratis recipi debeat, nominare, & in receptione Puellarum per dictum Alexandrum Ducem, & Comitem, ejuſque Succeſſores nominandarum, Abbatiſſæ, & Monialium pro tempore exiſtentium capitulariter, & per ſecreta ſuffragia accedat aſſenſus, Monaſterio verò ſic erigendo, ac illius Abbatiſſæ, & Monialibus, ac perſoniſ, eorumque rebus, & bonis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis, & gratiis, quibus alia ejuſdem Ordinis Monaſteria, eorumque Abbatiſſæ, & Moniales de jure, uſu, conſuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter, & æquè principaliter, abſque ulla prorſus differentia uti, potiri, & gaudere valeăt, eadem auctoritate concedas, & indulgeas.

Præterea Monaſterium ſic erigendum, illiuſque Abbatiſſam, Moniales, & Perſonas quaſcumque gubernio, regimini, adminiſtrationi, viſitationi, correctioni, ſuperioritati, & obedientiæ Tuis, & pro tempore

pore

pore exiſtentis Epiſcopi Caſtri Plebis ſimiliter perpetuò ſubmittas, & ſubjicias, necnon, poſtquam Monaſterium per Te vigore præſentium erectum, & inſtitutum fuerit, pro illius gubernio, & directione, ac Monialium in illud pro tempore introducendarum inſtructione unam, vel duas alterius Monaſterii Monialium ejuſdem Ordinis Moniales, ætate graves, quas ad hujuſmodi munus idoneas eſſe duxeris, ex earum Monaſterio educas, & ad Monaſterium, ut præfertur, erigendum, dummodo tamen illarum, & Superiorum earumdem ad id accedat aſſenſus, ipſæque à proximis conſanguineis, vel aliis Perſonis piis aſſociatæ, citius quam fieri poterit, & recta via illuc accedant, & nullibi pernoctent, niſi cauſa hoſpitii, idque nonniſi apud honeſtas Matronas, transferas, ſuper quibus omnibus, & ſingulis liberam, & amplam facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Monaſteriorum prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis &c. permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Septembris MDCXIX. Pontificatus noſtri anno decimoquinto.

S. Card. S. Suſannæ.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni prædict. fol. 149. *Vide & infra fol.* 416.

Partem Pii legati, a Fr. Ægidio à Pitiliano facti, ad hujus inſtantias relaxat, & ab illius onere Hæredem pauperem liberat.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Ægidius à Pitiliano Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſor, quod ipſe aliàs, antequam profeſſionem per eoſdem Fratres emitti conſuetam, expreſsè emitteret, in teſtamento, per eum condito, nonnulla legata pro animæ ſuæ refrigerio fecit, eorumque curam Fratribus ſuis germanis commiſit cum hoc, ut, ſi ipſi intra terminum unius anni legatis hujuſmodi non ſatisfeciſſent, legata ipſa ad Confraternitatem SS. Sacramenti Terræ Pitiliani Soanen. Diœc. devolverentur: prout in dicto Teſtamento dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ejuſdem Ægidii Fratres prædicti legatis hujuſmodi in partem duntaxat, non autem in totum, nec intra terminum, ut ſupra, præfixum, ſed multo poſt, & longi temporis ſpatium ſatisfecerint, eiſdemque legatis adhuc pro ſumma quadraginta ſcutorum, vel circiter ſatisfieri debeat, defunctiſque jam dicti Ægidii Fratribus, unius ex eis uxor pauper, & aere alieno, per ejus Virum contracto gravata reperiatur. Nobis propterea dictus Ægidius humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportunè, ut infra, de benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos igitur dictum Ægidium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Hæredibus dictorum Fratrum Ægidii, quod eiſdem legatis pro reſidua ſumma 40. Scutorum hujuſmodi, vel circiter, ſatisfacere minimè teneantur, nec tam illi, quam dictus Ægidius deſuper ab eiſdem Confraternitatis Confratribus, vel quibuſvis aliis ullo modo moleſtari, inquietari, aut perturbari poſſint, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane &c. attentari. Non obſtantibus voluntate dicti Ægidii, quam in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, aliiſque præmiſſis & Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Confraternitatis hujuſmodi, etiam juramento &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis &c. pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV. Aprilis MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

S. Car. S. Suſannæ.

Exempl. in Arc. Generali Ord. Armario Provincia Tuſciæ.

Duas

Duas Domunculas Fratribus Oppidi Sancti Stephani pro Conventus ampliatione relictas vendi, & pretium inde redactum in novæ fabricæ ſubſidium converti concedit,

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

JUſta petentium votis libenter annuimus, eaque, cum id à nobis petitur, favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domus Regularis Ordinis Sancti Franciſci Minorum, Capucinorum nuncupatorum, Oppidi, ſeu loci S. Stephani Burgi S. Sepulchri Diœc. ipſi duas Domunculas, ſimul in proprietate ſexaginta ſcutorum monetæ illarum partium, vel circa, eorum Domui Regulari hujuſmodi à nonnullis Chriſtifidelibus pro ipſius Domus Regularis ampliatione relictas obtineant, quarum quidem poſſeſſionem juxta ejuſdem Ordinis Regularia inſtituta minimè continuare poſſent; &, ſi prædictæ Domunculæ meliori, qua fieri poterit, conditione venderentur, ac pretium ex eis redigendum in ſubſidium fabricæ Eccleſiæ ejuſdem Domus Regularis applicaretur, ejuſdem Eccleſiæ decori, ac neceſſitati non mediocriter conſuleretur. Nos dictarum domuncularum ſituationes, confines, vocabula, & denominationes præſentibus pro expreſſis habentes, ipſoſque Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, nec non Guardianum, & Domus Regularis hujuſmodi ſingulares perſonas à quibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, porrectis Nobis pro eorum parte ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, ut mediante eorum Syndico, ſeu Procuratore legitimè per eos deputato, vel deputando, ſeu aliis arbitrio Ordinarii loci delegandis Viris prædictas Domunculas, cum earundem pertinentiis, & adjacentiis, quibuſcumque uni, ſeu pluribus perſonis majus pretium, ſeu meliorem conditionem offerenti, vel offerentibus, vendere, ac pretium venditionis hujuſmodi in prædictæ Eccleſiæ ſubſidium, ut præfertur, convertere liberè, ac licitè valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, ac licentiam, & facultatem impartimur, non obſtantibus fel. rec. Pauli II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Domus Regularis, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXXI. Octobris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

M. A. Maraldus.

Exemplar. in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Tuſciæ.

N O T A.

In prærecenſita Domo octo dumtaxat Religioſos, morari poſſe, quin juriſdictioni Ordinarii ſubjaceant, indultum eſt, ut ſequitur.

B E A T I S S I M E P A T E R.

PRovincialis, & Diffinitores Provinciæ Hetruriæ neceſſitate coacti, conſtruxere novum Conventum in Civitate Plebis S. Stephani, ne Fratres itinerantes ad Domos Sæcularium divertere tenerentur. Cum autem numerus Religioſorum à Conſtitutionibus Apoſtolicis praſcriptus ibi ſuſtentari nequeat, Sanctitati Veſtræ humilimè pro facultate, minorem Fratrum numerum ibi collocandi ſupplicant, quin Ordinarii juriſdictioni juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, pro quarum derogatione, pro hac vice omni humilitate inſtatur, ſubjiciantur. Et totum &c.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Oratorum poſtulato benignè annuit, dummodo in Conventu, ut ſupra, noviter erigendo, octo ſaltem Religioſi Ordinis hujuſmodi manutenerì poſſint, & reipſa perpetuò manuteneantur, & in reliquis ſervetur forma Apoſtolica Conſtitutionum ſuper hujuſmodi erectionibus editarum, præmiſſis, aliiſque in contrarium facientibus non obſtantibus. Romæ 9. Februarii 1629.

F. A. Card. S. Honuſ.

P. Fagnanus Secret.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ. & anni præd. & ex Arch. Gen. Ord.

Alio

Ano, & ſequenti Sac. Cong. Concilii Decreto, legato pio, Miſsis 300. unica tantum vice loco oneris perpetui celebrandis ſatisfieri conceſſum fuit.

BEATISSIME PATER.

Anno 1622. fuit relictum legatum 150. Scutorum Eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis, Luminum nuncupatæ, & in Civitate Plebis S. Stephani exiſtenti, cum onere duarum Miſſarum menſtruatim in ea dicendarum, prout patet ex injuncto teſtamenti paragrapho. Cum autem Fratres Capucini, qui dictâ Eccleſia de facto utuntur, hujuſmodi legati non ſint capaces, Sanctitati Veſtræ pro parte Provincialis Provinciæ Hetruriæ humillimè ſupplicatur, quatenus concedere dignetur, ut numerus Miſſarum, Sanctitatis Veſtræ bene viſus pro unica tantum vice legatur, & dictum legatum Fabricæ Conventus applicetur. Quod totum &c.

Die 16. Julii 1629. Sanctiſsimus Dominus Noſter ex ſententia Sacræ Congregationis Card. Conc. Trid. Interpretum benignè annuit, ut Oratores celebratione 300. Miſſarum unica vice, ſupradicto legato ſatisfaciant.

Coſ. Card. de Torres.

Franc. Paulut. Cong. Secret.

Ex Regeſto ſeu lib. Decret. 14. Secret. Cong. præd. fol. 127.

Cumque Sacra Officiatura, & Miſſarum celebratio, quæ in Eccleſia hujus Conventus â Sacerdotibus Sæcularibus fieri conſueverant, Fratribus varia parerent incommoda, illas, facto ab his recurſu, ad Eccleſiam ſeu Capellam SS. Caroli, & Antonii transferri, proviſionali Illuſtr. Domini Epiſcopi Decreto fuit cautum, hocque â S. Congreg. confirmatum, ut ſequitur.

Attentis precibus in ſupra ſcripto Libello porrectis ab A. R. P. Bernardino Arretino, Provinciale Tuſciæ Ordinis Capucinorum, ac Fratribus Conventus B. M. Virginis de Luminibus Terræ Plebis S. Stephani, ac aliis juſtis de cauſis animum noſtrum dignè moventibus, per modum proviſionis duntaxat, ac ſalvis juribus &c interim, & donec aliter legitimè conſulatur, oneribus, Miſſarum Officiaturis, ſeu Capellaniis injunctis, & in dicta Eccleſia B. M. Virginis de Luminibus per Presbyteros Sæculares implendis ſatisfieri volumus, & mandamus per eoſdem, a quibus de jure ad hujuſmodi munus electos, in Capella SS. Caroli, & Antonii de Padua antea dictæ Eccleſiæ unita, & incorporata. Et ita &c. omni &c.

Datum in dicta Civitate S. Sepulchri ex Palatio Noſtro Epiſcopali die 14. Novemb. 1673.

C. F. Ludovicus Epiſcopus Biturgienſis.

Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultat Epiſc., & Regul. præpoſita, referente Eminentiſsimo Caſtaldo cenſuit ſupradictum Decretum Epiſcopi Burg. Sancti Sepulchri eſſe confirmandum, prout præſentis Decreti tenore benignè confirmavit. Romæ 6. Julii 1674.

Card. Gaſpar. Carpineus.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ. & anni præd.

Varia Monaſterii Monialium Terræ Sanctæ Floræ bona minùs fructifera vendi, ac ex pretio, alia bona ſtabilia, melioris conditionis emi, Epiſcopo loci &c. committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Civitatis Plebis, ac dilecto Filio antiquiori Canonico Eccleſiæ Civitatis Plebis.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio votis illis, per quæ Monaſteriorum quorumlibet, præſertim ſanctimonialium utilitatibus, & commodis conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Adminiſtratores, & Deputati, Santeſi vulgò nuncupati, Monaſterii Monialium Capucinarum etiam nuncupatarum ſub ſecunda Regula S. Claræ viventium Terræ S. Floræ, Civitatis plebis Dioec., quod ipſi, ut ejuſdem Monaſterii conditionem efficiant meliorem nonnulla dicti Monaſterii bona parum fructifera, ac improbæ conditionis, & in deterius labentia, videlicet unum viginti octo & bajoc. octuaginta, & aliud vineæ petia ad dilectam in Chriſto Filiam Cherubinam, ejuſdem Monaſterii Monialem ſpectan. ſexdecim, & bajoc. ſexaginta, necnon unam per quondam Stellam quindecim, & aliam per quon. Gratianum reſpectivè relictas vineas, in Territorio dictæ Terræ ſitas, decem ſcutorum valoris in

eorum

eorum, & earum reſpectivè proprietate; & inſuper unam domum cum uno petio terræ, & vinea deſerta, ac nullius fructus inſimul ſexaginta, vel circiter, necnon unum caſtanetum in loco, *l' Abbatia S. Salvatore* vulgò nuncupato, Terræ Scanzani, dictæ Dioec. reſpectivè ſitum, & per quondam Dignantiam relictum quinquaginta ſcutorum valoris, etiam in eorum proprietate, ſimiliter reſpectivè ad dilectam etiam in Chriſto Filiam Urſulam, ejuſdem Monaſterii Monialem ſpectan. vendere, pretiumque exinde proveniens in emptionem aliorum bonorum ſtabilium magis fructiferorum, meliorîſque conditionis convertere poſſe deſiderant; quare pro parte Adminiſtratorum, ſeu Deputatorum prædictorum, aſſerentium venditionem, ac pretii converſionem prædictas, ſi fiant, in evidentem dicti Monaſterii ceſſuras eſſe utilitatem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de opportuna in præmiſſis licentia providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac ſingulares Adminiſtratorum ſeu Deputatorum prædictorum perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, & attento, quod, ſicut Adminiſtratores, & Deputati prædicti aſſerunt, Archidiaconatus Eccleſiæ Civitatis Plebis, quæ unica inibi dumtaxat dignitas poſt Pontificalem exiſtit, ad præſens vacat, Diſcretioni Tuæ, Fili antiquior Canonice, per præſentes committimus, & mandamus, ſi & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac bonis ſupra expreſſis hujuſmodi, illorumque circumſtantiis univerſis prius coram Vobis ſpecificatis, ſi venditio, ac pretii converſio hujuſmodi, quatenus illæ fiant, in evidentem dicti Monaſterii ceſſuræ ſint utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus, legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, eiſdem Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis, quod bona prædicta quibuſvis Perſonis meliorem conditionem offerentibus, vendere, & alienare, ac pecunias inde redigendas in aliorum ſtabilium, ut præfertur, emptionem convertere, & erogare liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem, auctoritate Noſtra concedatis. Non obſtan. fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Monaſterii, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcũque. Volumus autem, quod, ſi licentiam prædictam per Vos dictis Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis vigore præſentium concedi contigerit, venditio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel pretium ipſum penes Montem Pietatis, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, nec inde, niſi ad effectum illud in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, ut præfertur, convertendi, amoveri poſſit. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Die XXVIII. Maji MDCXXIX. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 9. Vide harum Monialium fundationem ſupra fol. 432.

Eccleſiam veteris Domûs in Civitate Collenſi ad uſus profanos reduci, & pretium ex ædificio veteri vendito redactum ad novæ fabricæ ſumptus converti, Epiſcopo loci mandat.

A Tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Collenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Miniſter Provincialis Provinciæ Hetruriæ, Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod Fratres Domus ejuſdem Ordinis Civitatis Collen. ob ipſius aeris inſalubritatem, quæ, ut aſſerit, cauſa infirmitatum, & obitûs etiam multorum ex ipſis Fratribus erat, ac alias etiam ob cauſas prædictam Domum deſerere coacti fuerunt, & ad novam Domum in alio dictæ Civitatis commodiori, & ſalubrioris aeris loco conſtructam ſe tranſtulerunt. Cûm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, fabrica novæ Domus huiuſmodi ob loci paupertatem ad debitum finem perduci nequaquam poſſit, niſi per Nos de infraſcripta licentia provideatur. Nos Miniſtrum, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Miniſtri Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut dicto Miniſtro Provinciali primodictæ Domus ædificii partem, eiuſque Eccleſiam (cadaveribus, non tamen ex peſte defunctorum, cum ſuperficie illius Eccleſiæ ad novæ Domus huiuſmodi Eccleſiam translatis) demoliri, & prophanari, ac ad prophanos, non tamen ſordidos uſus reduci

necnon aliam partem ædificii veteris Domus hujuſmodi per perſonas, dictæ fabricæ curam habentes vendi, & alienari, pecuniaſque exinde provenientes, prout etiam cæmenta in ejuſdem fabricæ uſus converti faciendi, licentiam auctoritate noſtra concedas, & impartiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIV. Aprilis MDCXXXII. Pontificatus noſtri Anno nono.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 19.

N O T A

In beneficium fabricæ novæ hujus Domus Decreto S. Congregationis Concilii, commutatio legati, & oneris Miſſarum perpetui conceſſa eſt, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Bandinuccia Joannis Masti à Colle de Valle Elſæ humillima Sanctitatis Veſtræ Serva exponit, qualiter Dominicus à Maſtio Maſti, Oratricis Patruus carnalis, in ſuo teſtamento reliquit legatum perpetuum pro Miſſa quolibet Sabbato hebdomadatim in Capella, in uno ſuorum prædiorum ſita, dicenda, obligans hæredes, ut, ſi deficiant Filii, & Nepotes, legato ſatisfacerent hæreditati ſuccedentes. Et caſu quo debito ſuo non ſatisfacerent, prædium del Vallachio *perderent, & hoc ad Patres S. Auguſtini devolveretur. Interim eum memorata Capella exiſtat in ſitu, in quo PP. Capucini novum conſtruunt Conventum, Oratrix ſupplicat, quatenus ſibi ceu Dominici Patrui ſui hæredi concedatur, ut pro una vice tantùm, pro beneficio fabricæ dictorum Patrum eleemoſynam largiatur, & ita libera maneat à præfato onere, vi cujus in obſequium Capellæ annuatim 5 ſcuta impendebantur. Quam gratiam &c.*

Die 5. Auguſti 1631. Sanctiſſimus Dominus noſter ex ſententia S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum propoſitæ petitioni benignè annuit, ita tamen, ut Oratrix talem eleemoſynæ quantitatem pro unica vice Patribus Capucinis elargiatur, quatenus ex illa mille Miſſæ per univerſam Religionem celebrari poſſint.

Card. Ubaldinus Præf.

F. Paulutius S. C. C. Secret.

Ex Reg., ſeu lib. 14. Secret. Cong. præd. fol. 469.

Veterem Domum extra muros, Civitati Senenſi durante contagio pro *Lazaretto* concedi indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum Filiorum Deputatorum Magiſtratus Sanitatis Civitatis Senen., quod ipſi providè animadvertentes periculum, quod eidem Civitati ob recidivam in Civitate Florentina contagii graſſationem imminet, ut eidem Civitati Senenſi de loco, Lazaretto nuncupato, in quo tum illuc accedentes, utrum admittendi ſint, probari, tum etiam res, quæ illuc advehuntur, in eventum illarum introductionis prius expurgari valeant, providere poſſint, veterem Domum Regularem Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, extra muros ejuſdem Civitatis Senen. ſibi, ut infra, concedi ſummopere deſiderant; Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis deſuper opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur primodictæ Civitatis hujuſmodi neceſſitatibus in præmiſſis conſultum eſſe cupientes, & Deputatos prædictos ſpecialibus favoribus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus dictæ Domus, ſeu illorum Superioribus, quod veterem Domum Regularem præfatam eiſdem Deputatis ad effectum præmiſſum, contagio hujuſmodi, ſeu illius ſuſpicione durante dumtaxat, concedere liberè, & licitè valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, & Ordinis præfatorum

torum etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c., Die xv. Junii MDCXXXIII. Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ., & anni præd. fol. 23. Vide, & infra ceſſionem hujus Domûs fol. 220.

Situm terræ, muro horti Conventûs Radicofani contiguum, per Syndicum vendi, & pretium inde redactum pro perfectione fabricæ Conventûs ibidem applicari concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii MiniſterProvincialis, & Definitores Provinciæ Tuſciæ Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi quemdam exiguum ſitum extra clauſuram muri horti Domus Regularis eorundem Fratrum Terræ, Radicofani nuncupatæ vendi, pretiumque exinde redigendum in perfectionem fabricæ dictæ Domus Regularis commutari poſſe ſummopere deſiderant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi de opportuna in præmiſſis licentia providere,de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Syndico dictæ Domus Regularis, quod ipſe ſitum hujuſmodi perſonæ, ſeu perſonis meliorem conditionem offerentibus vendere, pretiumque ex venditione hujuſmodi redigendum, in reſiduum,ſeu perfectionem fabricæ dictæ Domus Regularis convertere, & erogare liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum,Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pecunia ex venditione hujuſmodi proventura penes Montem Pietatis, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, ac exinde non amoveatur, niſi ad effectum illam, ut petitur, convertendi. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XVIII. Julii MDCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 55.

Donationem ſitûs ad menſam Epiſcopi Pientin. ſpectantis Conventui Terræ S. Quirici factam confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii,FratresOrdinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Conventus Terræ S. Quirici Pientin. Dioec. Nobis nuper exponi fecerunt, Venerabilis Frater Joannes Epiſcopus Pientin. uſum de facto juxta Clementinam ſuper Regula Fratrum Minorum ejuſdem Sancti Franciſci cujuſdam ſitus domorum dirutarum, ad menſam Epiſcopalem Pientin. legitimè ſpectantis, valoris æſtimati quadraginta circiter florenorum, monetæ illarum partium eiſdem Fratribus conceſſerit,ſub noſtro tamen, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, prius deſuper impetrando,ipſique Fratres Domos præfatas ex piorum elemoſynis indifferenter reſarciri, & reparari fecerint pro uſu, & commoditate eorum dicti Ordinis Fratrum, qui ad Balnea de Vagnone ſe conferre debebunt, ubi non habent, quò alias ſe recipiant. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere,de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem uſus ſitûs hujuſmodi eiſdem Fratribus per eumdem Joannem Epiſcopum, ut præfertur, factam, Apoſtolica Auctoritate,tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiuſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, vel fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſque, & Exponentibus in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcumque judices, Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſto-

lici Auditores judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus f. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, ipſius Ordinis, & Menſæ Epiſcopalis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Aprilis MDCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 1. de quo Breve formatum in Arch. Prov.

A Fratribus Conventûs Terræ Puppii, officia Defunctorum, ad quæ perſolvenda ex pio legato tenebantur, anticipari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EX paſtoralis Officii noſtri debito, cui diſponente Domino præſidemus, nonnunquam pias teſtantium voluntates, dum præſertim rationabiles cauſæ id ſuadent, libenter commutamus, & Fratrum Mendicantium, id etiam a Nobis humiliter petentium, votis favorabiliter annuimus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Domus Regularis Terræ Poppi Aretinæ Diœceſis Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum petitio continebat, quòd aliàs à quadam Muliere, dum vixit, Terræ, ſeu loci hujuſmodi incola, in ejus ultimo, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, Teſtamento, ſcuta centum monetæ, ad effectum, ut ex ipſis conſtitueretur, ſeu augeretur Bibliotheca ejuſdem Domus Regularis relicta fuerunt, cum onere, ut Fratres ejuſdem Domus ſpatio viginti annorum unum Officium Defunctorum tantùm, quolibet anno, more eorundem Fratrum celebrare tenerentur. Cum autem ſicut, eadem petitio ſubjungebat, Fratres ejuſdem Domus Regularis in Sacro Presbyterorum Ordine conſtituti numerum quatuor excedere minimè ſoleant; ſicque deducta miſſa Conventuali, quæ quotidie pro Benefactoribus celebratur, unum Officium defunctorum more eorundem Fratrum tres quomodolibet anno, ſpatio verò dictorum viginti annorum ſexaginta Miſſas circiter complectatur; ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut eis in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, necnon eorum quemlibet à quibuſvis excomunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, porrectis Nobis pro eorundem Exponentium parte ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, ut Officia defunctorum hujuſmodi perimpoſita, cum primùm poterunt, non expectato curſu dictorum viginti annorum, dummodo tamen ad id ſe ex ſpeciali conventione non obligaverint, celebrare poſſint, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur, ac per celebrationem viginti Officiorum prædictorum per eoſdem Exponentes, cum primum poterunt, etiam viginti annis non expectatis, ut præfertur, ejuſdem teſtatricis diſpoſitionem, & voluntatem perinde, ac ſi in dictis viginti annis oneri prædicto ab ipſis ſatisfieret, plenè, & integrè adimplere, nec Exponentes prædictos à quopiam, quovis prætextu, occaſione, vel cauſa moleſtari, inquietari, aut quovis modo impediri nullatenus unquam poſſe; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, dictæque Teſtatricis voluntatem, quoad hoc ſufficienter, vel expreſsè commutamus; non obſtantibus voluntate hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XII. Maii MDCXLIV. Pontificatus noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Exempl. in Arch. Generali, Ordinis Arm. Provincia Tuſciæ.

Dimiſſam extra Muros Civitatis Senarum noſtram Domum cum horto, & ſylva PP. Camaldulenſibus donat.

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut accepimus, Conventus Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, prope, & extra Muros Civitatis Senarum, non ita pridem ea intentione conſtructus fuerit, ut illuc transferretur antiquus Conventus ejuſdem Ordinis inde milliario cum dimidio circiter diſtans, eamque translationem Nos noviſſimè fieri mandaverimus, proindeque idem Conventus antiquus à Dilecto Filio Miniſtro Provinciali Provinciæ Hetruriæ dicti Ordinis dimiſſus, & Fratres ibi degentes in aliis Conventibus ejuſdem Provinciæ collocati extiterint.

Hinc eſt, quod Nos motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad divini cultus augmentum, & Religionis Eremitarum Camaldulenſium Sancti Romualdi propagationem, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Senarum, ſeu dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali per præſentes injungimus, & mandamus, ut Conventum, ut præfertur, dimiſſum, cum horto, & ſylva, ceteriſque pertinentiis univerſis Religioni prædictæ Eremitarum Camaldulenſium, ad effectum inibi novam Eremum erigendi pro duodecim Eremitis, qui ſub perpetua clauſura degant, & divina officia diu, noctuque, juxta ſui Ordinis Inſtituta celebrent, eique novæ Eremo pro dote, & manutentione dictorum duodecim Eremitarum ſexcenta ſcuta monetæ Florentinæ à Dilectis Filiis Priore, & Fratribus Eremi Florentinæ, Congregationis Camaldulen. tam de propriis eorum redditibus, quàm Hoſpitii ejuſdem Eremi in Civitate Florentiæ exiſten. atque Eremi Sancti Joannis Baptiſtæ Cortonæ dictæ Congregationis, ſingulis annis perſolvenda, juxta aſſignationem, & partitionem factam à Capitulo Conventuali, ad hunc effectum in dicta Eremo Florentina congregato, & in Diæta de menſe Junii proximè præterito celebrata approbatam, atque ſub conditionibus contentis in Inſtrumento deſuper confecto, & per acta dilecti etiam Filii Adriani Minucci, Notarii publici rogato, auctoritate noſtra Apoſtolica donet, concedat, & aſſignet, prout Nos per eaſdem præſentes perpetuò donamus, concedimus, & aſſignamus, dictamque partitionem in omnibus, & per omnia confirmamus, & approbamus, ita, ut liceat Priori novæ Eremi hujuſmodi, per Superiorem Generalem dictæ Congregationis Camaldulen. Majorem nuncupatum, eligendo, & deputando, & Eremitis pro tempore exiſtentibus, per ſe, vel alium, ſeu alios Eccleſiæ, & Conventus ſic dimiſſi, cum horto, & ſylva, ceteriſque pertinentiis ſuis realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem liberè, propria auctoritate retinere, dictaque ſcuta ſexcenta percipere, exigere, levare, ac in ſuos communes, & eorum Eremi, & Eccleſiæ prædictarum uſus, & utilitatem convertere, cujuſvis licentiâ minime requiſitâ.

Præterea conſtructioni, & ædificationi dictæ novæ Eremi providè conſulere volentes, ut per triennium proximum poſt adeptam poſſeſſionem Conventus, ut præfertur, dimiſſi, ſex tantum Eremitæ in ea degere teneantur, indulgemus, ad hoc, ut dimidia pars prædictorum ſcutorum ſexcentorum, in fabricam ejuſdem Eremi applicari poſſit, & debeat. Volumus autem, ut, ſi Eremitæ dictæ novæ Eremi, ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis, ſeu legatis, vel alio quocumque modo aliquos annuos redditus acquiſiverint, dictæ aſſignatio, & partitio pro rata ceſſare, & ad Eremum Florentinam, ac ad Hoſpitium, & Eremum Cortonæ hujuſmodi reſpectivè redire debeant. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Congregationis, Conventus, & Eremorum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Auguſti MDCLIX. Pontificatus Noſtri anno quinto.

G. Gualterius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 82.

N O T A.

Translatio Fratrum ad novum Conventum, quam præpoſitum commemorat Breve, pro executione fuit commiſſa Patri Procuratori Curiæ Epiſtola ſequente:

A Ter-

A Tergo. *Admodum Reverendo Patri Procuratori Generali Capucinorum.*

Admodum Reverende Pater.

CVM Sanctiſſimo Domino noſtro innotuerit, quod Conventus Capucinorum extra Muros Senarum cum intentione illuc antiquum Conventum, ab illac non longè diſtantem transferendi, ædificatus, hicque non muro, ſed ſepibus cinctus, ac fabricæ aliàs ita miſeræ ſint, ut impræſentiarum plures quàm 7. vel 8. ibi non degant Fratres. Cumque per hos Officia Divina, & alia exercitia ſpiritualia cum debito decore, ac exactitudine præſtari nequeant, expedire cenſuit, ut ab Ordine dicta translatio executioni mandetur, & à Paternitate Veſtra Patri Provinciali ibidem ordinari juſſit, ut quantocyus illum dimittat, Fratribus Familiæ ad alios Provinciæ Conventus ablegatis, & ſacrà æquè, ac prophana ſupellectile translatâ, ita tamen, ut imagines, & Altarium Tabulæ ibi relinquantur, & Patri Guardiano defacto ibi exiſtenti. Capitulum pro electione Diſcreti convocare conceſſum ſit, ac Votum in proximo Capitulo Provinciali teneat, Studeat Paternitas Veſtra, ut omnia punctualiter executioni dentur, dum ego me ſuis commendo precibus.
Ex Ædibus 6. Auguſti 1659.
P.V. A.R.

Affectuoſiſſimus
Proſper Fagnanus.

Orig. in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Tuſciæ,

Fr. Angelum à Figline Aſiaticæ Iberiæ Miſſionarium, ſibi commendatum, benignè exceptum, ejuſdemque poſtulatis conſenſiſſe, Magno Hetruriæ Duci reponit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Coſimo Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magno Duci.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXcepimus perlibenter Dilectum Filium Patrem Angelum à Figline, Ordinis Capucinorum, quem ab Aſiatica Iberia ad Nos venientem, per literas Nobis commendavit Nobilitas Tua, ejuſdemque piis poſtulatis annuere non omiſimus. Pro ſuſcepto interim à Te de proſperis prædicta in Iberia Catholicæ Religionis ſucceſſibus, ingenti gaudio, perſpectum zelum tuum magnopere commendamus, ac Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Maji MDCLXXXVIII. Pontificatus noſtri anno decimo.

Marius Spinula Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol. 52. t.*

N O T A.

SUperſunt & alia Apoſtolica Brevia, prætactum Patrem Angelum concernentia, quæ Tomus de Miſſionibus agens exhibebit. Interim de illo præſciviſſe juvat, quod ex honeſta Pierracinorum gente natus, ab incunabulis Chriſtianæ perfectionis iter arripuerit, & exacto vigeſimo ætatis anno, vota ſua, quæ labia ejus in noſtra Religione diſtinxerunt, Deo fideli pietate reddiderit. Dum anno 1682. ſpirituale Archi-Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Novæ Florentiæ gubernium illi fuerat commiſſum, cor ejus ita intra ipſum ardore dilatandæ Fidei concaluit, ut ad Miſſiones in partibus Infidelium ablegari popoſcerit. Deſiderium animæ ejus tribuit ei Curia Romana, miſitque illum ad Regnum Aſiaticæ Iberiæ, ſeu Georgiæ, ubi Angelus ſe virtutis ſpiritum, & Miniſtrum ignis, & zeli urentis exhibuit. Orator Romam rediit, ut Venerabili Dei Servo Innoc. XI. fauſta nova de Georgii Regis, & Eutimii Archiepiſcopi converſione ad Fidem Romanam patefaceret. Regreſſum ad Apoſtolicam Miſſionem mandavit Papa Angelo, ut cuſtodiret in viis ſuis converſos, & alios duceret in hæreditatem ſalutis: At, dum ſiſtema rei Catholicæ per bella turbatum videbat, ad partes Grangiæ, poſt multas, quas ſuſtinuit, calamitates, ſeceſſit. Improbo Armenorum Græcorum livore dùm & hîc dira contra Romano-Catholicos tempeſtas fuerat exorta, ſevero edicto, & capitalis pœnæ minis, omnibus iis egreſſus è regno inculcatus, aliiſque terminus Miſſionis conſummatus, Angelus, poſtquam Sacra Jeroſolymæ loca, & Humanati Dei veſtigia adoraſſet, Italiæ, & Provinciæ viam remenſus eſt, in qua & inter Prælationis localis officia, merita ſua in pace complevit.

Fr.

Fr. Franciſcum Mariam ab Aretio, ad munus Apoſtolici Concionatoris, ex antiqua virtutis, & zeli ſama electum fuiſſe, Eidem Magno Hetruriæ Duci Coſimo ſignificat.

Dilecto Filio Nobili Viro Coſimo Etruriæ ſibi ſubjectæ Magno Duci.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT Sacrum Apoſtolici Concionatoris in hoc noſtro Palatio Miniſterium demandaremus Dilecto Filio Franciſco Mariæ de Aretio, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Procuratori Generali, effecit profectò vetus opinio, quam de ejuſdem pietate, ac eximio in explicanda Evangelica veritate zelo jampridem animo fovebamus, cui Eumdem nunc reſponſurum eſſe ſatis Nobis in Domino pollicemur. Spem autem noſtram non abſimile Nobilitatis Tuæ de eo judicium cumulat, gratumque id Tibi accidiſſe, pro Paterna, quâ Te, reſque tuas charitate complectimur, omnino lætamur. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Septembris MDCXCVIII. Pontificatus noſtri Anno octavo.

Ulyſſes Gozzadinus Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. Ad Principes *Reg. menſis, & anni præd. fol.* 113. *Vide tom.* 1. *fol.* 149.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Epiſc., & Regul.

Monaſterium Monialium ſub titulo, & invocatione SS. Nominis Jeſu, Joſephi, & Mariæ, ac ſub ſtrictiori Regula, & primævo inſtituto S. Claræ, cura verò, & gubernio Archiepiſcopi, Florentiæ ſundari conceditur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſa relatione Archiepiſcopi Florentini, referente Eminentiſſimo Paulutio Præfecto, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore commiſit eidem Archiepiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & poſt quam ſibi conſtiterit, Fabricam dicti novi Monaſterii Capucinarum cum Eccleſia, campanili, ſacriſtia, choro, refectoriis, dormitoriis, hortis, & aliis neceſſariis officinis, ſpatiis &c. numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſuppellectili tam ſacra, quam prophana ſufficienter inſtructam, eique annuum perpetuum redditum pro alendis triginta tribus Monialibus verè, & cum effectu fuiſſe aſſignatum, ad præfatam erectionem ſub Titulo, & invocatione SS. Nominis Jeſu, Joſephi, & Mariæ, ac ſub ſtrictiori Regula, & primævo Inſtituto Sanctæ Claræ, & cura, ſubjectione, viſitatione, correctione, & gubernio Archiepiſcopi pro tempore, pro ſuo arbitrio & conſcientia, iuxta ſupradictam Minutam inſtrumenti, noviter exhibitam, ſervatis ſervandis deveniat, cum facultate transferendi de conſenſu Ordinarii, & Monaſterii à quo, ac ipſarum Religioſarum transferendarum, duas, vel tres Moniales Inſtitutrices ejuſdem Regulæ, quæ ibidem per ſexennium, ſi tamdiu pro introducenda, & ſtabilienda Regulari Obſervantia neceſſarium reputabitur, commorentur. Tranſitus autem ipſe recta via, & ſine ulla ad extraneum locum diverſione, comitantibus honeſtis Matronis, ac, ſi commodè fieri poſſit, proximioribus Conſanguineis ipſarum transferendarum fiat. Et in reliquis omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum ſanctimonialium Monaſteriorum erectiones præſcripta ſunt, ad amuſſim ſerventur. Romæ 25. Junii 1723.

F. Card. Paulutius.

Ex Reg. Monialium Secret. Congreg. menſ., & anni præd.

PRO-

PROVINCIA CORSICÆ.

P*Artum hujus, in Regia Maris Liguſtici Inſula concluſæ Provinciæ Ordinis noſtri Annales ad Annum* 1540. *reducunt, eumque parte prima fol.* 281. *ita deſcribunt*: Hoc anno Religio noſtra Fr. Mariani Nebienſis operâ, labore, ac Prædicatione, hanc quoque Inſulam penetrat. Erat Marianus ex Corſica oriundus, eximiuſque Verbi Dei Prædicator, qui, cum Ochini Generalis juſſu in Corſicam navigáſſet, primum Mantinam, ſeu Baſtiam, primarium illius Regni Oppidum, in quo Genuenſis Reipublicæ Præfectus Sedem collocat, Divini Verbi virtute aggreſſus, Populum â graſſantibus odiis, atque vindictæ ſtudio compeſcere cœpit.

Tantis dein, ac tam præclaris apud eos ſanctioris vitæ exemplis cum Socio Fr. Petro â S. Lucia coruſcare cœpit, ut cuncti novum illud, ac mirabile vitæ genus, ab iis inſtitutum ſuſpicientes, Homines ſibi à Deo miſſos, ac veluti è Cœlo delapſos crederent.

Cumque Fr. Marianus â virtute, qua luxit coram hominibus, operarium charitatis zelum non ſepararet, & jam, non ut Hoſpes, & advena, ſed, ut Civis Sanctorum, & Domeſticus Dei contra vitia liberè tonaret, ac animarum ſaluti indefeſſo circuitu invigilaret, evênit, quod prædicti Annales citato loco ita ſubjungunt: Porro hæc pia, atque Evangelicæ Chriſtianæ pietatis officia, quæ Marianus maximo ſtudio, ac labore erga Cyrneum (ſeu Corſum) Populum conferebat, cum Regni Gubernatorem, ac cœteros Urbium Proceres Capucinorum Religioni, ex qua tot ſibi commoda emanare cernebant, mirum in modum benevolos reddidiſſent, inde potiſſimum permoti fuêre, ut Baſtiæ primùm, tum Lurini, Nebii, Caſinghæ, ac Balato Monaſteria Capucinis ædificanda curarent, atque hoc pacto Cyrneæ Provinciæ fundamenta jacta.

Futurum hujus florem non obſcurè præſagyſſe videtur fragrantiſſimi odoris lilium, quod ex humato Fr. Mariani Corpore pullulare admirabundus conſpexit Populus: in illius tamen narrationem excurrere non licèt, cum invida Belli flamma Chronicos libros conſumpſerit, aut aliàs violenta manus diſtraxerit: Ex quo pauca quoque Monumenta Diplomatica de hac Provincia à me ſubjungi nemo miretur.

Continet Domos Fratrum XVII.
Hoſpitia III.

EPI-

E P I S T O L A

Sacræ Congregat. Epiſc., & Regul.

In Cauſa Hoſpitii, à RR. PP. Reformatis Baſtiæ conſtruendi datus Ordinis noſtri conſenſus, variis cautelis circumſcribitur.

IN cauſa PP. Capucinos inter-et PP. Reformatos S. Franciſci vertente, Sacra Congregatio ex conſenſu Procuratorum Generalium, utriuſque Religionis, coram D. Cardinali Gymnaſio, cui hoc negotium fuit commiſſum, præſtito ſtatuit, ut Amplitudo Tua Fratribus Reformatis in Terra Baſtiæ degentibus cum Partis ſatisfactione de Hoſpitio, & valetudinario pro Fratribus infirmis, & itinerantibus, non tamen in illa via, ſeu vico, in quo illud hucuſque conſtruere intendebant, provideat. Si tamen in alia platea commodè fieri non poſſet, in tali caſu PP. Procuratores conveniunt, ut in idæato loco, cum conditionibus ab Amplit. Tua in ſuis ſub 13. Novembris anni elapſi memoratis conſtruatur; videlicet, ut Conventus non fiat, &, ut Fratres, ad illud divertentes, ultra noctem ibi morari nequeant, infirmis, & aliis, purè pro cura, & obſequio neceſſariis exceptis, & inſuper, ut Oratorium pro Miſſis confici, & in eo Sanctiſſimum conſervari valeat, ſine campanili, campana, & ſine ſepultura, cum mortui ad Eccleſiam S. Franciſci portari queant. Quod &c. Romæ VII. Januarii MDCII.
Amplitudinis Tuæ.

Cardinalis Gallus.

Ex Regeſto Sac. Congreg. menſis, & anni præd. fol. 3. à tergo.

N O T A.

IDem diverſis aliis vicibus, videlicet ſub 5. Aprilis 1618., 14. Novembris 1620., 17. Decembris 1632., & 10. Junii 1633. fuit confirmatum, prout Decreta in Regeſtis prædictorum annorum, & in Archivio Generali Ordinis Armario *Provincia Corſicæ* videnda firmant.

E P I S T O L A

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Fratres Charitati ac benevolentiæ Ordinarii Aleríenſis commendantur.

Illuſtris, & A. R. Domine uti Frater.

EXemplum, & fructus ſpiritualis, qui à Religione Capucina quotidie in Vineam Domini redundat, meretur, ut quilibet eam diligat, & honoret. Cum autem referatur, ab Amplitudine Tua è diametro contrarium practicari, prout melius ex adjuncto litterarum exemplari concipiet, Illuſtriſſimi Domini mei, quamvis ad id credendum difficulter induci poſſint, Amplit. Tuam deſuper moneri juſſerunt, prout, & id hiſce confidenter exequor, ut deinceps dictos Dei ſervos Paterni amoris affectu tractet, eoſque, ut in quocunque caſu ſeſe Eidem ſpeciatim obſequentes, & reverentes exhibeant, obliget, cui veram precor proſperitatem. Romæ XXVI. Julii MDCXXVI.

Cardinalis Baldinus.

Proſper Fagnanus.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ., & anni præd.

Domum, & Eccleſiam S. Joſephi in Oppido S. Petri à Fratribus ob aeris intemperiem deſeri, pro nova Domo conſtruenda iis Eccleſiam S. Petri ibidem conſignari, & ab hac onera ad Eccleſiam Parochialem S. Joannis tranſferri &c. ſignat.

Nebienſis.

BEATISSIME PATER.

CUM Eccleſia, & Domus Regularis Ordinis S. Franciſci Fratrum Capucinorum nuncupatorum ſub invocatione S. Joſephi prope, & extra Terram S. Petri Nebienſis Diæceſis extructæ, ob loci, in quo ſitæ ſunt, incommoditatem, & aeris intemperiem non ſolum Fratribus in dicta Domo pro tempore commorantibus, ſed etiam Populo ejuſdem Terræ ſatis incommodæ, & damnoſæ exiſtant, Eccleſia autem S. Petri dictæ Terræ, quæ olim Parochialis erat, cujuſque Parochianorum animarum cura, & titulus ad Eccleſiam S. Ioannis præfatæ Terræ ejus loci, etiam quoad titulum ſuffectam, ad præſens canonicè tranſlata reperitur, ſub clementiori cœlo, & loco Populi hujuſmodi devotioni, & frequentationi magis opportunò ſita ſit, & poſt hujuſmodi translationem, ut præfertur, Eccleſia S. Ioannis *(Conceſſio Eccleſiæ.)*

annis membrum, aut illi annexum, vel ſub illius dependentia remanſerit, & ſi præfata Eccleſia S. Petri unà cum ejus Domo, quatenus adſit, & ſitu illi adjacenti, præfatis Fratribus, ad effectum inibi novam Domum Regularem ejuſdem Ordinis extruendi concederetur, ac Miſſæ, aliaque onera, illi annexa, ad Eccleſiam S. Joannis præfatam transferrentur, aliaque infraſcripta fierent, procul dubio in Eccleſiis S. Joannis, & S. Petri hujuſmodi divini cultûs augumento, præfatorumque Fratrum, & Populi præfati ſpirituali conſolationi, & commoditatibus opportunâ ratione conſuleretur.

Supplicant igitur humiliter Sanctitati Veſtræ devoti illius Oratores, Guardianus & Fratres dictæ Domus, quatenus in præmiſſis opportunè providendo, ipſoſque ſpecialis gratiæ favore proſequendo, à dicta Eccleſia S. Petri Miſſas, ſervitium, onera, ac jura quæcunque ad Eccleſiam S. Ioannis præfatam, & aliquod Altare in ea ſitum, ad id ab Ordinario Loci deſignandum, Apoſtolica Auctoritate, de conſenſu moderni dictæ Eccleſiæ S. Ioannis Rectoris transferre, ipſamque ab omnibus, & quibuſcunque oneribus hujuſmodi liberam unà cum ædificiis, quatenus adſint, ſitu, hortis, terrenis, & quibuſvis pertinentiis, illi adjacentibus, cujuſvis qualitatis, & valoris exiſtant, dictis Guardiano, & Fratribus ad effectum ibidem novam Domum Regularem dicti Ordinis fundandi, ſeu conſtruendi tantum, vice verſa verò præfato Rectori, ejuſque Succeſſoribus Eccleſiam primodictæ Domus Regularis hujuſmodi, prævia in eis dicti Ordinis ſuppreſſione, ſi opus ſit, eam demoliendi, ac ſitum, hortoſque, Domos cum omnibus, & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis, ad effectum ex eorum annuis redditibus, qui ad id ſufficientes erunt, onera dictæ Eccleſiæ S. Petri incumbentia in dicta Eccleſia S. Ioannis, ſeu, ubi opus fuerit, ſupportandi, & adimplendi, aut ſupportari, & adimpleri faciendi, Apoſtolica auctoritate perpetuò reſpectivè concedere, & aſſignare, eiſdemque Oratoribus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus præfata Eccleſia S. Petri præfato Sancto Joſepho dicari, & invocatione S. Joſephi hujuſmodi decorari, & ſic denominari poſſe, & debere, eadem auctoritate concedere, & indulgere; præſentes quoque, & deſuper conficiendas litteras prætextu, quod valor Eccleſiæ S. Petri, & ejus pertinentiarum, præfatorum valorem ſitus, & hortorum, aliorumque jurium, & pertinentiarum præfatæ Eccleſiæ S. Joſephi excedat, aut ex quocumque alio capite impugnari, aut retractari non poſſit: irritum quoque decernere dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & primodictæ Domus Statutis, etiam juramento &c. roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque cum clauſulis opportunis.

Fiat ut petitur M. (ideſt, Maphæus, tunc Urbanus Papa VIII.)

Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum &c., & quod ſingularum Eccleſiarum, illarum pertinentiarum præfatarum ſituationes, confines, vocabula, & denominationes habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis, & de conceſſione, aſſignatione, translatione, indulto, decreto huiuſmodi in literis latiſſimè extendendis & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum etiam denominationibus, qualitatibus, nuncupationibus, invocationibus, ordinationibus, aliorumque neceſſariorum maior, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in literis expediendis, & committatur Ordinario, conſtito ſibi legitimè de præmiſſis, & quoad conceſſionem, & aſſignationem, & novæ Domus Regularis conſtructionem huiuſmodi ſine alicujus præjudicio, & dummodo moderni Rectoris dictæ Eccleſiæ S. Joannis ad hoc accedat aſſenſus, & ſervata forma decreti fel. rec. Clementis Papæ Octavi ſuper novarum Domorum Regularium erectione editi.

Fiat M.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Kalendis Decembris Anno ſeptimo.

Autog. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Corſicæ. *De formulis hujuſmodi ſupplicationum &c. vide notata ſupra fol.* 113.

EPISTOLA

Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regul.

In Civitate Adjacii Conventum erigi, Epiſcopo ibidem committitur.

Illuſtris, & A. Rev. Domine, uti Frater.

CUM Pater Commiſſarius Curiæ Minorum Obſervantium, oppoſitione, quæ à Fratribus ſuis illic facta fuit, non obſtante, conſenſum dederit, ut in illa Civitate Conventus Fratrum Capucinorum juxta pia Populi deſideria fundari, & erigi poſſit, attenta etiam relatione Amplitudinis Tuæ, Illuſtriſſimi Domini

mini mei à me ſcribi juſſerunt quatenus Fratribus Capucinis prædictam Conventus erectionem omnimodè permittat, & inſimul per omnia, quæ ab Ea dependere poſſunt, efficiat, ut legatum mille ſcutorum pro fabrica ejuſdem Conventus, uti præſupponitur, relictum, adimpleatur. Procuret itaque, ut mens Sacræ Congregationis, quæ pro ratione neceſſitatis, Eidem opportunam tribuit deſuper auctoritatem, exactæ detur executioni.

Romæ 17. Auguſti 1632.

Amplitudinis Tuæ

Card. S. Honuphrii.

A. Torniellus.

Ex Reg. Secret. Congr. anni, & menſ. præd. fol. 107.

E P I S T O L A

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Erectionem novi Conventus Curiæ permitti, Epiſcopo Aleriæ pariter mandatur.

Illuſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

Conſtito Amplitudini Tuæ, quod circa erectionem novi Conventus, quem Fratres Capucini in loco Curiæ illius Diœceſ. ædificare intendunt. conſenſum à Patre Procuratore Generali Fratrum Obſervantium habuerint, omnia alia requiſita, à Decretis, & Conſtitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. & noviſſimè à Sanctiſſimo Domino Noſtro præſcripta concurrant, & in ſpecie, quod duodecim Religioſi perpetuò ibi manuteneantur, Eminentiſſimi DD. mei Amplit. Tuæ ſcribi juſſerunt, ut illis hujuſmodi fundationem permittat, removendo omnia impedimenta, & præſtando omne auxilium neceſſarium. Quod &c. Romæ 1. Decembris 1634.

M. Card. Ginettus.

A. Torniellus.

Ex Reg. Secret. Congregat. anni, & menſ. præd. fol. 437.

Duas Domos, unam videlicet in Terra de Fozzano, & aliam in Terra de Ragliano conſtruendi facultatem largitur.

Dilecto Filio Stephano à Cæſena, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miniſtro Generali.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum, ſicut Dilecti Filii Miniſter Provincialis, & Cuſtodes Provinciæ Corſicæ, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi duos novos Conventus Fratrum dicti Ordinis in Provincia prædicta, unum quidem in Terra de Fozzano, alterum verò in Terra de Rogliano, quorum erectionem ad Religionis, & Divini cultus incrementum, ac animarum ſalutem fieri, expedire Definitorium Generale Ordinis prædicti cenſuit, fundare poſſe, ſibique propterea de opportuna à Nobis licentia provideri plurimum deſiderant. Nos ad ea, quæ ſpiritualem Chriſtifidelium utilitatem, atque conſolationem concernunt, ex commiſſi Nobis cœlitus Paſtoralis Officii debito propenſa charitate intendentes, dictoſque Exponentes ſpecialibus &c. volen. & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes ſupplicationibus eorum nomine Nobis &c. inclinati, Tibi memoratos duos novos Conventus, ſervatis aliàs, ex præſcripto Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſervandis, auctoritate noſtra Apoſtolica arbitrio tuo erigendi, & inſtituendi, ſeù erigi, & inſtitui faciendi, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, eadem auctoritate, tenore præſentium, tribuimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Junii MDCLXXI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 33.

N O T A.

Ob varia motiva neuter ex dictis Conventibus fuit constructus.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſc. & Regular. quo in Inſula Corſicæ novas Domos abſque duodecim milliariorum diſtantia à Reverendis Patribus Obſervantibus, Reformatis, & à Noſtratibus fundari prohibetur, confirmat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Miniſtri Provincialis, & Definitorii Provinciæ Corſicæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultat. Epiſcop. & Regular. præpoſitæ expoſito, quod Fratres Reformati dicti Ordinis novum Conventum in Terra Vezzani fundare prætendebant, eaque fundatio in graviſſimum ceſſura erat præjudicium quatuor &c. Conventuum &c. qui intra ſeptimum à Terra prædicta milliare ſiti ſunt, & eadem Terra maxima premebatur inopia, nec Conventus capax erat &c. ac propterea Eidem Congregationi pro parte dictorum Exponentium ſupplicato &c. emanavit à prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet = Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultat. Epiſc. & Regular. præpoſita, partibus auditis &c. referente Eminenentiſſimo Santacrucio, declaravit &c. prædictis Fratribus ſtrictioris Obſervantiæ novum Conventum in loco dictæ Terræ Vezzani &c. erigere minimè licere, ac in poſterum in dicta Corſicæ Inſula pro hujuſmodi fundationibus, tam ab Obſervantibus, quam Reformatis, & Capucinis reſpectivè ſervandam eſſe dictam diſtantiam duodecim milliariorum menſuræ illarum partium &c. = Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes &c. Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus &c. Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Maji MDCLXXIII. Pontificatus noſtri anno quarto.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſis, & anni præd.

DECRETO

Sacræ Congreg. Epiſcop. & Regul.

In quæſtuatione limites Conventuum egredi prohibetur.

SAcra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regularium præpoſita, partibus auditis, atque per Conventionem Procuratorum Generalium amicabilliter compoſitis, Referente Eminentiſſimo Santacrucio declaravit, atque decrevit, ne impoſterum præfatorum (*Obſervantium, & Capucinorum &c.*) Ordinum Conventus proprios ſuos diſtrictus egrediantur, ſed intra ſuos limites ſe ſuoſque contineant, ut ab iis, quibus inſerviunt, ſuſtentari facilius poſſint; nec non, ut, ubi plures inveniuntur Conventus in eodem diſtrictu, inter eoſdem ratio antiquitatis, ac fundationis rationabiliter habeatur, ſicque omnino ſervari mandavit. Romæ 22. Junii 1674.

F. M. Card. Brancatius Præf.

Ex Regeſt. Secret. Congregat. menſ. & anni præd.

NOTA.

SUbortâ ſimili lite inter Religioſos hujus Inſulæ Mendicantes, idem Decretum renovatum eſſe perhibent dictæ Sac Cong. Regeſta, & Documenta in Archivo Generali Ordinis, Armario *Provincia Corſicæ* reſervata.

DECRETO

Ejuſdem Sacræ Congregationis.

Novam Domum Olmetti erigi, & Fratres in illam induci, Epiſcopo loci committitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

PAtres Capucini Provinciæ Corſicæ Humillimi EE. VV. Oratores devotiſſimè exponunt, qualiter a Populo Olmetti Diœc. Adjacii requirantur pro novo Conventu, ad Spiritualia illius commoda inibi fundando. Cumque pro hujuſmodi erectione concurrant tam Conſenſus Parochi, Populi, pro 12. Religioſorum ſuſtentatione neceſſarias eleemoſinas ſubminiſtrare promittentis, & Sereniſſimæ

ſimæ Reipublicæ Januenſis, quàm debita diſtantia locorum, in quibus alii Conventus, quibus dicta fundatio præjudicare poſſet, non reperiuntur, Oratores EE. VV. ſupplicant pro benigniſſima facultate novum Conventum in dicta terra erigendi. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Adjacen. Referente Eminentiſſimo Grimaldo, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore committit eidem Epiſcopo; ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam dicti Conventus cum Eccleſia, Campanili, Choro, ſacrario, refectorio, dormitorio, hortis, officinis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſuppellectili tam ſacra, quam prophana ſufficienter juſtructam, ac ex eleemoſynis piorum Benefactorum inibi duodecim hujuſmodi Religioſi commodè ſuſtentari poſſint, ad petitam erectionem, & Religioſorum prædictorum introductionem pro ſuo Arbitrio, & conſcientia procedat: Ita tamen, ut ea omnia, quæ per Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis circa hujuſmodi novorum Conventuum erectionem præſcripta ſunt, Religiosè ſerventur. Romæ 30. *Aprilis* 1717.

Ferdinandi Card. de Abdua.

J. Archiep. Damaſ. Sec.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſ. & Anni prædict.

Bello, aliiſque circumſtantiis celebrationem Capituli impedientibus, motu proprio Superiores Provinciæ inſtituit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

AD circumſpectam Romani Pontificis, in ſuprema Apoſtolicæ Sedis ſpecula cum poteſtatis plenitudine à Domino conſtituti, ſollicitudinem noſcitur pertinere, ut Religioſorum Virorum, Altiſſimi obſequiis ſub arctioris diſciplinæ inſtituto mancipatorum cœtibus, de idoneis Superioribus, quorum opera ſalubriter adjuvante Domino dirigantur, interdum providere ſtudeat, ſicut perſonarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturè conſideratis, ad Dei gloriam, ac Religionis incrementum, & felicem progreſſum cognoſcit in Domino expedire.

Cum itaque, ſicut accepimus, Provincia Inſulæ Corſicæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum attentis gravibus commotionibus, ſive perturbationibus in eadem Inſula noviſſimè ſecutis notabile incommodum, etiam cum Regularis obſervantiæ detrimento paſſa fuerit, illiuſque populi ſatis depauperati, ac nonnulli Conventus ob bellum, tunc vigens in miſerabilem ſtatum redacti reperiantur, ita ut neceſſarias Eleemoſinas pro celebratione Capituli Provincialis Provinciæ hujuſmodi quæritare difficillimum ſit. Nos felici, proſperoque ejuſdem Provinciæ regimini, & gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de infraſcriptorum ejuſdem Ordinis Profeſſorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis &c. ad effectum &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Dilectum Filium Gulielmum à Speluncato in Miniſtrum Provincialem dictæ Provinciæ Corſicæ, ac Franciſcum à Tomino, Paulum Hieronymum à Baſtia, Paulum Mariam à Lota, ac Seraphinum à Fiumorbo in Difinitores, nec non Aloyſium à Luro, & Petrum Mariam à Calvi Fratres expreſsè Profeſſos dicti Ordinis, in Cuſtodes ejuſdem Provinciæ Corſicæ ad tempus, quo ejuſmodi Officia ſecũdum Regularia Ordinis prædicti inſtituta, per Sedem Apoſtolicam approbata, durare conſueverunt, ſtatim atque Dilecti Filii moderni Provincialis, ac Difinitores, & Cuſtodes Provinciæ hujuſmodi tempus ſuum compleverint, inchoandum, cum omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, authoritate, privilegiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus.

Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis omnibus, & ſingulis Provinciæ prædictæ Superioribus, Fratribus, & Perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut ſupranominatos Fratres ad Officia eis reſpectivè per præſentes demandata, illorumque liberum exercitium juxta earundem tenorem præſentium recipiant, & admittant, illiſque in omnibus, Officia hujuſmodi concernentibus faveant, & aſſiſtant, pareantque, & obediant reſpectivè.

vè. Ac decernentes ipſas præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Fratribus ſupranominatis, & eorum cuilibet in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Januarii MDCCXXXIII. Poutificatus Noſtri Anno tertio.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Corſicæ.

TABULÆ TOPOGRAPHICÆ

In quibus Domus, ſeu Conventus Provinciarum, quarum hic Tomus meminit, latino, & vernaculo nomine indicantur, pariterque Diœceſis Conventuum, & qualitas locorum, in quibus exiſtunt, cum anno fundationis, donationis, vel habitationis annotantur.

ANIMADVERSIO.

C*Irca qualitatem loci reminiſcere eam eſſe vel* Urbem, *vel* Civitatem, *vel* Oppidum, *vel* Pagum, Fortalitium, Caſtrum, Caſtellum, Burgum, *vel* Villam.

Urbs, *ſola Roma, juxta hujus Curiæ Stylum audit, prout & Joan. Kahl in ſuo Lex. Jurid. Tom. 2. fol. 166. verb.* Oppidum *notat*: peculiari ratione Urbs vocari cœpta eſt. *Et quidem, juxta Hier. Rub. Ital., & Raven. Hiſt. Lib.* 1. *fol.* 10. *in princ.* nullo addito nomine. *Temporis ſucceſſu adjuncta ei fuère epitheta,* Illuſtris, Sacræ, & Almæ Urbis, *quod ultimum hodiedum retinet.*

Civitas *juxta dictum Stylum ille duntaxat locus dicitur, in quo Sedes Epiſcopi fixa eſt, hinc Diœceſani* 12. *q.* 2. *can. ſtatuimus,* Civitatenſes *appellantur; ab aliis econtra, præſertim extra Italiam, Civitas appellatur locus, vel qui vallis, mœniis &c. cinctus, vel alicujus Gentis, ſeu Regionis Caput, vel aliàs à Principe titulo, & prærogativa Civitatis eſt inſignitus.*

Oppidum, *quantumvis cum Civitate à pluribus confundatur, ab illius tamen notione deflectere, communius receptum eſt. Circa etymologiam hujus nominis variat Auctorum ſenſus: Ab ope ferenda, vel ſuſtinenda illud origināſſe tenet Calvinus, ſeu Kahl. cit.* verb. Oppidum *dicens*: obtinuit inter juriſconſultos ab ope ferenda, vel ſuſtinenda nomen accepiſſe, *quod in L. Pupillus* 239. *§.* 7. *ff. de verb. ſignif. teſtatur Pomponius, & ex Cicerone Feſtus, itemque tenet M. Varro lib.* 4. *de Lingua Latina. Jam, dum Oppidum, vel ob opes, quibus excedit, vel ob Suburbia, quibus ampliatur, vel ob juriſdictionem, quam exercet, aliis locis quid majus, Civitate autem quid minus, & mœniis plerumque deſtitutum diſperſim lego, in hoc quoque rationem differentiæ ejus, ſalvo judicio meliori conſtituo.*

Pagus *econtra eſt locus in eodem tractu Regionis ſine ullo murorum munitione diſpoſitus. In hujuſmodi Pagos, Provinciarum agros dividi, variè legimus, præſertim autem, Agrum Romanum à Numa Pompilio in Pagos diviſum fuiſſe notat Dionyſius. Italicè æquè ac latinè Pagus aliquando verbo* Terra *exprimitur: ut autem, quod nimis genericum videtur, devitem, loca,* Terræ *ab aliis nuncupata, Pagos ego in ſequentibus Tabulis notabo. Si dein in illis aliquoties Oppidum, & Pagum à me promiſcuè ſumi advertatur, me Provinciis ita dictantibus morem geſſiſſe teneatur.*

Fortalitium, Caſtrum, Caſtellum &c. *quantumvis in rigore ſumpta inter ſe nonnihil differant, à Corographis tamen plerumque inter ſe confundi, & pro* loco ad Urbium, & Statuum ſecuritatem, & defenſionem à Principibus exſtructo *ſumi, certum eſt.*

Huic eidem ſignificato nonnunquam accedit Burgus: *imo Fortalitia, ſeu* Caſtra *in l.* 4. *cap. de Offic. Jud. milit., & lib. Curæ de off. mag. off.* Burgos *appellari*

lari in §. *in Sardinia lib.* 2. *C. de off. Præſ. præt. Afr. citatus Kal.* , *ſeu Calvinus verbo* Burgi *Tom.*1. *fol.* 210. *recenſet* , *& ſcaliger citatus à R.P. Carolo ab Aquino S.I.* in Lexic. milit. v. Burgus *in Auſonium lib.* 11. *cap.* 9. *ait.* , quod Oppidum, quia in modum Caſtrorum horreis publicis, & turribus poſtea amplificatum fuit à Pontio Leontio, *Burgus* appellatum fuit.

Ab hujuſmodi bellico ſenſu recedit Cluverius, qui Burgum ſimplicem conjunctarum Domorum multitudinem *appellat. Inde, quando locus charactere Burgi à me in Tabulis diſcernetur, quonam in ſenſu id ei conveniat, benevolus Lector ex aliis notitiis facilè judicabit.*

Diſtinguunt alii loca Conventuum reſiduo Villæ *titulo, at, cum hæc in ſtricto ſenſu juxta Lexicon Calepini verb. Villa fol.* 550. *ſit* Domus extra Urbem in Agro, agri colendi, aut fructuum colligendorum, aut etiam habitationis cauſa conſtituta, *ac à Columnella lib.* 1. *cap.* 7. *in* Ruſticam, Urbanam, & Fructuariam *diviſa, & Religio noſtra in hujuſmodi Villis, Domos habere non ſoleat, ab iis Villam cum Pago, aut Burgo commiſceri, aut ex Regionis uſu, qui in hac Topographica materia ob diſcordes Auctorum Leges præcipuè, & generatim attendi debet, Villas appellari mihi ſuadeo.*

Ab

PROVINCIA ROMANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. loci.*
Albanum.	*Albano.*	Civitas.	Sedes Ep. Card.	1619.
Aletrium, *ſeu Alàtrium.*	*Alatri.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566.
Anagnia.	*Anagni.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Anticolum.	*Anticoli.*	Oppidum.	Anagnina.	1626.
Aquipendium, *ſeu Acula*	*Aquapendente.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	5751.
Aſpera.	*Aſpra.*	Pagus.	Sabinenſis.	1560.
Balnearia.	*Bagnaia.*	Oppidum.	Viterbienſis.	1540. *in cir.*
Balneoregium.	*Bagnorea.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1586.
Baſſanum.	*Baſſano.*	Oppidum.	Sutrienſis.	1580.
Brigianum.	*Bracciano.*	Oppidum.	Sutrienſis.	1580. *in cir.*
Campaneanum.	*Campagnano.*	Oppidum.	Sutrienſis, Nepienſi unita.	
Caſtrum Vetus.	*Caſtel Vecchio.*	Pagus.	Reatina.	1729.
Centumcellæ.	*Cività Vecchia.*	Oppidum.	Viterbienſis.	1713.
Civitas Caſtellana, *ſeu Feſcennium.*	*Cività Caſtellana.*	Civitas.	Sed. Epiſc. unita Hortanæ.	1577.
Civitas Ducalis.	*Cività Ducale.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1569.
Collis Vetus.	*Colle Vecchio.*	Pagus.	Sabinenſis.	1579.
Cyntianum.	*Genzano.*	Oppidum.	Albanenſis.	1636.
Farneſium.	*Farneſe.*	Oppidum.	Aquipend.	1585.
Ficullum.	*Ficulle.*	Oppidum.	Urbis Veteran.	1570. *in cir.*
Galleſium.	*Galleſe.*	Oppidum.	Civit. Caſtel.	1550.
Horta, ſeu Hortaum.	*Ortè.*	Civitas.	Sed. Epiſ. unita Civit. Caſtell.	1596.
Mons Flaſconis.	*Monteſiaſcone.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1579.
Mons eretus, *ſeu Eretum.*	*Monte Rotondo.*	Oppidum.	Sabinenſis	1609.
Mons S. Joannis.	*Monte S. Gio:*	Pagus.	Verulana.	1537.
Oropitum, *ſeu Urbs Vetus.*	*Orvieto.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1568.
Palianum.	*Paliano.*	Oppidum.	Præneſtin.	1555.
Præneſte.	*Paleſtrina.*	Civitas.	Sed. Epiſc. Card.	1570.
Privernum.	*Piperno.*	Civitas.	Sed. Epiſc. unita Terracinen.	1600.
Reate.	*Rieti.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1578.
Rianum.	*Riano.*	Pagus.	Portuen.	1582.
Roma.	*Roma.*	Urbs.	Sedes Papæ.	1626.
Runcilionum.	*Ronciglione.*	Oppidum.	Nepien. Sut. unit.	1638.
Scaptinea.	*Scandriglia.*	Pagus.	Sabinenſis.	
Sermoneta.	*Sermoneta.*	Oppidum.	Terracinenſis.	1581.
Setia.	*Sezze.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1612.
Signia.	*Segni.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1594.
Sublacum.	*Subjaco.*	Abbatia.	Terracinen.	1587.
Tibur.	*Tivoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1603.
Tulſa.	*Tolſa.*	Oppidum.	Sutrienſis.	1622.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus ſund.*
Tuſculum.	*Fraſcati.*	Civitas.	Sed. Epiſc. Card.	1575.
Velitrum.	*Velletri.*	Civitas.	Sed. Epiſc. Card.	1609.
Vetralla, *ſeu Forum Caſsii.*	*Vetralla.*	Oppidum.	Viterbienſis.	1584.
Viterbium.	*Viterbo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1589.
Num. 43.				

Præter Miſſionem Regni Congi

Miſſio ſtabilis,

Seu Cura Spiritualis Remigum, Mancipiorum &c.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Centum Cellæ.	*Cività Vecchia.*	Oppidum Maritimum.

Hoſpitia pro Itinerantibus &c.

Cryptæ S. Laurentii.	*Grotte di S. Lorenzo*	Pagus.
Terracina.	*Terracina.*	Civitas.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Roma *in Monte Quirin.*	*Roma* Monte Cav.	Corpus Chriſti.	xxxx.	Stricta.
Roma *In Campo Carleo.*	NelCampo Carleo	S. Urbanus.	xxxv.	Stricta.

Sigillum *Sanctus P. Franciſcus Sacra Stigmata recipiens.* Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA S. P. FRANCISCI.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus ſund.*
Abbatia Ferentilli.	*Badia di Ferentillo.*	Pagus.	Aſculana.	1580.
Amatrix.	*Amatrice.*	Pagus.	Aſculana.	1569.
Ameria.	*Amelia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	. . . . .
Aſſiſium.	*Aſſiſi.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1593.
Biturgium.	*Borgo S. Sepolcro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1606.
Canaria.	*Canara.*	Pagus.	Aſſiſienſis.	1587.
Caſſia.	*Caſcia.*	Pagus.	Spoletana.	1562.
Citernum.	*Citerna.*	Oppidum.	Typhernat.	1579.
Civitas Plebis.	*Città della Pieve.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1620.
Collis Piperis, *ſeu Priapi.*	*Colle di Pepe.*	Pagus.	Tudertina.	1530. *incir.*
Eugubium.	*Gubbio.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1635.
Fulgineum.	*Foligno.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1561.
Hiſpellum.	*Spello.*	Oppidum.	Spoletana.	1622.
Interamna.	*Terni.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1589.
. . . . Romita.				1530.
Leoniſſa	*Lioniſſa.*	Pagus.	Spoletana.	1571.
Lunianum	*Lugnano.*	Pagus.	Amerien.	1579.
Mons Caſalis.	*Monte Caſale.*	Solitudo.	Biturgien.	1535.
Mons Faliſcus.	*Monte Falco.*	Oppidum.	Spoletana.	1561. *incir.*
Mons Malbæ.	*Monte Malbi.*	Solitudo.	Peruſina.	1538.
Mons Regalis.	*Monte Reale.*	Oppidum.	Reatina.	1578.
Montonum.	*Montone.*	Pagus.	Typhernat.	1568.
Muſinia, *ſeu Mevagna.*	*Bevagna.*	Oppidum.	Spoletana.	1564.
Narnia.	*Narnia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1604.
. . . . . S. Crucis				1537.
Nuceria.	*Nocera.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1568.
Nurſia.	*Norcia.*	Oppidum.	Spoletana.	1538.
Panicalis.	*Panicale.*	Pagus.	Civit. Plebis.	1554.
Paſſinianum.	*Paſſignano.*	Pagus.	Peruſina.	1564.
Peruſia.	*Perugia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1573.
Portaria.	*Portaria.*	Pagus.	Spoletana.	1535.
Sellanum.	*Sellano.*	Pagus.	Spoletana.	1550. *incir.*
Spoletum S. Antonii.	*Spoleto.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
. . . . S. Annæ.				
Trebium.	*Trevi.*	Pagus.	Spoletana.	1554. & 1615.
Tudertum.	*Todi.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1571.
Tiphernum S. Antonii.	*Città di Caſtello.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1589.
. . . . . S. Joſephi.				1548. *in cir.*
Validum.	*Gualdo.*	Pagus.	Nucerinen.	1566.
Vectonium.	*Bettona.*	Pagus.	Aſculana.	. . . . .
Viſſo.	*Viſſo.*	Pagus.	Spoletana.	1550.

Hoſpitia pro Itinerantibus, Concionantibus, & Quæſtuantibus Extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Accumulus.	*Accumulo.*	Pagus.
Aqua Sparta.	*Acqua Sparta.*	Pagus.
S. Geminus.	*S. Gemini.*	Pagus.
Pedelucus.	*Piedeluco.*	Pagus.
Utriculum.	*Vtricoli.*	Pagus.

Monaſteria Monialium.

Locus Latinè.	*Locus Italicè.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monialiũ*	*Qualitas Regulæ.*
Biturgium.	*Borgo S. Sepolcro.*	S. Martha.	XXII.	Privilegiata.
Caſſia.	*Caſcia.*	S~ma Trinitas.	XX.	Stricta.
Eugubium.	*Gubbio.*	Bonus Jeſus.	XXX.	Stricta.
Leoniſſa.	*Lioneſſa.*	S. Clara.	XXII.	Privilegiata.
Mons Caſtrillorum.	*Monte Caſtrilli.*	S. Clara.	XXII.	Privilegiata.
Peruſia *primum*.	*Perugia.*	*Olim* S. Muſtiola, *nunc* S. Clara.	XXXXV.	Stricta.
Secundum Orphanarum.		S. Maria.	XXXII.	Privilegiata.
Typhernum.	*Città di Caſtello.*	S. Martinus.	XXXII.	Privilegiata.

Sigillum *Sanctus P. Franciſcus Crucem manu portans.* Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA MARCHIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus ſund.*
Æſium.	*Jeſi.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1541.
Amandula.	*Amandola.*	Oppidum.	Firmana.	1540.
S. Anatolia.	*S. Natolia.*	Oppidum.	Camerinenſis.	1615.
Ancona.	*Ancona.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1554.
S. Angelus in Vado.	*S. Angelo in Vado.*	Civitas.	Sedes Epiſc. unita Urbaniæ.	1538.
Apirum.	*Apiro.*	Oppidum.	Camerinenſis.	1587.
Aſculum.	*Aſcoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1572.
Auximum.	*Oſimo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1578.
Callium.	*Cagli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566.
Camerinum.	*Camerino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1528.
Cingulum.	*Cingoli:*	Civitas *olim*	Sedes Epiſcopi.	1569.
Civitas Novana.	*Cività nuova.*	Oppidum	Firmana.	1550.
Corinaltum.	*Corinaldo.*	Oppidum.	Senogallien.	1540.
S. Elpidius.	*S. Lupidio.*	Oppidum.	Firmana.	1570.
Fabrianum.	*Fabriano.*	Civitas *olim*	Sedes Epiſcopi.	Pr. ..... ſec. 1592.
Fanum.	*Fano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1535.
Firmum.	*Fermo.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1540.
Forum Sempronii.	*Foſſombrone.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1529.
S. Ginneſius.	*S. Gineſio.*	Oppidum.	Camerinen.	1577.
Grataria.	*Gradara.*	Oppidum.	Piſauren.	1564.
Lauretum.	*Loreto.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1608.
Laurum.	*Loro.*	Oppidum.	Firmana.	1567.
Macerata.	*Macerata.*	Civitas.	Sedes Epiſc. unita Tolentinæ.	1540.
S. Marinus.	*S. Marino.*	Reſpublica.	Pennen.	1549.
Matelica.	*Matelica.*	Oppidum.	Camerinen.	1530.
Mons avium.	*Mondavio.*	Oppidum.	Fanenſis.	1577.
Mons Body.	*Monte Alboddo.*	Oppidum.	Senogallien.	Pr. .... ſec. 1590.
Mons Filotrani.	*Monte Filotrano.*	Oppidum.	Auximana.	1569.
Mons Florum.	*Monte Fiore.*	Oppidum.	Ariminenſis.	1576.
Mons Georgius.	*Monte Giorgio.*	Oppidum.	Firmana.	1586.
Mons Granarius.	*Monte Granaro.*	Oppidum.	Firmana.	1568.
Mons Sanctus.	*Monte Santo.*	Oppidum.	Eadem.	1568.
Mons vetus.	*Monte vecchio.*	Oppidum.	Foroſempron.	1530.
Mons Ulmi.	*Monte dell' Olmo.*	Oppidum.	Firmana.	1544.
Montecchium.	*Montecchio.*	Oppidum.	Camerinen.	1573.
Murrus Vallium.	*Morro di Valle.*	Oppidum.	Firmana.	1578.
Offida.	*Offida.*	Oppidum.	Aſculana.	1614.
Pergula.	*Pergola.*	Oppidum.	Eugubina.	1603.
Petra rubea.	*Pietra Rubia.*	Caſtrum.	Pennen.	1531.
Piſaurum.	*Peſaro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.

Reci-

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Recinetum.	*Recanati.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1558.
Ripa Tranſonis.	*Ripa Tranſona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Rupis contracta.	*Rocca contrada.*	Oppidum.	Senogallien.	1570.
Sarnanum.	*Sarnano.*	Oppidum.	Camerinen.	1559.
Saxum ferratum.	*Saſſo ferrato.*	Oppidum.	Nucerina.	1565.
Scapetianum.	*Scapezzano.*	Oppidum.	Senogallien.	*Pr.* ..... *ſec.* 1653.
Senogallia.	*Senigallia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1560.
S. Severinus, *ſeu Septempeda.*	*S. Severino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Tolentinum.	*Tolentino.*	Civitas.	Sedes Epiſc. unita Macerat.	1539.
S. Victoria.	*S. Vittoria.*	Oppidum.	Firmana.	1578.
Urbania, *olim Caſtrum Durantis.*	*Vrbania.*	Civitas.	Sedes Epiſc. unita S. Angel.	1581.
Urbinum.	*Vrbino.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1555.

Miſſio extra Provinciam in toto Regno Thibeti.

Hoſpitia pro Itinerantibus &c. Extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italicum.*	*Qualitas Loci.*
Caſtrum Ferettorum.	*Caſtel Feretti.*	Pagus.
Corburdolum.	*Colbarduli.*	Pagus.
Muccia.	*Muggia.*	Pagus.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Reg.*
Auximum.	*Oſimo.*	B.V. de Compaſs.		Privilegiata.
Fabrianum.	*Fabriano.*	S. Joſephus.		Stricta.
Firmum.	*Fermo.*	S. Hieronymus.		Stricta.
Macerata.	*Macerata.*	S. Vincentius.		Capucin. Nom.
Montecchium.	*Montecchio.*			Privilegiata.
Recinetum.	*Recanati.*	S. Clara.		Stricta.
Scapezzanum.	*Scapezzano.*			Privilegiata.

Sigillum *S. Domus Lauretana in aere cum S. Franciſco infra eam genuflexo.* Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA BONONIENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. loci.*
S. Agatha.	*S. Agata.*	Pagus.	Pennen.	1575.
S. Archangelus.	*S. Arcangelo.*	Pagus.	Ariminen.	1654.
Argentia	*Argenta.*	Oppidum.	Ravennat.	1569.
Ariminum.	*Rimini.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	*Pr.* 1564. *ſec.* 1605.
Bononia.	*Bologna.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1553.
Britinorium.	*Bertinoro.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1539.
Butrium.	*Budrio.*	Caſtrum.	Bononien.	1562.
Cæſena.	*Ceſena.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1559.
Cæſenaticum.	*Ceſenatico.*	Oppid. Mar.	Cæſena.	1617.
Caſtrum Bononienſe.	*Caſtel Bologneſe.*	Caſtrum.	Faventina.	1581.
Caſtrum S. Petri.	*Caſtel S. Pietro.*	Caſtrum.	Bononien.	1628.
Centum.	*Cento.*	Oppidum.	Bononien.	1583.
Comaclum.	*Comacchio.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1570.
Concordia	*Concordia.*	Oppidum.	Regien.	1616.
Criſpinum.	*Criſpino.*	Oppidum.	Ravennat.	1723.
Faventia.	*Faenza.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1571.
Ferraria.	*Ferrara.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1612.
Forolivium.	*Forlì.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1556.
Imola.	*Imola.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1592.
S. Joan. in Perſiceto.	*S. Giovanni.*	Pagus.	Bononien.	*Pr.* 1580. *ſec.* 1633.
Lugum.	*Lugo.*	Oppidum.	Imolen.	1576.
Mirandula.	*Mirandola.*	Civitas Ducal.	Regien.	1590.
Mutigliana.	*Modigliana.*	Oppidum.	Faventina.	1561.
Ravenna.	*Ravenna.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1570.
Tiberiacum.	*Bagnacavallo.*	Oppidum.	Faventina.	1583.
Veruculum.	*Verucchio.*	Oppidum.	Ariminenſis.	1580.

Hoſpitia pro Itinerantibus.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Cervia Nova.	*Cervia.*	Civitas.
Croceta.	*Crocetta.*	Pagus.
Lungaſtrinum.	*Longaſtrino.*	Pagus.
Lonzanum.	*Lonzano.*	Pagus.
Malalbergum.	*Malalbergo.*	Pagus.
Forum Sarzin.	*Mercato.*	Oppidum.
S. Albertus.	*S. Alberto.*	Pagus.
Panzanum.	*Panzano.*	Pagus.
Pons Lacus obſcuri.	*Ponte di Lago ſcuro.*	Pagus.
Traghettum.	*Traghetto.*	Pagus.
Virgatum.	*Vergato.*	Pagus.

Pro

Pro Quæſtuantibus.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Balneara.	*Bagnara.*	Oppidum.
Buſcus.	*Boſco.*	Pagus.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Tilul. Eccleſiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qual. Regul.*
Bononia.	*Bologna.*	S. Clara.		Privilegiata.
Cæſena.	*Ceſena.*			Stricta.
Ferraria.	*Ferrara.*			Stricta.
Forolivium.	*Forlì.*		xxII.	Privileg.
Imola.	*Imola.*	SS. Trinitas.		Privileg.
Ravenna.	*Ravenna.*	S·Petrus Dam.	xxIII.	Stricta.

Sigillum *Sanctus P. Franciſcus Genuflexus tenens manu Crucem.* **Provinciæ.**

PRO-

PROVINCIA LOMBARDIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Aquanigra.	*Acquanera.*	Oppidum.	Mantuana.	....
Bozulum.	*Bozolo.*	Oppidum *aliis Civitas.*	Cremonenſis.	1581.
Burgum S. Donnini.	*Borgo S. Donnino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	*Pr.* 1574. *ſec.* 1582.
Buxetum.	*Buſſeto.*	Civitas ex uſu.	Burg. S.Donnini.	*Pr.* 1587. *ſec.* 1684.
Carpum.	*Carpi.*	Oppidum.	Nullius.	1585.
Caſale Majus.	*Caſal Maggiore.*	Oppidum.	Cremonenſis.	*Pr.* 1575. *ſec.* 1695.
Caſtrum novum Caſaroniæ.	*Caſtel Nuovo di Carſagnana.*	Oppidum.	Lucenſis.	1634.
Caſtrum S. Joannis de Olubra.	*Caſtel. S.Giovanni.*	Oppidum.	Placentina.	1621.
Caſtellio Stiverorum.	*Caſtiglione delle Stiviere.*	Oppidum.	Brixienſis.	1606.
Corrigium.	*Correggio.*	Oppidum.	Reg. Lepid.	1601.
Finalis Mutinæ.	*Finale di Modena.*	Oppidum.	Mutinen.	1575.
Fidentiola.	*Fiorenzuola.*	Oppidum.	Placentina.	1618.
Fonſvivus.	*Fontevivo.*	Villa.	Nullius.	1605.
Goitum, *vel Godium.*	*Goito.*	Civitas.	Mantuana.	1606.
Guaſtallium.	*Guaſtalla.*	Oppidum.	Nullius.	1591.
Hoſtilia.	*Oſtiglia.*	Oppidum.	Veronenſis.	1579.
Mantua.	*Mantova.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	*Pr.* 1535. *ſe.* 1610.
S. Martinus Eſtenſis.	*S. Martino d' Eſte.*	Oppidum.	Reg. Lepid.	1614.
Mutina.	*Modena.*	Civitas.	Sedes Epſcopi.	1568.
Monticelli.	*Monticelli.*	Oppidum.	Burg. S.Donnini.	1705.
Novellaria.	*Novellara.*	Oppidum.	Reg. Lepid.	1603.
Parma.	*Parma.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Placentia.	*Piacenza.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1568.
Regium Lepidi.	*Reggio.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1574.
Sabloneta.	*Sabbioneta.*	Oppidum.	Cremonenſis.	1574.
Saxolum.	*Saſſuolo.*	Oppidum.	Reg. Lepid.	*Pr.* 1589. *ſe.* 1733.
Scandianum.	*Scandiano.*	Oppidum.	Reg. Lepid.	1623.
S. Secundus.	*S. Secondo.*	Oppidum.	Parmenſis.	1602.
Sermetum.	*Sermide.*	Oppidum.	Mantuana.	1647.
Vineola.	*Vignola.*	Oppidum, *ex uſu Civitas.*	Mutinenſis.	1698.
Vitelliana.	*Viadana.*	Oppidum.	Cremonenſis.	1593.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Carpum.	*Carpi.*			Tertii Ord.
Fananum.	*Fanano.*			Tertii Ord.
Guaſtallium.	*Guaſtalla.*	ChriſtusCrucifix.		Stricta.
Mantua.	*Mantova.*			Stricta.
Parma *Primus.*	*Parma.*	S. Maria ad Niv.	XXXIII.	Stricta.
— *Secundus.*	—	B. V. de Compaſſione.		Stricta.
Placentia.	*Piacenza.*	S. Carolus.	XXXIII.	Stricta.
Regium Lepidi.	*Reggio.*			Privilegiata.

Sigillum

S. P. Franciſcus
genuflexus, &
ante Imaginem
Beatæ Virginis
Immaculatæ
Crucem bajulans.

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA VENETA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Alma Vangaditienſis.	*Badia.*	Pagus.	Nullius.	1628.
Arx Jani.	*Arzignano.*	Pagus.	Vicentina.	1593.
Aſylum.	*Aſolo.*	Oppidum.	Tarviſina.	1582.
Atheſtis.	*Eſte.*	Oppidum.	Patavina.	1589.
Baſſanum.	*Baſſano.*	Oppidum.	Vicentina.	1565.
Bellunum.	*Belluno.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1605.
Caprinum.	*Caurino.*	Pagus.	Veronenſis.	1636.
Caſtrum Francum.	*Caſtelfranco.*	Oppidum	Tarviſina.	1575.
Clodia.	*Chiozza.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1581.
Coniglianum.	*Conegliano.*	Oppidum.	Cenetenſis.	1589.
Forum Julii.	*Cividal del Friuli.*	Oppidum.	Aquilejenſis.	1615.
Glemona.	*Lemona.*	Pagus.	Aquilejenſis.	1661.
Juſtinopolis.	*Capo d' Iſtria.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1621.
Lendinaria.	*Lendinara.*	Oppidum.	Adrienſis.	1604.
Leonicum.	*Lonigo.*	Pagus.	Vicentina.	1644.
Meſtræ.	*Meſtre.*	Pagus.	Tarviſina.	1611.
Monsfortis.	*Monteforte.*	Pagus.	Veronenſis.	1566.
Montaneana.	*Montagnana.*	Oppidum.	Patavina.	1590.
Opitergium.	*Oderzo.*	Oppidum.	Cenetenſis.	1575.
Palma.	*Palma.*	Fortalitium.	Aquilejenſis.	1605.
Patavium.	*Padova.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1537.
Piſcaria.	*Peſchiera.*	Fortalitium.	Veronenſis.	1588.
Portus Naonis.	*Pordenone.*	Oppidum.	Aquilejenſis.	1565.
Portus gruarius.	*Portogruaro.*	Oppidum.	Concordienſis.	1572.
Rhodygium.	*Rovigo.*	Civitas.	Adrienſis.	1568.
Sacilum.	*Sacile.*	Oppidum.	Aquilejenſis.	1609.
Seledum.	*Schio.*	Pagus.	Vicentina.	1537.
Serravallum.	*Seravalle.*	Oppidum.	Cenetenſis.	1605.
Tarviſium.	*Treviſo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1541.
Thienæ.	*Tiene.*	Pagus.	Patavina.	1609.
Vallis Duplavenis.	*Valdebiadene.*	Pagus.	Patavina.	1601.
Venetiæ.	*Venezia.*	Reſpublica.	Sedes Patriarchal.	1541.
Verona.	*Verona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1536.
Vicentia.	*Vicenza.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1588.
Villafranca.	*Villaf[illegible]ca.*	Pagus.	Veronenſis.	1540.
Utinum.	*Udine.*	Civitas.	Sedes Patriarch. Aquilejenſis.	1542.

Miſſiones ſtabiles in Dalmatia.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italicum.*	*Qualitas Loci.*
Caſtrum novum.	*Caſtelnuovo.*	Fortalitium.
Jadera.	*Zara.*	Civitas.
Spalatum.	*Spalatro.*	Civitas.

Hoſpitia pro Itinerantibus, Quæſtuantibus &c.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italicum.*	*Qualitas Loci.*
S. Ambroſius, ſeu Domiera.	*S. Ambrogio.*	Pagus.
Caprulæ.	*Caorle.*	Civitas.
Colonia.	*Cologna.*	Civitas Ducal.
Gradus.	*Grao.*	Civitas.
Maranum.	*Marano.*	Fortalitium.
Piranum.	*Pirano.*	Oppidum.
Sedes Jani.	*Sederliano.*	Oppidum.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Reg.*
Cittadella.	*Cittadella.*	Spiritus Sanctus.	xxxiii.	Privilegiata.
Clodia.	*Chiozza.*	S. Corpus Domini.	xxxiii.	Stricta.
Colonia.	*Cologna.*	S. Petrus Apoſt.		Privilegiata.
Patavium.	*Padova.*	Præſent. B.M.V.		Stricta.
Tarviſium.	*Treviſo.*	S. Corpus Domini.		Stricta.
Valdagnum.	*Valdagno.*	D. Joſephus.		Stricta.
Venetiæ.	*Venezia.*	Aſſumpt B.M.V,		Stricta.
.... Inſula Gratiarum.	......	S. Maria Gratiarū.		Stricta.
.... Prope Caſtellum.	......	Immac. Conceptio		Privilegiata.
Vicentia.	*Vicenza.*	Immac. Conceptio	xx.	Privilegiata.
Utinum.	*Udine.*	B. V. Lauretana.		Stricta.

Sigillum *Sanctus Antonius lilium manu tenens.* **Provinciæ.**

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Abbiatum.	*Abbiate graſſo.*	Oppidum.	Mediolanen.	1584.
Alexandria.	*Aleſſandria della Paglia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	
Arona.	*Arona.*	Fortalitium.	Mediolanen.	1571.
Bellatium.	*Bellagio.*	Pagus.	Comenſis	1610.
Bigorium.	*Bigorio.*	Pagus.	Mediolanen.	1535.
Canobium.	*Canobio.*	Oppidum.	Mediolanen.	1569.
Cardanum.	*Cardano.*	Oppidum.	Mediolanen.	1571.
Caſale Piſtorlengorum.	*Caſale Piſtorlengo.*	Oppidum.	Laudenſis.	1574.
Caſſinum.	*Caſſine di Strada.*	Pagus.	A quenſ.	1619.
Caſſanum Abduæ.	*Caſſano d'Ada.*	Oppidum.	Cremonen.	1699.
Caſtellatium.	*Caſtellazzo.*	Pagus.	Alexandrin.	1609.
Caſtrum novum.	*Caſtelnuovo.*	Pagus.	Tertonen.	1587.
Cerrum.	*Cerro.*	Pagus.	Mediolanen.	1583.
Clavena.	*Chiavena.*	Oppidum.	Comenſis.	1640.
Comum, *ſive Novicomum.*	*Como.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	*Pr.* 1638. *ſec.* 1718.
Cremona.	*Cremona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566.
Domaſium.	*Domaſo.*	Pagus.	Comenſis.	1575.
Domus Oſſolæ.	*Duomo d' Oſſola.*	Fortalitium.	Novarien.	1614.
Erba.	*Erba.*	Oppidum.	Mediolanen.	1536.
Faidum.	*Faido.*	Pagus.	Mediolanen.	1607.
Lauda.	*Lodi.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1565.
Leucum.	*Lecco.*	Fortalitium.	Mediolanen.	1575.
Locarnum.	*Locarno.*	Oppidum.	Comenſis.	1602.
Luganum.	*Lugano.*	Oppidum.	Comenſis.	1566. & 1645.
Mediolanum Immac. Conceptionis.	*Milano.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1593.
...... S. Victoris.	......*S. Vittore.*	.....	....	1542.
Melegnanum.	*Melegnano.*	Oppidum.	Mediolanen.	1577.
Mendriſium.	*Mendriſio.*	Oppidum.	Comenſis.	1621.
Modoetia.	*Monza.*	Civitas.	Mediolanen.	1539.
Morbinium.	*Morbegno.*	Oppidum.	Comenſis.	1632.
Meltium.	*Melzo.*	Oppidum.	Mediolanen.	1573.
Meratum.	*Merate.*	Pagus.	Mediolanen.	1579.
Novaria.	*Novara.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1563. & 1600.
Olegium.	*Oleggio.*	Oppidum.	Novarien.	1611.
Orta.	*Orta.*	Oppidum.	Eadem.	1590.
Pallantia.	*Pallanza.*	Oppidum.	Eadem.	1618.
Papia, *ſive Ticinum.*	*Pavia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1557.
Piceleo.	*Pizzigatone.*	Fortalitium.	Cremonen.	1584.

Por-

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Porletia	*Porlezza.*	Pagus.	Mediolanen.	1540.
Raudium.	*Rhò.*	Oppidum.	Eadem.	1609.
Romanianum.	*Romagnano.*	Oppidum.	Novarien.	1641.
Serravallis.	*Serravalle.*	Fortalitium.	Tertonen.	1619.
Soreſina.	*Soreſina.*	Oppidum.	Cremonen.	1580.
Sundrium.	*Sondrio.*	Pagus.	Comenſis.	1628.
Tertona.	*Tortona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1682.
Tradatum.	*Tradate.*	Pagus.	Mediolanen.	1642.
Valentia ultra Padum.	*Valenza del Pò.*	Fortalitium, & Civitas.	Pavienſis.	1586. & 1635.
Vareſium.	*Vareſe.*	Oppidum.	Mediolanen.	1562.
Vartium.	*Varzi.*	Pagus.	Tertonen.	1623.
Veranum.	*Verano.*	Pagus.	Mediolanen.	1590.
Viglevanum.	*Vigevano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1539. & 1609.
Vigueria.	*Voghera.*	Civitas.	Tertonen.	1543. 1584. & 1593.

Miſſiones Stabiles.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Cama.	*Cama.*	Pagus.
Gronum.	*Grono.*	Pagus.
Loſtalum.	*Loſtalo.*	Pagus.
S. Maria de Calanca.	*S. Maria di Calanca.*	Pagus.
Meſocum.	*Meſoco.*	Pagus.
Mons S. Gotthardi.	*Monte S. Gottardo.*	Mons.
Roburetum.	*Rovoredo.*	Pagus.

Hoſpitia pro Itinerantibus, & Queſtuantibus &c.


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Airolum.	*Airolo.*	Pagus.
Bellinzona.	*Bellinzona.*	Oppidum.
Binaſchum.	*Binaſco.*	Pagus.
Buſalora.	*Boſalora.*	Pagus.
Buſtum.	*Buſto.*	Burgus.
Onnum.	*Onno.*	Pagus.
Varallum.	*Verallo.*	Burgus.
Vogogna.	*Vogogna.*	Pagus.

MO-

Monaſteria Monialium.

Locus Latinè.	*Locus Italicè.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Burgum S. Angeli.	*Borgo S. Angelo.*	SS. Sacramentũ.		Tertii Ordinis.
Comum.	*Como.*	S. Carolus.		Stricta.
Cremona.	*Cremona.*	S. Thomas.		Stricta.
Lauda.	*Lodi.*	Immaculata Conceptio.		Stricta.
Mediolanum.	*Milano.*	S. Praxedes.		Stricta.
. . . . . .	. . . . .	S. Barbara.		Stricta.
. . . . . .	. . . . .	S. Mariæ Angelor.		Stricta.
Novaria.	*Novara.*	Viſitatio B.M.V.		Stricta.
Pavia.	*Pavia.*	SS. Sacramentũ.		Stricta.

Sigillum



Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA BRIXIENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Abbatia.	*Abbadia.*	Pagus.	Brixienſis.	1636.
Albinum.	*Albino.*	Oppidum.	Bergomenſis.	1615.
Aliminum.	*Almeno.*	Oppidum.	Eadem.	1586.
Bergomum.	*Bergamo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1535.
Bovinium.	*Bovegno.*	Oppidum.	Brixienſis.	1610.
Brenum.	*Breno.*	Oppidum.	Ejuſdem.	1586.
Brixia.	*Breſcia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1588.
Caravagium.	*Caravaggio.*	Oppidum.	Cremonenſis.	1606.
Caſalis Maurus.	*Caſal Moro.*	Pagus.	Nullius, ſub Abbatia Aſulana.	1590.
Coloneæ *arum.*	*Cologne.*	Locus Mont.	Brixienſis.	1568.
Crema.	*Crema.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Drugolum.	*Drogolo.*	Pagus.	Brixien.	1571.
Edulum.	*Edolo.*	Pagus.	Eadem.	1606. vel 1608.
Gambara.	*Gambara.*	Pagus.	Eadem.	1588.
Gargnanum.	*Gargnano.*	Pagus.	Eadem.	1612.
S. Joannes Albus, *ſeu Blancus.*	*S. Giovanni Bianco.*	Pagus.	Eadem.	1640.
Iſæum.	*Iſeo.*	Oppidum.	Eadem.	1585.
Manerbium.	*Manerbio.*	Pagus.	Eadem.	1592.
Mons Clarus.	*Monte Chiaro.*	Oppidum.	Eadem.	1589.
Rezatum *ſeu Reatinum.*	*Rezzato.*	Pagus.	Eadem.	1571.
Ripalta.	*Rivolta.*	Pagus.	Cremonenſis.	1606.
Rumanum.	*Romano.*	Oppidum.	Bergomen.	1577.
Salodium.	*Salò.*	Oppidum.	Brixienſis.	1580.
Soncinum.	*Soncino.*	Oppidum.	Cremonenſis.	1575.
Superum.	*Sovere.*	Oppidum.	Bergomen.	1575.
Terentianum.	*Trenzano.*	Pagus.	Brixien.	1664.
Tiranum.	*Tirano.*	Oppidum.	Comenſis.	1627.
Tranſcherium.	*Treſcore.*	Pagus.	Bergomenſis.	1580.
Trivilium.	*Triviglio.*	Pagus.	Mediolanen.	1585.
Vertua.	*Vertova.*	Pagus.	Bergomen.	1576.
Veſtonum.	*Veſtone.*	Pagus.	Brixien.	1603.
Virola.	*Virola.*	Pagus.	Eadem.	1608.

Miſſiones Stabiles.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Almennum.	*Almenno.*	Pagus.
Bivium.	*Bivio.*	—
Camonſium.	*Camons.*	—
Caſtinũ *vel Imo Caſtrũ.*	*Caſtino.*	Pagus.

Com-


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Combelum.	*Combel.*	Pagus.
Alvegninum.	*Dalvegnino.*	Pagus.
Alveſagnum.	*Dalvezagno.*	Pagus.
Daniſium.	*Danis.*	Pagus.
Diſſertina.	*Diſentis.*	Oppidum.
Molandinum.	*Molini.*	Pagus.
Sagagnum.	*Sagagno.*	Pagus.
Savicinum.	*Savieano.*	Pagus.
Summus Vicus.	*Sommovico.*	Pagus.
Soveninum.	*Sovegnino.*	Pagus.
Tinizzona.	*Tinizzone.*	Pagus.
Tumilium.	*Tomilio.*	Pagus.
Vatium.	*Vaz.*	Pagus.

Hoſpitium pro Itinerantibus.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Demum Bertium.	*Demo.*	Pagus.

Monaſteria Monialium.

Locus Latinè.	*Locus Italicè.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monialiū.*	*Qualitas Regulæ.*
Bergomum.	*Bergamo.*	S. Crux.	XXV.	Stricta.
Brixia.	*Breſcia.*	S.Maria ad Nives.	XXXIV.	Stricta.
Capriolum.	*Caprioli.*	Annun.B.V.M	XXX.	Privilegiata.
Crema.	*Crema.*	Annun.B.V.M	XXXII.	Stricta.
Lonatum.	*Lonati.*	S. Crux.	XXX.	Privilegiata.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA JANUENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Alaxium.	*Alaſſio.*	Oppidum.	Albinganen.	1593.
Arentianum.	*Arenzano.*	Oppidum.	Januenſis.	1611.
Campi. *orum.*	*Campi.*	Pagus.	Eadem.	1621.
Clavarum.	*Chiavari.*	Oppidum.	Eadem.	1586.
Finarium.	*Finale.*	Caſtrum.	Savonenſis.	1585.
Genua *S. Barnab.*	*Genova S. Barnab.*	Mons.	Januenſis.	1538.
— *S. Concept.*	— *S. Concez.*	Reſpublica.	Sedes Archiep.	1593.
Ilex.	*Lerici.*	Oppidum.	Sarzanen.	1608.
Lodanum.	*Loano.*	Oppidum.	Albingan.	1650.
S. Margarita.	*S. Margarita.*	Oppidum.	Januen.	1608.
Mentonum.	*Mentone.*	Oppidum.	Ventimilien.	1610.
Mons Rubeus.	*Monte roſſo.*	Oppidum.	Sarzanen.	1618.
Novæ. *arum.*	*Nove.*	Oppidum.	Dertonen.	1590.
Plebs Theuci.	*Pieve.*	Oppidum.	Albingan.	1606.
Pons decimus.	*Pontedecimo.*	Oppidum.	Januen.	1640.
Pontremulum.	*Pontremoli.*	Oppidum.	Sarzanen.	*Pr.* 1577., *ſec.* 1641.
Portus Mauritii.	*Porto Mauritio.*	Oppidum.	Albingan.	*Pr.* 1610. *ſec.* 1642.
Quartum.	*Quarto.*	Pagus.	Januen.	1627.
Quilianum.	*Quigliano.*	Oppidum.	Savonen.	1570.
S. Romulus, *ſeu S. Remus.*	*S. Remo.*	Oppidum.	Albingan.	*Pr.* 1578. *ſec.* 1641.
Sarzana, *ſeu Sergiana.*	*Sarzana.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575.
Savona.	*Savona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1538.
Sextum.	*Seſtri di Ponente.*	Oppidum.	Januenſ.	1588.
Sigeſtrum *Oræ Orientalis.*	*Seſtri di Levante.*	Oppidum.	Brugnat.	*Pr.* 1659. *ſec.* 1683.,
Spedia.	*Spezia.*	Oppidum.	Sarzanen.	1588.
Sputurnum.	*Spotorno.*	Oppidum.	Naulens.	1618.
Tabia.	*Taggia.*	Oppidum.	Albingan.	1610.
Vorago.	*Varazze.*	Oppidum.	Savonen.	1615.
Vultabium.	*Voltaggio.*	Oppidum.	Januenſ.	1603.
Vulturum *S. P. Franc.*	*Voltri S. Franc.*	Oppidum.	Eadem.	1624.
— *S. Nicolai.*	— *S. Nicolò.*			1568.
Vvada, *vel Ovada.*	*Ovada.*	Oppidum.	Aquen.	1640.

Hoſpitalia, Seu cura Spiritualis Infirmorum.

Nomen Loci.	*Nomen Hoſpitalis.*
Genua.	*Hoſp. majus, ſeu* Pammatonis.
	Hoſpitale Incurabilium.

Hoſpi-

Hoſpitia pro Itinerantibus, Quæſtuantibus &c. extra loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Aulla.	*Aulla.*	Pagus.
Arcula.	*Arcola.*	Pagus.
Bonaſola.	*Bonaſola.*	Pagus.
Portus Veneris.	*Porto Venere.*	Portus Maritim.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monial.*	*Qual. Regulæ.*
Genua *primum.*	*Genova.*	S. Maria Angelorum.	XL.	Stricta.
. . . *ſec. Miniſtrantium Mulieribus in Noſocomio Incurabilium.*			XIV.	Privileg. ſeu Tert. Ord.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA PEDEMONTANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Andurnum.	*Andorno.*	Pagus.	Vercellenſis.	1634.
Aſtæ. *arum.*	*Aſti.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	*Pr.* 1540. *ſec.* 1578.
Aviliana.	*Avigliana.*	Pagus.	Taurinenſis.	1622.
Bennæ. *arum.*	*Bene.*	Civitas Ducal.	Montis Regal.	1634.
Brayda.	*Brà.*	Oppidum.	Taurinenſis.	1625.
Bugella.	*Biella.*	Civitas Ducal.	Vercellenſis.	1559.
Carinianum.	*Carignano.*	Civitas Ducal.	Nullius.	1606.
Carmaniolia.	*Carmagnola.*	Civitas Ducal.	Salutienſis.	1590.
Carrucum.	*Carrù.*	Pagus.	Montis Regal.	1612.
Ceva.	*Ceva.*	Civitas Ducal.	Albenſis.	1573.
Cherium.	*Chieri.*	Civitas Ducal.	Taurinen.	1582.
Clavaxium.	*Civaſſo.*	Oppidum.	Ipporeggien.	1628.
Corniatum.	*Cuorgnè.*	Pagus mercant.	Taurinen.	1623.
Cuneum.	*Cuneo.*	Civitas Præſid.	Montis Regal.	1604.
Draconerium.	*Dronero.*	Pagus.	Salutien.	1620.
Foſſanum.	*Foſſano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1574.
Garexium.	*Gareſſio.*	Pagus.	Albenſis.	1613.
Iporedia, *ſeu Ipporeggia.*	*Ivrea.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1606.
Lanceum.	*Lanzo.*	Pagus.	Taurinenſis.	1612.
Limonum.	*Limone.*	Pagus.	Foſſanenſis.	1673.
Liburnum.	*Livorno.*	Pagus.	Caſſalen.	1623.
Mons Calerius.	*Moncalieri.*	Civitas Ducal.	Taurinen.	*Pr.* 1540. *ſec.* 1591.
Mons Regalis.	*Mondovì.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1540.
Nicea.	*Nizza di Provenza*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1555.
Onelia, *vel Upilia.*	*Oneglia.*	Civitas Ducal.	Albingan.	1556.
Pinerolium.	*Pinarolo.*	Oppidum.	Abb. S. Mariæ.	1576.
Podivarinum.	*Poyrino.*	Pagus.	Taurinen.	1626.
Raconixium.	*Racconiggi.*	Civitas Ducal.	Taurinen.	1618.
Ripulæ. *arum.*	*Rivoli.*	Pagus.	Taurinen.	1602.
Salutiæ. *arum.*	*Saluzzo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1581.
Savilianum.	*Savigliano.*	Civitas Ducal.	Taurinen.	1590.
Secuſiæ. *arum.*	*Suſa.*	Civitas Ducal.	Eadem.	1610.
Soſpitellum, *ſeu Ceſpitelium.*	*Soſpello.*	Civitas Ducal.	Ventimilien.	1620.
Summa Ripa.	*Sommariva.*	Burgus.	Taurinen.	1613.
Taurinum *S. Mariæ ad Agros.*	*Torino S. Maria di Campagna.*	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	1538.
..... *in Monte.*	..*Monte di Torino.*	.....	......	1590.
Tenda.	*Tenda.*	Pagus.	Ventimilien.	1628.
Vercellæ. *arum.*	*Vercelli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	*Pr.* 1615. *ſec.* 1622.
Vigonum.	*Vigone.*	Pagus.	Nullius.	1611.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Villafranca *prope Niceam.*	*Villafranca.*	Oppidum Maritimum.	Nicien.	1609.
Villafranca *Pedemontana.*	*Villafranca di Piemonte.*	Pagus.	Taurinenſis.	1629.

Miſſiones ſtabiles.


Accelium.	*Acceglio.*	Locus Alpeſtr.	Salutien.	1596.
Cadralium.	*Cedraglio.*	Pagus.	Taurinen.	1610.
Canalis.	*Chianale.*	Locus Alpeſtr.	Eadem.	1636. *reaſſumpt.* 1728.
Caſtrum Delphini.	*Caſtel Delfino.*	Locus Alpeſtr.	Eadem.	1602.
Demontium.	*Demonte.*	Caſtrum Præſ.	Eadem.	1633.
Paduſana.	*Paeſana.*	Locus Mont.	Salutien.	1620.
Pancalerium.	*Pancalieri.*	Pagus.	Taurinen.	1622.
Vallis Soana.	*Valſoana.*	Locus Alpeſtr.	Iporeggien.	1636.
Verzolium.	*Verzoli.*	Pagus.	Salutien.	1602.

Hoſpitia pro Itinerantibus, Quæſtuantibus &c. Extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italicum.*	*Qualitas Loci.*
Bricheraſium.	*Bricheraſco.*	Pagus.
Briga.	*Briga.*	Pagus.
Chravonica.	*Cravonica.*	Pagus.
Dolianum.	*Dogliani.*	Pagus.
Murazzanum.	*Murazzano.*	Pagus.
Ormea.	*Ormea.*	Oppidum.
Villafranca Aſtenſ.	*Villafranca d'Aſti.*	Pagus.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Reg.*
Taurinum.	*Torino.*	S.M. de Suffragio.		Stricta.
Mons Regalis.	*Mondovi.*	S.M. de Conſolat.		Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA TUSCIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Aretium.	*Arezzo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1577.
S. Caſſianus *de Balneis.*	*S. Caſciano de' bagni*	Oppidum.	Cluſina.	1579.
S. Caſſianus *prope Florentiam.*	*S. Caſciano di Firenze.*	Oppidum.	Florentina.	1643.
Caſtilio.	*Caſtiglione.*	Oppidum.	Aretina.	1576.
Collis de Valle Elſæ.	*Colle di Val d'Elſa.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1628.
Cortona.	*Cortona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1637.
Emporium.	*Empoli.*	Oppidum.	Florentina.	1608.
Figlinum.	*Figline.*	Oppidum.	Feſulana.	. . . .
Florentia *Conception.*	*Firenze Concezzione.*	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	*prim.* 1540. *ſec.* . . . . .
. . . *Mons Vgorum.*	. . . . . . *Montui.*	. . . . .	. . . . . .	1565.
S. Geminianus.	*S. Geminiano.*	Oppidum.	Volaterr.	1533.
Liburnum.	*Livorno.*	Oppidũ Marit.	Piſana.	1582.
Luca *Conception.*	*Lucca Concezzione.*	Reſpublica.	Sedes Archiepiſc.	1609.
. . . . *Guamum.*	. . . . *Guamo.*	Pagus.	Lucana.	1579.
Lucinianum.	*Lucignano.*	Oppidum.	Aretina.	1592.
Maſſa Ducalis.	*Maſſa Ducale.*	Civitas Ducalis.	Sarzanen.	1604.
S. Miniates.	*S. Miniato.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1609.
Mons acutus.	*Montauto.*	Comitatus.	Biturgien.	1567.
Mons Ilcinus.	*Montalcino.*	Civitas.	Sedes Epiſ. Cluſin.	1555.
Mons Politianus.	*Monte Pulciano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1532.
Mons S. Sabini.	*Monte S. Savino.*	Oppidum.	Aretina.	1556.
Mons Varchius.	*Monte Varchi.*	Oppidum.	Feſulana.	*prim.* 1540. *ſec.* 1568.
Montanea.	*Montagna.*	Pagus.	Cluſina.	1591.
Mugellum.	*Mugello.*	Pagus.	Feſulana.	1617.
Pecciolum.	*Peccioli.*	Oppidum.	Volaterrana.	1550.
Plebs S. Stephani.	*Pieve S. Stefano.*	Oppidum.	Biturgien.	1625.
Piſæ. *arum.*	*Piſa.*	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	1560.
Piſtorium *S. Crucifixi.*	*Piſtoja.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1541.
. . . . *Locus novus.*	. . . .	. . . . .	. . . . . .	
Pons Eræ.	*Ponte d'Era.*	Oppidum.	Piſana.	1640.
Pratum.	*Prato.*	Civitas.	Florentina.	1569.
Puppium.	*Poppi.*	Oppidum.	Aretina.	1587.
S. Quiricus.	*S. Quirico.*	Oppidum.	Pieventina.	1591.
Radicopharum.	*Radicoffani.*	Oppidum.	Cluſina.	1587.
Sarteanum.	*Sarteano.*	Oppidum.	Eadem.	1556.
Senæ. *arum.*	*Siena.*	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	1537.
Turriculum.	*Torricchio.*	Pagus.	Piſcien.	1568.
Volaterra.	*Volterra.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1573.

Hoſpi-

Hoſpitalia, ſeu Cura ſpiritualis Infirmorum, & Captivorum.


Nomen Loci.	*Nomen Hoſpitalis.*
Florentia.	S. Maria Nova.
Liburnum.	Vulgò Bagno.

Hoſpitia pro Itinerantibus, &c. extra loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italicum.*	*Diſtrictus Convent.*
Anghiarum.	*Anghiari.*	Conv. Montis acuti.
Camajore.	*Camajore.*	Conv. Maſſæ Ducalis.
Petra Sancta.	*Pietra Santa.*	Ejuſdem.
Vignonum *balneorum.*	*Vignone de' Bagni.*	Conv. S. Quirici.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Reg.*
Aretium.	*Arezzo.*	. . . . . .	. . . .	Privilegiata.
S. Flora.	*S. Fiora.*	. . . . . .	. . . .	Privilegiata.
Florentia.	*Firenze.*	Jeſus, Joſeph, Maria.	. . . .	Stricta.
Luca.	*Lucca.*	S. Familia Jeſu.	. . . .	Privilegiata.
Senæ. *arum.*	*Siena.*	S. Joannes Baptiſta.	XL.	Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA CORSICÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund.*
Adjacium.	*Ajaccio.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1632.
Baſtia.	*Baſtia.*	Civitas.	Marianen. Epiſc.	1540.
Brandum.	*Brando.*	Oppidum.	Marianens.	1558.
Calicula.	*Caluì.*	Oppidum.	Sagonen.	1612.
Curtium.	*Corte.*	Oppidum.	Alerien.	1639.
Epiſcopatus.	*Veſcovato.*	Oppidum.	Marianen.	1554.
Erſa.	*Erſa.*	Pagus.	Marianen.	1628.
Flumorbus.	*Fiumorbo.*	Caſtellum.	Alerien.	
Lota.	*Lota.*	Pagus.	Marianen.	1645.
Olmetta.	*Olmetta.*	Caſtellum.	Nebbien.	1610.
Olmettum.	*Olmetto.*	Oppidum.	Adjacien.	1717.
S. Nicolaus *ſeu Luri.*	*S. Nicolò.*	Pagus.	Marianen.	1548.
Pedicuria, *ſeu Pes curtus.*	*Piè di Corte.*	Oppidum.	Alerien.	1622.
S. Petrus.	*S. Pietro.*	Oppidum.	Nebbien.	1630.
Sancta Reparata.	*S. Riparata*	Pagus.	Alerien.	1662.
Speluncatum.	*Speloncato.*	Oppidum.	Marianen.	1621.
Viridis.	*Verde.*	Oppidum.	Alerien.	1646.
Uvelia, vel Ovilia.	*Oveglia.*	Pagus.	Marianen.	1611.

Hoſpitia pro Itinerantibus, ſeu Quæſtuantibus.
Extra loca Conventuum.

Nomen Loci Latin.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
S. Florentinus.	*S. Fiorenzo.*	Civitas.
Petra.	*Pietra.*	Pagus.
Venachus.	*Venaco.*	Pagus.

Sigillum *S. P. Franciſcus brachiis Crucem ſtringens.* Provinciæ.

IN-

INDEX
RERUM PRINCIPALIORUM,
Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

A

Abbatia (*Terra.*)

PRovinciæ Umbriæ, Fratribus ibi degentibus pro tempore æſtivo hoſpitium in loco S. Malliani conceditur, *fol.* 148. *columna* 1.

Abbatia (*Terra.*)

Provinciæ Venetæ, octo duntaxat Fratres ibi morari indulgetur, *fol.* 293. *col.* 2.

Adjacii

Conventum erigendi facultas datur, *fol.* 426. *col.* 2.

Æſii.

Cadaver Fratribus id non ſociantibus ad Eccleſiam deferri ſancitur, *fol.* 223. *col.* 2.

Albani

Privilegium Altaris perpetuum, *fol.* 32. *col.* 1. ejus extenſio *ibi*. Legati pij commutatio, *fol.* 65. *col.* 2.

S. Albertus (*Terra.*)

Pro Hoſpitio Domum Fratribus ibi dari jubetur, *fol.* 236. *col.* 1.

Alerii

Epiſcopo Fratres commendantur, *fol.* 425. *col.* 1.

Alexandriç.

Petii terræ ad Menſam Epiſcopalem ſpectantis permutatio, & conceſſio *fol.* 320. *col.* 2. ſimilis *fol.* 321. *in Nota*, Altaris privilegiati translatio, *fol.* 328. *col.* 1.

Fr. Aloyſius à Verona

Definitor Generalis commendatur. *fol.* 281.

Alphonſus

Dux Mutinæ &c. *Vide Fr. Joannes Baptiſta à Mutina.*

Amatricis.

Antiqua Domus transfertur, *fol.* 135. *col.* 2.

Fr. Ambroſius à Mediolano

Poſt mortem Conjugis Ordinem ingreditur, & Algerium mittitur, *fol.* 305.

S. Anatolia (*Oppidum.*)

Eccleſia SS. Coſmæ, & Damiani &c. Fratribus ibi conſignatur, *fol.* 184. *col.* 1.

Anconę

Eccleſia S. Catharinæ &c. Domui Fratrum unitur *fol.* 176. *col.* 1. onera ei annexa in Eccleſia Fratrum ſuppleri mandatur *ibi*, quæ Altari privilegiato perpetuò decoratur, *fol.* 178. Propugnaculum S. Cataldi Domui ad uſum conceditur, ibi & Fratres à gabella carnis in macello venditæ eximuntur, *fol.* 180. *in Nota*.

Fr. Angelus à Figline

Miſſionarius Aſiaticæ Ibericæ à Ven. Dei Ser. Innoc. XI. benignè excipitur, *fol.* 422. *col.* 1. Vita ejus compendiatur ibi *in Not.*

S. Antonii Abbatis

Statuam in Eccleſiis noſtris teneri, in ejus feſto animalia benedici, ac oblationes recipi poſſe declaratur, *fol.* 144. *col.* 2. 147. *col.* 2., & 151. *col.* 1.

S. Antonii Patavini.

Statuam in Habitu Capucino deferri *fol.* 203. *col.* 1., & feſtum ejus tempore, quo id RR. PP. Reformati celebrant, à noſtratibus celebrari poſſe ſancitur, *fol.* 368. *in Nota.*

Fr. Antonius Maria Piſcatorius à Parma

Archiepiſcopus, Eccleſiæ Gallipolitanæ Antiſtes, *fol.* 253.

Fr. Antonius à Pavìa

Ex Equite Jeroſolymitano fit Capucinus *fol.* 30.

Frater Antonius Maria à Monte Sancto

Officium, & Miſſam in honorem B. Gergii impetrat., *fol.* 204. *in Nota.*

F. Antonius à Cavis

Definitor Generalis, doctrinâ &c. clarus, *fol.* 14.

Apiri

Eccleſia indulgentia plenaria perpetua decoratur, *fol.* 171. *col.* 1. in beneficium Domus tria ſtara terræ permutari conceditur, *fol.* 195. *col.* 1.

S. Archangelus (*Terra.*)

Situs alienatio in favorem Fratrum conceditur, *fol.* 336. *col.* 2.

Arimini

Situs emphiteuticus Monaſterii S. Gaudentii Fratribus conſignatur, *fol.* 224. *col.* 1.

Aſculi

Altare Eccleſiæ S. Mariæ in Soleſtano in perpetuum privilegiatur, *fol.* 180. *col.* 1. ita, ut 10. ſaltem Fratres *ibi* exiſtant, *ibid.* fontem ad Conventum deduci indulgetur, *fol.* 196. *col.* 1. campuſque vicinus huic unitur ibi in *Nota.*

Aſſiſy.

Situs pro nova Domo Fratribus datur *fol.* 113. *col.* 1. qui Monaſterio S. Catharinæ compenſatur *ibi*. In ſubſidium fabricæ commutatio Pii Legati conceditur, *fol.* 114. *col.* 1. Montem Pietatis ibidem à P. Provinciale &c. congubernari ſtatuitur *fol.* 130. *col.* 2.

Aſoli.

Fundus pro nova Domo emitur, *fol.* 286. *col.* 2., ac annuo cenſu liberatur *ibid.*

Fr. Athanaſius.

Ritu Græco ordinatus, Ritu Latino poſt profeſſionem celebrandi facultatem obtinet, *fol.* 176. *col.* 1.

Fr. Auguſtinus Maria à Tiſana

Ex attenta Miniſterii Generalis cura laudatur, *fol.* 281.

Frater Auguſtinus Maria à Mediolano

Summo Pontifici commendatur, *fol.* 345. *in Nota.*

Avilianæ.

Vel Miſſas à Peregrinantibus acceptas legi, vel hos de non applicatione moneri jubetur, *fol.* 393. *col.* 2.

B

Barberinę Familię

JUſpatronatus honorificum Domûs, & Eccleſiæ de Urbe conceditur, *fol.* 53. *col.* 2. jus ad quaſdam cellas reſervatur, *fol.* 41. *col.* 1. tollitur, fol. 42. *in Nota.*

Fr. Bartholomęi à Verona

Labores Apoſtolici à S. Congregatione de Propaganda Fide commendantur, *fol.* 281.

Baſtię.

Pro Hoſpitio RR. PP. Reformatorum conſenſus datur, *fol.* 425. *col.* 1.

Bea-

Beatrix de Crivellaris.

Tertii Ordinis, fundationi Monaſterii Monialium Biturgii cooperatur, *fol.* 119. *col.* 1. ac illi ſub Habitu ſæculari in eo morari indulgetur, *fol.* 121.

Belluni

Onus Legati pij de Eccleſia Fratrum ad aliam transfertur, *fol.* 288. *col.* 1.

Benedicere

Animalia in feſto S. Antonii Abbatis, *fol.* 144. *col.* 2., & *fol.* 151. *col.* 1. necnon ægros, naves &c. Fratres poſſe declaratur, *f.* 293. *col.* 1.

Bergomi

Moniales de Alcamo transferuntur, *fol.* 361. *in Nota*. Numerus earum ſtabilitur, *ibi*. Legata pia ab iis recipi poſſe decernitur, *ibi*. Ac ob Miſſas neglectas abſolvuntur, *fol.* 360. *col.* 1.

Fr. Bernardinus à Portu Mauritio

Miniſter Generalis in cultu Mariano præcellit, *fol.* 346.

Fr. Bernardus à Bononia

Meſſinam ablegatur, *fol.* 239. *col.* 1.

Fr. Bernardinus Aſtenſis

Archiepiſcopus, Epiſcopus Novarienſis, *fol.* 389.

Fr. Bernardinus Aſtenſis

Vicarius Generalis, Pontificio elogio effertur *fol.* 389.

Fr. Bernardinus ab Aretio

Miniſter Generalis, Officiis Ordinis peculiari prudentia fungitur, *fol.* 403.

Fr. Bernardinus à Salutiis

Miniſter Generalis, variis dotibus fulget, *fol.* 389.

Fr. Bernardinus à Macerata.

Duci, ac Duciſſis Mantuæ commendatur, *fol.* 68. *col.* 2.

Fr. Bernardinus à Collepetraceo.

Montem pietatis fundat, *fol.* 102. *col.* 1. ejuſque virtutes recenſentur, *fol.* 103.

Bibliothecæ

In beneficium, Legatum pium commutatur, *fol.* 232. *col.* 2., & pretium venditæ Domûs convertitur, *fol.* 329. *col.* 2.

Binaſchi

Hoſpitum pro Fratribus erigitur, *fol.* 335. *col.* 1.

Biturgii

Monaſterum Monialium erigitur &c. *fol.* 118. *col.* 2. Confraternitas S. Crucis ab onere eas ſuſtentandi eximitur, *fol.* 121. *col.* 2.

Bononienſis Provincia

Ejus origo, & progreſſus, *fol.* 221. in duas dividitur, *fol.* 242. *col.* 1., ac à Superintendentia Hoſpitiorum Poloniæ liberatur, *fol.* 244. *col.* 2.

Bononienſe Monialium Monaſterium

Ejus origo, & à primævo rigore receſſus, *fol.* 239. *in Nota*. Ædes ab eo emuntur, *fol.* 238. *col.* 1.

Fr. Bonaventura à Mutina

Virtute ſplendet, *fol.* 254.

Brixienſis Provincia

Ex fructu Miſſionum laudatur, *fol.* 346. Fratres in iis confirmantur &c., *fol.* 358. *col.* 1. circa illius gubernium nonnulli articuli præſcribuntur, *fol.* 363. *col.* 2. Quorum Apoſtolicum Breve, ceu inſubſiſtens tenetur, *fol.* 364.

Brixienſis Conventus

Pro ejus conſtructione Monaſterium Monialium S. Urbani alienatur, *fol.* 347. *col.* 1. pro amplianda illius fabrica ſitus, conceditur, *fol.* 356. *col.* 1., & alius pro æquanda Eccleſiæ platea, *fol.* 357. *in Nota.* Paramenta ex illius Eccleſia extrahi inhibetur, *fol.* 357. *col.* 1.

C

Cadavera

IN noſtra Eccleſia ſepeliendi jus Religionis confirmatur, *fol.* 387. *col.* 2. ad Eccleſiam noſtram à Parocho ducuntur, *fol.* 209. *col.* 2. Fratribus noſtris ea aſſociantibus, *fol.* 213. *col.* 1. Eccleſiam noſtram in eorum aſſociatione cum Cruce elevata, & ſtola Parochus non ingreditur, *fol.* 216. *col.* 2. *fol.* 341., & 342. functioneſque funerales in ea non ad ipſum, ſed ad Fratres pertinent *ibi*. *Vide Parochus*, *Quarta funeralis &c.*

Cæſena

Vide Ceſena.

Camerini

Noſtræ Reformationis primordia, *fol.* 170.

Canobii

Antiquæ Domûs Eccleſiam prophanari conceditur. *fol.* 325. *col.* 1.

Capucinus

Tranſiens ad Religionem Jeroſolymitanam annuum legatum recuperat, *fol.* 381. *c.* 1.

S. R. E. Cardinali

Vivæ Vocis Oraculum alleganti credi debet, *fol.* XXIII., *& ſeq.*

Carucci

Quartam Parocho non deberi decernitur, *fol.* 398. *col.* 2.

Caſale majus

Eccleſia ruralis S. Laurentii ibi cum agro Fratribus datur, *fol.* 256. *col.* 2.

Caſsani

Domum erigendi licentia conceditur, *fol.* 340. *col.* 1.

Caſſiæ

Fratribus Domus pro Hoſpitio conſignatur, *fol.* 148. *col.* 2. Moniales ad novum Monaſterium transferuntur, *fol.* 166. *col.* 1.

Caſtellionis Stiverorum

Domus Provinciæ Lombardiæ unitur, *fol.* 277. *col.* 1.

Caſtri S. Ioannis

Novæ Domui legatum pium applicatur, *fol.* 263. *col.* 1. Fratres ibi ad Proceſſiones invitari ſancitur, *fol.* 264. *in Nota*.

Caſtri S. Petri

Conventus erigitur, *fol.* 233. *col.* 1. in eo Religioſos 10. duntaxat morari indulgetur. *ibi*. Pro eo ampliando petium terræ alienatur, *fol.* 233., *& ſeq.*

Caſtri Veteris

Eccleſia Ruralis S. Anatoliæ Fratribus pro nova Domo ceditur, *fol.* 93. *col.* 1. Articuli prætenſi regulantur, *fol.* 94., & Communitas ad eleemoſynam promiſſam dandam obligatur *ibid. in Nota*.

Centum Cellæ.

Uncia aquæ ex publico aquæ ductu Fratribus datur *fol.* 98. *col.* 1. ac totus relapſus aquæ S. Liborii *ibi in nota*. *Vide Hoſpitium &c.*

Cerviæ novæ

Nova Hoſpitii fundatio conceditur *fol.* 249. *col.* 1.

Ceſenæ

Monialium Monaſterium erigitur *fol.* 228. *col.* 1. iis Confeſſarius extraordinarius ex Ordine conceditur *ibi*. Capellania cum Miſſa perpetua ad earum Eccleſiam transfertur. *ibi*. Jus ſepeliendi Sorores quæſtuantes, iiſque Sanctiſſima adminiſtrandi Parocho non deberi decernitur *fol.*

fol. 229. *col.* nec jus quæſtuandi in Monialium Eccleſia *ibi*. Confeſſarius illarum pro dictis ſororibus Sedem Confeſſionalem publicam habere poteſt *ibi*. Domui Fratrum ibidem duo terræ petia uniuntur *fol.* 251. *col.* 2.

Chirographi

Generica notio *fol.* xxxI. & ſpecifica, quatenus Pontificium eſt *ibi*. Illius ab aliis Scripturis differentia *ibi*. Solitæ formalitates *fol.* xxxII. ac executio *fol.* xxxIII.

Chriſtina â Lotharingia

Magni Ducis Ferdinandi Vidua fundationem Monaſterii Monialium Biturgii coadiuvat *fol.* 119. *col.* 1.

Fr. Chriſtophorus â Tuſculo

Miſſionarius Rhetiæ benignè â Papa auditur, *fol.* 358. *col.* 2.

Clara Armana

Domum &c. Fratribus pro Conventu Brixiæ legat., *fol.* 348. *col.* 1.

Clara de Modagnanis

Monaſterium Monialium Laudæ fundat, *fol.* 316. *col.* 2.

Clavaſy

Fratres in quærendis eleemoſynis impediri non poſſe declaratur, *fol.* 397. *col.* 2.

Clauſuram

Domûs Fratrum Duciſſis Mutinæ ibidem ingredi conceditur *fol.* 271. *col.* 1. Duciſſis Sabaudiæ, *fol.* 393. *col.* 1. ac Clauſuram Monaſterii Monialium Parmæ 12. vicibus per annum ingrediendi facultatem obtinet Duciſſa ibidem, *fol.* 271. *col.* 2.

Clodiæ

Fabrica Monialium, Monaſterium declaratur, *fol.* 300. *col.* 1.

Collis Petraceus.

Mons Pietatis ibi erigitur, ac concurſus P. Guardiani ad nominationem Officialium confirmatur, *fol.* 102. *col.* 1.

Collis de valle Elſæ

Eccleſia veteris Domus ad prophanos uſus reducitur, *fol.* 417. *col.* 2., ac in ſubſidium fabricæ novi Conventus perpetuum legatum commutatur, *fol.* 418. *in Nota*.

Coloniæ

Monialibus Eccleſia Sancti Petri conceditur, *fol.* 303. *col* 1. copia Brevis deſuper expediti iis communicatur, *ibi*.

Comacli

Nominatio Cappellani à P. Guardiano facta ratihabetur, *fol.* 249. *col.* 2.

Comi

Fractio aquæ ductus &c. ad Domum Fratrum inhibetur, *fol.* 324. *col.* 1. Antiquum Monialium Monaſterium ſupprimitur, & novum erigitur, *fol.* 339. *col.* 1.

Confeſſiones Monialium

Iu Italiæ Provinciis à Fratribus ordinariè excipi prohibetur, *fol.* 12. eas extraordinariè audire iis permittitur, *fol.* 187. 190. 228. 270. *&c.*

Corrigii

Eccleſia Parochialis S. Antonii Fratribus pro nova Domo datur, *fol.* 259. *col.* 1. Terræ petium pro quadrando horto permutatur. *ibi*. *in Nota*.

Corſica

Novos Conventus ſine diſtantia 12 milliariorum ibi conſtruere Mendicantibus non licet, *fol.* 428. *col.* 2.

Corſica Provincia

Ejus origo, *fol.* 424. Belli tempore Superiores ejus à S. Sede deputantur, *fol.* 229. *col.* 1. Limites quæſtuationis excedere prohibetur, *fol.* 428. *col.* 1.

Cremæ

Antiquæ Monialium ædes venduntur *f.* 350. *c.* 1.

Cri-

Criſpini.

Nova Fratrum Domus erigitur, *fol.* 250. *c.* 2.

Curię in Corſica

Conventus fundatur, *fol.* 427. *col.* 1.

Curienſi Epiſcopo

Papa de calamitatibus Eccleſiæ compatitur, *fol.* 351. *col.* 1. *Vide Provincia Brixienſis, Rhetia &c.*

Curzani

Antiqua Domus alienatur, *fol.* 359. *col.* 1.

Cyntiani

Nova Domus conſtruitur, *fol.* 71. *col.* 2. empta terræ petia ab annuo canone liberantur *ibi*, & *fol.* 73. *col.* 1.
Sex unciæ aquæ eidem donantur, *fol.* 70. *col.* 2.
Donatio confirmatur, & executio committitur. *fol.* 79. *col.* 1.

D

Defunctorum

Officia ex legato pio à Fratribus anticipari indulgetur, *fol.* 420.

Demi Bertii

Hoſpitium erigitur, *fol.* 362. *col.* 1.

Dertona.

Vide Tertona.

Fr. Didacus à Civitate Novana

Regi Chriſtianiſſimo commendatur, *fol.* 192. ac Reginæ Chriſtianiſſimæ *ibi col.* 1. elogium ejus apponitur, *fol.* 193. *in Nota.*

Domaſii

Præpoſitura S. Joannis Baptiſtæ Fratribus pro nova Domo datur, *fol.* 306. *col.* 1. limites quæſtuationis regulantur, *fol.* 322. *& ſeq.*

Domus Sęcularis

Conventui prædominans, ut deſtruatur, jubetur, *fol.* 225. aliam permutari conceditur, *fol.* 377. item ſitum alterius *fol.* 368.

Donatio

Librorum, Bibliothecæ Fratrum facta commendatur, *fol.* 129. *col.* 1.

Dorothea Sophia

Duciſſa Parmæ &c. Reliquias B. Seraphini poſcit, *fol.* 276. *col.* 2.

Dos

Puellarum Leoniſſæ ad 100. ſcuta reducitur, *fol.* 117. *col.* 2. *vide nominandi jus.*

Duciſſis

Clauſuram ingredi indulgetur. *Vide Clauſuram.*

E

Eccleſia S. Redemptoris.

Vide *Veneta Provincia.*

Eleemoſynę

Fratribus aſſignatæ revocatio rejicitur, *fol.* 210. *col.* 1. ad eam Fratribus dandam Moniales Mutilianæ obligantur, *fol.* 247. *c.* 1. Diſpoſitio R. Fabricæ S. Petri circa eleemoſynas teſtamentarias, *fol.* 248.

Eleonora Urſina Sfortia

Duciſſa ſegniæ, Monaſterium Monialium S. Floræ fundat, *fol.* 412. *col.* 1.

Fr. Eleutherius à Placentia.

Genere, & virtute clareſcit, *fol.* 253.

Epiſcopus.

In quæſtuatione Fratres non moleſtet, *fol.* 394. *col.* 2. *Vide Proceſſiones, Viſitatio.*

Epo-

Eporedia.

Vide Iporcdia.

Eremitæ.

Habitum à noſtro diſtinctum portare jubentur, *fol.* 130. *col.* 1.

Eugubinus Fratrum Conventus

Antiqua Fratrum Domus alienatur, & translatio rerum ad novam confirmatur, *fol.* 136. *col.* 1. Rudera putei &c. pro fabrica donantur, *fol.* 136. *in Nota*, ac vineam ſtante contradictione Fratribus conſignari ſancitur, *fol.* 137. *in Nota*.

Eugubinum Monialium Monaſterium.

Moniales ibi Profeſſionem in manibus Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris Ordinis &c. emittendi gratiam impetrant, *fol.* 109. *col.* 1. Epiſcopo ſubjiciuntur, *fol.* 111. *in Nota*. Gaudent Confeſſario extraordinario ex Ordine *ibi*. Ab onere teſtamentario liberantur *ibi*.

Exemptio

Fratrum à Gabellis: *Vide Gabella*.

F

Fabriani.

Monaſterium Monialium fundatur, *fol.* 188. *col.* 1. Confraternitas SS. Sacramenti iis 300. ſcuta annuatim ſubminiſtrat. 189. Gaudent privilegiis Ordinis *ibi*, & Confeſſario extraordinario ex Ordine, *fol.* 190. *in Nota*.

Faentiæ

Petium terræ Domui Fratrum donatur, *fol.* 251. *col.* 1.

Fagnani.

Monialibus Miſſa privata Feria V. hebdomadæ Sanctæ conceditur, *fol.* 275. *col.* 2.

Fani.

Antiqua Domus alienatur, *fol.* 173. *col.* 2. Annuus Canon ab emptis ædibus transfertur, *fol.* 191. *col.* 1. ratione fabricæ Collegii Domui noſtræ provideri committitur, *fol.* 192. *in Nota*. Privilegium Altaris transfertur, & extenditur, *fol.* 211. *col.* 1.

Farneſii Principes.

Fratres peculiari amore proſequuntur *fol.* 254. eorum Cadavera in crypta Fratrum recondi diſponunt, *ibi*.

Fr. Felicianus à Placentia

Proc. Generalis jurium Ordinis tenax *fol.* 253.

S. Felix à Cantalicio.

In ejus Cella Miſſam celebrari conceditur, *fol.* 83. *col.* 1.

Ferrarienſis Fratrum Conventus.

Domus Conventui dominans emitur, & deſtruitur, *fol.* 225. *col.* 1. non obſtante contradictione demolitio executioni datur, *fol.* 226. *col.* 2. Legatum pium in ſubſidium fabricæ commutatur, *fol.* 226. *col.* 1. ab annuo dandæ eleemoſynæ onere eximitur, *fol.* 227. *in Nota*.

Ferrarienſe Monialium Monaſterium.

Legatum pium in ſubſidium fabricæ convertitur, *fol.* 229. *col.* 1. pia legata tempore fabricæ ab iis acceptari indulgetur, *fol.* 230. *in Nota*, ad novum Monaſterium transferuntur *ibi*.

Fideicommiſſum.

Poſt Profeſſionem Capucini ad alios tranſit haud aliter, ac ſi hic naturali morte obiiſſet, *fol.* 231. *col.* 2. ex Fideicommiſſo æs alienum Novitii ſolvi diſponitur, *fol.* 237. *col.* 1.

Finarii.

Donatio Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ confirmatur, *fol.* 367. *col.* 1. Fratribus feſtum S. Antonii eo tempore, quo id celebrant

PP. Reformati, celebrare indulgetur, *fol.* 368. *in Nota*.

Firmi

Legatum pium in expenſas fabricæ commutatur, *fol.* 174. *col.* 1. Parochus cum Cruce Eccleſiam noſtram &c. non intrat, nec concordia ibi vigens Fratres afficit, *fol.* 216. *col.* 2.

S. Flora (*Oppidum.*)

Monaſterium Monialium ibi erigitur, *fol.* 412. *col.* 1. Ordinario loci ſubjicitur, *fol.* 413. *col.* 2. Legata ei appropriantur *ibi*. Dos præſcribitur *ibi*. Bona minus fructifera venduntur, *fol.* 416. *col.* 1.

FlorentinusFratrumConventus

Seu Montis Ugorum. In Eccleſia Altare Conceptionis adinſtar Altaris S. Gregorii de Urbe privilegiatur, *fol.* 406. *col.* 2. Privilegium transfertur, *fol.* 407. *col.* 1.

Florentinum Monialium Monaſterium

Fundatur, *fol.* 423. *col.* 1.

Formulę

Supplicationum à Papa ſignatarum, *fol.* 112. *in Nota*. Inductionis Fratrum in poſſeſſionem novæDomus, *f.* 105. *&* 125. recognoſcendiCorpus alicujus Servi Dei, *fol.* 153. *inNota*. CeſſionisConventus *f.* 58. Sententiæ Aud. Cam. in cauſa Privil.Ord. *f.* 399.

Forolivienſis Fratrum Conventus

Venditio, & donatio horti ratihabetur, *f.* 323. *col.* 1.

Forolivienſe Monialium Monaſterium

Cauſa Canonis Moniales inter- & Merlinos componitur, *fol.* 246. *col.* 2. Sorores Quæſtuantes à Parocho ſunt exemptæ, *fol.* 247. cui in Monialium Eccleſia quæſtuare interdicitur, *ibi*.

Fr. Fortunatus à Cadubrio

Miniſter Generalis, à Principibus colitur, *fol.* 281.

Forum Sempronii.

Cadaver à Parocho ibi ad Eccleſiam noſtram duci ſancitur, *fol.* 209. *col.* 2.

Fozzani.

Conventum erigi committitur, *fol.* 427. *col.* 1. executio non ſequitur, *ibi*.

S. P. Franciſci Provincia

Ejus origo, & etymologia, *fol.* 100. coruſcat Viris illuſtribus, *ibi*. Cauſa quæſtuationis cumProvinciaMarchiæ terminatur, *f.* 150.

Franciſcus Card. Taruſius

Monaſterium Monialium Senis fundat, *fol.* 407. *col.* 2.

Fr. Franciſcus ab Aretio *poſtea Cardinalis*.

Ex virtutis fama ad munus Apoſtolici Concionatoris evehitur, *fol.* 423. *col.* 1.

Franciſcus Dux Parmæ

Altare SS. Crucifixi Parmæ privilegiari inſtat, *fol.* 275. *col.* 1. & de gratia conceſſa certior redditur, *ibi col.* 2.

Fr. Franciſcus Antonius Corrarius

Patriarcha Venetiarum &c. *fol.* 280.

Fr. Franciſcus Bergomenſis

Sanctitatis opinione fulget, *fol.* 14.

Fr. Franciſcus à Coriolano

Ex librorum editione, & virtute laudatur, *fol.* 28., & 29.

Fr. Franciſcus à Genua

Procurator Generalis utraque voce ſine concurſu gaudet, *fol.* 376. vel Miniſtro Generali, vel Procuratori Generali duntaxat ſubeſt, *ibi*.

Fr. Franciſcus à Mediolano

Procurator Generalis, ex claris geſtis commendatur, *fol.* 305.

Fr. Franciſcus Titelmannus

Belga, virtute, & doctrina excellit, *fol.* 14.

Ful-

Fulginei

In Eccleſia Fratrum Statua S. Antonii Abb. ritè tenetur, ac oblationes recipiuntur. *fol.* 144. *col.* 2.

G

A' Gabella

Vini, fœni, paleæ, chartæ, ceræ, & lanæ Fratres nominatim immunes declarantur, *fol.* 2. 4. 5. 7. 8. ſolùs gabellæ carnis in macello venditæ ſubjacent, *fol.* 7. Conventu Anconitano excepto, *ibi.*

Galleſii

Nova Domus exſtruitur, *fol.* 71. *col.* 1. Duci Altemps cœmenta veteris relinquuntur *ibi*, ac jus ſubſtituendi alios Religioſos in caſu noſtri receſsûs eidem reſervatur, *ibid.*

Genua

Vide Januenſis Provincia.

Glemonæ

Novam Domum fundandi facultas datur, *fol.* 293. *col.* 2.

Gręco Ritu

Ordinato, poſt profeſſionem ritu latino celebrare conceditur, *fol.* 176. *col.* 1.

Gualdi

Capella B. Angeli Fratribus pro annuo canone candelæ alienatur, *fol.* 104. *col.* 1.

H

Hęreditate

Fratri relictâ, poſt hujus Profeſſionem ejuſdem Parentes frui indulgetur, *fol.* 127. *col.* 2.

Fr. Hieronymus à Piſtorio

Definitor Generalis commendatur, *fol.* 437.

Hiſpelli

Capella S. Severini Fratribus pro fundatione novæ Domus conſignatur, *fol.* 122. *col.* 2. Beneficium ſimplex ex ea transfertur, *fol.* 124. *col.* 1. Antiquæ ædes venduntur, *fol.* 127. *col.* 1.

Hortę.

Parocho in Eccleſia Fratrum Parochialia exercere inhibetur, *fol.* 340. *col.* 1.

Hoſpitia

Fratribus conceduntur, *fol.* 84. 148. 152. 236. 249. &c.

Hoſpitium Centumcellarum

Fratribus Capellanis ibi ſpeciales facultates conceduntur, *fol.* 85. iis quoad victum à R. Camera providetur, *fol.* 74. Quoad Confeſſiones in Hoſpitio Eminentiſſimo Urbis Vicario, & quoad alias in Civitate excipiendas, ab Ordinario Viterbienſi approbantur, *fol.* 86., *& ſeq.* in Hoſpitio Sanctum Euchariſtiæ Sacramenti tum aſſervatur, *ibi*, & in eo hoſpitarextraneis prohibetur, *fol.* 85.

I

Fr. Jacobus â Foro Sarzinio

Miniſter Generalis, gratia curationum &c. conſpicuus, *fol.* 221.

Januenſis Provinciæ

Origo, *fol.* 364. Viris illuſtribus coruſcat *ibi*. Diverſas patitur diviſiones *ibi*, *&* 387. Fratres ex ea Triremium Capellani deſtinantur, *fol.* 386. *col.* 1., quibus variæ facultates conceduntur, *ibi*.

Januenſis Fratrum Conventus Conceptionis

Ejus viridarium ampliatur, *fol.* 371. *col.* 1. Ex ejus Eccleſia, ſicut & ex illa Domûs S. Barnabæ SS. Reliquias extrahi vetturi, *fol.* 374. *col.* 1. pro tollenda ſervitute Domus permutatur, *fol.* 377. *col.* 2. ſitus itidem inutilis, *fol.* 378. *col.* 1. concordia cum Marco Gandulfo inita confirmatur *ibi*. Eidemque alii 10. palmi ceduntur, *fol.* 379. *col.* 1.

Januenſe Monialium Monaſterium.

Monialibus Ordinis Minoritani privilegia conceduntur, 383., *& ſeq.* Altare earum Eccleſiæ privilegiatur; viſitantibus eam in feſto Conceptionis B. V. M. Indulgentiæ plenariæ conceduntur, ſicut & ipſis Monialibus in feſto Aſſumptionis ejuſdem B. Virginis *ibi*.

Fr. Ignatius à Bergomo

Romam ablegatur, *fol.* 351. *col.* 1. in Alma Urbe, aliiſque locis pro Eccleſia Rhetiæ ſtipem colligit *fol.* 352. *col.* 1. variis facultatibus potitur, *fol.* 353. *col.* 1. ejus vita compendiatur, *fol* 354.

Ilicis (*Terræ.*)

Parocho quartam non deberi decernitur, *fol.* 387. *col.* 1.

Imolæ

In favorem Monialium Domus alienatur, *fol.* 239. *col.* 2.

Interamnæ

Eccleſia S. Martini cum agro Fratribus pro nova Domo conſignatur, *fol.* 112. *col.* 1. Legatum pium in fabricæ ſubſidium permutatur, *fol.* 117. *col.* 1.

Interdictum

In nonnullis Ordinis feſtis Fratres non afficere declaratur, *fol.* 397. *col.* 2.

Fr. Joachimus à Soranea

Definitor Generalis, commendatur, *fol.* 253.

S. Joannes in Perſiceto (*Terra.*)

Ex Eccleſia ibi Reliquias extrahi inhibetur, *fol.* 240. *col.* 2.

S. Joannes Albus (*Terra.*)

Ad Monaſterium ibi Fratres inducuntur, *fol.* 350. *col.* 2.

Fr. Joannes Antonius à Florentia

Miniſter Generalis, facundia, comitate, & virtute clareſcit, *fol.* 403.

Fr. Joannes Baptiſta à Mutina

Prius illius Dux, ſtatim poſt ſuſceptum Ordinis Habitum profeſſionem emittit, *fol.* 265. *col.* 1. Duo Fratres eidem ad obſequia deſtinantur, *fol.* 266. *col.* 1. Conſilium Patris, Filio Duci à Papa commendatur *fol.* 266. *col.* 2. Confeſſarius ejus Confeſſiones abſque licentia Ordinarii, & Superiorum excipit, *fol.* 267., & 268.

Fr. Joannes Baptiſta à Pavia

Ex Comitibus Mandelli fidei Hoſtia obit *fol.* 305.

Fr. Joannes Baptiſta à Sabbio

Procurator Generalis, ceu virtutis exemplar commendatur, *fol.* 346.

Joannes Baptiſta Leonardi

Novo Monialium Monaſterio Novariæ Centum mille librarum aſſignat, *fol.* 332. *in Nota*.

Fr. Joannes Evangeliſta à Canobio

Vicarius Generalis, ad Concilium Tridentinum mittitur, *fol.* 305.

Fr. Joannes Franciſcus à Caſtro S. Petri

Definitor Generalis, cauſis Beatorum Ordinis invigilat, *fol.* 222.

Fr. Joannes Maria à Parma

Definitor Generalis, varia munia obit, *f.* 253.

Fr. Joannes à Monte Calerio

Miniſter Generalis, Aulæ Sabaudiæ gratus &c. *fol.* 389.

Fr. Joannes Petrus à Buſto.

Miniſter Generalis, ſuâ virtute Principum amorem ſibi conciliat, *fol.* 305.

Fr. Joſephus Fernenſis

Definitor Generalis, fundationem Congregationis Barnabitarum &c. coadjuvat, *f.* 306.

Ven. Dei Servus Joſephus à Leoniſſa

Pium legatum ad expenſas ejus Canonizationis convertitur, *fol.* 146. *col.* 1. Corpus ejus recognoſcitur, *fol.* 153. *col.* 1. Reliquias illius diſtrahi prohibetur, *fol.* 167. *col.* 1. eas noviter inſpici committitur, ac ad novum Sacellum proceſſionaliter deferri indulgetur, *fol.* 168. *col.* 1.

Fr. Joſephus Maria à Carpio

Innocentiam vitæ in Eremitorio conſervat, *fol.* 254.

Fr. Joſephus Maria ab Interamna.

Miniſterio Generali ſtudiosè attendit, *f.* 100.

Iporediæ

Fratres ſolitas duntaxat Proceſſiones adire tenentur, *fol.* 396. *col.* 1.

Julianus Ceſarinus

Dux &c. in beneficium fabricæ Cyntiani duo petia terræ emit, *fol.* 71. *col.* 2. Executio donationis aquæ ei committitur, *fol.* 79. *col.* 1.

Julius Pazzaglia

Sacellum in Eccleſia Domus Centumcellarum fundat, *fol.* 96. *col.* 1. Altare privilegiatum pro ſe, &. ſua familia obtinet, *ibi*.

Juſpatronatus.

Ejus effectus, *fol.* 54., *&* 55. Illius capacem eſſe Capucinum Fargna deducit, *fol* 145. *Vide Barberina Familia*.

Jus ſepeliendi.

Vide Cadaver, *Parochus*. *Quarta*.

Jus nominandi.

Vide nominandi jus.

L

FF. Laicis

Quacunque die Dominica Doctrinam Chriſtianam cum puncto regulæ explicari mandatur, *fol.* 12. *col.* 2. Libros de una menſa, ad aliam portare jubentur, *fol.* 394. *col.* 2. Laicus in alio ordine Profeſſus, apud nos ceu Clericus profiteri permittitur, *fol.* 385. *col.* 1.

Laudæ

Monaſterium Monialium erigitur, *fol.* 376. *col.* 2. cui ſub Juriſdictione Ordinarii exiſtenti omnia Ordinis privilegia communicantur, *ibi*.

Ven. Dei Servus Laurentius à Brunduſio

Ad Exercitum Germaniæ ablegatur, *fol.* 288. *col.* 1. Sacros Altaris honores ei decerni ſupplicatur, *fol.* 292. *col.* 2.

Laureti

Fratres collocantur, *fol.* 198. Petium terræ commutatur, *fol.* 197. *col.* 2. Situs primus Hoſpitii mutatur, *fol.* 199. Conceſſio novi ſitûs à S. Sede approbatur *ibi*. Munia Fratrum recenſentur *ibi*, ob ea à S. Domo victum, & veſtitum recipiunt, *fol.* 108. Præcedunt ibi alios Regulares *ibi* in Hoſpitio Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervant, *fol.* 201. Miſſa libera iis reſtituitur *ibi*, ac locus ſepulturæ aſſignatur. *fol.* 202. *in Nota*. Laici in ipſa S. Capella Communionem ſumunt, *fol.* 200.

Legata Pia

Commutantur in expenſas Canonizationis, *fol.* 146. *col.* 2. in beneficium Bibliothecæ, *fol.* 232. *col.* 2. in ſubſidium fabricarum,

carum, *fol.* 34. 39. 62. 65. 114. 117. 162. 174. 183. 236. 263. 416. &c., ac in extinctionem Canonum, *fol.* 39. Legatum pium à Fratre relictum, & ab Hæredibus neglectum executioni dari mandatur, *fol.* 392. *col.* 1. Ab illius onere Hæres pauper liberatur, *fol.* 414. *col.* 1. Legato pio perpetuo anticipatè, & una duntaxat vice ſatisfieri indulgetur, *fol.* 183. *col.* 1., & aliud ex noſtra ad aliam Eccleſiam transfertur, *fol.* 288.

Legatum annuum

Recuperat, qui de noſtra Religione tranſit ad Jeroſolymitanam, *fol.* 381. *col.* 1.

Leoniſſæ

Dos Puellarum reducitur *fol.* 117. *col.* 2.

Leopoldo Archiduci Auſtriæ.

Inductio Fratrum noſtrum in Rhetiam commendatur *fol.* 351. de beneficiis rei Eccleſiaſticæ ibi collatis laudatur, *fol.* 353. *col.* 2.

Libri.

Vide Donatio.

Lombardiæ Provincia

Fulget Viris Illuſtribus, *fol.* 253. Ducum Farneſiorum erga eam affectus *fol.* 254. *in Nota.* in Provinciam erigitur, *fol.* 271. *col.* 2. Conventus Ducatus Mantuani, & Caſtellionis eidem uniuntur, *fol.* 277.

Lomellinæ Familiæ

In Inſula Tabarca Hoſpitium erigere conceditur, *fol.* 385. *col.* 2. executio impeditur, *fol.* 386. *in Nota.*

Lonati

Fabrica Monialium, Monaſterium, & Clauſura declaratur, *fol.* 359. *col.* 1.

Sor. Luciæ Ferrari

Geſta epitomantur, *fol.* 274. *in Nota.*

Fr. Ludovicus â S. Secundo

Miram humilitatem cum Stemmatis nobilitate conjungit, *fol.* 253.

Lugani

Conventus transfertur, *fol.* 330. ex ejus Eccleſia Reliquias extrahi prohibetur, *ibi col.* 1.

Ludovica Lampugnana Marchioniſſa

Miſſam quotidianam in Eccleſia Monialium S. Praxedis fundat, *fol.* 338. *in Nota.*

M

Maceratæ

Pro conſtruenda Domo, lite non obſtante, petium terræ Fratribus conſignari jubetur, *fol.* 172. *col.* 2.

Magdalena Serra.

Vide Quartum.

S. Mallianus [*Terra.*]

Tempore æſtivo Fratribus hoſpitium ibi conceditur, *fol.* 148. *col.* 1.

Manerbii.

Pro amplienda Domo ſitus alienatur, *fol.* 362. *col.* 2.

Mantua

Conventus Ducatus Mantuani Provinciæ Lombardiæ uniuntur, *fol.* 277. *col.* 1

Marchiæ Provinciæ

Ordo debet ſua auſpicia *fol.* 170. Series Miniſtrorum & Vicariorum Generalium ex ea, *ibi* in duas Provincias dividi ordinatur, *fol.* 208. executio non ſequitur, *fol.* 209. Cauſa quæſtuationis cum Provincia Umbriæ terminatur, *fol.* 150. *col.* 1.

Fr. Marcus ab Ariano

Ad exercitum Cæſareum ablegatur, *fol.* 295. *col.* 1. vita & mors illius glorioſæ, *fol.* 296.

Fr.

Fr. Marcus Antonius â Carpenedulo

Miniſter Generalis, pietate, & doctrina clareſcit, *fol.* 346.

Marcus Gandolfus.

Vide Januenſis Provincia.

Maria Duciſſa Parmæ

Monaſterium Monialium ibi fundat. *Vide Parmenſe Monialium Monaſterium.*

Maria Anna Hiſpaniarum Regina

Eccleſiæ Domus Urbinatenſis Sacra vaſa donat, *fol.* 211. *col.* 1. *Vide Urbinum.*

Maria Thereſia Regina Hungariæ &c.

P. Auguſtinum Mariam commendans de attenta voluntate à Papa certior redditur, *fol.* 344. *col.* 2.

Fr. Mathias â Salodio

Definitor Generalis, habet 4. Cardinales ſuæ virtutis præcones, *fol.* 346.

Maximilianus Bavariæ Dux

Ven. Dei Ser. Laurentio à Brunduſio Sacros honores deſtinari inſtat, *fol.* 292. *col.* 2.

Mediolanenſis Provincia

Ab exordio floret Viris illuſtribus, *fol.* 305. Ei 10. Conventus Provinciæ Januenſis incorporantur, *fol.* 333. & ſeq.

Mediolanen. Monialium Monaſterium S. Praxedis

Fundatur *fol.* 307. *col.* 2. ad id inſtituendum Moniales Peruſio vocantur, *fol.* 310. *col.* 1. Bona ſtabilia in fabricam &c. converti indulgetur, *fol.* 310. item pia legata, *fol.* 312. 313. Monialibus privilegia Minoritana expreſsè conceduntur, *fol.* 338. ad illarum commodum Miſſa fundata ad Aram magnam transfertur, *ibi in Nota.*

Mediolanen. Monialium Monaſt. S. Angelorum

Inſtituitur, *fol.* 328. *col.* 2.

Meſſolcina Vallis.

Vide Miſſionarii.

Fr. Michael Angelus ab Arimino

Procurator Generalis, commendatur, *fol.* 222.

Fr. Michael â Bergomo

Conſtituitur Superintendens Generalis ædificiorum R. Cameræ, *fol.* 26. *col.* 1.

Fr. Michael Angelus â Raguſio

Regi Hiſpaniarum, Reginæ &c. ac Cardinali de Judice commendatur, *fol.* 215. & 216.

Fr. Michael Angelus â Regio Lepidi.

S. Palat. Apoſtolici Concionator, in officio ad dies vitæ confirmatur, *fol.* 278. *c.* 1. variæ facultetes ei conceduntur *ibi*. Alia illius geſta memorantur, *fol.* 279.

Miſſarum onera

Ad rationem currentis eleemoſinæ reducuntur, *fol.* 337. & 361. in locis Peregrinationum eas, vel legi, vel Peregrinantes de non applicatione moneri ſtatuitur, *fol.* 393. *col.* 2.

Miſſionarii

Confeſſiones Mulierum in hoſpitio excipere non debent, *fol.* 365. *col.* 2. In facultatibus à S. Sede eis conceſſis illos turbari vetitur, *fol.* 400. & ſeq. Examini Epiſcoporum in Miſſionibus Pedemonti non ſubſunt *ibi*. Illos in Valle Meſſolcina expellentes excommunicantur, *fol.* 361. *col.* 1.

Miſſio

Miſſio Congi.

Provinciæ Romanæ committitur, *fol.* 76. *col.* 1.

Moniales.

Vide Confeſſiones, Parochus. Forolivienſe Monialium Monaſterium.

Mons avium.

Ex Eccleſia Fratrum ibi paramenta extrahi inhibetur, *fol.* 211. *col.* 2. Erectio Sepulturæ approbatur, *fol.* 217. *col.* 1. & Quartam funeralem Parocho non deberi ſancitur, *ibi*.

Mons Bodii, vel Albodii.

Legatum pium in beneficium Domus ibidem commutatur, *fol.* 183. *col.* 1. petium Terræ alienatur, *fol.* 193. *col.* 1.

Mons Caſalis.

Eccleſia Ruralis Fratribus ibi conſignatur, *fol.* 101. *col.* 1. Sanctitas loci deſcribitur *fol.* 102. *in Nota*.

Mons Caſtrilli.

Moniales ad inſtituendum ibi Monaſterium ablegari mandatur, *fol.* 142. *col.* 1. fundatio ejus inſcriptione lapidis exprimitur, *ibi*.

Mons Florum.

Petium Sylvæ pro commodo Fratrum ibi permutatur, *fol.* 175. *col.* 1.

Mons S. Gotthardi.

Ad Fratres ibi facultates Miſſionariorum extenduntur, *fol.* 347. *col.* 1.

Mons S. Joannis.

Eccleſia ibi derelicta Fratribus conceditur, *fol.* 75. pium legatum in ſubſidium fabricæ convertitur. *fol.* 74. *col.* 1. compoſitio facta cum Hærede circa aliud pium legatum reprobatur, *fol.* 75. *in Nota*.

Mons Malbi.

Legatum pium Domui ibidem relictum ad expenſas Canonizationis B. Joſephi de Leoniſſa convertitur, *fol.* 146. *col.* 1.

Mons Pietatis.

Vide Collis Petraceus, Aſſiſienſis Fratrum Conventus.

Mons Quirinalis.

Vide Romanum Monialium Monaſterium.

Mons Regalis.

Moniales ibi in novum Monaſterium inducuntur, *fol.* 397. *col.* 1.

Mons rotundus, ſeu Eretus.

Emptio petii terræ pro nova Domo ratihabetur, *fol.* 26. *col.* 1.

Mons Rubeus.

Paramenta ex Eccleſia Fratrum ibi extrahi vetitur, fol. 381. *in Nota*.

Mons Sanctus.

Permutatio terreni pro fabrica Domus approbatur, *fol.* 203. *col.* 1. Officium, & Miſſam B. Gerii F. Antonius Maria â dicto Monte impetrat, *fol.* 204. *in Nota*.

Mons Scoppius.

Fratres ibi Proceſſiones Terræ Portariæ &c. accedere non tenentur, *fol.* 147. *col.* 1. Viſitatio ab Epiſcopi Officialibus facta reprobatur, *ibi*.

Mons vetus.

Nova Domus ibi conſtruitur, *fol.* 170. *col.* 1.

Mons Ugorum.

Vide Florentinus Fratrum Conventus.

Mons Ulmi.

Petium Terræ cum Eccleſia pro conſtruenda Fratrum Domo alienatur, *fol.* 182. *col.* 1.

Mon.

Montechii

Statuam S. Antonii Patavini in Habitu Capuc. deferri poſſe decernitur, *fol.* 203. *col.* 1. Monialibus ibi permutatio poſſeſſionis conceditur, *fol.* 194. *col.* 1. & Eſus carnis in iis tolleratur, *fol.* 195. *in Nota*.

Montferratenſes Conventus

A Provincia Januenſi ſeparantur, *fol.* 387. in Cuſtodiam eriguntur. *ibi*, *col.* 1.

Mucciæ

In Oratorio Domeſtico à Fratribus &c. celebrari conceditur, *fol.* 197. *col.* 1.

Mutilianæ

Moniales ad dandam Fratribus teſtamentariam eleemoſynam obligantur, *fol.* 245. *col.* 1.

N

Narniæ

Domus S. Crucis reaſſumitur, *fol.* 143. *col.* 1.

Nemi

Conventus ad commodiorem ſitum transfertur, *fol.* 70. *col.* 1.

Fr. Nicolao à Mantua

In Ædibus Archiduciſſæ Auſtriæ morari permittitur, *fol.* 259. *col.* 1.

Nominandi jus

A' Fratribus pacis ergò ceditur, *fol.* 144. eos illius capaces eſſe oſtenditur, *fol.* 145. ubi Doctrina D. Fargna de jure nominandi Rectorem Eccleſiæ &c. Fratribus competente adducitur. *Vide Comaclum*, *Juſpatronatus*.

Novitii.

Articuli circa eos in Italia recipiendos præſcribuntur, *fol.* 11. *col.* 1. æs alienum Novitii ex Fideicommiſſo ſolvi mandatur, *fol.* 237. *col.* 1.

Novarienſis Fratrum Domus.

Pro ejus conſtructione Eccleſia S. Crucis datur, *fol.* 318. *col.* 2.

Novarienſe Monialium Monaſterium.

Fundatur aſſignatis centum mille libris, *f.* 332. *in Nota*, de quibus 30. millia ad fabricam convertuntur *ibi*. Numerus ſupernumerariarum ad 13. figitur *f.* 331. Jus funerum in exteriore earum Eccleſia ad Parochum ſpectat *fol.* 342. cui tamen in illa benedicere, ſeu Matrimoniis aſſiſtere inhibetur, *ibi.*, *& ſeq. Vide Parochus*.

O

Officia.

Vide Defunctorum Officia.

Olmetti

Nova Domus exſtruitur, *fol.* 428. *col.* 2.

Oracula vivæ Vocis.

Oraculorum origo in Iſag. *fol.* IV. eorum, prout Pontificia ſunt, definitio, *fol.* V. ac diviſio *ibi*. S. Congregationes, ac Cardinales Officio fungentes talia haberæ conſuevère, *fol.* VI., & VII. Reformantur *ibi*, etiam à Cardinalibus ſubſcripta, *fol.* XI. Reformationem renovat, & limitat Clemens Papa XII. *f.* XIV. varia dubia circa ea reſolvunt Doctores, *fol.* XV. *& ſeq.* De fide, obtentum vivæ Vocis Oraculorum allegantibus adhibenda, *f.* XXI. Capucino id alleganti non defertur, *fol.* XXVI. De duratione Oraculorum, *fol.* XXVII. in foro interno ſubſiſtunt, *fol.* XXIX. in interno adminicula requirunt *ibi*.

Orta.

Vide Horta.

Ovada.

Vide Vvada.

Nra-

In Oratoriis

A' Fratribus Miſſas legi conceditur, *fol.* 140. *col.* 1., & 197. *col.* 2.

P

Parmenſis Fratrum Conventus.

Altare in ejus Eccleſia privilegiatur, *fol.* 275. *col.* 1. de quo Breve expeditum Duci Franciſco nuntiatur. *ibi col.* 2.

Parmenſe Monialium Monaſterium *Primum*

Fundatur, *fol.* 259. *col.* 1. iis Confeſſarius &c. ex Ordine permittitur, *fol.* 270. *col.* 1.

Parmenſe Monialium Monaſterium *Secundum*

Duciſſa Maria fundat, *fol.* 271. *col.* 2. jus nominandi 4. Puellas ſibi reſervat *ibi* facultas 12. vicibus annuatim illud ingrediendi ei conceditur, *ibi*. Numerus Monialium figitur, *fol.* 274.

Papiæ

Monaſterio Monialium Domus unitur, *fol.* 336. *col.* 1. Ad eleemoſynas Dotales recipiendas non obſtringuntur, *fol.* 337. in onere Miſſarum cum iis diſpenſatur, *ibi in Nota*.

Pancalerii

Miſſionarii ſtabiliuntur, *fol.* 402. *in Nota*.

Parochus

Eccleſias Fratrum in Cadaverum aſſociatione cum Cruce, & ſtola non intrat, *fol.* 216. *col.* 2. nec in iis jura Parochialia exercere poteſt, *fol.* 340. *col.* 1. ob conſuetudinem loci medietas ceræ in exequiis ei ſolvitur, *fol.* 218. In Eccleſiis Monialium jus funerum, anniverſaria cum cantu &c. ad eum pertinent, *fol.* 342. *col.* 2. Benedicere tamen in iis ei vetitur *fol.* 229. ſicut & eleemoſynas petere, *fol.* 247. Sorores quæſtuantes illi non ſubjacent, *ibi*.

Peccioli

Eccleſia S. Michaelis Fratribus pro Domûs conſtructione conſignatur, *fol.* 405. *col.* 1. Fratres in hac omnibus Ordinis privilegiis frui declaratur, *ibi*.

Pedemontana Provincia

Sua auſpicia Duci Sabaudiæ debet, *fol.* 389. zelus peculiaris in Miſſionibus ejus commendatur, *ibi*. Miſſionarios in ſuis facultatibus non turbari cavetur, ac eos ab examine Epiſcopi immunes eſſe decernitur, *fol.* 400. *col.* 1.

Fr. Peregrinus à Paullo

Virtute corruſcat, *fol.* 254.

Pergulę

Parocho quartam non ſolvi debere ſancitur, *fol.* 216. *col.* 1.

Peruſinus Fratrum Conventus

Ara magna in Eccleſia S. Mariæ de Pace in perpetuum privilegiatur, *fol.* 112. *col.* 1. in Eccleſia, ſeu Capella S. Antonii Abbatis Miſſam dici indulgetur, *fol.* 140. *col.* 1.

Peruſinum Monialium Monaſterium.

Fundatur, *fol.* 106. *col.* 1. Curæ Fratrum ſubiicitur *ibi* quam abdicant, *fol.* 109. Ex illo Moniales Inſtitutrices Recinetum, & Mediolanum mittuntur, *fol.* 107. & *ſeq.* Mediolano reverſuris SS. Reliquiæ donantur, *fol.* 108. Dotes à Puellis monachandis non recipiunt, *fol.* 108. Rudera Monaſterii Ordinis S. Benedicti illis linquuntur, *fol.* 141. *col.* 1.

Peruſinum Monialium Orphanarum Monaſterium

Noviter erigitur, *fol.* 132. *col.* 2.

Petra Rubea

Petium terræ clauſuræ Domûs Fratrum ibi unitur, *fol.* 218. *col.* 1.

S. Pe-

S. Petri [*Oppidi*.]

Domus S. Joſephi à Fratribus deſeritur, *fol.* 425. *col.* 2., quibus pro nova Domo Eccleſia S. Petri traditur, *ibi*.

Petrus ab Altemps Dux &c.

Vide Galleſium.

Fr. Petri Marię à Luca.

Memoria renovatur, *fol.* 403.

Fr. Petrus à Placentia.

Algerium ablegatur, *fol.* 257. ubi piè obit, *fol.* 258. *in Nota*.

Fr. Petrus Paulus à Mediolano.

Ex Marchionibus Caſtelli Miſſionarius &c. *fol.* 305.

Pignò.

Eccleſiæ loci legatum pium applicatur, *fol.* 355. *col.* 1.

Piſauri.

Pro Domo exſtruenda ædes & terræ petia donantur, *fol.* 204. *col.* 1. Gratia non obſtante oppoſitione confirmatur, *f.* 206. *col.* 1. ac ampliatur, *fol.* 207. *col.* 1. In recognitionem ejus Fratres annuatim in Rev. Camera comparere debent, *f.* 205. Parocho ibi medietas ceræ in exequiis &c. adjudicatur, *fol.* 218. & ſeq.

Pinerolii.

Fratribus Monaſterium &c. pro nova Domo datur, *fol.* 390. *col.* 1.

Placentiæ.

Monaſterium Monialium fundatur *fol.* 260. *col.* 1. Ordinario ſubjiciuntur *ibi*. à Confraternitate S. Mariæ de Turricella aluntur *ibi*. privilegiis Ordinis gaudent: ac Confeſſarius, & Capellanus ex Ordine iis permittitur *ibi*.

Plebis (*Oppidi*.)

In Eccleſia Fratrum Sepulturam Philippo Leureri &c. conceditur *fol.* 388. *col.* 1.

Podaverini

Interdicto Fratres non affici declaratur *fol.* 597. *col.* 2.

Pontremuli

Situs antiquæ Domus venditur *fol.* 379. *col.* 2. conventio firmatur *fol.* 380. *in nota*. à canone petium horti liberatur *ibi*. Calices &c. ex Eccleſia extrahi prohibetur *f.* 381. *in nota*.

Porletiæ

Eccleſia Fratrum Regularis declaratur *fol.* 341. *col.* 1.

Portus Mauritii

Antiqua Domus Sereniſſimæ Reipublicæ conſignatur *fol.* 371. *col.* 1. à qua nova ædificatur *ibi*. Pro venditione primæ Syndicus conceditur *fol.* 371. Jus Sanctæ Sedi aliàs in Domum Quarti competens, ad hanc transfertur *fol.* 376. & *ſeq.*

Præcedentia

Fratres inter- & alios Regulares regulatur, *f.* 27. *col.* 1. Fratribus adjudicatur *f.* 128. 184. 200. & 201.

Proceſſiones.

Fratres quidem in terra Portariæ non accedere tenentur *fol.* 147. *col.* 1. à ſolitis tamen abeſſe non debent *fol.* 396. Talibus ab Epiſcopis non moleſtari *ibi*. & ad eas illos invitari debere ſancitur *fol.* 264. *in nota*. excipitur ab ultimo Burgi S. Domnini locus *ibi*.

Profeſſio

Cauſa Profeſſionis cum morbo Epileptico emiſſæ componitur *fol.* 90. *col.* 1. In ſimili caſu Superiores egreſſui conſentire monentur *fol.* 91. *col.* 1. Inſtantia ex motivo morbi Nephritici rejicitur *fol.* 92. ac reſtitutio in integrum denegatur *fol.* 149. *col.* 1.

Propugnaculum.

Vide Ancona.

Puppii.

Officia Defunctorum à Fratribus anticipari indulgetur *fol.* 420. *col.* 1.

Q

In Quæſtuatione

Fratres ab Epiſcopis non impediantur *fol.* 394. 395. *& ſeq.* exire limites prohibentur, *fol.* 428. *col.* 2.

Quarta funeralis.

A Fratribus non ſolvitur *fol.* 210. 216. 217. 398. *& ſeq.* Decreta deſuper edita ſervari mandatur *fol.* 216. & 385.

Quarti

Monaſterium Conventualium Reformatorum Fratribus datur *fol.* 369. *col.* 2. Petia terræ à Canone liberantur *fol.* 372. *col.* 2. affrancatio confirmatur *fol.* 375. *col.* 1. Dominium Domûs Nobili Magdalenæ Serræ, & ejus Hæredibus reſervatur, ac jus Sanctæ Sedi competens in Domum Portûs Mauritii transfertur *fol.* 376. *col.* 2.

S. Quiricus.

Domus ad menſam Epiſcopalem ſpectans Fratribus datur *fol.* 419. *col.* 2.

R

Radicophari.

Situs venditur & pretium fabricæ Domus applicatur, *fol.* 419. *col.* 1.

Ragliani.

Conventum erigi conceditur, *fol.* 427. *col.* 2. executio non ſequitur, *ibi*.

Ravennæ.

Monaſterium Monialium erigitur, *fol.* 243. *col.* 1. Domus alienatur *ibi*. Numerus Monialium ad 25. augetur, *fol.* 244. *in Not.* Cauſam circa Crucem Parochum inter & Fratres componi committitur, *fol.* 249. *col.* 1.

Reatis.

Privilegium Altaris transfertur, *fol.* 99. *c.* 1.

Recineti.

Fratres in Confeſſarios extraordinarios Monialium deſtinantur, *fol.* 187. *col.* 2. his dotes Puellarum in bona ſtabilia convertendi facultas datur, *fol.* 188. *in Nota*.

Regii Lepidi

Fratrum Conventus fundatur, & hortus iis conſignatur, *fol.* 255. *col.* 1.

Reliquias.

Ex Eccleſiis extrahi inhibetur, *f.* 76. 211. 241. 330. 374. 411. *&c.*

Fr. Remigius à Bozuolo.

Varia virtute excellit, *fol.* 254.

S. Remus, ſeu Romulus.

Domus ibi transfertur, *fol.* 374. Situs ad Præbendam Canonicalem ſpectans alienatur, *ibi col.* 1.

Retia vel Rhetia.

Fratres ibi induci curatur, *fol.* 351. *col.* 2. in ſubſidium rei Eccleſiaſticæ ibidem eleemoſynæ colliguntur, *fol.* 352. *col.* 1. articuli de Eccleſiarum diviſionibus reſcinduntur, & alii præſcribuntur, *fol.* 354. *col.* 1. Decreta quædam circa Miſſionarios revocantur, & alia confirmantur *fol.* 364. *col.* 2. *Vide Curienſis Epiſcopus, Fr. Ignatius à Bergomo, Leopoldus Archidux Auſtriæ &c.*

Fr. Rochus à Venetiis

Viſitator Apoſtolicus Miſſionum in Peloponneſo conſtituitur, *fol.* 298. *col.* 1.

Romanæ Provinciæ.

Origo, & Decor *fol.* 14. Varii articuli circa ejus gubernium confirmantur, *f.* 60. *col.* 1.

col. 1. nomina Nativorum &c. ſupprimi &c. mandatur, *fol.* 80. *col.* 2. Servanda circa Novitios & Cuſtodum electionem præſcribuntur, *fol.* 81. Miniſtrum Generalem, & in ejus abſentia Procuratorem Generalem, ceu Superiores agnoſcere jubetur, *fol.* 72. *col.* 1. Mandatum confirmatur, *fol.* 94. *col.* 1. Miſſio Regni Congi eidem committitur, *fol.* 76. *col.* 1. Fratres perpetui Triremium Pontificiarum Capellani conſtituuntur, *fol.* 84. *col.* 1. pro quibus in Oppido Centum-Cellarum Hoſpitium erigitur, *Vide Hoſpitium Centum-Cellarum.*

Romanus Fratrum Conventus S. Bonaventuræ.

Studium Controverſiarum in illo erigi juſſum eſt, *fol.* 29. *col.* 2. Nationi Lucanæ alienatur, *fol.* 56. *col.* 2. translatis ad ejus Eccleſiam pii legati oneribus, *fol.* 62. 63. *& ſeq.*

Romanus Fratrum Conventus Concep. Immaculatæ B. V.

Fratres in poſſeſſionem ejus inducuntur, *fol.* 30. Ei 7. unciæ aquæ &c. donantur *f.* 31. *col.* 1. In ejus fabricam ſumma pecuniæ &c. convertitur, *fol.* 33. *col.* 1. Item Legatum pium Eccleſiæ B. V. Mariæ de Miraculis relictum, *fol.* 34. ac aliud ad fabricam S. Petri devolutum, *fol.* 62. *col.* 2. Situs ab omni canone eximitur, *fol.* 36. *col.* 1. Situs alius plateæ ante Eccleſiam emitur, *fol.* 39., *&* 62. *col.* 1. Emptio alterius ſitus, & inſtrumentum deſuper erectum confirmatur, *fol.* 42. *col.* 1. circa quem Superioribus diſponere inhibetur. *fol.* 69. *col.* 1. Petium de ſitu horti contiguo S. Iſidori Conventui datur, *fol.* 77. *col.* 1. Primus Provinciæ Conventus, *fol.* 52. ad commodum ejus, ac totius Ordinis fundatus, *ibi.* Jus honorificum Familiæ Barberinæ reſervatur, *ibi.* In Cella S. Felicis intra Clauſtrum Miſſas dici indulgetur, *fol.* 83. *col.* 1. In Eccleſia Domûs Altare Nativitatis D. N. J. C. privilegiatur, *fol.* 51. *col.* 2. in ſubſidium Altare quoque Tranſfigurationis, *fol.* 97. ac tempore Capituli Generalis omnia Altaria tam Capellarum, quam Eccleſiæ, *ibi.* in qua Indulgentiæ 7. Altarium ſunt perpetuæ. *fol.* 59. & Miſſæ uſque ad horam poſt meridiem protrahuntur, *fol.* 97. *in Nota.*

Romanum Monialium Monaſterium in Monte Quirinali.

Ad id inſtituendum Moniales Neapoli vocantur, *fol.* 16. *col.* 2. Spirituali Fratrum curæ ſubjicitur, *fol.* 17. *col.* 1. Omnia Ordinis privilegia ei communicantur, *fol.* 18. *col.* 1. ac Archiconfraternitati Sanctiſſimi Crucifixi commendatur, *ibi.* Vinum ſine gabella ab illo advehi conceditur, *fol.* 19. *col.* 1. gratia ampliatur, *fol.* 20. Uncia una aquæ Felicis ei conſignatur, *fol.* 21. *col.* 1. nec non tota aquæ profluens è fonte *della Guardia Svizzera*, *ibi.* Moniales Capellas imaginum 9. Eccleſiarum de Urbe viſitantes potiuntur Indulgentiis, conceſſis prædictas Eccleſias viſitantibus, *fol.* 25. quæ Capellis reſtauratis confirmantur, *ibi.* gaudent pariter Sexies per annum Indulgentiis Scalæ Sanctæ, *fol.* 96. *col.* 2. & uſus lacticinorum &c. iis licitus declaratur, *fol.* 88. *col.* 1.

Romanum Monialium Monaſterium S. Urbani.

Illius fundatio, & obſervantia, *fol.* 83. *in Nota.* Fabricæ ampliatio, *fol.* 82. facultas loca Montium ſubſtituendi, *ibi.*

Romagnani.

Ædificia Domus veteris venduntur, *fol.* 327. *col.* 1. Oſſa Defunctorum ad novam transferuntur, *ibi.*

Fr. Romualdus à Parma

Definitor Generalis, virtute enitet, *fol.* 253.

Ronciglione.

Nova Domus fundatur, *fol.* 38. *col.* 1. Situs ad Hoſpitale ſpectans emitur, *ibi.*

S

Sabaudiæ.

Duciſſis Clauſuram ingredi conceditur *f.* 393. *col.* 1.

S. Sabinus.

Vide Mons S. Sabini.

Sagagni.

Feſtum Dedicationis transfertur, *fol.* 353.

Sal.

Omnibus Eccleſ. Status Domibus datur, *fol.* 9. *col.* 1. ad rationem 15. Librarum pro perſona, libra ad 12. unicas cumputata, *fol.* 10. Mandatum de modo id exigendi, *ibi.*

Salutiæ.

Fratres ibi ſtabiliuntur, *fol.* 400. *col.* 2. prætenſa privilegiorum moderatio reiicitur, *ibi, & ſeq.*

Fr. Sanctes à Verona.

Pro fide occumbit, *fol.* 281.

Scandiani.

Capella ob incommoda Fratrum deſtruitur, *fol.* 269. *col.* 1.

Senenſis Fratrum Domus

Antiqua, Civitati Senenſi pro Xenodochio datur, *fol.* 418. *col.* 1. PP. Camaldulenſibus â Papa donatur, *fol.* 420 *col.* 2. Relictis in Eccleſia Altarium tabulis, *fol.* 422. *in Nota.*

Senenſe Monialium Monaſterium.

Pro ejus conſtructione Eccleſia S. Ægidii conſignatur, *fol.* 407. *col.* 2. Miſſa perpetua in ea fundatur, *ibi.* Moniales ſub juriſdictione Ordinarii omnibus Ordinis privilegiis frui conceditur, *ibi.* Numerus Monialium ad 40. figitur, *fol.* 411. *col.* 1. A Fratribns gubernari indulgetur, *ibi.* ex earum Eccleſia Reliquias extrahi prohibetur, *ibi, col.* 2.

B. Seraphini de Aſculo.

Reliquiæ â Papa petuntur, *fol.* 276. *col.* 2.

Senogalliæ

Legatum pium in beneficium Conventus commutatur, *fol.* 183. *col.* 1. Præcedentia Fratribus noſtris ibi adjudicatur, *ibi in Nota*, controverſia ratione Sepulturæ componitur, *fol.* 184.

Setiæ.

Pro nova Domo petium terræ ad Eccleſiam S. Antonii ſpectans dari committitur, *fol.* 24. *col.* 2.

S. Severinus (*Ciuitas.*)

Revocatio eleemoſynæ Fratribus ibi dandæ reprobatur *fol.* 210. *col.* 1.

Fr. Sigiſmundus â Bononia.

Procuræ Generalis officium impigro ſtudio explet, *fol.* 222.

Fr. Sigiſmundo â Bononia

Opus ſub hoc ſuo nomine reimprimi conceditur, *fol.* 230. *col.* 1. quod cum cautela laudatur, *fol.* 231. *im Nota.*

Fr. Simplicianus â Mediolano.

Miniſter Generalis, matura ſemper virtute omnia Ordinis officia adipiſcitur, *f.* 305.

Soſpitelli.

Fratres in quæſtuatione moleſtare prohibetur, *fol.* 394. *col.* 2. *& ſeq.* Solitum in hac ſervari præcipitur, *fol.* 395. quæſtuatione panis, & vini Noſtratibus inhibita, *ibi.*

Spoleti.

Pro Domo cingenda duo terræ petia permutantur, *fol.* 129. *col.* 2. Fratres in poſſeſſione feſti de S. Antonio Abbate celebrandi manutenentur, *fol.* 151. *col.* 1. PP. S. Lucæ nullum jus in arbores Domui contiguas competere deciditur, *fol.* 166. *col.* 2. Domus S. Annæ ibi reaſſumitur, *fol.* 151. *col.* 1.

Pre-

S. Stephani [*Oppidi*.]

Pretium duarum ædium in ſumptus fabricæ convertitur, *fol.* 415. *col.* 1. Religioſos 8. duntaxat ibi morari indulgetur, *ibi* Onus legati commutatur, *col.* 416. Officiatura Sæcularis ad aliam Eccleſiam transfertur, *ibi in Nota*.

Fr. Stephanus â Ceſena.

Miniſter Generalis, genere, & doctrina clareſcit, *ol.* 221.

Supplicationum.

A' Papa ſignatarum formula, *fol.* 113.

Syndicus

Conceditur, *fol.* 371. *&c.*

T

Tabarca. (*Inſula*.)

In illa Hoſpitium erigi conceditur *fol.* 385. *col.*2. executio impeditur *fol.*386. *in nota.*

Tarviſii.

Monialium clauſura inducitur *fol.* 294. *col.* 1.

Taurini

Monialium Conſtitutiones confirmantur *f.*395. *col.* 1.

Tertonæ

In beneficium noſtræ Domûs Canon remittitur *fol.* 331. *col.* 1.

Thomas de Rochabertis.

Merita Fr. Zachariæ Boverii extollit *fol.* 391.

Tibur.

Pretium antiquæ Domûs ad novæ fabricam ibi expenditur *fol.* 24. *col.* 1.

Tipherni

Monaſterium Monialium fundatur *f.* 137. *col.* 1. Ordinario ſubjicitur *ibi*. Privilegia Ordinis ei communicantur *ibi*. Indulgentiæ variæ tam Monialibus, quàm earum Miniſtris conceduntur *fol.* 139. Celebre ex virtute Ven. Dei Servæ Sor. Veronicæ de Julianis *fol.* 140. Ex eo Moniales ad reformandum aliud Monaſterium aſſumuntur *ibi*. In beneficium ejus bona ſtabilia pro empta Primogenituræ terra ſupponi conceditur *fol.* 143. *col.* 1.

Tolentini

Fratres Quartam ſolvere non teneri declaratur *fol.* 143. *col.* 2.

Trinzani

Novus Conventus erigitur *fol.* 359. *col.* 1.

Triremes.

Vide Provincia Romana, & Provincia Januenſis.

Trivignani

Ex Eccleſia Parochiali Reliquias extrahi vetitur *fol.* 76. *col.* 1.

Tuderti

A Fratribus eleemoſynas in feſto S. Antonii Abbatis recipi poſſe declaratur *fol.* 147. *col.* 2.

Turris Tuderti

Vide Collis petraceus.

Tulphæ

Nova Domus fundatur *fol.* 29. *col.* 1.

Tuſciæ Provincia.

Religionis noſtræ in illam introductio *fol.* 403. fulget Viris illuſtribus, & duorum Cardinalium Purpurâ *ibi*.

Tuſculi

Altare privilegiatur *fol.* 27. *col.* 2. extenditur Privilegium *fol.* 28. *in nota*.

Val-

V

Valdagni.

Fabrica Monialium in Monaſterium erigitur, *fol.* 300. *col.* 2.

Valentiæ.

Pretium antiquæ Domûs in uſum Bibliothecæ converti indulgetur *fol.* 329. *col.* 2.

Vallis Meſolcina.

Vide Miſſionarii.

Varalli.

Hoſpitium mutatur *fol* 335. conceſſio confirmatur *fol.* 336. *in nota*.

Velitri.

Pium Legatum in expenſas fabricæ, & Canonum extinctionem convertitur *f.* 39. *col.* 1.

Venetę Reipublicę

Prædilectio erga Fratres, & Ordinem notatur *fol.* 280.

Veneta Provincia

Ex Principis gratia, Virorum illuſtrium ſerie &c. commendatur *fol.* 280. ei magnificum SS. Redemptoris Templum pro officiatura traditur *ibi*.

Venetum Monialium Monaſterium.

Onera Miſſarum ad earum favorem commutantur *fol.* 301. *col.* 1.

Veneto Monialium Collegio

Ordinis Prvilegia communicantur *f.* 298. *col.* 2. Moniales Profeſſionem votorum ſimplicium emittunt cùm juramento ibi perſeverandi *fol.* 299.

Veronę

Monaſterium Ordinis S. Benedicti Fratribus pro nova habitatione conſignatur *fol.* 284. *& ſeq.*

Verucchii

Eccleſia Fratrum indulgentia perpetua decoratur *fol.* 222. *col.* 1. item Altari privilegiato *ibi*. quod ad Fratres advenas extenditur *fol.* 224. *col.* 2.

Vicentinus Fratrum Conventus

Suppreſſum ibi S. Hieronymi Monaſterium Fratribus pro Domo traditur *f.* 282. *col.* 1.

Vicentinum Monialium Monaſterium

Erigitur *fol.* 289. *col.* 2. Ordinario ſubjicitur, *fol.* 291. Ordinis S. Claræ privilegiis fruitur *ibi*.

Viguerię

Monaſterium S. Bubonis Fratribus pro nova Domo datur *fol.* 314. *col.* 1. in ejus Eccleſia Capellania fundatur *fol.* 315. Donatio alterius petii terræ pro Domûs ampliatione approbatur *fol.* 325. *col.* 2.

Viglevani

Ædes Fratribus datæ ab annuo livello liberantur *fol.* 322. *col.* 1.

In Vigentina Inſula

RR. PP. Obſervantibus Fratres noſtri ſubſtituuntur *fol.* 22. *col.* 16. à quibus eadem Domus derelinquitur *fol.* 23. *in nota*.

Viſitatio

Altaris in Eccleſia Fratrum ab Officialibus Epiſcopi facta reprobatur *fol.* 147. *col.* 1.

Umbrię Provincia.

Vide S. P. Franciſci Provincia.

Vo-

Vorago, *vulgò* Varazè.

Pro tollenda Sæcularium ſubjectione quædam terræ petia ibi permutantur *f.* 368. *col.* 1. item alia pars ſitûs *fol.* 372. *col.* 1.

Urbanię.

Altare Eccleſiæ pro Fratribus privilegiatur *fol.* 172. *col.* 1.

Urbini.

Pro ambitu Domûs cingendo quædam terræ petia permutantur *fol.* 202. ex Eccleſia vaſa argentea &c. extrahi prohibetur *fol.* 212. *col.* 1.

Urbs vetus.

Eccleſia S. Bernardi ibi Fratribus pro habitatione conſignatur *fol.* 15. *col.* 1.

Utini

Monialibus omnes Ordinis Minoritani Indulgentiæ, & gratiæ ſpirituales communicantur *fol.* 302. *col.* 1.

Uvada.

Varia circa cadaver diſponuntur *f.* 387. *col.* 2.

Z

Fr. Zacharię à Boverio.

Definitoris Generalis merita à Thoma de Rochabertis deſcribuntur *fol.* 391. *in nota.*

Fr. Zacharias à Papia

Ex Marchionibus Beccariæ tranſit ad Capucinos *fol.* 305.

F I N I S.

Ani-

Animadverſio circa Errata.

QUantumque attentior fuerit adhibita cura, & ſtudium, ut de prælo exiret opus à nævis plenè purgatum, irrepsêre tamen eorum nonnulli, quorum graviores hîc ex parte adnoto.

In Iſagoge citatur aliquoties *Pignatell. conſult.* 111. cujus loco lege 112. *fol.* 136.
fol. 12. *col.* 1. in Summario poſt verba *in Italia* adde *deputari*.
fol. 106. Ordinem chronologicum non tenet Breve Apoſtolicum de Monaſterio Monialium Peruſii, debetque præponi Bullæ anteriori de Capella Gualdi.
fol. 389. *lin.* 17. poſt *Archiepiſcopalis* addatur *Novariam*.
fol. 397. *col.* 1. *lin. penult. & ult.* citatur, ſeu vocatur Breve confirmativum Conſtitutionum Monialium Montis Regalis, quod in Typographia diſtractum inſeretur ſupplemento totius Operis.

Alia leviora menda, quæ vel ipſe verborum aſpectus deteget, ſua humanitate eruditus Lector emendabit ſimul, & excuſabit.

BX 3104 A2 1740 t.2

Catholic church
Bullarium

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY